SC.21.Pl.S.

37
31 C
21

MAG 1224

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTA
MORALIA.

Digitized by Google

INSTITUTA MORALIA
THEOLOGI LUGDUNENSIS
ORDINIS CAPUCCINORUM

AUCTA ET ILLUSTRATA

A F. BONAVENTURA A COCALEO
EJUSDEM ORDINIS PROVINCIÆ BRIXIENSIS

ALUMNO

ET AB IPSO

REVERENDISSIMO PATRI

SERAPHINO A CAPRICOLLE
TOTIUS ORDINIS MINISTRO GENERALI

HUMILLIME EXHIBITA.

TOMUS PRIMUS.



MEDIOLANI . MDCCLX.

PROSTANT BRIXIÆ APUD JOANNEM-MARIAM RIZZARDI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIME PATER.

QUAM *primum Opus iſtud augendi, atque illuſtrandi conſilium incidit, illud Tibi*, REVERENDISSIME PATER, *tamquam Tuum, Tuaque de ſollicitudine partum, illicò offerre decrevi. Cui enim æquiori jure, quàm Tibi* MORALIA HÆC INSTITUTA *exhiberi opor-*

tebat,

Digitized by Google

tebat, qui de eorum cultu, nitore, & puritate tantopere ſollicitum, anxiumque Te a primo regiminis die præſtitiſti? Vix enim ad totius Ordinis noſtri moderamina ſuſcipienda electus, ſtatim ad purioris ethices, ſanioriſque doctrinæ Auctorum, & nominatim Theologi noſtri LUGDUNENSIS *promovenda, atque ſectanda veſtigia ardore magno animum admoviſti. Hoc teſtantur tot monita, totque encyclicæ Ordinationes, in quibus, ſi qui longo temporis decurſu irrepſiſſent, abuſibus eliminatis, optimæ conſtabiliuntur regulæ, quibus Candidati nóſtri, in ſcientia pariter, atque pietate luculentiùs erudiantur. Probè ſciens* labia Sacerdotum ſcientiam cuſtodire *opus eſſe, ad hanc in Cœnobiis noſtris magis magiſque confovendam Tibi adeo cordi fuit, ut inter tot alia totius Religionis diſſita munia ad hoc (penè dicam) unicum obeundum videaris, Superno afflante Spiritu, evocatus. Hanc nobiliſſimam excelſi Animi Tui affectionem Provincia noſtra* Brixienſis, *quæ pro melioribus ſtudiorum artibus indeſinenter contendit, admirans; vota juſtiſſima Tua, nedum obſequens, verùm etiam, ut ita dicam præveniens, novis additis antiquis curis, Opus hoc illuſtrare tenuitati*

meæ

meæ præcepit ; ut ad ejus normam , & Tui deſiderium Tyrones noſtri in moralibus diſciplinis impoſterum imbuerentur . Munere , qua potui ſedulitate , brevi tempore adimpleto , & Opere ad meliorem lectionem redacto , illud eſt , quod Tibi offero , Reverendissime Pater, *humillimè deprecans , ut ipſum benignè foveas , & tuearis ; ipſique felicem promoveas curſum . Utinam hæc ad votum cedant ! Sic enim fiet ,* ut novus ille opinandi modus alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate , Sanctorumque Patrum doctrina , *de quo tantopere* Alexander VII *dolebat , nullo unquam tempore inter nos irrepere valeat . Monſtrum hoc , Deo dante , jam exulat a Scholis noſtris : ſed Te adjuvante , & protegente longiùs adbuc diſtabit , perpetuumque fatum ſubire cogetur . Incomparabilem hanc , indefeſſamque ſollicitudinem pro ſolidiori augenda doctrina de Te meminiſſe ſpecialiter juvat , utpote quæ unica etiam ſufficiat ad Te nobis pretioſum reddendum , nomenque Tuum in* Italiæ *non minus , quàm in* Germaniæ *Provinciis celebrius conſtituendum . Sed quid immoror in laudibus Tuis ? Has enim refugit æquanimitas Tua , has non excipit modeſtiſſimum Cor . Ne igitur humili-*

tati

tati Tuæ offendicula præbeam hìc calamum, ægrè licèt, conſiſtere jubeo. Interim Deum Opt. Max. enixè deprecor, ut Te diu incolumem nobis tueatur, & ſervet.

REVERENDISSIMÆ P. T.

Dabam in Cœnobio noſtro Iſci die 5. Novembris MDCCLIX.

Humil.mus atque Obſeq.mus Filius & Servus
F. Bonaventura a Cocaleo
Brixienſis Capuccinor. Provinciæ Alumnus.

M O-

MONITUM.

MORALIA INSTITUTA P. PAULI LUGDUNENSIS, novis quidem curis illuſtrata en iterum prodeunt. Provinciam hanc aggrediendi multiplex cauſa fuit. Primo quidem, ut aliquibus Authoris opinionibus, quæ minus veritati, ſolidioribuſque conſectariis conſonæ videbantur, debitæ modificationes, aut explicationes ſubderentur. 2. Ut Opus integrum Pontificiis Diplomatibus, poſtremò emanatis, illuſtraretur. 3. Tandem, ut, quantum fieri poſſet, & ratio temporum daret, expurgaretur ab innumeris prope mendis, quæ in poſteriori Editione an. 1733. undequaque irrepſerant. Hæc omnia, quoad nos, breviter exequi curavimus: uti legenti patebit.

Fatendum candidè in primis eſt, Cl. *P. Philippum a Carboneano* ad Opus ſuſcipiendum contuliſſe non parum. Ipſe enim, ſicuti notum eſt, Theologiam Moralem Doct. *P. Antoine S. J.* plaudentibus putioris Ethices Amatoribus, eruditè, atque copioſè illuſtrans, ad pariter cum *Theologico Specimine P. Pauli Lugdunenſis*, agendum primos dedit impulſus. Ambo ſunt Authores Galli: ambo ejuſdem ſyſtematis ſectatores: ambo eaſdem ferè ſemitas calcant. Unus ex eis a Theologo Italo illuſtratur: unus Pontificiis Reſcriptis munitur; cur non & alter? Hinc

Digitized by Google

Concellitarum preces; hinc Amicorum inſtantiæ; hinc tandem Superiorum nutus, ad manum operi admovendam veſtigiaque *P. a Carboneano* ſequenda traxerunt.

Sed, cur tot Voluminibus ad mores ſpectantibus univerſum penè Orbem implere? Cur? An non Probabiliſtæ idem faciunt, & amplius? An non ultimis hiſce temporibus trium ex eorum Cœtu illuſtriorum Volumina, aucta, atque corroborata, denuò in lucem prodire curarunt; nempè PP. *La-Croixii*, *Tamburini*, & *Vivæ*, qui poſtremis curis adornati typis iterum demandati fuerunt? Si ſic illi quoad Probabiliſtici Syſtematis Illuſtratores; cur ſi non æqualia, ſimilia ſaltem & nos quoad Probabilioriſmi Defenſores? Suos habeat quæque cauſa Patronos.

Inter documenta verò, quibus in hoc qualicumque labore fuimus uſi, principaliora fuere Sapientiſſimi Pontificis BENEDICTI XIV. Opera; & inter iſta, Libri, quos *De Synodo Diœceſana* inſcripſit, duces quodammodo noſtri fuerunt. Hos centies producimus, textuſque ab ipſis excerptos tranſcribimus. A quo enim, in ſuſcepto labore clariorem diem excipere poteramus, quam a Viro, communibus votis doctiſſimo; qui ſuper Petri Cathedram, tanto Religionis decore, atque incremento, ſedens, Operibus verè aureis ſuis, totam illuſtravit Eccleſiam? Aſt: ibi non loquitur *ex Cathedra*; non loquitur *ut Pontifex*. Eſto: Num per hoc ejus verba, atque inſtructiones pondere, & quidem magno carebunt? Quis talia muſſitare audebit? Sit utique Doctor; & Doctor privatus ſi placet: attamen Doctor iſte ejuſmodi eſt, qui illos inſtruit, quos *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, quomodo in ovium ſibi commiſſarum cura ſe gerere debeant: qui ſcriptis ſapientiſſimis ſuis Eccleſiam univerſam ad ejus Sponſi divini regulam componit, & ornat: uno verbo: Doctor iſte privatus BENEDICTUS XIV. eſt. Quo verò ad ejus *Brevia*, *Conſtitutiones &c.*, quæ prout opus fuit citan-

tantur, non immoramur: ipſa enim propriæ authenticitatis, atque authoritatis characterem in fronte portant.

Circa methodum: textu Authoris juri ſuo relicto, Adnotationes tantum prout opus erat, & ratio expoſtulabat, hinc inde opportunioribus locis addere curavimus: inſertis inſuper, & in unum redactis, damnatis Propoſitionibus ad rem pertinentibus, atque ad reſpectiva Capita ſucceſſivè præmiſſis. Ex Adnotationibus aliquæ firmant textum, illumque corroborant: aliæ illum explicant, atque illuſtrant: nonnullæ verò ea, quæ a veritatis tramite diſcedere videbantur, refellunt, & impugnant: omneſque inter duos Aſteriſcos (*) concluſæ invenientur. Carni, & Sanguini nihil indulgentes, omnia ad pondera Sanctuarii librare ſtuduimus. Abſit a Viro probo adulatio; abſit perſonarum acceptio.

Sicuti poſtea Apoſtolicas Sanctiones de re tractantes multoties data opportunitate citavimus; atque etiam ex eis aliqua fragmenta nonnunquam retulimus; ſic illæ in *Appendice Documentorum*, ad calcem Operis recto ordine diſpoſitæ per extenſum locatæ fuerunt. Citationes autem Operis *De Synodo Diœceſana*, ad normam editionis *Ferrarienſis* an. 1756. fuerunt productæ.

Hæc ſunt, quæ pro nova hujuſce Operis editione monenda duximus. An tenuis labor ad votum ceſſerit; viderint æqui Amatores. De Opere numeris omnibus abſoluto, abſonum foret gloriari: cum non pauca aut incautè ommiſſa, aut minus perpenſa perſpicaciores oculi conſpicere forſitan poterint. Iſtorum ſit ſemitas deambulare, quas ipſis indigitavimus, & ad perfectionis complementum opus ipſum redigere.

INDEX GENERALIS

DISSERTATIONUM, CAPITUM, QUÆSTIONUM, ARTICULORUM, PARAGRAPHORUM, &c.

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

TRACTATUS PRIMUS.

De Actibus Humanis.

DISSERTATIO I.
De Fine Actuum humanorum.

Caput I. *De Fine Ultimo.* pag. 1
Quæſtio 1. *Utrum quidquid deliberatè vult homo, ipſum velit propter finem ultimum.* p. 2
Quæſt. 2. *Utrum homo poſſit agere propter plures fines ultimos.* p. 3
Cap. II. *De ipſa Beatitudine.* p. 4
Quæſt. 1. *Quæ ſit hominis objectiva Beatitudo.* ib.
Quæſt. 2. *An ſit poſſibilis, & in qua operatione ſita ſit hujus vitæ Beatitudo.* p. 5

DISSERTATIO II.
De natura Actuum humanorum.

Cap. I. *Quotuplex ſit Actus humanus.* p. 6
Quæſt. 1. *De Actibus elicitis.* ib.
Quæſt. 2. *De Actibus imperatis.* p. 8
Cap. II. *Quid, & quotuplex ſit voluntarium.* p. 9.
Quæſt. 1. *Quid ſit voluntarium liberum, & neceſſarium.* ib.
Articulus 1. *Quid, & quotuplex ſit Libertas.* ib.
Artic. 2. *Quid ſit Libertatis ſubjectum.* p. 11
Artic. 3. *Qualis indifferentia ad Libertatis eſſentiam requiratur.* p. 13
Artic. 4. *An detur in homine lapſo Liberum Arbitrium, & indifferentia ad utrumlibet.* p. 16
Quæſt. 2. *Quid ſit voluntarium perfectum & imperfectum; mediatum, & immediatum; poſitivum, & negativum &c.* p. 18
Quæſt. 3. *Quid ſit voluntarium directum, & indirectum.* ib.
Cap. III. *De Involuntario, & cauſis ejuſdem.* p. 20
Quæſt. 1. *An, & quomodo violentia cauſet Involuntarium.* ib.
Quæſt. 2. *An, & quomodo metus cauſet Involuntarium.* p. 22
Quæſt. 3. *An, & quomodo concupiſcentia cauſet Involuntarium.* p. 24
Quæſt. 4. *De Involuntario per ignorantiam.* p. 25
Artic. 1. *An, & quomodo Ignorantia cauſet Involuntarium.* p. 26
Artic. 2. *Circa quæ detur Ignorantia invincibilis.* p. 28

DISSERTATIO III.
De moralitate Actuum humanorum.

Cap. I. *De ratione eſſentiali moralitatis.* p. 31
Quæſt. 1. *Per quid formaliter Actus humanus conſtituatur in eſſe moris.* p. 32
Cap. II. *De moralitatis ſpeciebus.* p. 33

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. 1. *Utrum detur Actus indifferens.* ib.
Quæſt. 2. *In quo primariò, & intrinſecè ſita ſit Actus humani bonitas, vel malitia.* p. 36
CAP. III. *De variis moralitatis affectionibus.* p. 38
Quæſt. 1. *Utrum unus, & idem Actus plures habere poſſit moralitates.* ib.
Quæſt. 2. *Utrum Actus externus bonitatem, aut malitiam Actui interno adjiciat.* p. 40
CAP. IV. *De principiis moralitatis externis.* p. 41
Quæſt. 1. *An, & quomodo Actus humanus moralitatem deſumat ex objecto.* ib.
Quæſt. 2. *An, & quomodo Actus humanus moralitatem ſumat ex fine.* p. 42
Quæſt. 3. *An, & quomodo Actus humanus moralitatem deſumat ex circumſtantiis.* p. 43
Quær. 1. *An moralitas, quæ ex circumſtantiis advenit Actui humano, ipſi ſit eſſentialis, vel accidentalis.* ib
Quær. 2. *Quotuplicis generis ſint circumſtantiæ.* ib.
Quær. 3. *Quotupliciter circumſtantia mutare poteſt bonitatem, vel malitiam Actus.* ib.
Quær. 4. *Quomodo circumſtantiæ malitiam Theologicam augere poſſunt.* ib.
Quær. 5. *Quandonam cenſeatur circumſtantia novam ſpeciem diſtinctam malitiæ, aut bonitatis Actui ſuperaddere.* p. 44
Quær. 6. *Utrum circumſtantiæ debeant eſſe cognitæ, & volitæ, ut ad peccatum imputentur.* ib.
Quær. 7. *Quot ſint particulares circumſtantiæ, & quomodo ab ipſis Actus humanus moralitatem ſuam deſumat.* ib.
CAP. I. *De conſcientia recta, & erronea.* p. 46
Quæſt. 1. *An Conſcientiam erroneam ſequi teneamur.* ib.
Quæſt. 2. *Reſolutio caſuum circa Conſcientiam erroneam occurrentium.* p. 47
Quær. 1. *An gravius peccet, qui conſcientiam vincibiliter erroneam ſequitur, quàm qui contra ipſam operatur.* ib.
Quær. 2. *Quale ſit peccatum, an mortale aut veniale, contra conſcientiam agere.* ib.
Quær. 3. *Utrum Pœnitens tuta conſcientia ſpernere poſſit dictamen conſcientiæ ſuæ, quod Confeſſarius &c. cenſet erroneum eſſe, & contra hoc dictamen operari.* p. 48
Quær. 4. *Utrum Confeſſarius monere teneatur Pœnitentem, qui conſcientia laborat vincibiliter erronea.* ib.
Quær. 5. *Utrum Confeſſarius Pœnitentem monere teneatur conſcientia invincibiliter erronea laborantem.* ib.
CAP. II. *De Conſcientia dubia.* p. 50
Quæſt. 1. *An, & quomodo peccet operans cum conſcientia dubia.* ib.
Quæſt. 2. *Quo principio deponi poſſit Conſcientia dubia, & fieri certa.* ib.
Quæſt. 3. *Quorumdam Caſuum circa dubia occurrentium reſolutiones.* p. 52
Artic. 1. *De dubiis ad materiam juſtitiæ ſpectantibus.* ib.
Artic. 2. *De dubiis circa Leges, & præcepta.* p. 53
Artic. 3. *De dubiis circa Vota.* p. 54
Artic. 4. *De dubiis circa Sacramenta.* p. 55
CAP. III. *De lata, & ſcrupuloſa Conſcientia.* ib.
Quær. 1. *Quæ ſint ſcrupulorum cauſæ.* p. 56
Quær. 2. *Quæ ſint ſcrupulorum remedia.* ib.
CAP. IV. *De Conſcientia probabili.* ib.
Quæſt. 1. *Utrum liceat ſequi opinionem probabilem, quæ favet libertati, in concurſu probabilioris, quæ favet Legi.* p. 58
Quæſt. 2. *An ſequi liceat opinionem probabilem faventem libertati, in conflictu alterius æque probabilis, quæ favet Legi.* p. 65
Quæſt. 3. *An ſequi liceat opinionem probabiliorem Libertati faventem in concurſu minus probabilis faventis Legi.* p. 69

TRACTATUS SECUNDUS
De Legibus.

DISSERTATIO I.
De Legibus in communi.

CAP. I. *De natura, & diviſione Legum.* p. 71
Quæſt. Unica. *Utrum Lex actus ſit voluntatis, an intellectus.* ib.
CAP. II. *De conditionibus ad Legem eſſentialiter requiſitis.* p. 72
Quæſt. 1. *An, & quomodo Lex rationi debeat eſſe conſentanea.* p. 73
Quæſt. 2. *Utrum communis utilitas Legi ſit eſſentialis.* ib.
Quæſt. 3. *Quibus, & circa quod Leges condere ſit conceſſum.* p. 74
Artic. 1. *Quibus Superioribus competat poteſtas Legiſlativa.* ib.
Quær. 1. *Quinam cenſeantur curam gerere perfectæ communitatis civilis, & in ea Legiſlativa poteſtate præſtare.* p. 75
Quær. 2. *In quibus vigeat poteſtas Legiſlativa Eccleſiaſtica.* p. 76
Artic. 2. *Quæ ſit materia, circa quam Leges verſantur.* ib.
§. 1. *Quænam ſit Legis tum Civilis, tum Canonicæ, propria materia.* ib.
§. 2. *Ut vel, nedum actus externi, ſed & interni Legibus ſubjaceant humanis.* p. 77
§. 3. *Utrum modus, finiſque Legis cadant ſub præcepto.* p. 79
Quær. *An, & quomodo per unum actum ſatisfieri poſſit pluribus Legibus, ſeu obligationibus.* p. 81
Quæſt. 4. *Utrum neceſſaria ſit, & ſufficiat Legis promulgatio, ut vim obligandi habeat.* p. 82
Artic. 1. *Utrum promulgatio ſit Legi eſſentialis.* ib.
Quær. 1. *Quomodo Leges promulgantur.* p. 85
Quær. 2. *Utrum Leges revocatorias, & irritatorias promulgari neceſſe ſit.* ib.
Artic. 2. *Utrum præter Legis promulgationem requiratur ut Lex obliget, populi conſenſus, & acceptatio.* ib.
Quæſt. 5. *Quinam, & qua ratione Legibus adſtringantur humanis.* p. 87
Artic. 1. *Quis humanæ Legi ſit ſubditus.* ib.
§. 1. *Utrum Legiſlator Legibus ſuis teneatur.* ib.
§. 2. *Utrum Infideles, Infantes pueri, & ratione carentes Legibus adſtringantur.* ib.
§. 3. *Utrum Clerici Legibus Civilibus teneantur.* p. 88
§. 4. *An Peregrini teneantur Legibus tum proprii, tum alieni territorii, in quo peregrinantur.* p. 89
Artic. 2. *Utrum omnis Lex obliget in conſcientia.* p. 91
§. 1. *Utrum Lex merè præceptiva, aut prohibitiva, tum civilis, tum Eccleſiaſtica, ſub reatu culpæ obliget.* p. 92
Quær. 1. *Quandonam Leges humanæ ſub mortali obligare cenſeantur.* p. 92
Quær. 2. *Qua ratione dignoſci poſſit gravem eſſe Legis materiam.* p. 93
Quær. 3. *An poſſit Legiſlator humanus obligare graviter in materia levi, & leviter in materia gravi.* ib.
Quær. 4. *Quid ſit agere ex contemptu Legis, & quale ſit peccatum.* p. 94
Quær. 5. *Utrum leges humanæ cum vitæ, aut alterius gravis detrimenti periculo obligent.* ib.
Quær. 6. *Quale ſit diſcrimen inter legem præceptivam, & prohibitivam.* ib.
Quær. 7. *Utrum lex in falſa præſumptione fundata obliget in conſcientia.* p. 95
Quær. 8. *Utrum teneamur obſervationi legis impedimenta tollere, aut non adponere.* ib.
Quær. 9. *Utrum qui totam legem implere non poteſt, ad ipſius partem adimplendam, ſi poſſit, adſtringatur.* p. 96

Digitized by Google

§. 2. *Utrum leges pœnales obligent in conſcientia.* p. 96
Quær. 1. *An leges pœnales tranſgreſſores obligent ad pœnam ſtatim ſubeundam.* p. 97
Quæſt. 6. *An, & quomodo ceſſare poſſit lex humana.* p. 98
Artic. 1. *De Epikiia.* ib.
Artic. 2. *De diſpenſatione.* p. 99
Quær. 1. *A quibus in Lege humana diſpenſari poſſit.* ib.
Quær. 2. *Utrum legiſlator diſpenſare valeat licitè ſimul & validè abſque cauſa legitima.* p. 100
Quær. 3. *Quæ ſint diſpenſandi cauſæ legitimæ.* ib.
Quær. 4. *Utrum peccet ſubditus abſque juſta cauſa petens diſpenſationem, eaque utens.* ib.
Quær. 5. *An ceſſante cauſa diſpenſationis, ceſſet diſpenſatio.* ib.
Quær. 6. *An valeat diſpenſatio per fraudem impetrata.* p. 101
Artic. 3. *De Privilegio.* ib.
Quær. 1. *Quotuplex ſit Privilegium.* 102
Quær. 2. *Quot modis Privilegium irritum eſt, ac nullum evadat.* ib.
Quær. 3. *Quomodo Privilegia per revocationem annullentur.* ib.
Artic. 4. *De Tolerantia, derogatione, Abrogatione, & Irritatione.* p. 103
Quær. 1. *An Superiori ſit licitum legum infractiones tolerare.* ib.
Quær. 2. *Utrum legiſlator licitè, & validè legem abrogare poſſit.* ib.
Quær. 3. *Quotupliciter lex abrogari poſſit.* ib.
Quær. 4. *Quot modis legis irritatio fieri poſſit.* ib.
Artic. 5. *De Conſuetudine.* ib.
Quær. 1. *Utrum Conſuetudo vim legis obtinere poſſit &c.* ib.
Quær. 2. *Quæ ſint Conditiones requiſitæ, ut conſuetudo vim legis obtineat.* p. 104

DISSERTATIO II.
De Legibus in particulari.

CAP. I. *De Lege Æterna, & Naturali.* ib.
Quæſt. Unica. *An lex naturalis mutationi ſit obnoxia.* p. 106
CAP. II. *De lege veteri.* p. 108
Quær. 1. *Utrum lex vetus bona fuerit atque perfecta.* ib.
Quær. 2. *Utrum lex vetus data fuerit immediate Moyſi per Deum ipſum, aut Verbum Divinum, vel per Angelos.* p. 109
Quær. 3. *An ſolis Judæis data fuerit lex moſaica.* ib.
Quær. 4. *Utrum lex vetus fuerit prorſus abrogata.* ib.
Quær. 5. *Utrum lex abrogata fuerit ante mortem Chriſti.* p. 110
Quær. 6. *An lex vetus abrogata fuit in morte Chriſti, & ipſo expirante.* ib.
Quær. 7. *Quam ob cauſam legis veteris abrogationem, & novæ inſtitutionem die Pentecoſtes dicitur promulgatam fuiſſe.* p. 111
Quær. 8. *Quando legis veteris obſervatio, quæ aliquandiu poſt Pentecoſten licita fuit, evaſit mortifera, atque ſuperſtitioſa.* ib.
Quær. 9. *Quale fuerit Auguſtinum inter, & Hieronymum circa legalium obſervationem celebre diſſidium.* p. 112
Quær. 10. *Quid de hac controverſia ſit ſentiendum.* ib.
CAP. III. *De lege nova, ſeu Evangelica.* ib.
Quær. 1. *Utrum lex nova, pro gratia interiore uſurpata, ſit lex verè, ac propriè dicta.* ib.
Quær. 2. *Utrum lex nova ſit Lex ſcripta.* ib.
Quær. 3. *Utrum lex nova alia ſit a veteri.* p. 113
Quær. 4. *In quibus lex nova a veteri differat.* ib.
Quær. 5. *Quam ob cauſam Lex nova data non fuit a principio mundi.* ib.
Quær. 6. *Quotuplicis ſunt generis præcepta legis novæ.* ib.
CAP. IV. *De Lege poſitiva humana.* p. 114
Quæſt. 1. *Quid ſit Jus civile.* ib.
Quær. 1. *Quid ſit Jus Gallicum.* ib.

Quær.

Quær. 2. *Quid ſit Jus Romanum.* ib.
Quær. 3. *Quomodo citetur Jus civile.* ib.
Quæſt. 2. *Quid ſit Jus Canonicum.* ib.
Quær. 1. *Quibus partibus integratur Jus Canonicum.* ib.
Quær. 2. *Qua auctoritate in Eccleſia hoc corpus vigeat.* p. 115
Quær. 3. *Quid ſint Litteræ Apoſtolicæ.* p. 116
APPENDIX I.
De præcipuis, ac communioribus Eccleſiæ Præceptis. p. 116
De primo Eccleſiæ Præcepto.
Quær. 1. *An præceptum iſtud ſub mortali obliget.* p. 117
Quær. 2. *Quomodo miſſa ſit audienda.* ib.
Quær. 3. *Utrum ad miſſam audiendam ſtatus gratiæ ſit neceſſarius.* ib.
Quær. 4. *Quæ ſint cauſæ ab auditione Miſſæ excuſantes.* p. 118
Quær. 5. *Utrum fideles Dominicis feſtiſque diebus Miſſam in Regularium Eccleſiis audientes, Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant.* ib.
De Secundo Præcepto.
Quær. 1. *Ad quod teneantur fideles per iſtud præceptum.* ib.
Quær. 2. *Quid proprii Sacerdotis nomine intelligatur.* p. 119
De Tertio Præcepto.
Quær. 1. *Utrum præceptum iſtud a præcedenti ſit diverſum.* ib.
Quær. 2. *Ubi, & a quo Paſchalis Communio ſit ſuſcipienda.* p. 120
De Quarto Præcepto.
Quær. 1. *Quid per diei ſanctificationem intelligatur.* ib.
Quær. 2. *Quale ſit præceptum iſtud.* ib.
Quær. 3. *Utrum ad diei Dominicæ, aut feſti ſanctificationem Miſſam audire ſufficiat.* p. 120
Quær. 4. *Utrum ſolemni miſſæ, concioni, & veſperis intereſſe neceſſe ſit.* p. 121
Quær. 5. *Utrum grave ſit peccatum conviviis publicis, & commeſſationibus, Choreis, Ludis ſcænicis, vel theatralibus, & cujuſvis generis intereſſe Dominicis Feſtiviſque diebus.* ib.
Quær. 6. *Utrum qui die Dominico, aut Feſto peccatum mortale committit, non ſolum gravius peccet . . . ſed duplicis peccati in confeſſione aperiendi reus efficiatur &c.* p. 122
Quær. 7. *Quæ Opera Corporalia diebus Dominicis, & Feſtis ſint prohibita.* ib.
Quær. 8. *Quæ ſit materia gravis in opere diebus feſtis prohibito ad peccatum mortale ſufficiens.* p. 125
De Quinto, & Sexto Præcepto.
Quær. 1. *Quid ſit Jejunium.* ib.
Quær. 2. *An potus ſumptio frangat jejunium.* p. 126
Quær. 3. *An licita ſit collatiuncula; quando; de quibus cibis, & quantis ipſam fieri ſit licitum.* ib.
Quær. 4. *Quæ cauſæ excuſent a Jejunio.* p. 127
APPENDIX II.
De Cenſuris, Irregularitate, Degradatione &c. p. 129
Quær. 1. *Quid ſit cenſura.* ib.
Quær. 2. *Quæ cauſæ a cenſuris excuſent.* p. 130
Quær. 3. *Quis a cenſuris abſolvere poſſit.* p. 131
Quær. 4. *Quotuplex ſit cenſura.* ib.
De Excommunicatione Quær. 1. *Quid, & quotuplex ſit.* p. 132
Quær. 2. *Quibus bonis privat major Excommunicatio.* ib.
Quær. 3. *Quibus bonis privat Excommunicatio minor.* p. 133
Quær. 4. *Quas ob cauſas liceat ſine peccato communicare in civilibus cum Excommunicato non tollerato.* ib.
Quær. 5. *Quid ſit monitorium.* p. 134
De Suſpenſione. Quær. 1. *Quid, & quotuplex ſit.* ib.
Quær. 2. *Quænam ſint circa ſuſpenſionem obſervanda.* ib.
Quær. 3. *Utrum omnis ſuſpenſio cenſura ſit propriè dicta.* p. 135
De Interdicto Quær. 1. *Quid, & quotuplex ſit.* ib.
Quær. 2 *Quænam circa Interdictum ſint*

ob-

obſervanda. ib.
Quær. 3. *Quam pœnam incurrant qui Interdictum violant.* p. 136
De Ceſſatione a divinis, Depoſitione, & Degradatione Quær. 1. *Quid ſit Ceſſatio a Divinis.* ib.
Quær. 2. *Quid ſit Degradatio.* ib.
Quær. 3. *In quo differunt inter ſe Degratio, & Depoſitio.* ib.
De Irregularitate, Quær. 1. *Quid ſit.* ib.
Quær. 2. *Quotuplex ſit Irregularitas.* p. 137
Quær. 3. *Quot ſint Irregularitates ex delicto.* ib.
Quær. 4. *Quot ſint Irregularitates ex defectu.* p. 138
Quær. 5. *Quotupliciter tollatur Irregularitas.* p. 139
Quær. 6. *Quis poſſit in Irregularitatibus diſpenſare.* ib.
Quær. 7. *An qui dubitat ſe aliquid feciſſe, ex quo naſcitur Irregularitas, cenſeatur Irregularis.* ib.

TRACTATUS TERTIUS.

De variis humanæ vitæ Statibus.

DISSERTATIO I.
De Statibus Deo dicatis.

CAP. I. *De Statu Clericali.* p. 140
Quæſt. 1. *Quænam ſint Eccleſiaſticorum generales obligationes.* ib.
Artic. 1. *De puritate intentionis in ſuſcipiendis Ordinibus.* ib.
Quær. 1. *Quale ſit peccatum, inconſulta Dei vocatione, Statum clericalem amplecti &c.* ib.
Quær. 2. *Utrum a mortali excuſari poſſit, qui Sacros Ordines ſuſcipit, aut beneficium Eccleſiaſticum ambit principaliter rerum temporalium appetitu.* p. 141
Quær. 3. *Utrum illicitum ſit dignitates Eccleſiaſticas, curam Animarum habentes, efficaciter expetere, & ambire.* ib.
Artic. 2. *De ſollicitudine in comparanda ſcientia neceſſaria.* p. 142
Quær. *Quam grave ſit peccatum Clerico Sacram Doctrinam negligere.* p. 143
Artic. 3. *De excellentiori pietatis ſtudio.* ib.
Quær. 1. *Utrum Clerici ad perfectionis ſtudium teneantur.* ib.
Quær. 2. *Utrum Clerici ad Obedientiam Prælatis ſuis præſtandam; ad paupertatis ſpiritum ſectandum, & continentiam ſervandam ſpecialibus titulis; non ſecus ac Religioſi teneantur.* p. 144
Artic. 4. *De Habitus exterioris modeſtia.* p. 145.
Quær. 1. *Utrum omnes Clerici nigram, & talarem veſtem deferre teneantur.* ib.
Quær. 2. *Quæ, & quanta ſit Tonſuræ obligatio.* ib.
Artic. 5. *De nonullis actionibus Clericis prohibitis.* p. 146
Quær. *Quæ ſint actiones Clericis prohibitæ.* ib.
Artic. 6. *De Oratione vocali, ideſt, de Horis Canonicis.* p. 148
Quær. 1. *Quid ſint Horæ Canonicæ.* ib.
Quær. 2. *Quinam ad Horas Canonicas teneantur.* ib.
Quær. 3. *Quomodo Horæ Canonicæ ſint recitandæ.* p. 149
Quær. 4. *Quæ ſint cauſæ a recitatione Officii excuſantes.* p. 150
Quæſt. 2. *Quænam ſint Beneficiatorum obligationes.* ib.
Artic. 1. *De Beneficiorum natura, & diviſione.* p. 151
Quær. 1. *Quid ſit Beneficium Eccleſiaſticum.* ib.
Quær. 2. *Quotuplex ſit Beneficium.* p. 152

Artic. 2. *De variis modis, ſeu titulis Beneficium acquirendi.* ib.

Quær. 1. *Quid ſit Electio:* ib.

Quær. 2. *Quid ſit Poſtulatio.* p. 153

Quær. 3. *Quid ſit Præſentatio, ſeu Nominatio.* ib.

Quær. 4. *Quid ſit libera Collatio.* ib.

Quær. 5. *Quid ſit Reſignatio.* ib.

Quær. 6. *Quid ſit Permutatio.* p. 154

Quær. 7. *Quid ſit Subrogatio.* p. 155

Quær. 8. *Quid ſit Jus regreſſus; an ſit licitum.* ib.

Quær. 9. *Quot modis Papa Beneficia conferat.* ib.

Quær. 10. *Quod modis Rex Chriſtianiſſimus Beneficia conferat.* p. 156

Quær. 11. *Quid ſit Penſio ſupra Beneficia; an ſit licita.* ib.

Artic. 3. *De his, quibus Beneficia ſunt conferenda.* ib.

Artic 4. *De Bonorum Eccleſiaſticorum uſu, & dominio.* p. 159

Quær. 1. *An Beneficiarii cuipiam quotidie de expenſis, ſtatui ſuo rationabiliter competentibus parcentes, hujuſmodi parcimonias Parentibus ſuis, aut Amicis legitimè conferre poſſint.* p. 162

Quær. 2. *Utrum Beneficiarii ex Patrimonio divites, de Beneficiorum ſuorum redditibus licitè vivere poſſint.* p. 163

Quær. 3. *Utrum Clerici, ſive Beneficiarii, ſive non, bonorum quæ comparaverunt Officiis Eccleſiaſticis particularibus, v. g. Precibus Exequialibus, Miſſis &c. veri ſint Domini, & de his pro libitu diſponere poſſint.* ib.

Artic. 5. *De Beneficiorum Pluralitate.* ib.

Quær *Quæ ſit juſta cauſa poſſidendi, aut conferendi plura Beneficia.* p. 164

Artic. 6. *De Beneficiariorum Reſidentia.* ib.

Quær. 1. *Quibus pœnis afficiantur Beneficiarii non reſidentes.* p. 165

Quær. 2. *Quæ ſint cauſæ a Reſidentia excuſantes.* ib.

Artic. 7. *De Simonia.* p. 166

§. 1. *De natura, & diviſione Simoniæ.* ib.

Quær. 1. *Quid ſit Simonia.* ib.

Quær. 2. *Quotuplex ſit Simonia.* p. 167

§. 2. *De modis, quibus Simonia committi poteſt.* ib. & p. ſeqq.

§. 3. *Quænam ſit Simoniæ malitia, & quibus afficiatur pœnis.* p. 171

Quær. 1. *Simonia quale ſit peccatum?* ib.

Quær. 2. *Utrum per omnem Simoniam omnes pœnæ in jure Canonico latæ incurrantur.* ib.

Quær. 3. *Quænam ſint pœnæ Simoniæ in ingreſſu Religionis perpetratæ.* ib.

Quær. 4. *Quænam ſint pœnæ Simoniæ in Ordine commiſſæ.* ib.

Quær. 5. *Quibus pœnis ſubjaceant Simoniaci in Beneficio.* ib.

Quær. 6. *Utrum Simoniacè promotus pœnis Canonicis ſit obnoxius, dum ipſo ignorante ab alio perpetrata eſt Simonia, a Patre v. gr. aut alio Conſanguineo, aut Amico, qui per Simoniam ipſi procuravit Beneficium.* p. 172

Quær. 7. *Quis a pœnis in Simoniam latis abſolvere, aut diſpenſare poſſit.* ib.

Cap. II. *De Statu Religioſo.* p. 172

Quæſt. 1. *Quæ ſit natura Status Religioſi.* ib.

Quær. 1. *Quid ſit Status Religioſus.* ib.

Quær. 2. *Quinam ſint verè, ac propriè Religioſi, & qui non.* p. 173

Quær. 3. *Quot ſint genera Religioſorum, & quodnam perfectius.* ib.

Quær. 4. *Utrum Presbyteri, Curati, & Archidiaconi ſint majoris perfectionis, quam Religioſi.* ib.

Quæſt. 2. *De Religionis ingreſſu, & noviciatu.* p. 174

Quær. 1. *Quinam in Religione ſint ſuſcipiendi; & quinam repellendi.* ib.

Quær. 2. *Quinam ingredi Religionem arceantur.* ib.

Quær. 3. *An liceat quempiam ad Religionem impellere.* ib.

Quær. 4. *An liceat quempiam a Religionis ingreſſu retrahere.* p. 175

Quær. 5. *An liceat inconſulta Dei vocatione, & propter temporale emolumen-*

Digitized by Google

mentum, *Religionem ingredi*. ib.
Quær. 6. *Quænam requirantur, ut novitiatus ſit legitimus*. ib.
Quær. 7. *Qualiter peccent ſuperiores denegantes habitum Poſtulanti, & Capitulares ſuffragium Novitio, abſque juſta cauſa*. ib.
Quær. 8. *Quænam ſint Novitiorum Privilegia*. p. 176
Quæſt. 3. *De Profeſſione Religioſa*. ib.
Quær. 1. *In quo conſiſtat Votorum Religioſorum Solemnitas, & in quo differat Votum ſimplex a Solemni*. ib.
Quær. 2. *Quænam ad Profeſſionis validitatem requirantur*. ib.
Quær. 3. *Quomodo Profeſſio irrita validari poſſit*. p. 177
Quær. 4. *Quænam ſint conditiones ad validam, & licitam reclamationem*. ib.
Quær. 5. *Quinam ſint effectus Profeſſionis Religioſæ*. ib
Quæſt. 4. *Quæ ſint Profeſſorum obligationes*. p. 178
Artic. 1. *Ad quid teneatur Religioſus ratione ſtatus ſui*. ib.
Quær. 1. *An Religioſi ad Perfectionem teneantur ratione ſtatus ſui*. ib.
Quær. 2. *Quibus mediis Religioſi ad perfectionem tendere teneantur*. ib.
Quær. 3. *Utrum Religioſi ad Chorum deputati, ſub mortali ipſi intereſſe teneantur*. ib.
Quær. 4. *An Religioſi, qui in Religione non laborant, nec aliis aut corporalibus, aut ſpiritualibus exercitiis deſervire volunt, peccent mortaliter*. p. 179
Quær. 5. *Utrum Religioſis, non ſecus ac Clericis, nonnullæ ſint actiones prohibitæ*. ib.
Quær. 6. *Quid dicendum ſit de Religioſorum, & Monialium clauſura*. ib.
Artic. 2. *De Obedientia Religioſa*. p. 180
Quær. 1. *Quid, & quotuplex ſit Obedientia Religioſa*. ib.
Quær. 2. *Quodnam ſit Obedientiæ Religioſæ objectum*. ib.
Quær. 3. *Quandonam mortalis ſit Inobedientia*. p. 181
Quær. 4. *Quotupliciter peccet ſubditus Superioris præceptum infringens*. ib
Quær. 5. *Utrumque Abbatiſſa, Prioriſſa, cæteræque monialium Rectrices aliquid præcipere valeant in virtute Spiritus Sancti, & ſub formali ſanctæ obedientiæ præcepto*. ib.
Artic. 3. *De Paupertate Religioſa* Quær. 1. *Quid ſit Paupertas Religioſa*. p. 182
Quær. 2. *Sub quibus conditionibus rerum temporalium uſus Religioſo ſit licitus*. ib.
Quær. 3. *Quid ſit Peculium; an, & quomodo Religoſis ſit licitum*. p. 184
Quær. 4. *Utrum Religioſus res in uſum ſibi conceſſas, abſque proprietatis crimine, ludo exponere poſſit*. ib.
Quær. 5. *Quale ſit crimen furtum in Religioſo*. p. 185
Quær. 6. *Quæ ſit furti, ac proprietatis pars notabilis ad mortale peccatum ſufficiens*. ib.
Quær. 7. *Quæ ſint Proprietariorum pœnæ*. ib.
Artic. 4. *De Caſtitate Religioſa* Quær. 1. *Quid ſit Caſtitas Religioſa*. ib.
Quær. 2. *In quo differat votum ſolemne caſtitatis a voto ſimplici*. p. 186
Quær. 3. *Quænam ſint media ad ſervandam Caſtitatem & utrum Religioſus graviter teneatur illis uti*. ib.
Quæſt. 5. *De Religionis egreſſu*. Quær. 1. *Quot modis Religioſus è Religione egredi poſſit*. ib.
Quær. 2. *An liceat ex una ad aliam Religionem tranſire*. ib.
Quær. 3. *An Religioſus factus Epiſcopus, eo ipſo a tribus votis Religionis, cæteriſque Regularibus obſervantiis ſit liber*. p. 188
Quær. 4. *Quis è Religione ejici poſſit, & ad quid teneatur ejectus*. p. 189
Quær. 5. *Quid ſit Religioſus Apoſtata, & fugitivus; & utrum Superiores eos requirere, & recipere teneantur*. ib.
Quær. 6. *An Religioſus è Religione egredi teneatur, ut Parentibus, non ſolum*

Digitized by Google

lum in extrema neceſſitate, de qua nullum eſt dubium, ſed etiam in gravi conſtitutis, ſubveniat. ib.
Quæſt. 6. *De Prælaturis Religioſis:*
Quær. 1. *Utrum liceat Religioſo Ordinis ſui Prælaturas expetere, & ambire.* p. 190
Quær. 2. *Quinam è Prælaturis Religioſis jure excludantur.* ib.
Quær. 3. *Quænam in Superiore requirantur virtutes.* ib.
Quær. 4. *Quæ ſint Superiorum munia.* p. 191

DISSERTATIO II.
De Statibus Sæcularibus.

Cap. I. *De Statu Politico, & Civili.* ib.
Quæſt. 1. *Quænam ſint Principum, ac Magiſtratuum, & ipſis ſubditorum præcipuæ obligationes.* ib.
Quæſt. 2. *Quæ ſint Ducum, ac militum obligationes.* p. 192
Quæſt. 3. *Quænam ſint Status Judicalis obligationes.* p. 193
Cap. II. *De Statu Æconomico ſeu Domeſtico.* p. 197
Quæſt. 1. *Quænam ſint Parentum erga Filios, & Filiorum erga Parentes obligationes.* p. 198
Quæſt. 2. *Quænam ſint Tutorum, Curatorum, Pupillorum, & Minorum obligationes.* p. 199
Quæſt. 3. *Quænam ſint Dominorum, ac Famulorum obligationes.* ib.
Quæſt. 4. *Quænam ſint Magiſtrorum, & Diſcipulorum obligationes.* ib.
Cap. III. *De diverſarum Artium Statibus.* p. 200
Quæſt. 1. *Quænam ſint Medicorum, Chirurgorum, & Pharmacopolorum obligationes.* ib.
Quæſt. 2. *Quænam ſint Ruſticorum, Artificum, aliorumque operariorum obligationes.* p. 200

TRACTATUS QUARTUS.

De Virtutibus, & Vitiis.

DISSERTATIO I.
De Virtutibus, & Vitiis in communi.

Cap. I. *De Virtutibus in Communi.*
Quæſt. 1. *Quid, & quotuplex ſit Virtus.* p. 205
Quær. 1. *Quotuplex ſit Virtus.* ib.
Quær. 2. *Quale diſcrimen intercedat inter virtutes infuſas, tum per ſe, tum per accidens, & Virtutes acquiſitas.* p. 204
Quæſt. 2. *Quid de Virtutum proprietatibus ſit dicendum.* ib.
Cap. II. *De Vitiis, & Peccatis in communi.* p. 206
Quæſt. 1. *De Natura & eſſentia peccati.* ib.
Quæſt. 2. *Quinam ſit effectus peccati* p. 208
Quæſt. 3. *Quomodo peccata ab invicem diſtinguantur.* p. 210
Quær. *Undenam deſumatur peccatorum inæqualitas.* p. 212
Quæſt. 4. *Quænam ſint peccati diviſiones.* p. 213
Artic. 1. *De peccato Commiſſionis, & Omiſſionis.* ib.
Quær. 1. *Utrum actus, qui cum omiſſione culpabili conjunctus eſt, ſit peccaminoſus, v.g. qui tempore ſacri ludo indulget, ludus ejus ſit peccatum.* p. 214
Quær. 2. *Utrum actus, qui omiſſionis eſt cauſa, peccatum ſit diſtinctum ab ipſa omiſſione peccaminoſa.* p. 215
Quær. 3. *Utrum omnes omiſſiones ſequentes ex infirmitate, & impoſſibilitate contractâ imputari debeant ei, qui has voluntariè contraxit.* ib.
Artic. 2. *De pecatis carnalibus, & ſpiritualibus; infirmitatis, & malitiæ.* ib.
Artic. 3.

Artic. 3. *De peccatis contra Deum, Proximum, & Noſmetipſos; ubi de peccato Philoſophico.* p. 216
Artic. 4. *De peccatis Cordis, Oris, & Operis; ubi de delectatione moroſa.* p. 217
Quær. 1. *Qua ratione dignoſci poſſit, utrum habeatur delectatio potius de cogitatione rei malæ, & de modo, quo peracta eſt, quam de re ipſa mala.* p. 220
Quær. 2. *Utrum delectatio ab objecto ejuſque circumſtantiis ſpecificetur? & utrum hæ circumſtantiæ in Confeſſione ſint aperiendæ.* ib.
Quær. 3. *An delectari liceat de re mala; ſub ea conditione ſi non eſſet mala, aut non prohibita.* ib.
Quær. 4. *Utrum liceat gaudere de peccato propter effectum bonum ab eo ſequutum.* p. 221
Artic. 5. *De peccato mortali, & veniali.* ib.
§. 1. *De peccati mortalis, & venialis exiſtentia.* ib.
§. 2. *De Requiſitis ad peccatum tum mortale, tum veniale.* p. 223
§. 3. *Qua ratione mortale, & veniale inter ſe differant.* p. 224
Quær. 1. *Ex quibus capitibus colligendum ſit peccatum ex genere ſuo mortale eſſe, aut veniale.* ib.
Quær. 2. *Undenam materiæ gravitas deſumatur.* p. 225
Quær. 3. *Quæ ſint indicia imperfectæ advertentiæ, & ſemipleni conſenſus, a mortali excuſantium.* ib.
Quær. 4. *Quomodo veniale fiat mortale ex prava diſpoſitione, ex fine intento, ex periculo gravioris peccati, cæteriſque ſupradictis circumſtantiis.* ib.
§. 4 *Quænam ſint pœnæ peccati mortalis, & venialis.* p. 226
Quæſt. 5. *De peccato Originali.* ib.
Artic. 1. *Utrum exſiſtat peccatum Originale.* p. 228
Artic. 2. *Quid ſit Originale peccatum, & in quo formaliter conſiſtat.* p. 230
Artic. 3. *Quomodo tranſmittatur Originale peccatum.* p. 232
Artic. 4. *Quænam ſint peccati Originalis pœnæ.* p. 234
Quær. *Quid erit poſt extremum judicii diem de pueris abſque Baptiſmatis lavacro mortuis.* p. 236

DISSERTATIO II.
De Virtutibus & Vitiis oppoſitis in particulari. p. 237

CAP. I. *De Fide, & Vitiis oppoſitis.* p. 238
Quæſt. 1. *Quid, & quotuplex ſit Fides.* ib.
Quæſt. 2. *Quid ſit Fidei Objectum.* p. 239
Artic. 1. *De objecto materiali Fidei.* ib.
Quær. 1. *Quinam ſint articuli, ex quibus conſtat objectum materiale Fidei.* p. 240
Quær. 2. *Quid, & quotuplex ſit Fidei Symbolum.* ib.
Quær. 3. *An Fidei articuli ſucceſſu creverint; ita ut nunc ſint plures veritates credendæ, quam olim.* ib.
Artic. 2. *De Objecto formali Fidei.* p. 241
Quær. 1. *In quo ultimo Fides reſolvatur, ſeu quæ ſit cauſa ultima, cur Fides credat.* p. 242
Quær. 2. *Quid, & quotuplex ſit Revelatio.* ib.
Quær. 3. *Utrum virtualis revelatio ſufficiat, ut aliquid ſit de Fide.* ib.
Quær. 4. *Quibus indiciis revelationum privatarum veritas cognoſci poſſit.* p. 243
Quær. 5. *Quid intercedat diſcriminis inter credere Deum, credere Deo; & credere in Deum.* ib.
Quæſt. 3. *Quid ſit Fidei ſubjectum.* ib.
Quæſt. 4. *Quænam ſint Fidei proprietates.* p. 244
Artic. 1. *De Fidei veritate.* ib.
Artic. 2. *De Fidei obſcuritate.* p. 245
Artic. 3. *De Fidei neceſſitate.* p. 247

§. 1.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

§. 1. *De neceſſitate interioris actus fidei*. ib.
Quær. 1. *Quænam myſteria neceſſariò credenda ſunt neceſſitate medii tum ante, tum poſt Evangeli promulgationem*. p. 248
Quær. 2. *Quænam ſciri, ac credi debeant neceſſitate præcepti*. p. 249
Quær. 3. *Quandonam obliget fidei præceptum*. ib.
§. 2. *De neceſſitate actus exterioris fidei*. p. 250
Quær. *Quibus in caſibus fides negari cenſeatur, aut non cenſeatur*. ib.
Quæſt. 5. *Quænam ſint vitia fidei oppoſita*. p. 252
Artic. 1. *De Infidelitate*. ib.
Quær. 1. *Utrum omnis infidelitas peccatum ſit, & quale*. ib.
Quær. 2. *Quid ſit Hæreſis formalis*. ib.
Quær. 3. *An ignorantia, & qualis ab Hæreſi formali excuſet*. p. 253
Quær. 4. *Quotuplex ſit Hæreſis*. ib.
Quær. 5. *Quænam ſint Hæreticorum pœnæ, & quinam ab eis abſolvere poſſint*. p. 253
Quær. 6. *Quid in receptione Hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium ſit obſervandum*. p. 254
Quær. 7. *Quid de Hæreticorum librorum lectione ſit dicendum*. p. 255
Artic. 2. *De Blaſphemia*. p. 256
Quær. 1. *Quot modis committatur Blaſphemia*. ib.
Quær. 2. *Quænam Blaſphemiæ ſpecies ſint diverſæ, in confeſſiones exponendæ*. ib.
Quær. 3. *Utrum Blaſphemia ſemper ſit mortalis*. ib
Cap. II. *De Spe Theologica*. p. 257
Quæſt 1. *Quid ſit ſpes Theologica*. p. 258
Quæſt 2. *Quodnam ſit fidei objectum* p. 260
Quæſt. 3. *Quid ſit ſpei ſubjectum*. p. 261
Quæſt. 4. *Quænam ſit ſpei neceſſitas*. p. 262
Quæſt. 5. *Quid ſit timor domini*. ib
Quæſt. 6. *Quænam ſint Vitia ſpei oppoſita*. p. 265
Quær. 1. *Quid ſit deſperatio*. ib.
Quær. 2. *Quid ſit præſumptio*. ib.
Quær. 3. *Utrum, & quando deſperatio, & præſumtio adjunctum ſecum habeane Infidelitatis peccatum*. ib.
Quær. 4. *Quam gravia ſint peccata deſperatio, & præſumptio*. ib.
Cap. III. *De Caritate*. p. 266
Quæſt. 1. *Quid, & quotuplex ſit Caritas*. p. 267
Quæſt. 2. *Quid ſit objectum, & ſubjectum Caritatis*. p. 268
Quæſt. 3. *Quænam ſint Caritatis affectiones, & proprietates*. p. 269
Artic. 1. *De Caritatis neceſſitate*. ib.
Quær. *Quandonam illud præceptum obliget*. ib.
Artic. 2. *De modo Caritatis*. p. 272
Quær. *Quid ſit Proximum diligere ſicut ſeipſum*. p. 273
Artic. 3. *De ordine Caritatis*. p. 274
Quæſt. 4 *Quænam ſint Caritatis effectus, & officia*. p. 275
Artic. 1. *De pace Caritatis*. ib.
Artic. 2. *De miſericordia Caritatis*. p. 279
§ 1. *De Inimicorum dilectione*.
Quær. 1. *Utrum, qui rixam inter ſe habuerunt, aut injuriis ſe ſe mutuo affecerunt, ad reconciliationem tenentur*. ib.
Quær. 2. *Utrum externa dilectionis, humanitatis, atque urbanitatis ſigna inimicis noſtris ſemper data occaſione exhibere teneamur*. ib.
Quær. 3. *Utrum veniam petenti teneamur remittere injuriarum actionem, & ſatisfactionem*. p. 280
§. 2. *De Correptione fraterna*.
Quær. 1. *An fraternæ correptionis verum exſtet præceptum, & quale*. ib.
Quær. 2 *Quibus facienda ſit correptio*. ib.
Quær. 3 *Quandonam obliget fraternæ correptionis præceptum*. ib.
Quær. 4. *Quis modus, & ordo ſervandus ſit in facienda correptione*. p. 281
§. 3. *De corporali Eleemoſyna*.
Quær. 1. *Quinam poſſint, ac debeant eleemoſynam erogare*. ib.
Quær. 2. *De quibus bonis eroganda ſit Eleemoſyna*. p. 283

Quær.

Digitized by Google

Quær. 3. *Quibus, & quando teneantur Divites Pauperibus eleemoſynam erogare.* ib.
Quæſt. 5. *Quæ ſint vitia Caritati oppoſita.* p. 283
Artic. 1. *De Odio Dei, & proximi.* ib.
Quær. 1. *Quale peccatum ſit odium formale Dei, & proximi.* ib.
Quær. 2. *Utrum peccata odii contra proximum ejuſdem ſint ſpeciei.* ib.
Artic. 2. *De Superbia.* ib.
Quær. 1. *Superbia quale ſit peccatum.* p. 284
Quær. 2. *Quot ſint filiæ ſuperbiæ.* ib.
Artic. 3. *De Acedia.* ib.
Quær. 1. *An Acedia peccatum ſit, & quale.* p. 285
Quær. 2. *Quæ ſint filiæ Acediæ.* ib.
Artic. 4. *De Invidia.* p. 285
Quær. 1. *Invidia quale ſit peccatum.* ib.
Quær. 2. *Quot ſunt filiæ Invidiæ.* ib.
Artic. 5. *De Avaritia.* ib.
Quær. 1. *Quale ſit peccatum Avaritia.* p. 286
Quær. 2. *Quot ſunt filiæ Avaritiæ.* ib.
Quær. 3. *Quid ſit Prodigalitas, & quale peccatum.* ib.
Artic. 6. *De Ira.* ib.
Quær. 1. *Ira quale ſit peccatum.* p. 287
Quær. 2. *Quot ſint Iræ Filiæ.* ib.
Artic. 7. *De Bello.*
Quær. 1. *Utrum licitum ſit Bellum tum Defenſivum, tum Offenſivum.* ib.
Quær. 2. *Quæ ſint Conditiones ad Belli juſtitiam requiſitæ.* ib.
Quær. 3. *Utrum Duellum ſit licitum auctoritate ſaltem publica.* p. 288
Artic. 8. *De Schiſmate.*
Quær. *Schiſma quale ſit peccatum.* ib.
Artic. 9. *De Scandalo.* ib.
Quær. 1. *Quotuplex ſit ſcandalum.* p. 289
Quær. 2. *Quando ſcandalum mortale ſit, & quando veniale.* ib.
Quær. 3. *Utrum ſcandalum permitti poſſit; & an ad eum vitandum ab aliqua actione teneamur abſtinere.* ib.
Quær. 4. *Quænam requiratur cauſa, ut quis excuſetur a non omittenda actione, quæ aliis ſcandalo eſſe poteſt.* ib.
Quær. 5. *Utrum alterius peccato cooperari liceat, ſubminiſtrando materiam vel exibendo objectum &c.* p. 290
CAP. IV. *De Religione.* p. 291
Quæſt. 1. *Quinam ſint Religionis actus.* p. 292
Artic. 1. *De Oratione.*
Quær. 1. *Utrum neceſſaria ſit oratio.* ib.
Quær. 2. *Quandonam obliget orationis præceptum.* ib.
Quær. 3. *Utrum oratio mentalis ſumpta pro rerum divinarum meditatione ad ſalutem ſit neceſſaria.* ib.
Quær. 4. *Quinam ſint Quietiſtarum circa Orationem errores.* p. 293
Artic. 2. *De Voto.* ib.
Quær. 1. *Quotuplex ſit Votum.* p. 294
Quær. 2. *Quinam vovere poſſint.* p. 295
Quær. 3. *Qualis ſit voti obligatio.*
Quær. 4. *Quandonam Votum obliget.* ib.
Quær. 5. *An qui prævidet impedimentum in adimpletione Voti ad aliquod tempus determinati; tempus illud teneatur prævenire.* p. 296
Quær. 6. *Quot modis ceſſet Voti obligatio.* ib.
Artic. 3. *De Juramento.* p. 297
Quær. 1. *Quotuplex ſit Juramentum.* ib.
Quær. 2. *Utrum nonnullæ formulæ, quas vulgus in aliquid aſſerendo afferre ſolet, vere ſint juratoriæ &c.* p. 298
Quær. 3. *Utrum licitum ſit Juramentum.* ib.
Quær. 4. *Quænam ad debite jurandum requirantur conditiones.* ib.
Quær. 5. *Quid dicendum ſit de imprecationibus & aliis obſcœnis expreſſionibus &c.* ib.
Quær. 6. *Quænam ſit juramenti promiſſorii obligatio.* p. 299
Quær. 7. *Quomodo ceſſet juramenti obligatio.* ib.
Quær. 8. *An liceat juramentum exigere a juraturo per falſos Deos, aut a pejeraturo.* ib.
Quær. 9. *Quid de adjuratione ſit dicendum.* ib.

Quæſt.

Quær. 2. *Quænam ſint vitia Religioni oppoſita.* p. 300
Artic. 1. *De Superſtitione.* ib.
Quær. 1. *Quid, & quotuplex ſit Idololatria, & quale peccatum.* ib.
Quær. 2. *Quid, & quotuplex ſit Divinatio, & quale peccatum.* ib.
Quær. 3. *Quid, & quotuplex ſit vana obſervantia, & quale peccatum.* ib.
Quær. 4. *Quid ſit Superſtitio cultus falſi, ſuperflui, & indecentis, & quale peccatum.* p. 301
Artic. 2. *De Irreligioſitate.* ib.
Quær. 1. *Quid, & quotuplex ſit Dei Tentatio, & quale peccatum.* ib.
Quær. 2. *Quid, & quotuplex ſit Sacrilegium, & quale peccatum.* ib.
CAP. V. *De Prudentia.* p. 302
Quær. 1. *Quid ſit objectum Prudentiæ, tum materiale, tum formale.* ib.
Quær. 2. *Utrum neceſſaria ſit Prudentia.* ib.
Quær. 3. *Quænam ſint Officia, & partes Prudentiæ.* ib.
CAP. VI. *De Juſtitia.* p. 303
Quæſt. 1. *De Jure, & Juſtitia.* p. 304
Artic. 1. *De Uſu.* ib.
Artic. 2. *De Dominio.* p. 306
§. 1. *Quinam, & quarum rerum Dominium habeant.* ib.
Quær. 1. *Quarum rerum Homo prout Homo ſit Dominus.* ib.
Quær. 2. *Utrum Homo dominus ſit perſonæ ſuæ, famæ, vitæ, ac membrorum.* ib.
Quær. 3. *Quarum rerum filii familias dominium habere poſſint.* p. 307
Quær. 4. *Quarum rerum dominium uxores habere poſſint.* ib.
Quær. 5. *Utrum bona a filiis-familias in domo paterna proprio labore comparata, profectitia ſint, an adventitia.* ib.
§. 2. *Quomdo acquiratur, aut transferatur dominium.* ib.
Quær. 1 *Quid, & quotuplex ſit Poſſeſſio.* ib.
Quær. 2. *Quid ſit Præſcriptio.* p. 308
Quær. 3. *Utrum Præſcriptio bonæ fidei dominium transferat in foro conſcientiæ.* ib.
Quær. 4. *An poſſeſſor bonæ fidei faciat omnes fructus ſuos rei poſſeſſæ.* p. 309
Circa bona, quæ ſub nullius ſunt dominio
Quær. 1. *Quænam bona dicantur ſub nullius eſſe dominio, & quomodo acquirantur.* p. 310
Quær. 2. *Quid de Animalibus ſylveſtribus, & piſcibus ſit dicendum.* ib.
Quær. 3. *Quid de gemmis, & theſauris ſit dicendum.* p. 311
Quær. 4. *Quid dicendum ſit de pecunia in angulo domus inventa, cujus depoſitio non videtur antiqua.* ib.
Quær. 5. *Quid de ſylvis communibus ſit dicendum.* ib.
Quær. 6. *Quid de bonis derelictis ſit dicendum.* ib.
Artic. 3. *De Contractibus.* p. 313
§. 1. *De Contractibus in communi.* ib.
Quær. 1. *Quinam contrahere poſſint.* p. 314
Quær. 2. *Utrum validus ſit contractus abſque interno conſenſu, aut ſine animo ſe obligandi.* ib.
Quær. 3. *An contractus errore initus ſit validus.* ib.
Quær. 4. *Quo pacto dignoſci poſſit qualitatem rei falſò apprehenſam cauſam eſſe contractus principalem, & finalem aut tantummodo impulſivam.* ib.
Quær. 5. *Utrum validus ſit contractus, fraude, vel dolo initus.* p. 315
Quær. 6. *An validus ſit contractus gravi metu initus.* ib.
Quær. 7. *Quid de Contractu ſub conditione inito ſit dicendum.* ib.
Quær. 8. *Utrum validus ſit in conſcientia contractus jure civili nullus.* p. 316
§. 2. *De contractibus in particulari.* ib.
De Promiſſione.
Quær. 1. *Quid ſit vera, obligans, ac proprie dicta Promiſſio.* ib.
Quær. 2. *Quanta ſit Promiſſionis obligatio.* ib.

Quær. 3.

Digitized by Google

Quær. 3. *Quandonam ceſſet Promiſſionis obligatio.* p. 317

De Donatione.

Quær. 1. *Quid, & quotuplex ſit Donatio.* ib.

Quær. 2. *Quænam ad Validitatem Donationis conditiones ſunt neceſſariæ.* ib.

De Teſtamentis.

Quær. 1. *Quid ſit Teſtamentum, & quæ ſint ejus ſpecies.* ib.

Quær. 2. *Utrum Teſtamentum non ſolemne, ideſt abſque juris ſolemnitatibus celebratum, valeat tum ad pias, tum ad prophanas cauſas.* ib.

Quær. 3. *Utrum Hæres per Fidei commiſſum poſſit tuta conſcientia hæreditatem tradere Fidei commiſſario, quem Leges a ſucceſſione excludunt.* p. 318

De Depoſito, Commodato, & Mandato.

Quær. 1. *Quid horum Contractuum nomine intelligatur.* ib.

Quær. 2. *Quænam ſint obligationes horum Contractuum.* ib

De Locatione, & Conductione.

Quær. 1 *Quid ſint Locatio, & Conductio.* ib.

Quær. 2. *Quænam ſint Locationis obligationes.* ib.

Quær. 3. *Quænam ſint Conductoris, ſeu Locatarii obligationes.* p. 319

De Emptione, & Venditione.

Quær. 1. *Quid ſit Emptio & Venditio.* ib.

Quær. 2. *Quomodo rei venditæ transferatur Dominium.* ib.

Quær. 3. *Quotuplex ſit juſtum pretium.* ib.

Quær. 4. *Undenam vulgare rerum pretium peti debeat.* p. 320

Quær. 5. *Quid ſit Monopolium.* ib.

Quær. 6. *An Venditor teneatur ex juſtitia rei vitium Emptori occultum detegere, & viciſſim Emptor Venditori indicare merces eſſe majoris pretii, quàm ipſe putet.* ib.

Quær. *Tandem quid ſit Venditionis, & Emptionis materia.* p. 321

De Mutuo, & Uſura.

Quær. 1. *Quid ſit Mutuum.* ib.

Quær. 2. *Quid ſit Uſura.* p. 322

Quær. 3. *Quo jure prohibita ſit Uſura.* ib.

Quær. 4 *Quinam ſint prætenſi tituli aliquid ultra ſortem exigendi.* p. 323

Quær. 5. *Quinam ſint veri, ac legitimi tituli aliquid ultra ſortem exigendi.* p. 324

Quær. 6. *Utrum ſecluſis omnibus his titulis aliqua poſſit eſſe uſura licita.* p. 325

Quær. 7. *An Uſurarii verè fiant uſurarum Domini.* ib.

Quær. 8. *Utrum Uſurarius mentalis ad reſtitutionem teneatur.* ib.

De Cambio.

Quær. 1. *Quid, & quotuplex ſit Cambium.* ib.

Quær. 2. *Quale Cambium, & quotuplex ſit licitum.* p. 326

De Cenſu.

Quær. 1. *Quid, & Quotuplex ſit Cenſus.* p. 327

Quær. 2. *Utrum hic Contractus ſit licitus.* ib.

Quær. 3. *Quænam ſint conditiones requiſitæ ad hujus Contractus juſtitiam.* p. 328

De Societatis Contractu.

Quær. 1. *Quid ſit Societatis Contractus.* ib.

Quær. 2. *Quænam conditiones ſint requiſitæ ad hujus Contractus juſtitiam.* ib.

Quær. 3. *Quid ſit triplex Contractus, & utrum licitus.* p. 329

Quær. 4. *Quid ſit contractus Mohatra, an ſit licitus.* p. 330

De Ludo.

Quær. 1. *Quid, & quotuplex ſit Ludus, & an licitus.* p 331

Quær. 2. *Quænam ſint in Ludo conditiones requiſitæ.* ib.

Quær. 3. *Utrum bona per ludum Alearum comparata, ante judicis ſententiam ſint reſtituenda.* ib.

Quæſt. 2. *De Injuria.* p. 332

Artic. 1. *De Injuria, & Reſtitutione in communi.* ib.

§. 1. *Ex quibus capitibus oriatur Reſtitutionis obligatio.* p. 333

Quær. 1. *Utrum grave damnum ex culpa levi Theologica illatum in integrum reſtituere tenemur &c.* ib.

Quær. 2. *Ex qua culpa oriatur in contractu Reſtitutionis obligatio.* ib.

Digitized by Google

Quær. 3. *Ex qua culpa oriatur reſtitutionis obligatio ratione officii.* p. 334

§. 2. *De reſtitutionis circumſtantiis.* ib.

Quær. 1. *Quis reſtituere teneatur.* ib.

Quær. 2. *Quo ordine cooperatores ad reſtitutionem teneantur.* p. 335

Quær. 3. *Cui, quod, quantum ſit reſtituendum.* p. 336

Quær. 4. *Ubi, quomodo, & quando ſit reſtituendum.* ib.

Artic. 1. *De Reſtitutionis neceſſitate.* ib.

Quær. 1. *Quænam ſint cauſæ legitimæ a reſtitutionis onere eximentes.* p. 337

Quær. 2. *Utrum reſtitutio commiſſa perſonæ non ſuſpectæ, a facienda ſecunda reſtitutione liberet, ſi res ad verum Dominum non pervenerit.* p. 338

Artic. 2. *De Injuria, & Reſtitutione in particulari.* ib.

§. 1. *De Injuria, & Reſtitutione ratione ſecreti proditi.* ib.

Quær. *Quænam ſint cauſæ ab injuſta violatione ſecreti excuſantes.* ib.

§. 2. *De Injuria, & Reſtitutione ratione mendacii.* p. 339

Quær. 1. *Utrum mendacium ſit licitum.* ib.

Quær. 2. *Quandonam mendacium veniale ſit, aut mortale.* ib.

Quær. 3. *Utrum liceat uti reſtrictione, aut æquivocatione pure mentali.* p. 340

Quær. 4. *Utrum uti liceat reſtrictionibus, aut æquivocationibus latè mentalibus ſeu ſenſibilibus.* ib.

§. 3 *De Injuria, & Reſtitutione in bonis Animi.* p. 341

Quær. 1. *Utrum qui alium ad peccandum induxit, ad reſtitutionem erga ipſummet inductum teneatur.* ib.

Quær. 2. *Ad quid teneatur, qui alterum in errorem induxit.* ib.

Quær. 3. *Ad quid teneatur, qui in potentiis animæ, memoria, aut ratione læſit.* ib.

§. 4. *De Injuria, & Reſtitutione in bonis corporis.* ib.

Quær. 1. *An, & quomodo malefactores liceat occidere.* ib.

Quær. 2. *An auctoritate etiam publica Innocentem liceat occidere.* p. 342

Quær. 3. *Utrum liceat ſeipſum occidere, aut mutilare.* ib.

Quær. 4. *Utrum aliquo caſu licita ſit abortus procuratio.* p. 343

Quær. 5. *Utrum, & quomodo liceat vitæ invaſorem occidere.* ib.

Quær. 6. *An pro honoris ſui detentione aliquem occidere, aut mutilare liceat.* p. 344

Quær. 7. *Utrum bonorum temporalium invaſorem occidere liceat, aut mutilare.* ib.

Quær. 8. *An liceat invaſorem pudicitiæ occidere, dum nulla alia via ſuppetit ad eam defendendam.* ib.

Quær. 9. *Quid, & cui ſit reſtituendum, ratione homicidii, aut mutilationis.* p. 345

Quær. 10. *Quid ſit reſtituendum ratione ſtupri.* ib.

Quær. 11. *Quæ reſtitutio ſit facienda ratione adulterii.* p. 346

Quær. 12. *Quid ſit dicendum de fornicariis, adulteris, aut cæteris, qui proles ſuas exponunt.* ib.

§. 5. *De Injuria, & Reſtitutione in fama & honore.* p. 347

Quær. 1. *Quid ſit Detractio.* ib.

Quær. 2. *Quænam ſint juſtæ cauſæ detrahentem a peccato excuſantes.* ib.

Quær. 3. *Utrum criminis publicitas a peccato detrahentem excuſet.* ib.

Quær. 4. *Quot modis fieri poſſit detractio.* p. 348

Quær. 5. *Quale ſit peccatum Detractio.* ib.

Quær. 6. *An & quomodo peccet detrahentem audiens.* ib.

Quær. 7. *Quis, quid, apud quos, quando, & quomodo reſtituere teneatur ratione famæ ablatæ.* ib.

Quær. 8. *Quænam ſint cauſæ, non excuſantes, & excuſantes a famæ reſtitutione.* p. 349

Quær. 9. *Quid ſit Judicium temerarium.* ib.

Quær. 10.

Digitized by Google

Quær. 10. *Quale ſit peccatum, Judicium temerarium, Dubitatio, Suſpicio, & Opinio.* ib.
Quær. 11. *Quid ſit Suſurratio, & quale peccatum.* p. 350
Quær. 12. *Quid ſit Contumelia, & quale peccatum.* ib.
Quær. 13. *Quid ſit Deriſio, & quale peccatum.* ib.
§. 6. *De Injuria, & Reſtitutione in bonis fortunæ.* ib.
Quær. 1. *Quid ſit Furtum.* ib.
Quær. 2. *Quotuplex ſit Furtum.* p. 351
Quær. 3. *Furtum quale ſit peccatum.* ib.
Quær. 4. *Quid de furtis Filiorum, Uxorum, ac Famulorum ſit dicendum.* ib.
Quær. 5. *An liceat uti occulta compenſatione, ut quis rem ſuam, aut ſibi debitam recuperet.* p. 352
Quær. 6. *Quid de furtis minutis ſic dicendum.* ib.
Quær. 7. *An liceat in neceſſitate aliena rapere; & utrum qui tunc ea ſubripuit, teneatur reſtituere.* 353
Quær. 8. *An accepta propter actionem aliunde debitam, aut propter abſtinentiam ab opere illicito, jure detineantur, & reſtitutioni non ſint obnoxia.* ib.
Quær. 9. *Utrum accepta propter turpem cauſam ſint reſtituenda.* ib.
CAP. VI. *De Fortitudine.* p. 354
Quær. 1. *Quænam ſint vitia fortitudini oppoſita.* ib.
Quær. 2. *Quænam ſint virtutes fortitudini adjunctæ.* ib.
CAP. VII. *De Temperantia.* ib.
Quæſt. 1. *Quid de Gula ſit dicendum.* 355
Quær. 1. *Quot modis Gulæ peccatum committi poſſit.* ib.
Quær. 2. *Crapula quale ſit peccatum.* ib.
Quær. 3. *Quid ſit ebrietas, & quale peccatum.* ib.
Quær. 4. *Utrum ſe ſe inebriare liceat ad mortem vitandam, aut alium inebriare, ut a majori peccato retrahatur.* p. 356
Quær. 5. *Quænam ſint Gulæ filiæ.* ib.
Quæſt. 2. *Quid de Luxuria ſic dicendum.* ib.
Artic. 1. *De Caſtitate, & Luxuria.* 357
Quær. 1. *Quotuplex ſit Caſtitas, & Luxuria.* ib.
Quær. 2. *Quale peccatum ſit Luxuria.* ib.
Quær. 3. *Quid de motibus in parte inferiori exortis ſic dicendum.* ib.
Quær. 4. *Quænam ſint Luxuriæ filiæ.* p. 358
Artic. 2. *De Luxuriæ ſpeciebus.* ib.
Quær. 1. *Quid ſit Fornicatio, & quale peccatum.* ib.
Quær. 2. *Quid ſit Adulterium, & quale peccatum.* ib.
Quær. 3. *Quid ſit Stuprum, & quale peccatum.* ib.
Quær. 4. *Quid ſit Raptus, & quale peccatum.* p. 359
Quær. 5. *Quid ſit Inceſtus, & quale peccatum.* ib.
Quær. 6. *Quid ſit Sacrilegium, & quale peccatum.* ib.
Quær. 7. *Quid ſit Beſtialitas, & quale peccatum.* ib.
Quær. 8. *Quid ſit Sodomia, & quale peccatum.* ib.
Quær. 9. *Quid ſit inordinatus Concubitus, & quale peccatum.* p 360
Quær. 10. *Quid ſit Mollities, aut Pollutio, & quale peccatum.* ib.
Artic. 3. *De Impudicitia.* ib.
Quær. 1. *Quid de Oſculis ſit dicendum.* ib.
Quær. 2. *Quid de Tactibus ſit dicendum.* ib.
Quær. 3. *Quid de Aſpectibus ſit dicendum.* ib.
Quær. 4. *Quid de Turpiloquio ſit dicendum.* ib.
Quæſt. 3. *De Immodeſtia.* ib.
Quær. 1. *Quid de Choreis ſit dicendum.* ib.
Quær. 2. *Quid de Mulierum ornamentis ſit dicendum.* ib.
Quær. 3. *Quid de Fucis ſit dicendum.* ib.
Quær. 4. *Quid de Larvis, aut Perſonatibus ſit dicendum.* ib.

APPENDIX I.
Quæſtionum Regularium. p. 363
Quær. 1. *An Summ. Pontificum Bullæ, Conſtitutiones, Decreta, & cætera Monaſticam Diſciplinam ſpectantia, omnes, & ſingulos Regulares obligandi, ſemper, & ubique vim habeant.* ib.
Quær. 2. *Quibus in caſibus Regulares exempti Epiſcoporum juriſdictioni ſubjaceant.* ib.
Quær. 3. *Quid de Regularium Privilegiis ſit dicendum.* p. 365
Quær. 4. *Quænam ſit Prælatorum Regularium poteſtas circa ſubditorum ſuorum abſolutionem.* p. 366
Quær. 5. *Quænam ſint Confeſſariorum Regularium poteſtas erga Fratres ſuos.* p. 368
Quær. 6. *Utrum Regulares extra Ordinem ſuum valeant confiteri.* p. 369
APPENDIX II.
De Indulgentiis. p. 371
Quæſt. 1. *Quid, & quotuplex ſit Indulgentia.* ib.
Quæſt. 2. *Utrum in Eccleſia extet Indulgentiarum concedendarum poteſtas.* p. 372
Quæſt. 3. *Quinam ſint Indulgentiarum Miniſtri.* ib.
Quæſt. 4. *Quodnam ſit Indulgentiarum ſubjectum.* p. 373
Quæſt. 5. *Quænam ſit Indulgentiarum virtus & efficacia.* ib.
Quæſt. 6. *Quænam ſint diſpoſitiones, & conditiones ad Indulgentiam obtinendam requiſitæ.* p. 375
Quæſt. 7. *Quid de Jubileo ſit dicendum.* p. 377

APPRO-

APPROBATIONES.

CUM ex mandato P. A. R. Baſilii ab Ambivere Miniſtri Provincialis a Reverendiſſimo P. Seraphino a Capricolle ei injuncto, majori, qua licuit, diligentia, Opus perlegerim, cui titulus eſt: *Inſtituta Moralia Theologi Lugdunenſis &c.* nihilque in ipſis adverſus Orthodoxam Fidem, ſanioremque Ethicam Chriſtianam obvium habuerim; quinimo omnia ad Sanctuarii trutinam perpenſa, & elucubrata perpenderim; idcirco, quantum ad me adtinet, ea prœlo digniſſima dijudico.

Datum in Conventu noſtro Colonearum Provinciæ Brixienſis VI. Idus Martii an. 1759.

F. Viator a Cocaleo Capuccinus.

EGO infraſcriptus de mandato P. A. R. Baſilii ab Ambivere Miniſtri Provincialis Librum, cui titulus eſt: *Inſtituta Moralia Theologi Lugdunenſis &c.* legi, & examinavi, in quo nihil Catholicæ Fidei, Chriſtianæque morum diſciplinæ contrarium; imo omnia Divinæ Scripturæ, Sacris Canonibus, Sanctiſque Patribus maximè conſentanea eſſe deprehendi, proindeque luce publica ipſum digniſſimum eſſe judico.

Datum in Conventu noſtro Rumani Provinciæ Brixienſis Anno Domini 1759. die 25. Martii.

F. Franciſcus a Bergomo Capuccinus.

NOS

NOS FR. SERAPHINUS CAPRICOLLENSIS

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (1. i.)

CUM Librum, cujus titulus eſt: *Inſtituta Moralia Theologi Lugdunenſis &c.* a P. Bonaventura a Cocaleo Provinciæ noſtræ Brixienſis Concionatore compoſitum, duo noſtri Ordinis Theologi, quibus id commiſimus, recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, tenore præſentium facultatem impertimur, ut ſervatis reliquis de jure, ac more ſervandis typis mandetur, ſi iis, ad quos ſpectat, bene in Domino viſum fuerit.
Datum Romæ 7. Aprilis 1759.

[*F. Seraphinus qui ſupra.*

NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Gio: Paolo Zapparella Inquiſitor Generale del Sant' Offizio di Venezia, nel Libro intitolato: *Inſtituta Moralia Theologi Lugdunenſis Ord. Capuccinorum aucta, & illuſtrata a F. Bonaventura de Cocaleo, &c.* non v' eſſer coſa alcuna contro la S. Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a Giammaria Rizzardi Stampatore di Breſcia, che poſſi eſſere ſtampato; oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerìe di Venezia, e di Padova.

Dat. li 25. Maggio 1759.

[*Gio: Emo Proc. Rif.*
[Z. *Alviſe Mocenigo Rif.*
[*Marco Foſcarini Cav. Proc. Rif.*

Regiſtrato in Libro a carte 9. al num. 48.

Gio: Girolamo Zuccato Segret.

Adì 2. Giugno 1759.
Regiſtrato nel Magiſtr. Eccellentiſs. degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Gio: Pietro Dolfin Segr.

ER-

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Errores propemodum innumeri, quibus prior Editio ſcatebat, ab hoc Volumine, magnâ adhibita diligentia, fuerunt expuncti. Verùm cum nimis celeriter editum fuerit, aliqui de novo errores irrepſerunt, ut infrà.

	ERRORES	CORRECT.
Pag. 5. c. 2. l. 40.	immediatus	immediatiùs
6. c. 2. l. 40.	actur	actus
8. c. 2. l. 1.	recenſet	recenſent
9. c. 1. l. 2.	concedere	condere
14. c. 1. l. 49.	noſtræ	noſtra
15. c. 1. l. 42.	quocumque	quacumque
16. c. 1. l. 49.	proprii	propriis
21. c. 2. l. 5.	daus crainte	dans la crainte
ib. l. 15.	qu' ad elles	quand elles
ib. l. 57.	agebat	ajebat
25. c. 2.	QUÆST. VI.	QUÆST. IV.
38. c. 1.	CAP. I.	CAP. III.
42. c. 2. l. 4.	iu alto	in allato
47. c. 2. l. 17.	ea	eam
56. c. 1. l. 56.	argumentum	augmentum
76. c. 1. l. 39.	Clerici	Cleri
ib. l. 41.	lapſis	lapſi.
77. c. 1. l. 15.	ap. Johan.	ap. S. Athan.
80. c. 2. l. 39.	ſatisſacere	ſatisfaceret
81. c. 1. l. 31.	recipit	reſpicit
82. c. 1. l. 31.	Uuice	Unico
86. c. 2. l. 3.	non vere	non valere
93. c. 2. l. 39.	multi	muitis
96. c. 2. l. 20.	debea	debeat
97. c. 2. l. 5.	ſeges	leges
99. c. 2. l. 10.	ſuperiorem	Superiorem
101. c. 2. l. 2.	diſpenſaſſat	diſpenſaſſet
ib. l. 26.	S	*Si*
ib. l. 27.	Dii	Di-
ib. l. 28.	*finali*	*finalis*
ib. l. 29.	impulſivas	impulſiva
ib. l. 33.	qui	quia
ib. l. 34.	diſa	diſ-
104. c. 1. l. 4.	mihi certo	nihil certo
117. c. 1. l. 24.	confiterur	confiteror
ib. c. 2. l. 34.	materialia	materialis
128. c. 1. l. 50.	Pontificii	Pontifici
ib. c. 2. l. 11.	potione	portione
132. c. 2. l. 50.	excommuni-catio	excommunica-to
133. c. 1. l. 45.	val	vale
138. c. 2. l. 40.	cauſas	cauſa
151. c. 2. l. 14.	redditum	redditumm
159. c. 1. l. 56.	excepta	excerpta
160. c. 1. l. 54.	ſubripetur	ſubtipitur
164 c. 1. l. 9.	Canicatus	Canonicatus
172. c. 2. l. 12.	ſalnti	ſalutis
183. c. 1. l. 31.	cauſa	cauſam.
184. c. 1. l. 22.	annus	annuus

	ERRORES	CORRECT.
185. c. 2. l. 21.	Superioris	Superiores
186. c. 1. l. 38.	ſenſum	ſenſuum
187. c. 1. l. 22.	fuit :	fuit deciſum :
188. c. 2. l. 33.	decent	dedecent
ib. l. 41.	ubi voti	vi voti
189. c. 1. l. 13. / l. 14.	diſpenſabilites / diſperſabiliter	deſperabiliter
191. c. 1. l. 45.	continetur	continentur
192. c. 2. l. 20.	ipſomet	ipſoſmet
199. c. 2. l. 20.	malus	malum
205. c. 1. l. 2.	conſtunt	conſiſtunt
ib. l. 19.	peccati	peccari
210. c. 1. l. 28.	gratia	gratiam
226. c. 2. l. 36.	materia	materias
229. c. 2. l. 28.	omne	omnes
234. c. 2. l. 12.	volutate	voluntate
235. c. 2. l. 1.	Qu-	Qni
ib. l. 24.	inventio	invenio
245. c. 2. l. 22.	auctoritates	auctoritas
ib. l. 48.	definito	definitio
249. c. 1. l. 54.	vi	viri
250. c. 1. l. 21.	articulo	articulos
251. c. 2. l. 52.	infirmamus	infirmus
252. c. 1. l. 3.	vita	vitia
254 c. 1. l. 21.	quiſdam	quibuſdam
255. c. 1. l. 29.	agnoverit	agnoverint
ib. l. 57.	Gallis	Galliis
ib. c. 2. l. 47.	Statumque	Statuumque
260. c. 1. l. 39.	æterna	æternam
267. c. 2. l. 18.	das	dat
271. c. 1. l. 39.	aliena	alienam
276. c. 1. l. 27. qui. l. 47.	quid	quia
ib. l. 56.	e u	ſeu
ib. c. 2. l. 23.	ea	eas
277. c. 2. l. 3.	verbum	verum
ib. l. 13.	negat	negant
280. c. 1. l. 23.	injuriam	injuriarum
281. c. 2. l. 32.	invitos	invito
284. c. 2 l. 37.	appetitu	appetitus
285. c. 1. l. 5.	tentationem	tentatione
295. c. 2. l. 17.	*&c.*	etiam
303. c. 1. l. 8.	conſecurioni	couſequtioni
313. c. 1. l. 57.	libe,	liberè
315. c. 2. l. 7.	fuiſſe	fuiſſet
ib. l. 41.	initio	inito
317. c. 1. l. 2.	alienaſſe	alienaſſet
320. c. 1. l. 45.	ſtatum	ſtatu
340. c. 2. l. 2.	a parte	a patre
341. c. 2. l. 50.	inferri	inferre

Minutiores vero, ſi qui fortè adſunt, prudens quiſque ſibi Lector emendet.

IN-

Digitized by Google

INSTITUTA MORALIA

TRACTATUS PRIMUS.

De Actibus Humanis.

Adnotatio I.

(*)

UNiverſam Theologiam moralem Author noſter tradendam aggrediens, a Fine ultimo jure merito initium petit. Cum enim finis ultimus Hominis Deus ſolus ſit, omniaque moralia præcepta a Deo ipſo nobis tradita in Scripturis ad hoc dirigantur, ut, ſcilicet, Homo Finem talem, pro quo conditus fuit facilius, atque ſuavius conſequi valeat; hinc æquum fuit, ab illo incipere Opus, ad quod totum Opus ipſum primario dirigitur. De ultimo, igitur Hominis fine, qui ſicuti diximus, Deus eſt, & de Beatitudine fini tali conjuncta, inſtitutis quæſtiunculis breviter expeditus; ad ea poſtea enucleanda, quæ ad adeptionem iſtiuſmodi finis conducunt, ordinatim progreditur. Quia igitur, *ait D. Tho. 2. Par quæſt. 6.*, ad Beatitudinem per actus aliquos neceſſe eſt pervenire, oportet conſequenter de Humanis Actibus conſiderare; ut ſciamus quibus actibus perveniatur ad Beatitudinem, vel impediatur Beatitudinis via. Sed quia operationes, & actus circa ſingularia ſunt, ideo omnis operativa ſcientia in particulari conſideratione perficitur. Moralis igitur Conſideratio, quia eſt humanorum actuum; primo quidem tradenda eſt in univerſali, ſecundo vero in particulari. *Angelici, ergo, præceptoris doctrinam proſequens Author, & normam, de Humanorum Actuum Fine, Natura, Moralitate, & Regula diſtinctis Diſſertationibus in primis diſputat; ut poſtea de univerſalioribus ad particularia deſcendat*

(*)

DISSERTATIO I.

De Fine Actuum Humanorum.

PRætermiſſis, ac ſuppoſitis tum definitionibus, tum diviſionibus, & quæſtionibus, aut potiùs inanibus tricis, quæ vulgò de Fine in Philoſophia ventilantur, in ſola diſquiſitione Finis ultimi, & Beatitudinis, quæ hominem ad actus ſuos eliciendos maximè alliciunt, ſermonem continebimus.

CAPUT I.

De Fine ultimo.

FInis ultimus communiter deſcribitur is, *qui propter ſe ſic appetitur, ut cætera omnia propter illum appetamus, ipſum verò propter nihil aliud.* Ex adverſo, finis non ultimus is eſt, qui non appetitur propter ſe, ſed propter aliud. Sic Pharmacum non appetitur propter ſe, ſed propter ſanitatem, & ſanitas ipſa propter expeditam operationem.

Dividitur Finis ultimus in eum, qui talis eſt *ſimpliciter*, & abſolutè, ad quem nimirum omnia referuntur, ipſe verò ad aliud referri nequit, ut ſolus Deus; & in eum, qui talis eſt *ſecundum quid*, quia ipſe non

eſt ultimus, niſi in aliquo rerum ordine; ut victoria in ordine rei militaris, aut meſſis in ordine Agriculturæ. Iterum Finis ultimus alius eſt naturalis, qui vires naturæ non excedit; alius ſupernaturalis, qui non niſi gratiæ ſupernaturalis auxilio comparari poteſt, ut gloria æterna. His poſitis, una & altera non ſpernenda exoritur quæſtio.

QUÆSTIO I.

Utrùm quidquid deliberatè vult homo, ipſum velit propter Finem ultimum.

Not. 1. Finem ultimum dupliciter conſiderari poſſe, confuſè ſeu in communi, & diſtinctè ſeu in particulari. Confuſè & in communi ſumptus, eſt plenitudo boni apprehenſa, ſub generali notione Beatitudinis appetitum ſatiantis: diſtinctè & in particulari ſumptus, eſt ipſamet res ſeu ſubjectum, in quo illa plenitudo apprehenditur. Et ſic, alius eſt ultimus Finis verus, qui ſub ratione veri boni movet ad agendum, ut virtus: alius ultimus Finis falſus, qui ſub ementiti boni ſpecie homines allicit, ut voluptas, quam perſæpè homines improbi pro fine ſuo ultimo ardenter expetunt.

Not. 2. Humanam voluntatem ferri dupliciter in finem ultimum: explicita ſcilicet, & formali intentione; dum quis, v. g. ſtipem erogat expreſſo retributionis æternæ intuitu; vel tacita, & implicita intentione, quam alii aut virtualem, aut habitualem vocant; dum quis operatur, nihil de Beatitudine, ſed de ſola appetitus ſui expletione, cogitans. His notatis.

Dico. Quidquid homo deliberatè expetit, ipſum expetit, tacita ſaltem, & implicita voluntate, propter ultimum finem, confuſè, & in communi ſumptum.

Prob. 1. Ex D. Aug. l. 13. c. 5. de Trin. *Verum eſt*, inquit, *quòd omnes homines eſſe Beati velint; idque unum ardentiſſimo amore appetant, & propter hoc cætera quæcunque appetant.* Et de quibuſdam voluntatis actibus ſermonem faciens, ait, l. 11. c. 6. *Omnes iſtæ atque tales voluntates ſuos proprios fines habent, qui referuntur ad finem illius voluntatis, qua volumus beatè vivere.* Et rurſus lib. 13. c. 3. *Quidquid enim aliud quiſquam latenter*, id eſt tacita, & implicita voluntate, *velit, ab hac voluntate*, ſcilicet, Beatitudinis, *quæ omnibus hominibus nota eſt, non recedit.*

Prob. 2. Auctoritate & ratione D. Th. 1. 2. qu. 1. art. 6. Quidquid homo appetit, ipſum appetit ſub ratione boni: atqui nullum eſt bonum, quòd non ordinetur ad Beatitudinem, quæ eſt ultimus finis: Ergo quidquid homo appetit, ipſum appetit propter ultimum finem. Major eſt certa: Minor patet, ex eo quod ſingula bona ſunt quædam partes, ſeu inchoatio Beatitudinis: Pars autem ordinatur ad totum, & inchoatio perfectionis ad perfectionem conſummatam: Ergo ſingula bona ordinantur implicitè ſaltem, ad Beatitudinem veram, aut apparentem. Deinde, inquit S. D., eodem modo ſe habet finis ultimus in movendo appetitum, quo ſe habet in aliis motibus primum movens: Atqui cauſæ ſecundæ moventes, non moventur, niſi ſecundùm quod moventur à primo movente: Ergo ſecunda appetibilia non movent appetitum, niſi in ordine ad primum appetibile, quod eſt ultimus finis.

Confirm. Dum homo aliquid deliberatè expetit, vel in ejus amore ſiſtit, vel ulteriùs progreditur. Si primum, ipſum ſanè expetit tanquam finem ultimum, & obtinemus intentum. Si ſecundum, ad ultimum tandem, in quo voluntas quieſcat, erit deveniendum, nè detur progreſſus in infinitum. Ergo dum homo aliquid deliberatè expetit, ipſum appetit propter ultimum finem, vel expreſſè, & formaliter dum ex diſtincta finis ultimi cognitione, & amore procedit, vel ſaltem tacitè, & implicitè, dum de fine ultimo minimè cogitans, appetitum explere intendit; quod eſt implicitè appetere Beatitudinem, quæ in perfecta appetitus expletione ſita eſt.

Obj. 1. Nihil volitum quin præcognitum. Atqui ex conceſſis plerumque inter agendum de fine ultimo non cogitamus: Ergo plerumque ipſum non appetimus.

℞. Diſt. Maj. Nihil volitum expreſſe, & formaliter quin præcognitum, diſtinctè, & in particulari, C. Nihil volitum tacitè, & implicitè quin præcognitum; ſubdiſtinguo, diſtinctè, & in particulari, N. confuſè, & in communi, C. Siquidem licèt nulla præceſſerit aut cogitatio, aut intentio finis ultimi, ac Beatitudinis particularis; planè ſufficit quòd fuerit apprehenſa confuſè, & in communi, ut quis dicatur ipſam tacitè ſaltem, & implicitè expetere; quatenus in omni actione ſua deliberata quærit quodammodò ſibi ſatisfacere: quod eſt quidpiam ad Beatitudinem ſpectans, & quaſi radius ejus, aut effluvium.

Inſt. Juxta D. Thom. mox citatum appetitus

titus movetur ab ultimo fine, ſicut moventur cauſæ ſecundæ à primo movente: Atqui cauſæ ſecundæ non moventur, niſi à primo movente particulari: Ergo appetitus non movetur, niſi ab ultimo fine in particulari, non in communi ſumpto.

℟. Comparationem primi mobilis efficientis omnimodam non eſſe, nec fieri niſi ſervato utrinſque cauſalitatis ordine. Cauſæ autem efficientis cauſalitas, utpotè phyſica, non procedit niſi à cauſa particulari. Secùs autem eſt dicendum de fine ultimo, qui cùm non agat niſi moraliter, voluntatem nimirùm alliciendo, ipſam movere poteſt per ſuam ipſius confuſam apprehenſionem.

Obj. 2. Si omnes prorsùs actiones noſtræ in ultimum finem collineant, nunquam erit ulla actio humana otioſa.

℟. Actio, quæ in Beatitudinem confusè ſpectatam ordinatur, otioſa eſt, niſi ad quemdam particularem finem honeſtum, vel actualiter, vel virtualiter, tendat. Præterea, qui verbum otioſum deliberatè profert, tunc adhuc aliquam delectationis umbram ſibi proponit, & eo ipſo Beatitudinem confusè ſpectatam expetit.

Obj. 3. Finis ultimus juſti Deus eſt; & finis ultimus peccatoris eſt creatura: Atqui nec juſtus, nec peccator, quæcumque agunt, ad Deum, aut creaturam ſemper ordinant; cum juſtus multa peccata venialia committat, & peccator in quaſdam actiones moraliter bonas ſæpius prorumpat: Ergo non ſemper agunt propter finem ultimum.

℟. Diſt. Maj. Finis ultimus particularis juſti, &c. C. Finis communis, N. Utriuſque enim finis communis eſt Beatitudo, propter quam ſemper agunt; licèt non ſemper agant propter finem particularem. Circa quod.

Obſerv. 1. Peccatorem, qui mortaliter peccat, non expreſsè, & formaliter in creatura finem ſuum ultimum conſtituere. Siquidem creaturam pluris quàm Deum nec æſtimat, nec ipſam ſummum bonum continere ſibi in animum inducit. Adde quòd multi ſæpiùs peccent ſub ſpe futuræ veniæ, cum intentione ad Deum tandem revertendi. Reſtat igitur ut in ipſa finem ſuum ultimum conſtituant, virtualiter dumtaxat, aut interpretativè, & duplici ratione. 1. Quia quiſquis mortaliter peccat, perindè ſe gerit ac ſi finem ultimum alium non haberet quàm creaturam. Si enim finis ejus ultimus eſſet creatura, nihil ſanè aliud ageret, niſi Deo illam præferret. 2. Quiſquis mortaliter peccat, vult omninò ſiſtere in creatura, quam Deo præfert. Sic enim à Deo avertitur, & ſemetipſum privat poſſeſſione Dei ultimi finis, quo voluntariè neglecto in creatura omninò non ſiſtere nequit.

Obſerv. 2. Juſtum, qui venialiter peccat, nequidem virtualiter, & interpretativè finem ſuum ultimum in creatura conſtituere, quia licèt à Deo fine ultimo aliqualiter recedat; ab ipſo tamen recedit citra contemptum, nec ipſum deſerit, ut in creatura omninò ſiſtat. Siquidem non ita creaturam amat, ut illam Creatori anteponat; cùm eam deſerere habitualiter ſit diſpoſitus, ſi illius amore Deum graviter offendi, & penitùs amitti, intelligeret.

QUÆSTIO II.

Utrùm homo poſſit agere propter plures Fines ultimos.

Not. Aliud eſt, plures res eſſe unum finem ultimum hominis; aliud plures eſſe fines illius ultimos. Nemini dubium eſt, quin idem homo in pluribus rebus finem ſuum ultimum ſtatuere poſſit; putà, voluptatibus, divitiis &c. Sed quæritur utrùm plures fines adæquatos poſſit intendere. Item non quæritur, utrùm idem homo ſucceſſive appetere poſſit varios ultimos fines, ita ut nunc omnia ad Deum, nunc ad creaturam, referat. Liquidò patet hominem ex juſto peccatorem fieri, & ex peccatore juſtum. Sed dubium eſt, utrùm ſimul, & ſemel quis poſſit expetere plures ultimos fines. Nec rurſùs quæritur, utrùm homo poſſit agere propter duos fines ultimos *ſecundùm quid.* Quis non videt hominem iter aliquod ſuſcipere poſſe, & ut ſanitati ſuæ conſulat, & ut amicum inviſat. Tota igitur quæſtio exoritur de pluribus finibus ultimis adæquatè, ſimul & ſemel, ſimpliciter, & abſolutè ſumptis; Ad quod.

Dico. Homo non poteſt agere ſimul, & ſemel propter duos fines ſimpliciter ultimos adæquatos.

Prob. 1. Auctoritate, & ratione D. Thom. citat. a. 5. & D. Bonav. in 2. d. 38. a. 1. q. 3. concludentium ex iſto textu, Matth. c. 6. *Nemo poteſt duobus Dominis* non ſubordinatis *ſervire*, neminem poſſe ſimul & ſemel duos ultimos fines adæquatos ſibimet ſtatuere. Nam ſi haberi ſemel nequeunt plures ſupremi Domini, multò minùs plures ultimi fines adæquati, & totales inter ſe diſparati; cùm idea finis ultimi ſimpliciter ſumpti longè latiùs pateat quàm idea ſupremi Domini.

Digitized by Google

Prob. 2. Altera D. Thom. ratione. Finis ſimpliciter ultimus perfectè appetitum ſatiat. Si enim ipſum perfectè non ſatiaret, in illo tanquam in fine ultimo utique non quieſceret: Atqui appetitus duo bona prefectè ſatiativa deſiderare nequit; cùm tale ſit bonum perfectè ſatiativum, ut nihil extra ipſum deſiderandum reſtet; quod ſanè non eſſet, ſi præter unum ex illis aliud appetitus expeteret: Ergo appetitus duos fines ſimpliciter ultimos deſiderare nequit.

Conf. Ratio eſſentialis finis ſimpliciter ultimi, & adæquati in eo ſita eſt, ut cætera omnia ad illum referantur, ipſum verò ad nihil aliud: ſed contradictionem involvit ſimul eſſe plura ejuſmodi ultima: Ergo. Prob. Fingamus duos ultimos fines, ſanitatem, v. g. & divitias. Certè cum ſanitas ex hypotheſi ſit ultimus finis totalis, opus eſt ut quodlibet aliud bonum, ipſæque etiam divitiæ ad ſanitatem referantur, alioquin hæc non eſſet finis ſimpliciter ultimus. E contrà verò, cum divitiæ juxta eamdem hypotheſim ſint quoque ultimus finis totalis, opus eſt viciſſim ut ſanitas referatur ad divitias, non divitiæ ad ſanitatem. Sicque & ſanitas, & divitiæ eſſent ſimul finis ultimus ſimpliciter adæquatus, & non eſſent, quod perſpicuam involvit contradictionem.

Objic. 1. Idem homo poteſt intendere ſimul duo peccata mortalia inter ſe diſparata, in quibus finem ſuum ultimum, ſaltem interpretative conſtituat: Ergo tunc plures fines ultimos intendet ſaltem interpretativè.

℞. Tunc fore ſemper unum finem ultimum. Ideò enim qui mortaliter peccat, finem ultimum in creatura conſtituere dicitur, quia in ipſa propriam ſuam delectationem exquirit, & in eadem ſaltem interpretativè quieſcit. Propria autem peccatoris delectatio in omnibus peccatis etiam diſparatis, una ſemper, & eadem eſt: Ergo ſemper unum, & eumdem finem ultimum intendit.

Objic. 2. Ethnici ſibi proponebant plures Deos: Ergo plures fines ultimos.

℞. Nego conſeq. Quia Ethnici in variorum Deorum cultu proprium ſuum bonum, voluptates, aut divitias ſibi ſemper proponebant; & hic erat verus eorum, & unicus finis ultimus.

CAPUT II.

De ipſa Beatitudine.

Rectè definitur Beatitudo à D. Thom. 1. 2. q. 5. a. 3. & 5. *Perfectum, & ſufficiens bonum omne malum excludens, & omne deſiderium complens.* Ipſa conſideratur vel objectivè, vel formaliter. Beatitudo objectiva eſt ipſum Beatitudinis objectum, cujus poſſeſſione Beati dicimur. Formalis autem eſt actio illa, qua poſſidetur iſtud objectum. De utraque Beatitudine duo quæruntur.

QUÆSTIO I.

Quæ ſit hominis objectiva Beatitudo.

Not. Homo in diverſis ſtatibus ſpectari poteſt, vel in ſtatu naturali ſolis naturæ viribus dimiſſus, vel in ſtatu ſupernaturali gratiæ auxilio adjutus, vel tandem in ſtatu patriæ gloria æterna circumdatus. De omnibus his ſtatibus quæſtio procedit, pro qua.

Dico. Solus Deus O. M. eſt Beatitudo objectiva hominis.

Prob. Ex variis D. Aug. locis: l. 12. de Civ. c. 1. *Quamvis non omnis creatura poſſit eſſe beata; ea tamen quæ poteſt, non ex ſe ipſa poteſt, ſed ex illo à quo creata eſt.* Et l. 19. c. 26. *Ut vita carnis anima eſt; ita vita beata hominis Deus eſt.* Et l. 1. Conf. c. 1. *Feciſti nos, Domine, ad te: ideò inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Prob. 2. Ex conditionibus ad Beatitudinis objectum requiſitis, quæ ſoli Deo aptari poſſunt. 1. Quòd ſit bonorum omnium optimum totiuſqe boni perfectio, ut omninò ſatiet appetitum. 2. Quòd ſit bonum ultimum ad quod nimirùm omnia referantur, ipſum verò non referatur ad aliud; ſecùs enim voluntas in ipſo non quieſceret. 3. Quòd ſit ſufficiens ad omnem tollendam miſeriam; alioquin poſſeſſorem ſuum non beatet. 4. Quòd ſit in poteſtate noſtra, ſaltem per gratiam, ne in vanum ad ipſum protendat appetitus. 5. Quòd ſit ſtabile, ne tantum bonum amittendi timor graviorem anxietatem pariat. Atqui hæc omnia de ſolo Deo dici poſſunt; Ergo.

Objic. Quædam debet adeſſe proportio inter Beatum, & objectum Beatitudinis ejus; ſed nulla eſt inter Deum, & hominem, qui bono infinito omninò eſt impar; Ergo.

℞. Diſt. Maj. Quædam debeat eſſe proportio in ratione objectiva; id eſt, potentiæ intellectivæ, & volitivæ ad objectum, C. In ratione entitatis; ideſt, entis ad aliud ens, N. Deinde licèt homo ſit impar bono infinito intrinſecùs ſibi inhærente, non tamen eidem eſt impar, extrinſecùs, & objective per-

Digitized by Google

per contemplationem, & amorem.

Inſt. Si homo ſubjectivè nequeat ſuſcipere bonum infinitum, nec etiam appetere poteſt ab ipſo infinitè ſatiari: Ergo non eget objecto realiter infinito, ut ſit beatus.

℟. Homo non appetit infinitè ſatiari Categorematice, C. Syncategorematice, N. id eſt abſque ullo termino. Unde objectum infinitum exigit ad omnia ſua explenda deſideria, quæ in immenſum ſyncategorematice excreſcere poſſunt.

QUÆSTIO II.

An ſit poſſibilis, & in qua operatione ſita ſit hujus vitæ Beatitudo.

Not. Licet certò certius ſit, nullam dari in hac lacrimarum valle, ubi *homo multis repletur miſeriis*, veram ac perfectam beatitudinem; ipſam tamen de potentia Dei abſoluta non repugnare conſtat ex Chriſto Domino, qui ſimul comprehenſor fuit, & viator. Unde quæritur tantummodò, utrùm poſſibilis ſit inchoata, & imperfecta; & ſuppoſito quòd ſit poſſibilis, & quòd detur hæc imperfecta Beatitudo, in quo formaliter ſita ſit, vel in contemplatione Dei, vel in amore, ad quod.

Dico I. Poſſibilis eſt in hac vita vera, ſed imperfecta Beatitudo; ideoque Viatores juſti vere Beati dicuntur.

Prob. 1. Ex variis Scripturæ locis, ubi juſtorum felicitas extollitur, *Beati immaculati in via*, inquit Pſalm. *Beatus vir qui timet Dominum*. Apoſtolus jubet nos in hac vita *gaudere, & ſemper gaudere*, & ipſemet *gaudio ſe ſuperabundare* teſtatur.

Prob. 2. Ex D. Aug. l. 11. de Civ. c. 11 *Quis enim*, inquit, *primos illos homines in Paradiſo negare audeat Beatos fuiſſe ante peccatum; cùm hodiè non imprudenter Beatos vocemus, quos videmus juſtè ac piè cùm ſpe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere, ſine crimine vaſtante conſcientiam.*

Conf. Ratione, & auctoritate ejuſdem S. D. l. 14. de Trin. c. 24 & 25. ubi dicit Beatum eſſe, *qui habet quod vult, & nihil malè vult*. Juſtus autem ſic ſe habet; cùm voluntas ejus voluntati divinæ omninò in omnibus ſit concors. Ergo in hac vita eſt Beatus.

Obj. Apoſtolus dicit Chriſtianos omnium hominum miſerrimos, niſi Mortui reſurrexerint: Ergo omnem in altera vita felicitatem conſtituit, nihilque niſi ſummam miſeriam in iſta agnoſcit.

℟. Argumentum nihil probare, quia ſuppoſito falſo falſum ſubſequitur. Unde cùm certum ſit Mortuos reſurrecturos, inde è contra concludendum eſt ex eodem Apoſtolo Chriſtianos non eſſe miſeros, ſed beatos jam anticipata beatitudine. Deinde Chriſtiani omnium hominum eſſent miſerrimi, ſi Mortui non reſurrexerint; quia nimirùm falſum eorum eſſet, cui ſe perpetuò devoverunt, Beatitudinis objectum; proindeque inanis eorum fides, ſpes fallax, futilis charitas; quod ſummum utique foret, malorum omnium.

Inſt. Qui piè volunt vivere in Chriſto, crucem ſuam habent poſt ipſum quotidiè ferendam: Nihil autem cruce Beatitudini magis eſt contrarium. Ergo.

℟. Diſt. Min. Cruce nudè ſumpta aut non amata, C. Unctione divina & amore Dei peruncta, N. Quia *in eo quod amatur non laboratur*, inquit Aug. *aut ſi laboratur, & labor amatur*.

Dico II. Formalis hujus vitæ Beatitudo in amore Dei ſita.

Prob. In eo ſita eſt formalis Beatitudo, per quod Deo unimur, ipſumque poſſidemus. Unimur autem Deo, & ipſum poſſidemus per ſolum amorem, non verò per fidem, & contemplationem. De ſola enim charitate dicitur: *Qui manet in charitate, in Deo manet; & Deus in eo*. Et *ſi quis diligit me*, inquit ſumma veritas, *diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*.

Conf. Ex conditionibus ad formalem Beatitudinem eſſentialiter requiſitis, quæ ſoli charitati congruere poſſunt: 1. Quòd ſit actus perfectiſſimus; Siquidem charitas, Apoſtolo teſte, omnium virtutum maxima eſt, & perfectiſſima. 2. Quòd per hunc actum immediatiùs attingatur finis ultimus. Attingitur autem Deus per charitatem immediatiùs quàm per fidem, quia charitas fertur in Deum, ut in ſe eſt; Fides verò, prout cognoſcitur per ſpeciem in ænigmate. 3. Quòd ad eum cætera omnia ordinentur: omnia utique, imò & fides ipſa, ad charitatem, quæ finis eſt præcepti, referuntur. 4. Quòd ex ipſo fluant omnia Beatitudinis emolumenta: Prodeunt autem ex charitate delectatio, gaudium, pax, & Spiritus ſancti unctio: Ergo.

Objic. Fides immediatiùs Deum attingit quàm charitas, cùm illa ſit prior, & iſta ab illa fluat.

℟. Prior eſt objectivè, C. Dignitate & perfectione, N. Nec charitas à fide fluit eſſentialiter, & neceſſariò, cùm multi fide polleant qui

Digitized by Google

qui charitatem reſpuun ; ſed veluti à conditione ſine qua noo, quia nimirum nihil volitum quin præcognitum.

Obji. 2. Nonnollos SS. Patrum Textus, maximè D. Thom. docentis 2. 2. q 3. a. 5. *Beatitudinem imperfectam, qualıs hic haberi poteſt, primò quidem, & principaliter conſiſtere in contemplatione, ſecundariò verò in operatione practici intellectus ordinantis, actionem & paſſiones humanas.*

R. SS. Patres ſermonem facere de contemplatione affectiva, & amori conjuncta, ad quem tendere debet omnis ſpeculatio, & ſine quo ipſa nihil aliud eſt quàm vanitas, & afflictio ſpiritus. *Contemplatio enim*, inquit S. D. in Expoſ. Cant. *magis conſiſtit in ſapore quàm in ſapere, & magis in dilectione, & dulcedine, quàm in contemplatione.*

DISSERTATIO II.

De natura Actuum humanorum.

DISCRIMEN latum intercedit inter actum hominis & actum humanum. Prior ſpectatur ſecundùm ſuum *eſſe naturale*: Poſterior ſecundùm ſuum *eſſe morale*. Ille naturaliter procedit ab homine abſque rationis advertentia, & libertate, ipſiſque Belluis poteſt eſſe communis. Iſte *procedit ab homine cum advertentia, & libertate rationis, & convenit homini quatenùs homo eſt*. De poſteriori tria ſunt inveſtiganda. 1. Quotuplex ſit actus humanus. 2. Quid, & quotuplex ſit voluntarium. 3. Quid ſit involuntarium, & quæ ſint ipſius cauſæ.

CAPUT I.

Quotuplex ſit Actus humanus.

ACtus humanus, alius eſt merè elicitus, qui à voluntate immediatè procedit abſque prævio voluntatis imperio, ut prima volitio: alius merè imperatus, qui mediatè, & ex voluntatis imperio ab aliis potentiis producitur, ut viſio ab oculo: alius elicitus ſimul, & imperatus, qui à voluntate immediatè quidem procedit, ſed ex prævio ipſiuſmet voluntatis imperio; ut actus contritionis, qui à priori pendet voluntatis actu, quo quis vult actum contritionis elicere. De his actibus tum elicitis, tum imperatis duplicem hic inſtituemus quæſtionem.

QUÆSTIO I.

De Actibus elicitis.

Not. 1. CUm voluntas in boni aſſecutione ad finem tendat, & ad media; actuum elicitorum nonnulli finem reſpiciunt, nonnulli media. Volitio, Intentio, & Fruitio circa finem verſantur: Electio autem, Conſenſus, & Uſus circa media.

Not. 2. Omnes actus iſti ordinem quemdam, & proceſſum habent inter ſe. 1. Voluntati propoſita objecti bonitate, ſtatim exurgit *Volitio*, ſeu amor ſimplex & complacentia; eſtque actus voluntatis reſpiciens finem, ut in ſe amabilem, abſtrahendo an ſit præſens vel abſens, poſſibilis aut impoſſibilis. 2. *Intentio* volitionem finis comitatur; & eſt actus voluntatis efficaciter & abſolutè tendentis in bonum per media conſentanea: Per quod differt tum à ſimplici complacentia & amore inefficaci, qui ſolum finem attingit ſine ordine ad media, tum à velleitate, quæ media non attingit niſi conditionatè; ut ſi quis diceret, volo caſtitatem ſervare, modò non mihi ſit nimis gravis 3. *Conſenſus* ſubſequitur, qui eſt actus, quo voluntas efficaciter acceptat, approbatque media propoſita ab intellectu ad finem aſſequendum. Unde conſenſum antecedit deliberatio, & *conſilium* mentis inquirentis ac ponderantis media; & eorum proportionem ad finem; ſed cùm ſit actus intellectus ab intentione efficaci imperatus, inter elicitos voluntatis non annumeratur. 4. *Electio* ſuccedit, quæ eſt actus efficax, quo voluntas ex pluribus jam approbatis mediis unum præ alio ad finis conſecutionem amplectitur; per quod à conſenſu differt, qui omnia reſpicit, & approbat media. 5. Advenit *Uſus*, qui eſt actus voluntatis ſeipſam moventis, vel alias potentias applicantis ad medii electi executionem, & ſumitur dupliciter activè, ſcilicet, & paſſivè. Activè ſumptus, eſt actus imperans potentiis ſubalternis, unde & dicitur *Imperium*. Paſſivè autem eſt imperata potentiarum applicatio, & dicitur actus imperatus. 6. Demùm omnium actuum elicitorum complementum exurgit *Fruitio*, quæ eſt actus voluntatis ſuaviter quieſcentis in boni amati poſſeſſione. Dicitur actus voluntatis, quia ibi non ſumitur quies pro omni operationis ceſſatione; cùm Fruitio ſapida ſit, atque delectabilis boni poſſeſſio, quæ vitalem voluntatis actum neceſſariò importat; ſed ideò quies nuncupatur, quòd fine jam adepto nihil ad ejus aſſecutionem reſtet ſuperagendum.

Not.

Digitized by Google

Not. 3. Tres ſunt actus eliciti voluntatis circa malum, quatenus bono concupito adverſatur. 1. *Odium* ſimplex, quod eſt actus, quo voluntas malum averſatur, abſtrahendo ab ejus præſentia vel abſentia, poſſibilitate vel impoſſibilitate: huic opponitur Volitio ſimplex. 2. *Timor*, qui eſt actus voluntatis malum abſens reſpicientis, quatenus per media impediendum, cui reſpondet Intentio. 3. *Triſtitia*, quæ eſt actus voluntatis malum præſens averſans, cui contraria eſt Fruitio. Super his omnibus innumeræ propemodùm moventur quæſtiones levis, aut potiùs nullius momenti, quarum unam, aut alteram breviter attingemus; nempè utrùm voluntas è duobus mediis minùs bonum ſeligere poſſit, & utrùm Fruitio ſit actus amoris; circa quæ.

Dico I. E duobus mediis unus minùs idoneum, relicto magis idoneo, modò tamen ad finem conducat, voluntas ſeligere poteſt.

Prob. Quod non eſt neceſſarium, non appetitur neceſſario, ſed liberè à voluntate de ſe libera: Atqui medium magis idoneum non eſt neceſſarium, cùm aliud minus idoneum ad finem deducere poſſit: Ergo. Deinde id patet experientia. Dum enim nobis proponuntur Pharmaca ad ſanitatem recuperandam, unum præ alio ſalubrius, ſed acerbius; quotidie minùs acerbum ſalubriori præponimus.

Obji. Non agit voluntas niſi ſecundùm rationis lumen; contrarium eſt autem lumini rationis minùs bonum præſtantiori præferre. Ergo.

℞. Diſt. Maj. Non agit voluntas niſi ſecundùm rationis lumen; ſi intelligatur quòd non operatur abſque rationis advertentia, aut motivo, C. Si ſenſus ſit, quòd ſemper operatur ſecundùm rectam rationem, N.

Inſt. Nullum eſt motivum voluntatem inducens ad eligendum medium minùs bonum præ alio; quia medium minùs bonum, meliori collatum, malum eſt. Voluntas autem non fertur ad malum qua malum.

℞. In dicta hypotheſi, medium minùs bonum non eligitur quatenus meliori collatum, ſed quatenus ſufficiens eſt ad finem obtinendum, qua quidem ratione bonum eſt, & à voluntate appetibile.

Dico II. Poſita finis intentione, electio non eſt in ſe formaliter libera, ſed dumtaxat in cauſa, erga unicum medium neceſſarium ad finem obtinendum.

Prob. Si poſita finis intentione, poſſet voluntas hoc medium neceſſarium non eligere, finem efficaciter vellet ſimul, & nollet. Vellet ex hypotheſi, cùm intentio finis ſit efficax: Nollet autem, quia ille finem efficaciter non vult, qui non vult medium, ſine quo finis obtineri nequit. Deinde voluntas impoſſibile efficaciter appetere nequit. Sed finis ad quem obtinendum non aſſumitur medium abſolutè neceſſarium, eſt impoſſibilis: Ergo voluntas finem appetere non poteſt, quin illud medium unicum appetat.

Obj. Voluntas ad exercitium neceſſitari non poteſt, niſi à bono increato: Ergo libera eſt in electione, quæ non eſt niſi de bono creato.

℞. Diſt. ant. Non poteſt neceſſitari in ſenſu diviſo intentionis efficacis, C. In ſenſu compoſito ejuſdem; id eſt, poſita efficaci intentione, N. Siquidem tunc nec à fine, nec à medio neceſſitatur, ſed ab intentione, quæ efficax eſſe nequit, ut ſupponitur, abſque efficaci volitione medii abſolutè neceſſarii.

Inſt. Ergo electio non foret meritoria, vel demeritoria, utpotè non libera.

℞. Ad meritum, vel demeritum actus eliciti ſufficit, ut cauſa ejus ſit libera, intentio, ſcilicet, quæ eſt in poteſtate voluntatis ipſum finem liberè volentis.

Dico III. Fruitio, propriè dicta, eſt actus amoris, & quidem concupiſcentiæ.

Prob. 1. pars: Ex D. Aug. l. 1. de Doct. Chr. c. 1. *Frui*, inquit, *eſt amore inhærere alicui rei propter ſe ipſam*

Prob. Evidenti ratione. Nam Fruitio vel eſt amor, vel, ut docent nonnulli, gaudium, & delectatio ex amore fluens: Atqui non eſt delectatio, ergo eſt amor. Minor patet; quia Fruitio, ſecundùm omnes Theologos, eſt actus voluntatis; ſed delectatio non eſt actio, ſed paſſio; Ergo Fruitio non eſt præciſè delectatio ex amore fluens, ſed ipſemet amor.

Conf. Contrariorum eadem eſt ratio: Ergo pari modo de *Frutitione* ac de *Triſtitia* ratiocinandum eſt. Igitur, quemadmodùm *Triſtitia*, quatenus eſt actus voluntatis, eſt eſſentialiter odium objecti præſentis: ita *Fruitio*, quatenus eſt actus voluntatis, eſt amor ejuſdem objecti. Non abſimili ratione, ſicut Triſtitia, pro dolore animi ſumpta, paſſio eſt non actio; ſimiliter Fruitio, ſumpta pro delectatione, item paſſio eſt non actio, nec proinde formalis, nec propriè dicta Fruitio.

Obj. Nonnullos SS. Patrum Textus, ubi Fruitio pro ſuavi delectatione ſumitur, juxta communem loquendi modum, quo dicimus nos frui, v. g. amici conſortio, quatenus delectationem ab ipſo ſuſcipimus.

℞. Ideo

Digitized by Google

Rx. Ideò Fruitionem pro delectatione ſumi, non quòd delectatio ſit formalis Fruitio; ſed quòd ipſam neceſſariò aut comitetur, aut ſubſequatur, aut ab ipſa ſit inſeparabilis, ſitque quaſi ipſius complementum.

Prob. 2. pars. Amor concupiſcentiæ is eſt, quo bonum amamus, non quatenus eſt bonum in ſe, ſic enim eſt amor amicitiæ, ſed quatenus eſt nobis bonum: ſed per Fruitionem bonum amamus, quatenus eſt nobis bonum: Ergo. Prob. Min. Fruimur objecto, ut ab ipſo cum delectatione fructum capiamus, ſed fructum capere dicit ordinem ad bonum fruentis; Ergo Fruitio denotat amorem concupiſcentiæ.

Conf. Spei viæ reſpondet Fruitio patriæ; ſed amor ſpei eſt amor concupiſcentiæ, quia tendit ad objectum quatenus ſibi bonum. Ergo Fruitio, quæ ſpei reſpondet, debet eſſe amor concupiſcentiæ.

Obj. Beati ſummè gaudent atque delectantur de bonis Dei, quatenus Dei ſunt, ſine ullo ad ſuum commodum reſpectu; prout homo de bonis amici delectatur: Ergo Fruitionis delectatio in amore amicitiæ fundatur.

Rx. Neg. conſeq. Quia delectatio, quæ ex bonorum amici cognitione ortum ducit, non eſt Fruitionis propriæ dictæ, quæ amor eſt concupiſcentiæ, non amicitiæ. Uterque autem amor ſuam ſibi propriam habet delectationem. Aliud eſt enim de bonis amici gaudere, aliud de ejus præſentia, aut poſſeſſione delectari.

Inſt. Inde ſequeretur, totam Beatorum delectationem ex Dei fruitione non oriri, quod eſt falſum.

Rx. Diſt. ſeq. Tota Beatorum delectatio à Dei fruitione ortum habet, quatenus non ſumme delectarentur, niſi illo fruerentur, & ipſum poſſiderent, C. quatenus nullam aliam delectationem habere poſſint, niſi quia ipſum poſſident, N.

QUÆSTIO II.

De Actibus imperatis.

Not. IMperium, quo voluntas ipſa cæteræque potentiæ ad finis aſſecutionem moventur, duplicis eſt generis. Aliud eſt deſpoticum, politicum alterum. Deſpoticum imperium illud eſt, quod omnem adimit obſiſtendi facultatem; adeò ut ſubditus ſine mora, & ſine reluctantia obtemperare teneatur. Politicum, verò illud eſt, quod non ſic ligat ſubditum, quin reclamare aut obſiſtere poſſit; ita ut non ſtatim mandatum exequatur. Nonnulli aliud recenſet imperium Monaſticum, ſcilicet, ſic dictum, quod imperans à ſubdito non ſecernitur: dum v. g. voluntas ipſa ſibimet aliquid imperat. Circa imperium duplex movetur quæſt. 1. Cujus ſit facultatis, an voluntatis, an intellectus. 2. Quale imperium voluntas in ſeipſam, & alias ſibi ſubditas potentias exerceat; de quibus.

DICO I. Imperium eſt propriè actus voluntatis ita tamen ut præſupponat, & includat rationis dictamen, intimans, ac proponens, quod agendum vel non agendum ſit.

Prob. 1 Ex. D. Aug. l. 8. Conf. c. 9. *Imperat*, inquit, *animus, ut velit animus: & quare illud non ex toto vult, non ergo ex toto imperat; nam in tantum imperat in quantum vult.*

Prob. 2. Auctoritate, & rationibus D. Bonav. in 2. diſt. 25. p. 1. q. 2. & in 3. diſt. 17. q. 1. Primò imperare eſt ſuperioris, cujus nutu cæteri moventur, & ipſe non movetur nutu aliorum: ſed talis eſt voluntas, Ergo. 2. Imperium penes eſt eum, qui ab aliis cogi nequit; ſed intellectus, non autem voluntas, cogi poteſt: Ergo. 3. Quotide experimur id ſemper & ineluctabiliter fieri quod voluntas, præoptat, non quod intellectus dictat; ergo voluntas, non intellectus, imperat.

Conf. Ex eodem S. D. Si imperium eſt actus intellectus, vel eſt ſimplex apprehenſio, vel judicium, vel diſcurſus. Non eſt ſimplex apprehenſio, ut patet: nec etiam judicium aut diſcurſus; quia judicium aut diſcurſus ſic exprimitur: *hoc vel illud faciendum*. Imperium autem ſic: *fac hoc*, quod ſanè ad voluntatem, non ad intellectum, ſpectat.

Obj. 1. Multiplices D. Thom. textus, ubi docet imperium eſſe actum intellectus, aut rationis intimantis, & voluntati proponentis quid ſit agendum.

Rx. D. Thom. exponi poſſe hac diſtinctione. Imperium eſt actus intellectus præſuppoſitive, C. quia voluntas imperari nequit, abſque prævio rationis judicio. Formaliter aut efficienter, N. Quia ſola voluntas efficit, ut cæteræ potentiæ in actus ſuos prorumpant. Unde ipſemet S. D. 1. 2. q. 9. art. 1. & q. 17. a. 6. expreſſe dicit, *Voluntatem movere alias potentias animæ ad actus ſuos, & omnes actus voluntarios imperare.*

Obj. 2. Illius eſt imperare, cujus eſt leges condere, eaſque ſubditis intimare, ſed id ad ſolum intellectum ſpectat; Ergo.

Rx. D. Maj. Illius eſt imperare præſuppoſitivè, cujus eſt leges condere eaſque intimare, C. Illius eſt imperare formaliter, & effi-

efficienter, N. Legiſperitus enim, inquit D. Bonav. Leges quidem concedere poteſt, & Tibicen eaſdem intimare, qui tamen actum formalem imperii elicere nequeunt.

Obj. 3. Appetitus rationi obtemperat; Ergo.

℞. Cum D. Bonav. appetitum rationi parere, id eſt, intellectui, tanquam ſuadenti quid ſit agendum, & voluntati imperanti ut agatur. Nec enim appetitus obtemperaret, ſi voluntas non imperaret.

Dico. Voluntas in ſeipſam, in intellectum & potentiam loco motivam imperium exercet diſpoticum; politicum verò in appetitum ſenſitivum; & nullum, niſi mediatum, in ſenſus externos, & potentias vegetativas.

Prob. 1. pars. Quia voluntas, utpote libera, ſuorum actuum eſt domina, & in ipſis repugnat terminis, quòd nolit id quod vult efficaciter. Quoad intellectum, & potentiam loco motivam, ſatis experientia conſtat, omninò nobis eſſe liberum ea de re cogitare, vel ab hac cogitatione deſiſtere, & membra, prout libuerit, movere, vel non movere.

Dices: Voluntas ſe ipſam cogere non valet, ut malum amet: nec intellectus, ut evidenter falſo præbeat aſſenſum; Ergo.

℞. Ideò voluntas ſeipſam, ut malum amet, cogere nequit, &c. quia malum voluntatis non eſt objectum, nec falſum objectum intellectus; pro ut ſonus non eſt viſionis objectum, nec color auditus.

Prob. 2. Pars. Quia licèt ex Scriptura *ſub nobis ſit noſter appetitus, illiuſque dominemur*; quotidiè tamen inter carnem & ſpiritum luctam experimur.

Prob. 3. Pars. Quia nec viſio aut auditio, nec generatio aut nutritio ad nutum fiunt voluntatis, dum objecta debitè proponuntur, & organa ritè ſunt diſpoſita: eas tamen præpedire valet, materiam vel objectum eis ſubtrahendo, ut patet.

CAPUT II.

Quid, & quotuplex ſit voluntarium.

VOluntarium rectè definitur: *Actus, qui procedit à principio intrinſeco, ex prævia cognitione ſingulorum, in quibus eſt actio.* Quæ definitio convenit *omni* voluntario, tum neceſſario, ut amor Dei in Beatis, tum libero, ut idem amor in Viatoribus. Siquidem uterque procedit à principio intrinſeco, ſcilicet voluntate, ex prævia cognitione. Convenit etiam hæc definitio *ſoli* voluntario. Dicitur enim 1. *A principio intrinſeco*, ut excludantur tum violentum, quod à principio extrinſeco prodit, tum ſimplex volitum circa quod verſatur quidem voluntas, ſed ab ipſa propriè non fluit. Verba obſcœna, v. g. ab alio prolata, ſine quidem influxu meo, ſed in quibus mihi complaceo, mihi tantùm ſunt volita, ſed non propriè voluntaria.

Dicitur 2. *Ex prævia cognitione*, per quod excluduntur omnes motus naturales, nutritionis, generationis, &c. qui à principio quidem intrinſeco promanant, ſed abſque ulla cognitione, & advertentia.

Dicitur 3. *Singulorum in quibus eſt actio*; id eſt, circumſtantiarum ad ſubſtantiam actus ſpectantium, quarum ſi vel una agentem lateat; actus, quo ad illam, non erit voluntarius. Si quis v. g. ad conjugatam accedat, quam bona fide eredit liberam, fornicatione, non autem adulterio, reus cenſetur. Plurimæ ſunt voluntarii diviſiones, quas ſequentibus exponemus quæſtionibus.

QUÆSTIO I.

Quid ſit voluntarium liberum, & neceſſarium.

VOluntarium *neceſſarium* eſt, quod procedit à voluntate ad partem alteram oppoſitorum determinata; prout eſt amor beatificus. Voluntarium *liberum* ſeu contingens eſt, quod à voluntate procedit, ſine determinatione, & cum indifferentia ad oppoſita, prout ſunt volitiones, & actiones noſtræ deliberatæ.

Ex quo ſequitur liberum omne eſſe quidem voluntarium, cùm à principio prodeat intrinſeco, ex cognitione; ſed omne voluntarium non ſemper eſſe vere liberum, cùm perſæpe ad unum ineluctabiliter ſit determinatum. Ubi tamen obſervandum eſt, voluntarium ſubinde ſumi à Scriptura, & SS. Patribus pro libero, veluti ſumitur genus pro ſua principali ſpecie, quæ per Antonomaſiam dicitur ſimplex voluntarium. De libero multa quæruntur non levis momenti, quæ in diſtinctos convenit partiri Articulos, ne confuſionem pariant.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex ſit libertas.

Not. 1. TRiplex dicitur libertas in generali ſua acceptione, juxta D. Bernardum, l. de grat. & lib. arb. c. 3. liber-

Digitized by Google

libertas, ſcilicet, *gratiæ*, *gloriæ*, *& naturæ*. Prima à peccato, & concupiſcentiis carnalibus nos liberat. 2. Miſeriam omnem à nobis eliminat, ſoliſque in Cœlo Beatis congruit. 3. Statui noſtro præſenti convenit.

Not. 2. Libertas *naturæ* ſpecialius dividitur in libertatem à *coactione*, & libertatem à *neceſſitate*. Libertas à coactione, ſeu *ſpontaneitatis*, ea eſt per quam non coactè ſed ſponte, neceſſario tamen, in actum prorumpimus; ſic in Divinis Pater, & Filius Spiritum Sanctum producunt. Libertas à neceſſitate ſeu *indifferentiæ* ea eſt, per quam non tantùm ſponte agimus, ſed ita libere ut hos vel illos actus elicere, vel ab ipſis abſtinere valeamus. Unde libertas indifferentiæ ſubdividitur in libertatem *contrarietatis*, ſeu ſpecificationis, qua poteſt homo duos actus contrarios; v. g. bonum amare aut malum odiſſe, pro libitu ſeligere; & in libertatem *contradictionis* ſeu exercitii, qua poteſt talem actum elicere, vel ab eodem ſe retrahere. Poteſt enim homo actum odii erga inimicum producere, & eumdem actum ſuſpendere.

Not. 3. Libertas indifferentiæ liberum arbitrium à nonnullis dicitur in eo ſenſu, quòd libertas ad intellectum ſimul & voluntatem ſpectet. Ad intellectum, ſcilicet, qui judicat, & *arbitratur* quid agerdum ſit vel omittendum: & ad voluntatem, quæ liberè quod intellectus dictat, exequitur. Ab aliis autem liberum arbitrium dicitur in eo ſenſu, quod homo agens liberè ſuorum actuum *Arbiter* ſit, & Dominus. Siquidem in noſtro eſſe arbitrio dicitur, quod in noſtra eſt poſitum electione & poteſtate. His notatis.

Dico Liberum arbitrium non eſt actus, neque habitus, ſed potentia, & quidem verè activa.

Prob. 1. Pars. Actus non ſemper ineſt, & quandoque ceſſat, ſaltem durante ſomno; ſed lib. arb. ſemper ineſt, nec ceſſat in dormientibus: Ergo. Præterea lib. arb. eſt principium omnium actuum liberorum: Ergo ipſemet non eſt actus.

Prob. 2. Pars. Habitus dicit inclinationem ad unum, eſtque vel bonus vel malus; ſed lib. arb. ad unum præ alio non inclinat hominem, cùm omninò ſit indifferens ad bonum vel malum; Ergo. Huc accedit, quòd habitus poſſit amitti; liber. autem arb. amitti non poteſt, cùm à natura ſit inditum: Ergo non eſt habitus. Quod ſi igitur non ſit, neque actus, reſtat ut ſit potentia.

Prob. 3. Pars. Ex Scriptura, & SS. Patribus, qui verbis actionem neceſſariò denotantibus libertatis naturam exponunt; Eccleſ. 33. *Beatus vir qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit*. Matth. 12. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum*. Pſalm. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas*: & cætera ejuſmodi, unde exclamat Aug. adverſ. Manichæos: *Videte quemadmodùm Deus non abſtulerit lib. arbitrium*.

Confir. 1. ex Trident. ſſ 6. Can. 4. *Si quis dixerit lib. arb. à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo vocanti, & excitanti, Anathema ſit*. Non autem cooperaretur lib. arb. ſi paſſivè tantùm ſe haberet erga divinam motionem.

Confir. 2. ratione. Quia ſi lib. arb. eſſet potentia paſſiva, ſequeretur actus noſtros non eſſe in arbitrio noſtro poſitos, quod ipſiſmet terminis repugnat. Siquidem non eſt in poteſtate patientis, quòd in ipſo fiat aliquid, ſed in poteſtate eſt agentis, ut ipſe faciat aliquid. Ut patet in materia prima, quæ de ſe licèt indifferens, non tamen eſt libera, utpote quæ determinatur à forma. Unde non magis eſſemus liberi quàm ipſamet materia prima, aut lapides ipſi qui ad hanc vel illam formam recipiendam ſunt indifferentes: Sicque lib. arb. *res eſſet ſolius tituli, & titulus ſine re*, quam nefandam impietatem jure ac merito Tridentinum mox citatum, Can. 5. Anathemate percutit.

Ex his collige lib. arb. rectè definiri: *Potentiam activam, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt ex ſe agere vel non agere, vel hoc agere aut ipſius oppoſitum*.

Dicitur 1. *Potentia activa*, ut mox probatum, & explicatum eſt. Dicitur 2. *Poſitis omnibus*, &c. ſi enim unum e prærequiſitis deſit, profectò in actum ſuum potentia prorumpere nequit. Prærequiſita autem ſunt; quod objectum potentiæ ſit applicatum; quod paratus ſit Dei concurſus; quod denique nullum ei obſiſtat repagulum. Dicitur 3. *Poteſt ex ſe agere*; id eſt non ab alio determinante, ſed ex ſua propria determinatione, cùm lib. arb. ſit potentia actuum ſuorum arbitra & domina. Dicitur 4. *Agere vel non agere, vel hoc agere, aut ipſius oppoſitum*. Et ſic definitio utramque complectitur libertatem, contrarietatis, & contradictionis. Ubi obiter obſervare neceſſe eſt, quòd minime ſit de intrinſeca liberi arb. ratione, ut ſemper poſſit contrarium agere: ut patet in Deo, qui licet omninò liber, malum velle, aut facere nequit. Libertatis igitur eſſentia in libertate contradictionis

opti-

Digitized by Google

optimè ſervatur; ideoque libertas ſub disjunctione, *vel*, fuit expoſita.

ARTICULUS II.

Quid ſit libertatis ſubjectum.

Not. 1. CUm lib. arb. ad intellectum ſimul & ad voluntatem ſpectet: ad intellectum, nimirùm, qui judicat quid ſit agendum; ad voluntatem autem, quæ propoſita ab intellectu peragit. Hinc triplex inter Theologos agitatur quæſtio. 1. Quæ potentia, an intellectus, an voluntas, ſit formaliter libera. 2. Utrùm intellectus ſit ſaltem radicaliter liber. 3. Utrùm voluntas ab intellectus judicio determinetur: ad quorum intelligentiam.

Not. 2. Triplex eſt intellectus judicium. 1. Speculativum, quod in ſimplici cognitione bonitatis, aut malitiæ objecti conſiſtit. 2. Practicum, quod dictat in genere virtutem eſſe amandam, aut vitium fugiendum. 3. Practice practicum, quod dictat quid hìc, & nunc, ſpectatis omnibus circumſtantiis, agendum ſit, vel fugiendum.

Not. 3. Duplici modo dici poſſe libertatem radicaliter in intellectu; vel quatenus voluntas libertatem ſuam non exequitur, niſi objectum ab intellectu ei exhibeatur ſub variis boni affectionibus, quæ ipſi optionem relinquant: adeò ut talis repræſentatio ſit veluti objecti applicatio ad potentiam, & conditio ſine qua voluntas non ageret; vel quatenus iſta repræſentatio eſt vera cauſa efficiens formalis indifferentiæ, quæ in actuali volitione libera reperitur. His notatis.

Dico I. Sola voluntas eſt formaliter libera, non intellectus.

Prob. Intellectus nec liber eſt à coactione, nec à neceſſitate, tum contradictionis, tum contrarietatis: Ergo nullatenus eſt liber. Primum eſt evidens; quia voluntas in intellectum imperium exercet deſpoticum, ipſumque cogere valet ad hoc, vel illud intelligendum, vel ab hac cogitatione deſiſtendum. Secundum patet: quia dum intellectui proponuntur neceſſaria argumenta, ineluctabiliter aſſentitur, dum probabiliora, neceſſariò opinatur cum quadam formidine, dum contraria æque probabilia, neceſſariò dubitat. Tertium etiam conſtat; quia poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, maximè objecti debita repræſentatione, non poteſt non intelligere: Ergo ſola voluntas, non intellectus, eſt formaliter liber.

Confir. Ex abſurdis. Si intellectus eſſet formaliter liber, ſemel & iterum peccaret homo circa unum, & idem numero objectum. Peccaret enim per intellectum, dum judicaret hoc faciendum eſſe, quod non eſt faciendum. Peccaret per voluntatem, dum illud perageret. Imò peccaret homo ſine conſenſu; vel ante voluntatis conſenſum, quod eſt hæreticum. Unde ſic argumentari licet. Libertas formaliter ſtatuenda eſt in ea potentia, quæ peccati cauſa eſt proxima; ſed ſola voluntas talis eſt: unde D. Aug. dicit l. de ver. Rel. c. 14. *Negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi:* Ergo in ſola voluntate libertas eſt formaliter ſtatuenda.

Obj. Secundùm omnes Theologos lib. arb. rationis & voluntatis eſt facultas; Ergo ratio, ſeu intellectus perinde liber eſt ac voluntas. Præterea voluntas aliud eligere non valet, niſi quod eligendum judicat intellectus; Ergo ſi intellectus non eſt liber in judicando, voluntas non erit libera in eligendo.

℞. Liberum arb. dicitur facultas rationis ſimul & voluntatis, quatenus voluntas in libertatis exercitio à ratione ſeu intellectu pendet, C. quatenus ipſemet intellectus eſt formaliter liber, N. Diſtinguo pariter alterum Ant. Voluntas non poteſt eligere quàm quòd intellectus eligendum judicat; ſi ſenſus ſit voluntatem determinari ad illud præcisè eligendum quod intellectus eligendum judicat. N. Si ſenſus ſit voluntatem quidquam eligere non poſſe, niſi ſibi exibeatur ab intellectu ſub ratione boni, C. Unde.

Dico II. Intellectus indifferens ſeu indifferentia judicii non eſt radix, ſeu vera cauſa libertatis.

Prob. 1. Si intellectus eſſet vera cauſa libertatis, vel eſſet ejus cauſa quoad actum primum, vel quoad actum ſecundum; neutrum dici poteſt; Ergo. Non prius, quia voluntatis libertas quoad actum primum nihil eſt aliud, quàm ipſamet voluntas libera, ad quam producendam nullatenus intellectus influit, ut per ſe patet. Nec poſterius, quia libertas quoad actum ſecundum nihil eſt aliud, quàm ipſamet volitio à principio intrinſeco, non ab alieno; id eſt, ab ipſamet voluntate profluens, abſque ullo activo intellectus influxu.

Prob. 2. Stare poteſt indifferentia voluntatis, ſaltem quoad exercitium, abſque judicii indifferentia; Ergo illa ab iſta non pendet. Certum eſt enim voluntatem liberè quoad exercitium Beatitudinem in communi expetere, quatenus actum ſuum ſu-

ſpendere valet ſi velit, licèt circa ipſam intellectus nunquàm remaneat indifferens.

Prob. 3. Si judicii indifferentia, radix eſſet & vera cauſa efficiens libertatis, ſequeretur hominem ideò præcisè eſſe liberum, quia judicium ejus eſt indifferens, & ſtante hac indifferentia non poſſe non eſſe liberum; ſicque veram, atque intrinſecam libertatis rationem in indifferentia judicii ſitam eſſe; quod utique error eſt Lutheranorum, & Calviniſtarum, qui a Tridentino, tanquàm libertatis impii everſores, damnati fuere; licèt ultrò concederent omnes, hominem ex indifferentia judicii ſemper operari.

Confir. Ex ſacris Litteris & SS. Patribus, qui in ſtatuenda hominis libertate ad hanc judicii indifferentiam nunquàm confugerunt. Sed ideò duntaxat hominem eſſe liberum prædicaverunt, quòd nempè plenum in actus ſuos haberet dominium, illudque vel iſtud pro libitu agere, vel non agere poſſet; ut videre eſt in jam adductis, & infrà adducendis textibus.

Obji. 1 Auctoritatem D. Thom. pluribi docentis, ideò libertatem arbitrii circa aliqua reperiri, quòd circa illa judicium ſit indifferens; id eſt, quòd in illis quamdam boni & mali ſpeciem intellectus apprehendat. Sicut patet in Beatis, qui ad amandum Deum vel non amandum, ideò non ſunt liberi, quia nullam in ipſo mali ſpeciem apprehendunt, ratione cujus poſſit non amari; dum ex adverſo viatores homines circa amorem Dei omninò ſunt indifferentes; quia nimirùm intellectus eorum quamdam mali ſpeciem in illo amore excogitant, quatenus amor ille carnalibus, quibus dediti ſunt paſſionibus, obſtat.

R. Verum eſt profectò juxta D. Thomam, ideò libertatem arbitrii circa quædam reperiri, quia circa illa judicium intellectus eſt indifferens; non tamen quòd judicii indifferentia cauſa ſit efficiens volitionis liberæ: ſed quòd ipſa ſit conditio ſine qua voluntas ad plura non eſſet potens. Nam cùm nihil ſit volitum quin præcognitum: ita nihil indifferenter volitum, quin ab intellectu ſub diverſa ratione boni & mali exhibitum: Atqui ſicut objectum præcognitum non eſt cauſa efficiens, ſed objectiva duntaxat, ſimplicis volitionis; ita objectum diverſimodè exhibitum non eſt cauſa efficiens volitionis liberæ, ſed tantùm objectiva, & conditio ſine qua ipſa non eſſet.

Quod ſpectat ad Beatos dicendum eſt, non ideò præcisè ad amandum Deum determinari, quia nullam mali ſpeciem in illo apprehendunt: ſiquidem homo viator; licèt nullam mali ſpeciem in Beatitudine genericè ſumpta apprehendat, attamen circa illam liber eſt libertate contradictionis & exercitii. Sed in hoc præcisè Beati ad amandum Deum determinantur, quia tam clarè, tam nitidè ſummum bonum ipſis exhibetur, ut voluntatem eorum indeclinabiliter alliciat, & ipſam ad amorem neceſſitet.

Obji. 2. Illud eſt radix, & vera cauſa libertatis, ſine quo nec eſſe, nec concipi poteſt libertas: ſed ſine intellectus judicio nec eſſe, nec concipi poteſt libertas: Ergo. Prob. Min. quia ſine electione non concipitur libertas, nec electio ſine mediorum collatione, nec tandem mediorum inter ſe collatio abſque intellectus judicio.

R. Nego Maj. quia licèt nec eſſe, nec concipi poſſit viſio ſine objecto viſo, objectum tamen non eſt cauſa efficiens, ſed duntaxat cauſa objectiva, viſionis. Deinde diſt. Min. Sine intellectus judicio, & quidem indifferenti, nec eſſe, nec concipi poteſt libertas, tanquàm libertati neceſſariò præſuppoſitum, C. tanquam cauſa ipſius efficiens, N.

Dico III. Voluntas nullatenus à judicio intellectus practicè Practico, ſed à ſeipſa determinatur.

Prob. 1. Ex unanimi SS. Patrum conſenſu: D. Auguſtini Lib. Retr. c. 22. *Nihil eſt*, inquit, *tam in poteſtate noſtra, quàm voluntas*, D. Thomæ 1. 2. q. 9. a. 3. *Voluntas*, inquit, *eſt domina ſui actus, & ipſa eſt velle: quod non eſſet, ſi non haberet in poteſtate movere ſeipſam*. D. Bonav. in 2. diſt. 25. p. 1. ars. 1. q. 2. ubi apertè docet voluntatem movere ſeipſam, qued probat ex D. Anſelmo, l. de Conc. præſc. & lib. dicente, voluntatem eſſe *inſtrumentum ſeipſum movens*.

Prob. 2. Voluntas ideo eſt libera, quia poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere vel non agere; ſed unum ex prærequiſitis ad agendum ipſum eſt judicium practicè practicum; Ergo voluntas vel non eſt libera, vel poſito illo judicio poteſt agere, vel non agere, quod judicatur agendum.

Prob. 3. Intellectus voluntatem non movat niſi proponendo objectum: Ergo voluntatem determinare non poteſt, niſi eo modo, quo poteſt objectum. Atqui nullum eſt objectum, quòd vi ſua ita voluntatem determinare valeat, ut illo exhibito neceſſariò agat: Ergo nullus eſt actus intellectus, qui voluntatem ita determinet, ut illa oppoſitum velle non poſſit, aut ſuam actionem ſuſpendere.

Prob.

Prob. 4. Vel judicium iſtud practicè practicum eſt neceſſarium, vel liberum. Si neceſſarium, ergo & actus ipſemet, ad quem voluntatem determinat, eſt etiam neceſſarius; ſicque nulla unquàm dabitur volitio libera. Si liberum eſt, quia nimirùm voluntas intellectum ab eo divertere poteſt, ut aliud judicium magis conſentaneum quærat; ergo poſito tali judicio voluntas poterit etiam non agere, vel oppoſitum facere; quod intendimus.

Confir. Judicium practicè practicum, quo intellectus concludit caſtitatem v. g. hic & nunc eſſe ſervandam, aut non ſervandam, vel actum voluntatis prævenit, vel eum ſubſequitur. Si prævenit, non erit in poteſtate voluntatis illud tollere: & ſic actio, quæ vi illius elicietur, non erit libera; ut patet in Beatis, qui vi luminis gloriæ, quod voluntatem eorum antecedit, neceſsario Deum amant. Quòd ſi tale judicium voluntatem ſubſequitur, profectò ipſam non determinat, cùm actus ſubſequens actum antecedentem deteminare minimè poſſit.

Obijc. 1. Voluntas nunquàm agit contra ultimum intellectus judicium practice-practicum: Ergo illud neceſsario ſequitur, & ab ipſo determinatur.

℟. Diſt. Ant. Si judicium ultimum præcedat electionem voluntatis, nego quòd nunquam agat, aut agere poſſit contra illam; quia poſito quocumque antecedente judicio determinato, voluntas ſemper manet libera in eligendo. Si judicium ultimum electionem voluntatis ſubſequatur, conc. Proponuntur, v. g. intellectui, duo bona, unum altero majus vel minus: Intellectus judicat majus eſse eligendum, voluntas tamen minus eligit, ſimul intellectui imperat, ut judicet ſic eſse faciendum, ſi non ob unam rationem, ſaltem ob alteram. Quo in caſu voluntas non agit contra ultimum intellectus judicium; at non ſequitur ipſum, ſed potiùs præcedit, & ſic ab ipſo non determinatur.

Objic. 2. Potentia de ſe indeterminata ab alio determinari debet: atqui voluntas de ſe eſt indeterminata; ergo determinari debet, nimirùm à judicio intellectus determinato.

℟. Potentia de ſe indeterminata ab alia determinari debet, ſi ſeipſam determinandi virtute non polleat, C. ſecùs, N. Voluntas quidem in actu primo eſt indeterminata ad alterutrum; ſed cùm ſit libera, virtute pollet ſe determinandi, cùm in actum ſecundum exerit.

Objic. 3 Si voluntas poſset quidpiam eligere contra judicium intellectus, peccatum eſset in voluntate ſine errore in intellectu; quòd eſt contra illud, Prov. 14. *Errant qui operantur malum*, & contra illud effatum Philoſophicum. *Omnis pravus eſt ignorans*; Ergo.

℟. Peccatores errant duplici ex capite: Ex parte voluntatis, quæ deflectit a rectitudine; & ex parte intellectus, qui à voluntate in errorem inducitur dum ab ipſa jubetur, ut judicet hoc faciendum eſse quod non eſt faciendum.

ARTICULUS III.

Qualis indifferentia ad libertatis eſſentiam requiratur.

Not. Libertatem aliam dici eſſentialem; accidentalem alteram. Prima eſt libertas à coactione, quæ ideò eſſentialis dicitur, quia eſt inſeparabilis ab homine, cujus voluntas à nemine cogi poteſt. Secunda eſt libertas à neceſſitate, accidentalis ideò dicta, quòd in homine eſſe & abeſſe poſſit. Janſenius cum ſuis Aſſeclis docet libertatem eſſentialem ad veram libertatem ſufficere, contenditque omne liberum eſſe quod à rationis advertentia & directione profluit; ut adſtruat gratiam efficacem, & concupiſcentiam, licèt voluntatem ad unum determinent, nec libertatem, nec ſufficientiam, ad meritum vel demeritum haudquaquam auferre.

Quod ſpectat ad libertatem accidentalem, nonnulli ejuſdem farinæ Theologi concedunt quidem liberatem eſſentialem, quæ omnem tollit indifferentiam, non eſſe veram ac propriè dictam libertatem; ſed ſubdolè docent indifferentiam, ſeù poteſtatem ad peccandum, vel non peccandum, ad rationem libertatis minimè ſpectare, & libertatem propriè nec eſſe, nec reperiri in actu hominis voluntario, quo ſe divertit à recto ordine finis ultimi, ad quem conceſſa eſt libertas. Ex quo facillimè concludi poſſet hominem viatorem ſub gratiæ efficacis motione verè liberum eſſe, licèt eidem motioni obſiſtere aut peccare minimè poſſit, quo circa.

ADNOTATIO 2.

(*)

Notandum ſemel pro ſemper, quod Author plus æquo abhorreat a Gratia de ſe, ut ajunt, efficaci. Scribens enim in locis, ubi exorta fuit Hereſis Janſeniana, pro evitando uno errore ferè alteri appropinquavit. Sub motione cujuſcumque concupiſ-

cupiſcentiæ homo verè, & ſemper eſt liber; & liber pariter vere, & ſemper eſt ſub motione cujuſcumque Gratiæ efficacis, tum Auguſtiniano, tum Thomiſtico *ſenſu intellectæ. Paritas enim inter concupiſcentiam, & Gratiam æquali pede currere poteſt. Author igitur* trepidavit timore, ubi non erat timor.

(*)

Dico I. Libertas à coactione, eſſentialis dicta, non eſt vera libertas.

Prob. 1. Auctoritate Sum. Pontificum Pii V. Greg. XIII. & Urb. VIII. qui has Bajanas propoſitiones damnarunt. *Quod voluntariè fit, etſi neceſſitate fiat, liberè tamen fit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Prob. 2. Ibi non eſt libertas, ubi non reperitur electio; ſed non reperitur electio, ubi eſt ad unum neceſſitas; Ergo. Maj. conſtat ex communi idea libertatis, quæ naturaliter electionem exprimit; & ex D. Thom. Libertatem definiente 1. part. q. 61. art. 8. *Vim electivam mediorum.* Min. conſtat ex eodem 1. 2. q. 13. a. 2. *Cùm electio*, inquit, *ſit præacceptio unius reſpectu alterius; neceſſe eſt quòd electio ſit reſpectu plurium, quæ eligi poſſunt; & ideò in his, quæ ſunt determinata ad unum, electio locum non habet.*

Prob. 3. De eſsentia libertatis eſt, quòd voluntas ſit ſuorum actuum domina, juxta illud Apoſt. 1. Cor. 7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis*: ſed per libertatem, eſsentialem dictam, voluntas non eſt domina ſuorum actuum, cùm ad unum ſit determinata: Ergo. Unde D. Thom. l. 1. cont. Gent. c. 68. ait.: *Dominium quod habet voluntas in ſuos actus, per quod in ejus poteſtate eſt velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam cauſæ exteriùs agentis.* Et q. 24. de Ver. *Liberum neceſſitati opponitur; ſed reſpectu quorumdam voluntas hominis neceſſitatem habet: de neceſſitate enim vult Beatitudinem; Ergo non habet reſpectu omnium libertatem, & ita non eſt liberum arb. quoad omnia.*

Obj. D. Aug. qui docet 1. L. 3. de lib. arb. c. 3. *Illud nos habere in poteſtate noſtræ, quod cùm volumus, facimus*: actus autem ſpontaneos, licèt neceſsarios, cùm volumus, facimus. 2. L. de Nat. & Grat. cap. 46. *ait ad voluntatem*, ſcilicet liberam, *pertinere quòd Beati eſſe volumus, licèt omninò nolle non poſſimus.* 3. L. de duab. an. c. 10. *Libertatem eſſe motum animi cogente nullo.* 4. L. 5. de Civ. c. 10. *Neceſſe eſſe ut quod volumus, libero velimus arbitrio.* Antequàm reſpondeam.

Obſerv. S. Doctorem in his & ſimilibus textibus ſermonem facere de libertate à coactione, quæ quaſi quædam eſt inchoata & inadæquata libertas. Cùm enim decertaret adversùs Manichæos, contendentes duplicem eſse in homine ſubſtantiam, bonam unam, malam alteram, quæ voluntatem ad malum nedum neceſſitaret, ſed & cogeret, etiamſi nollet; ideò perſæpè inculcabat, quidquid volumus, quovis modo velimus, ad libertatem, id eſt ad immunitatem à coactione ſpectare, & voluntatem eſse liberam; id eſt ſpontaneam, eo ipſo quo voluntas eſt. Non quidem quòd docuerit ſolam ſpontaneitatem ad veram & adæquatam libertatem ſufficere; ſed quòd aſſeruerit hanc ſpontaneitatem ad ipſam requiri, quod planè ſufficiebat, ut eorum errores everteret. Unde in forma.

R. 1. Illud habemus in poteſtate noſtra, quòd cùm volumus, facimus. Diſt. Si illud velimus neceſsariò, ſpontè tamen, habemus in poteſtate noſtra, imperfectè & inchoatè, C. perfectè & integrè, N. 2. Quòd Beati eſse velimus, ad voluntatem pertinet; prout natura eſt ſeu communis appetitus, C. prout eſt particularis potentia & appetitus rationalis, N. Quia ſic ſumpta rationis judicio, & arbitrio regitur. 3. Libertas eſt motus animi cogente nullo, libertas ſpontaneitatis, C. Libertas arbitrii & indifferentiæ. N. 4. Neceſse eſt, quòd volumus, libero velimus arbitrio; ſi volumus ita ut nolle poſſimus, C. Si volumus, ita ut nolle non poſſimus: ſubd. Neceſse eſt ut illud velimus libero arbitrio; id eſt, ut ſimus liberi à coactione, C. à neceſſitate, N. Eædem reſponſiones ſimilibus SS. Patrum Textibus, quos referre longius eſset, ſunt adhibendæ.

Dico II. Poteſtas ad peccandum vel non peccandum, ad veram & propriè dictam libertatem ſpectat; & homo verè eſt liber in ipſomet actu peccaminoſo, quo ſe divertit ab ordine finis debiti, nempè Dei.

Prob. 1. Ex D. Aug. l. 50 Hom. 16. *In tuo*, inquit, *arbitrio, Deus poſuit, cui pares locum, Deo aut Diabolo*: Ergo locum parare Diabolo ad libertatem ſpectat. Rursùs Serm. 191. de temp. *Nos verò dicimus hominem ſemper & peccare, & non peccare poſſe, ut nos liberi confiteamur eſſe arbitrii*; & addit *hanc eſſe Fidem Catholicam.* Et iterum l. de ver. Relig. c. 14. *Uſque adeò peccatum voluntarium*; id eſt liberum, *eſt malum, ut*

nullo

Digitized by Google

nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium: & hoc quidem manifeſtum eſt, ut nulla hinc Doctorum turba diſſentiat. Quid luculentius ad probandum poteſtatem peccandi, & ipſummet actum peccaminoſum ad libertatem ſpectare?

Prob. 2. Ex D. Anſelmo, l. de Concord. part. 3. *Nullo modo eſſet*, inquit, *cur Deus bonis vel malis pro meritis ſingulorum juſtè retribueret, ſi per liber. arb. nullus bonum vel malum faceret*. Item Dial. de lib. arb. c. 2. *Per poteſtatem peccandi, & ſponte per lib. arbitrium, & non ex neceſſitate, noſtra vel angelica natura primitùs peccavit*.

Prob. 3. Ex D. Thom. de Verit. q. 22. a. 1. *Homini ſunt probibitiones, & præcepta, Ergo in homine eſt poteſtate facere illa vel non facere, & ita eſt liberi arbitrii*. Et rursùs 1. 2. q. 9. a 6. ad 3. *Homo per rationem*, ſcilicet libertatem, *determinat ſe ad volendum hoc vel illud, quod eſt verè bonum, vel apparens bonum*.

Confir. Ratione. Ubi eſt indifferentia & electio, ibi eſt vera ac propriè dicta libertas; ſed in poteſtate peccandi vel non peccandi, eſt indifferentia, & electio; Ergo. Præterea, omnis actus humanus, moralis & demeritorius eſt liber, & à libertate prodit; ſed actus humanus peccaminoſus eſt demeritorius; Ergo eſt liber, & à libertate prodit. Siquidem libertas totius moralitatis, meriti ac demeriti, radix eſt & fundamentum; & *dicere aliquem peccare ſine voluntate*; id eſt, libertate, *magnum deliramentum eſt*, inquit Aug. l. de duab. an. c. 12. *& peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ*.

ADNOTATIO 3.

(*)

Hæc aſſertio pluribus non arridet, cum videatur Gratiæ de ſe efficaci a longe inſidias parare. Volunt igitur quod eſſentia libertatis vel in electione mediorum ad finem tendentium; vel in immunitate a quocumque neceſſitate ſive naturali, ſive antecedenti ſita maneat. Moliniſtæ *primam, ſcilicet Authoris opinionem;* Decretiſtæ *autem ſecundam amplectuntur. Acumine quidem plena ſunt, quæ ab Authore, & ad proprium firmandam ſententiam, & ad Adverſariorum diluendas agreſſiones ſubduntur: Attamen nec per hoc* Decretiſtæ *abſterrentur; firmioribus fundamentis eorum doctrinas innixas exiſtimantes. Hæc innuiſſe ſufficiat; cum noſtri non ſit, nec inſtituta ratio expoſtulet Authoris placita ad Gratiam ſpectantia ex profeſſo ſcrutari.*

(*)

Obji. 1. D. Anſel. Dial. de lib. arb. c. 1. ubi dicit: *Nec libertas, nec pars libertatis eſt poteſtas peccandi*; Ergo ipſa nullatenùs ad libertatem pertinent.

℞. N. conſeq. Licèt enim v. g. Animal & pars animalis non ſit homo, non inde ſequitur quòd homo non ſit animal. Ratio habetur ex Logica, quæ docet ſpeciem de genere non prædicari, licèt genus rectè prædicetur de ſpecie: Ad cujus intelligentiam.

Obſerv. Libertatem ſpectari poſſe genericè quatenus dicit indifferentiam & electionem, quæcumque demùm illa ſit. Specificè verò quatenus convenit omnibus ſubjectis liberis, cum quadam differentia cuilibet ſubjecto propria. Deus, Angelus, & homo beatus, ſunt indifferentes tantummodò circa hoc vel illud bonum, nec malum eligere poſſunt. Diabolus eſt indifferens duntaxat circa hoc vel illud malum, nec bonum velle poteſt. Homo verò, utpote nec in bono, nec in malo obfirmatus, ad utrumque indifferenter ſe habet. Igitur cùm poteſtas ad malum ſit quædam ſpecies libertatis, de ipſa libertate genericè ſumpta prædicari nequit; quia nimirùm ſpecies non prædicatur de genere, licèt genus ritè prædicetur de ſpecie. Non abſimili modo de poteſtate ad bonum ratiocinandum eſt, & *dicendum* cum D. Thom. de Verit. q. 24. a. 10 in reſp. ad 12. *quod poſſe bonum non eſt eſſentiale lib. arbitrio, quaſi ad primum eſſe pertinens*; id eſt quoad ſuam rationem genericam; ſiquidem liber eſt Diabolus, licèt bonum velle non poſſit, licet liberum arb. eſſentiale ſit poteſtati ad bonum.

Unde D. Anſelmus non dicit: *Poteſtas peccandi non eſt libertas nec pars libertatis*; ſed dicit, *nec libertas, nec pars libertatis eſt poteſtas peccandi*: Sicut D. Thom. non dicit, liberum arbitrium non eſt eſſentiale poteſtati ad bonum; ſed dicit, *poſſe bonum non eſt eſſentiale lib. arbitrio*, genericè ſumpto. Certum eſt enim omnem poteſtatem ad bonum eſſe liberam, licèt omne ſubjectum liberum non ſemper ad bonum poteſtatem habeat, ut Diabolus; quemadmodùm certum eſt, quòd omnis qui poteſt malum, eſt liber, licet omnis qui liber eſt, non poſſit ſemper malum, ut Deus.

Obj. 2. D. Thom. dicentem 1. p. q. 62. a. 8. ad 3. *Unde quòd lib. arbitrium diverſa eligere poſſit, ſervato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis: ſed quòd eligat, divertendo ab ordine finis, quod eſt peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde major libertas arbitrii eſt in Angelis, qui peccare non*

non poſſunt, quàm in nobis qui peccare poſſumus.

℟. Diſt. Divertere ſe ab ordine finis eſt defectus libertatis, deficientis à recto ordine eligendi, C. deficientis à formali ratione, & quidditate libertatis eligentis abſque neceſſitate, N. Item Diſt. Major eſt libertas Angelorum, quatenus eſt libertas à ſervitute peccati, & à miſeria, C. quatenus eſt libertas à neceſſitate, N. Libertas autem à ſervitute peccati, & miſeria non auget illam phyſicam libertatem, quæ eſt moralitatis fundatrix, de qua ſola eſt quæſtio.

Objic. 3. Libertas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ Deo competit, quia melius eſt eam habere, quàm non habere; ſed poteſtas peccandi non eſt perfectio ſimplex, & Deo non congruit, quia melius eſt eam non habere, quàm habere; Ergo poteſtas peccandi non eſt libertas.

℟. Libertas ſecundùm rationem libertatis præcisè ſumptam, quatenus dicit in genere indifferentiam ad utrumlibet, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, C. & ſic convenit Deo, & hominibus. Libertas ſpecificè ſumpta, prout reperitur in natura, quæ in bono non eſt confirmata, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, N. Sic enim ſubſtantia in genere eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ Deo convenit, quia melius eſt eſſe ſubſtantiam, quàm nihil eſse; ſubſtantia tamen corporea non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia melius eſt eſse ſubſtantiam ſpiritualem, quàm corpoream.

Objic. 4. Libertas eſt à Deo; ſed poteſtas peccandi non eſt à Deo; ſi enim eſset à Deo, peccatum in Deum refundi poſset; Ergo.

℟. Concedo potentiam peccandi eſse à Deo, non ſecus ac potentiam benè operandi; cùm utrobique una eademque ſit potentia, indiſtincta à voluntate, quæ à Deo ex nihilo facta eſt. Inde tamen non ſequitur, Deum dici poſse Auctorem peccati, licèt ſit Auctor potentiæ ipſiuſmet peccati; tum quia voluntas, quoad exercitium actus boni, vel mali, ſeipſam determinat; tum quia, eo ipſo quo voluntas eſt libera, poteſt agere, vel non agere indifferenter, & ideò illi ſoli, non alteri, peccatum eſt refundendum.

Adnotatio 4.

(*)

Sic loquitur Author proprii principiis, in ſyſtemate cauſarum partialium inhærens. Contrariæ ſententiæ Patroni ſuſtinent, quod homo ſub dominatione concupiſcentiæ ſeipſum ad actus bonos, nonniſi per Gratiam determinare valeat. Ait enim Scriptura [Jo. Cap. 8. V. 36.] Si Vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. *Sola igitur Gratia per* Filium *accepta, verè liberi evadimus ad bonum ſupernaturaliter agendum; aſſerente etiam* Auguſtino, *quod voluntas eo liberior evadit*, quo Divinæ Gratiæ, Miſericordiæque ſubjectior. *Licet igitur voluntas ex ſeſe ſola ad malum determinare valeat, & de facto determinet: non ita tamen ad bonum ſupernaturale, niſi per gratiam medicinalem Salvatoris prius ſanetur, & corroboretur.* Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; ait Apoſtolus ex Domino Præceptore Clamante [*Jo:* 15. 5.] Sine me nihil poteſtis facere. Non ait, *ſubdit* Auguſtinus *Tract.* 81. *in Joan. circ. Med.* ſine me parum poteſtis facere; ſed nihil poteſtis facere. Sive ergo parum, ſive multum ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt.

(*)

ARTICULUS IV.

An detur in homine lapſo liberum arbitrium & indifferentia ad utrumlibet.

Not. Licèt ex antedictis jam ſatis firmata ſit circa hominis lapſi liberum arbitrium veritas catholica; verumtamen, cùm hujus ſæculi Novatores fraudulentis cavillationibus ſuis eam obnubilare non ceſſent; de ipſa nihil ex profeſſo dicere Scriptorem catholicum minimè decet. Unde.

Dico. Datur in homine lapſo libertas, nedum à coactione, ſed & à neceſſitate tum contradictionis, tum contrarietatis.

Prob Ex Scriptura. Deut. 30. *Propoſui vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem .... Elige ergo vitam, ut tu vivas.* Eccli. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* 1. Cor. 7. *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.*

Prob. Ex D. Aug. inter cæteros Patres, quos brevitatis gratia prætermitti neceſſe eſt lib. 1. cont. duas Epiſt. c. 5. *Peccato Adæ arb. liberum de hominum natura periiſſe, non dicimus.* Et l. 12. de civit. c. 8. *Scio in quo ſit mala voluntas; in eo fieri, quòd ſi nollet, non fieret; & ideò non neceſſarios, ſed voluntarios defectus juſta pœna conſequitur*, l. 2. de Act. cum fel. c. 4. *Habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.*

Prob. Ratione D. Thom. q. 6. de malo. *Quidam*, inquit, *poſuerunt quod voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur. Hæc opinio eſt hæretica; tollit*

enim

enim rationem meriti, vel demeriti in humanis actibus. Et non ſolùm contrariatur Fidei; ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ moralis. Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate moveamur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, punitio, laus, & vituperium.

Confir. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. Can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari.... neque poſſe diſſentire, ſi velit, Anathema ſit.* Et can. 5. *Si quis dixerit lib. hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe, aut rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſine re, Anathema ſit.* Huc accedit damnatio hujus propoſitionis Janſenianæ. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Et iſtius Bajanæ, *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod neceſſariò facit.*

Obj. 1. Varia D. Aug. loca, ubi S. D. docet primi hominis peccato periiſſe lib. arb.

℞. Diſt. Periit lib. arb. quoad libertatis integritatem, & perfectionem, C. Quoad rem, & ſubſtantiam libertatis, N. Cùm enim in ſtatu naturæ innocentis nulla eſſet libido, nulla pugna, ſed pleniſſima pax; homo erat liberrimus, non ſolùm quoad ſubſtantiam, in quantum erat indifferens ad agendum, vel non agendum; ſed etiam quoad accidentalia libertatis privilegia, quatenus ſcilicet poterat quodlibet bonum operari, & ab omni malo abſtinere. Sed cùm in præſenti ſtatu naturæ lapſæ vulnerata fuerit natura per peccatum, vires amiſſæ, & aucta difficultas; mirum non eſt, ſi toties repetat Aug. in hoc periiſſe lib. arbitrium.

Ita apertè ſemetipſum exponit S. D. l. 1. cont. duas Ep. c. 2. *Quis autem noſtrum dicat*, inquit, *quòd periit lib. arbitrium de genere humano. Libertas quippe periit per peccatum, ſed illa, quæ in Paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam.*

Objic. 2. Alia loca, ubi S. D. aſſerit peccato primi parentis invectam fuiſſe peccandi neceſſitatem.

℞. Diſt. Neceſſitatem moralem, C. Neceſſitatem phyſicam, & abſolutam, N. Unde S. D. ſermonem facit tantummodò de neceſſitate ſumpta pro difficultate abſtinendi à peccato, orta ex concupiſcentiæ motibus, qui ad peccatum adeò vehementer nos pertrahunt, ut nemo poſſit, niſi difficillimè, à peccatis mortalibus, imò nec diù à venialibus, abſtinere. Sed non loquitur de inſuperabili neceſſitate, quæ indifferentiam ad oppoſitum penitùs evertat.

Hanc autem eſſe S. D. mentem probatur multis argumentis. 1. Quia neceſſitatem peccandi peccato primi Parentis invectam perſæpè confert cum ea neceſſitate, qua implicamur per malam conſuetudinem; *qua fit*; inquit, l. cont. Fort. diſp. 2. *ut poſteà vincere non poſſit, quod ſibi ipſa*; id eſt, voluntas, *peccando fabricata ſit*. Certum eſt autem hanc conſuetudinis neceſſitatem non abſolutè, ſed moraliter, eſſe invincibilem; Ergo idem dicendum eſt de neceſſitate peccandi per peccatum primi Parentis invecta. 2. Quia S. D. plerumque hanc neceſſitatem vocat ſimplicem difficultatem, maximè l. 3. de lib. arb. c. 8. & 20. *Iſta pœnalia ſunt*, inquit, *ignorantia, & difficultas.... & quanquam natura humana poſt lapſum in ignorantia, & difficultate nata ſit, non tamen ad permanendum in eo, quod nata eſt, aliqua neceſſitate comprimitur.*

Alia ratione his, & ſimilibus textibus D. Auguſtini reſpondere nihil vetat; iterùm diſtinguendo: invecta eſt neceſſitas peccandi materialiter C. formaliter. N. Per peccatum materiale S. D. intelligit indeliberatos concupiſcentiæ motus; per formale verò interiores actus voluntatis pravis libidinibus obtemperantis, ut patet in textu ſequenti: l. de perfecta juſtitia c. 11. *Cum verò non ſinit regnare peccatum in ſuo mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus, ineſt quidem peccatum in membris ejus, ſed non regnat; quia non obeditur deſideriis ejus... Concupiſcit tamen, quia non eſt ſine peccato; ſed jam non ipſe operatur illud, ſed id quod in illo habitat peccatum.*

Rurſùs ſic diſtingui poteſt hæc Auguſtiniana propoſitio, quæ diſtinctio, utpote omnium optima, ſæpiùs uſu venit. Invecta eſt peccandi neceſſitas ſine gratia, C. cum gratia, N. Siquidem de hac ſolummodò decertabat cum Pelagianis, uti perſæpe inculcat, maximè l. de nat. & grat. c. 43. *Hanc poſſibilitatem non peccandi*, inquit, *quantumcumque eſt, vel erit in homine, non niſi Deo debere imputari, hoc nos dicimus: Jungamus dexteras*. Imo ibidem concedit S. Doctor Pelagium juſtè aſſerere, quòd homo poſſit eſſe ſine peccato, ſi velit. *Sed hoc unde ſit poſſibile fateatur, & pax erit. Ipſa eſt gratia Dei per Jeſum Chriſtum, qua omninò iſte, Pelagius, nos orantes adjuvari, ut non peccemus, dicere noluit.*

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

Quid voluntarium perfectum, & imperfectum, mediatum. & immediatum, poſitivum, & negativum, &c.

VOluntarium *perfectum* eſt quod procedit à principio intrinſeco ex perfecta cognitione finis, quod ſoli naturæ rationali competit, quæ cognoſcit finem ſub ratione finis, & proportionem mediorum ad finem conſequendum. Voluntarium *imperfectum* eſt quod procedit à principio intrinſeco cum imperfecta cognitione finis, ut ſunt brutorum operationes: & actus appetitus ſenſitivi hominis primo-primi, ſeu ita ſubitanei, ut rationis advertentiam præveniant.

Voluntarium *immediatum* eſt quod nullo mediante procedit à voluntate, & cognitione objecti, ut ſunt omnes actus à voluntate eliciti. Voluntarium *mediatum* eſt quod procedit quidem à voluntate, ſed mediante alio actu elicito, ut ſunt actus aliarum potentiarum externarum, quos voluntas imperat, quoſque immediatè per ſe elicere nequit: ſiquidem homo, v.g. per ſuam voluntatem ambulare non poteſt, ſed per potentiam loco-motivam.

Voluntarium *poſitivum* eſt id, quod voluntas poſitivè vult, vel non vult per actum realem ab ipſa elicitum. Voluntarium pure *negativum* eſt, id quod fit per meram omiſſionem voluntatis abſque ullo poſitivo actu, de quo in Tractatu de Peccatis opportuniùs, & commodiùs agemus.

Voluntarium *expreſſum* eſt, quod diſtinctè, & determinatè, aut verbo, aut ſigno aliquo declaratur. *Tacitum* verò eſt, quod diſtinctè, & determinatè non declaratur, ſed ex quodam facto, vel facti omiſſione tantùm præſumitur, juxta Regulam juris 43. in 6. *Qui tacet conſentire videtur.* Circa quod quæritur quandonam taciturnitas conſenſui æquivalere cenſeatur.

Dico. In duobus tantummodò caſibus taciturnitas conſenſui æquivalet. 1. Dum aliquid favorabile proponitur. 2. Dum qui tacet, loqui tenetur.

Prob. 1. Reg. Quia nullus recuſare cenſetur quod ſibi eſt commodum atque utile, ſicut è contra nullus exiſtimandus eſt, quod ſibi oneroſum, & odioſum eſt, acceptare. Prob. 2. Reg. Quia is alicui rei jure merito conſentire præſumitur, cui cùm debet, & facilè poteſt, non obſiſtit, E contrà, ſi nec debeat, nec abſque gravi incommodo poſſit obſiſtere, minùs æquum foret ipſi rem imputare. Ex his.

Reſol. 1. Si quis pro te præſente, nec contradicente Fidejubeat; cenſeris ratum habere, & Fidejuſſori manes obligatus; quia gratiam, & beneficium tibi contulit.

Reſol. 2. Si puella præſens ſit, dum Pater, aut Tutor illam viro ſpondet, & omni ſecluſo metu, non contradicat, conſentire videtur, quia ex jure, quæ Pater, aut Tutor agit in gratiam, & favorem puellæ, cujus curam gerit, cenſetur agere. Secùs autem eſt dicendum, ſi extraneus pro illa reſponderet, & ipſa taceret, quia oneroſum eſt de ſe Matrimonium.

Reſol. 3. Superior videns, aut ſciens ſubditorum ſuorum depravatos mores, quos facilè emendare poteſt, ſed negligit, eos approbare cenſetur. Non autem ſi taceat, quia prudenter timet, nè ex ſua correptione graviora oboriantur mala, aut incommoda. Quia in primo caſu loqui tenetur, non autem in ſecundo.

Reſol. 4. Si ſubditus Superiori ſuo indicaverit ſe facturum hoc vel illud, Confeſſiones, v. g. auditurum, cum ſua bona venia; & ille dixerit: *Vade in pace*, imò & tacuerit, facultatem conceſſiſſe cenſetur; cùm facilè poſſet, ut ſupponitur, & deberet contradicere, ſi nollet.

Reſol. 5. Reus à Judice legitimo juſſus, ut ad objecta reſpondeat; ſi tacuerit, fateri cenſetur. Item qui è duobus ſibi objectis unum tantummodò negat, alterum fateri præſumitur, quia loqui tenetur. Dixi à legitimo Judice; nam ſi Judex jus interrogandi non habeat, taciturnitas Reo non efficit ob rationem oppoſitam.

QUÆSTIO III.

Quid ſit voluntarium directum, & indirectum.

VOluntarium *directum*, ſeu *in ſe*, eſt quod ſic procedit à voluntate, ut ſit formaliter, & ſecundùm ſe intentum; ut ſi quis inimicum ſuum pugione mactat, illud homicidium eſt directè, & in ſeipſo volitum. Voluntarium *indirectum*, ſeu in alio, eſt quod in ſe non eſt intentum, ſed in alio, cui connexum eſt, vel ex eo ſequitur; ut ſi quis catapultam incautè exploderet, ex qua multi occiderentur, illorum occiſio ipſi eſſet indirectè volita.

Triplex eſt voluntarium directum actuale nimirùm, virtuale, & habituale.

Actua-

Digitized by Google

Actuale voluntarium, vel eſt in actu ſignato, vel in actu exercito. In actu ſignato, dum quis ſignat ſuum actum, quem peracturus eſt: v. g. Sacerdos conſecraturus, qui ita ſecum loquitur: *Volo conſecrare*, illud vult in actu ſignato. In actu autem exercito Sacerdos vult conſecrare, qui ſine reflexione ſuper actum ſuum, attentè facit quod Chriſtus inſtituit, proferendo cum plena ſui cognitione verba Conſecrationis.

Virtuale voluntarium eſt quòd ſit, vel virtute præcedentis volitionis, quæ actu deſit eſſe, ut cùm Sacerdos ponit ſuper Altare pixidem Hoſtiarum cum intentione actuali conſecrandi, omnes ſunt conſecratæ, etiamſi actu de pixide non cogitet; vel cum ſit aliquid, quod ex natura ſua, vel Eccleſiæ inſtitutione comprehenditur ſub altera intentione, cum qua ſic conjuncta eſt, ut ea præſente cenſeatur ipſa quoque adeſſe. Sic eo ipſo, quo Sacerdos vult ſecundùm Sacerdotum conſuetudinem veſtes induere ſacerdotales, habet virtualem intentionem Miſſam celebrandi.

Habituale voluntarium eſt illud, quod ſit tantummodò naturali impulſu conſuetudinis; ita ut actus præcedens voluntatis nullo modo influat in operationem, nec per ſe, nec per aliud. Circa voluntarium indirectum quæritur, quæ ſint conditiones requiſitæ, ut effectus ex cauſa ſecutus indirectè ſit voluntarius, & peccaminoſus.

Dico. Tres requiruntur conditiones, quas ſigillatim exponemus, & probabimus.

1. Requiritur, ut iſte effectus aliqualiter ſit prævisus, quia quod nullatenus eſt cognitum, nullatenus poteſt eſſe voluntarium, nec peccaminoſum. Dixi aliqualiter: nec enim neceſſaria eſt explicita, & formalis cogitatio, qua clarè, & diſtinctè prævideatur unum ex alio ſecuturum; ſed ſufficit virtualis, & confuſa, imò æquivalens, & interpretativa; qualem cenſetur habere, non ſolùm qui cogitans, vel dubitans, an ſit connexio unius cum alio, aut aliquod ſubſit peccandi periculum, ob animi torporem advertere, aut inquirere negligit, verùmetiam ille, qui nec dubitans nec cogitans, huic ſuæ inadvertentiæ (quàm facili negotio advertere poterat, & debebat) aliqualem dedit cauſam.

Ratio hujus eſt 1. Quia Juxta commune juris effatum, *ſcire, & debere ſcire* ſunt paria. 2. Quia alioquin conſuetudinarii, qui abſque ulla perſæpè advertentia in blaſphemias, aliaque verba turpia prorumpunt, haberent excuſationes in peccatis. Unde D. Th. 1. 2. q. 6. a. 3. ad 3. ait: *Non velle, & non agere, cùm tempus fuerit, eſt voluntarium; ita etiam non conſiderare*. Id eſt non advertere, cùm facilè poſſumus, ac debemus. Ex his.

Reſol. 1. Qui ſæpius expertus eſt rixas, blaſphemias, pollutiones ex ebrietate ſua ortas fuiſſe; licèt de his, dum vino indulgebat, non expreſsè cogitaverit, ipſi cenſentur voluntariæ; quia facilè potuit ac debuit advertere.

Reſol. 2. Qui incautè, & imprudenter catapultam explodit in multitudinem, ex qua ſequitur hominis occiſio, aut mutilatio; hæc ipſi imputatur, licèt actu, & formaliter non advertit, ob eamdem rationem.

Reſol. 3. Crimina, quæ in quadam familia perpetrantur, Patrifamilias ſunt voluntaria; ſi ideò ea ignoret, quia ob animi torporem, & in officio ſuo peragendo negligentiam, de ſuis inquirere neglexerit, imò & non cogitaverit.

2. Requiritur, ut effectus ex cauſa ſecuturus cenſeatur voluntarius, & peccaminoſus, quòd cauſa vitari poſſit.

Ratio evidens eſt ex Auguſtino; quia *nemo peccat*, inquit S. D. *in eo quod vitare non poteſt*, ex quo.

Reſol. Qui obſcænam tabellam, quæ cauſa eſt pravarum cogitationum, aut retinet apud ſe, aut vendit alteri, reus eſt criminis, cùm poſſit hanc peccati occaſionem auferre. Quòd ſi verò venditam redimere non poſſit, modò ſincerè facti pœniteat, ipſi non imputatur ad culpam.

3. Requiritur non ſolùm ut cauſam vitare poſſimus, ſed & teneamur, aut ſaltem eam ponendi nullum jus habeamus, quia nempe nulla ſubeſt eam ponendi neceſſitas, aut utilitas. Quòd ſi autem cauſam vitare non teneamur, utpote de ſe licitam, & aliqua ſubſit ſic agendi neceſſitas, aut utilitas, aut honeſtas, effectus inde ſecutus nobis non imputatur.

Ratio eſt; quia, qui dat operam rei licitæ propter neceſſitatem ſuam, & utilitatem, utitur jure ſuo, & hanc utilitatem ſibi proponere cenſetur. Qui autem opus exercet illicitum, aut nullam in agendo ſibi proponit honeſtatem, aut utilitatem rationalem, jam cenſetur velle peccatum, cùm nullum bonum ſibi in animo proponere videatur. Hine.

Reſol. 1. Dum dux exercitus in Bello juſto urbis mœnia pulſat, & evertit, unde ſequitur mors innocentium. Item dum Fidelis Sacramenta poſtulat à Parrocho quem

ſacrilegè eadem adminiſtraturum novit; nec mors innocentium, nec Parochi ſacrilegium illis imputantur ad culpam, quia utuntur jure ſuo.

Reſol. 2. Sacerdos curæ animarum deditus, qui Confeſſiones audiendo; Chirurgus, qui medendo corporibus, prævisâm patiuntur pollutionem, excuſantur à peccato; modò diligenter animum avertant à turpitudinis conſenſu, quia actio eorum utilis eſt, ac neceſſaria.

Reſol. 3. Qui abſque neceſſitate, aut utilitate verba profert, de ſe quidem honeſta, ſed ex quibus prævidet oriri poſſe gravia proximo incommoda, rixas, blaſphemias, &c. gravem culpam incurrit, quia nullum, niſi malum motivum, ſibi proponere interpretativè cenſetur.

Reſol. 4. Qui nullum ſibi proponens bonum, aut commodum honeſtum equitat, talem ſitum habet in lecto, cibos comedit calidos, ex quibus ſecuturam prævidit pollutionem, hæc ſibi reputatur voluntaria ob eamdem rationem. Complures caſus ſimiles ſic reſolvuntur. Ubi.

Obſ. Obiter rationem aut neceſſitatem longè graviorem, quæ inducat ad ponendam cauſam, ex qua ſecuturus eſt malus effectus, requiri; dum de gravi, tum ſpirituali, tum corporali detrimento proximo inferendo agitur, quam dum agitur de peccato materiali committendo, pollutione, v. g. aut ebrietate involuntaria. Siquidem rationi, charitati, imò & juſtitiæ minùs conſentaneum videtur, mortis aut peccandi periculo proximum committere, niſi gravis, atque præponderans urgeat ratio, aut neceſſitas.

CAPUT III.

De involuntario, & cauſis ejuſdem.

Contrariorum eadem eſt ratio: unde cùm ad voluntarium requiratur principium intrinſecum operans, & cognitio dirigens operationem; ex adverſo involuntarium dicitur, quod fit vel à principio extrinſeco, vel ab intrinſeco quidem, ſed abſque cognitione. Primum vocatur involuntarium poſitivè, ſeu *non voluntarium*, & voluntati diſplicens, fitque contra expreſſum & poſitivum voluntatis affectum; urgente nimirùm vel metu, vel violentia. Secundum vocatur involuntarium negativè, ſeu *non voluntarium*, quod fit ſine cognitione ob paſſionem ſcilicet, vel ignorantiam quæ cognitionem auferunt, vel perturbant.

Rurſus duplex dicitur involuntarium; unum *ſimpliciter*, & abſolutè, alterum *ſecundum quid*. Simpliciter involuntarium eſt, quod fit totum à principio extrinſeco, vel ſine cognitione, & cui voluntas nullatenus conſentit; ut motus appetitus ſenſitivi, quos omni cura reprimere ſatagimus. Involuntarium ſecundùm quid eſt quod fit partim a principio extrinſeco conſenſum extorquente, partim ab intrinſeco conſentiente, quod, que nollet voluntas, vult tamen efficaciter, ſed cum repugnantia; ut qui naufragii metu merces ſuas in mare projicit.

Quatuor cauſæ involuntarii vulgò enumerantur, violentia, metus, concupiſcentia, & ignorantia, pro quibus ſingulis ſingulas inſtituemus quæſtiones.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo violentia cauſet involuntarium.

Not. 1. Violentum, & coactum, licet confundi ſoleant, inter ſe tamen diſtinguuntur. Violentum enim eſt quod fit à principio extrinſeco contra inclinationem paſſi, vel ipſo renitente, ſive ſit appetitus, ſive non. Coactum verò eſt quod fit à principio extrinſeco in ſubjecto, appetitu, & cognitione prædito. Unde omne coactum eſt quidem violentum, ſed omne violentum non eſt coactum. Siquidem res inanimatæ dicuntur violentiam pati, non autem propriè cogi.

Not. 2. Duplex eſt violentia; *abſoluta* dum paſſum pro viribus, prout hic & nunc debet & poteſt, renititur: *ſecundùm quid*, dum aliquo modo renititur, ſed non omninò quantùm debet, & poteſt. Rurſus duplex eſt violentia; *Phyſica*, quæ patientem movet realiter: *Moralis*, quæ voluntatem inducit, atque impellit ſuaſione importuna, minis, aut precibus. Item duplex diſtinguitur reſiſtentia; *paſſiva*, quæ eſt incapacitas naturalis ad formam recipiendam, & ſolis rebus inanimatis convenit; & *activa*, quæ eſt actio agentis violentiæ renitens. His notatis.

Dico I. Violentia abſoluta, non verò ſecundùm quid, actum efficit ſimpliciter involuntarium.

Prob. Quia violentum abſolutum totum fit à principio extrinſeco; ergo eſt totum involuntarium. Quod ſi verò patiens violen-

Digitized by Google

lentiæ non reſiſtit, ut poteſt, & debet, cenſetur velle interpretativè quod patitur. Unde.

Reſol. 1. Si latrones tibi violenter ſubripiant depoſitum, quod omni cura cuſtodiviſti, inculpabilis es, nec ad indamniſationem teneris: ſecus autem ſi incautè, negligenter, & ignavè in illo ſervando & cuſtodiendo te geſſeris.

Reſol. 2. Si mulier violenter oppreſſa internè, & externè pro viribus renitatur, clamando, repellendo, &c. violentia nullatenus ipſi erit voluntaria. Quòd ſi verò paſſivè ſe gerat, nec probando, nec improbando id, quod ſibi infertur; non dicitur vim pati, & peccati rea tenebitur. Imò licèt interiùs actum reprobet, ſi tamen externè pro viribus non obſiſtat, oppreſſio ipſi erit tantummodò involuntaria ſecundùm quid, non autem abſolutè. Cùm autem involuntarium ſecundùm quid, voluntarium ſimpliciter non auferat, hæc oppreſſio erit illi indirectè ſaltem voluntaria.

Sed ſi ex vociferatione, aut nimia reſiſtentia periculum evidens vitæ, vel infamiæ immineret, quid ſibi foret agendum?

Reſol. 3. Si ſubſit conſenſus periculum, quod adeſt ut plurimum, tum ob nimiam ſexus fragilitatem, tum ob ſummam materiæ lubricitatem; mulier vociferare, & omni conatu obſiſtere tenetur, quia præceptum eſt juris naturalis negativum, ſemper, & proſemper obligans, non ſeſe exponere periculo proximo conſenſus peccaminoſi. At ſi per accidens nullum ſubſit conſenſus periculum, non tenetur; quia aggreſſori reſiſtere præceptum eſt affirmativum, quod pro ſemper non obligat, nec cum tanto detrimento.

Adnotatio 5.
(*)

Cum ſecunda pars anteactæ Reſolutionis 3. in qua ſtatuitur, quod ſi mulier violenter oppreſſa, ex vociferatione, aut nimia reſiſtentia periculum vitæ vel infamiæ incurrat, dummodo nullum adſit conſenſus periculum, non tenetur vociferare, nec nimium reſiſtere; *cum, inquam, pars iſta Reſolutionis, abuſibus, & laxitatibus viam ſternere poſſit, eam modificare neceſſarium videtur.*

Et primo quidem optima eſt Authoris doctrina, ſupra in Reſolutione ſecunda tradentis quod: ſi mulier oppreſſa paſſivè ſe gerat, nec probando, nec reprobando id, quod ſibi infertur; non dicitur vim pati, & peccati rea tenebitur; imo, *proſequitur ipſe*, licet interius actum reprobet, ſi tamen externe pro viribus non obſiſtat, oppreſſio ipſi erit tantummodo involuntaria ſecundum quid, non autem abſolute. *Jure merito ſic Author ſcribit; cum contraria ſententia a Clero Gallicano proſcripta fuerit in generali Conventu an.* 1700. *in cauſa* Suſannæ. *Sic ſe habebat propoſitio n.* 44. „ *Dans la violence, dans crainte de l'infamie, & de la mort, dont Suſanne etoit menacèe, elle pouvoit dire:* Je ne conſens point au crime, mais je le ſuffrirai, & je me tairai de peur que Vous ne me diffamiez, & que Vous ne m'expoſiez a la mort. *Peut etre qu'elle ne ſavoit pas cela, ou qu'elle n'y penſoit pas. Car c'eſt ainſi, que des Filles chaſtes, & honneſtes ſe crojent coupables, comme ſi elles conſentojent en effet a leurs corrupteurs, qu'ad elles ne leur reſiſtent pas par leurs cris, par leurs actions, & par toutes ſorter d'efforts.* Suſanne *avoit pu, dans un ſi gran peril d'infamie, & de mort, demeurer d'une maniere paſſive, & s'abbandonner a la paſſion de ceux, qui la ſollecitojent, pourvu, quelle n'y eut point conſenti par un acte interieur, mais qu'elle l'eut eve en horreur, & en execration: parceque le vie, & la reputation ſont un plus grand bien, que la chaſtetè; & ainſi il eſt permis d'expoſer celleci, pour ſauver les deux autres* „: *quæ propoſitio latinè ſic ſonat:*

„ Suſanna *inter violentiam, atque timorem infamiæ & mortis, quæ ſibi imminebant, ſic dicere poterat:* Ego quidem crimini non aſſentior; veruntamen illud perferam, atque tacebo, ne vos me diffametis, atque morti tradatis. *Forſitan hoc Suſanna neſciebat, aut de hoc non cogitabat. Hinc eſt, quod caſtæ, atque honeſtæ mulieres ſe culpabiles reputent, tamquam ſi effective eorum corruptoribus aſſenſum præberent, quando clamoribus, actionibus, atque cujuſcumque ſortis conatibus ipſis non reſiſtunt. Suſanna in tam gravi periculo infamiæ, & mortis paſſive ſe habere potuiſſet, atque paſſioni eorum, qui illam ſollicitabant ſeſe relinquere, dummodo per actum internum non præſtitiſſet aſſenſum; imo actionem illam deteſtata, & execrata fuiſſet. Ratio eſt, quia honor, & vita, bona ſunt ordinis majoris, quam caſtitas: & ſic permiſſum eſt iſtam exponere, ut illæ ſerventur.* „ *Iſta, inquam, propoſitio damnata fuit tamquam* Temeraria, Scandaloſa, caſtarum aurium offenſiva, erronea, atque Legi Dei contraria. *Cum igitur taliter de ipſa ſenſerint Præſules Gallicani, neſcio quomodo Authori noſtro ceciderit e calamo, quod ſublato periculo conſenſus non teneatur mulier oppreſſa exclamare, fortiterque reſiſtere, quod idem eſt ac paſſive ſe habere, ſi per hoc evidenti periculo vitæ, vel infamiæ expoſita remaneat. Sic agebat in facto Suſannæ Author propoſitionis proſcriptæ:* Suſanna in tam gravi periculo infamiæ, & mortis paſſive ſe habere potuiſſet, atque paſſioni eorum, qui illam ſollicitabant ſeſe relinquere, dummodo per actum internum non præſtitiſſet aſſenſum. *Etenim quia ampius quæ-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

rit impius Oppreſſor, niſi quod mulier paſſive ſe habeat, atque propriæ concupiſcentiæ effrenos motus in ſe permittat? Quis non videt, quod paſſiva iſta poſitio, activæ cooperationi in caſu æquiparatur? In præcepto non mœchandi continetur quoque præceptum non cooperandi neque directè, neque indirectè ad mœchiam; quod proinde utpote negativum ſemper, & pro ſemper obligare cenſetur. Adde, quod in iſtis caſibus ſemper adſit, & præſupponi debeat periculum aliquod conſenſus etiam interni propter rationes ab Authore quoque cognitas, & adductas. Reſtat igitur dicendum Authorem noſtrum ex illa apparenti ratione, quod ſcilicet Aggreſſori reſiſtere præceptum affirmativum ſit, non obligans ſemper, & cum tanto detrimento *plus æquo illectum Reſolutionem tuliſſe, quæ præter ejus intentionem laxitatibus, & abuſibus viam ſternere poteſt, & quæ proinde ad ſenſum Præſulum Gallicanorum eſt corrigenda.*

(*)

Dico II. Voluntas cogi non poteſt quoad actus elicitos, bene quidem quoad imperatos.

Prob. 1. pars. Quia ſi voluntas poſſet cogi in ſuis actibus elicitis, ſequeretur ipſos eſſe ſimul à principio extrinſeco, cùm omne coactum ab hoc principio procedat, & à Principio intrinſeco; id eſt, à voluntate, utpotè ab ipſa producto: Deinde ſequeretur, quod voluntas poſſet velle nolens, quod ipſis terminis repugnat. Unde Anſelmus, l. 2. de lib. arb. c. 6. ait: *Invitus nemo poteſt velle aliquid, quia non poteſt velle nolens velle.*

Prob. 2. Pars. Quia evidens eſt aliarum facultatum actus impediri, vel exerceri poſſe contra voluntatis propenſionem: v.g. Etſi nolim videre, vel audire, poteſt quis oculos meos violenter aperire, & manus quibus mihi aures obſtruo, abſtrahere, &c.

Objic. 1. Deus poteſt voluntatem noſtram rapere ad aliquid amandum contra propenſionem ejus, imò & contra actum expreſſum, quo nolit illud amare; Ergo ipſam cogere poteſt.

℞. Diſt. In ſenſu diviſo inclinationis contrariæ, & actus poſitionis, C. In ſenſu compoſito, N. Id eſt inclinationem contrariam auferendo, non autem nobis illam relinquendo; alioquin voluntas noſtra vellet ſimul, & nollet, quod implicat.

Objic. 2. Deus poteſt impedire voluntatem nè actum eliciat, dum eſt inclinata, & proximè diſpoſita ad agendum, ſubtrahens nempè illi concurſum ſuum; Ergo ipſam cogere poteſt, ſaltem ad non agendum.

℞. C. totum, ſed inde non ſequitur Deum voluntatem cogere poſſe; quia per coactionem propriè dictam intelligitur actus poſitivus à principio extrinſeco productus, non autem ejus ſuſpenſio, & negatio. Non negamus Deum voluntatem negativè cogere poſſe, ſed poſitivè; id eſt ipſam cogere ad actum eliciendum, quem non vult elicere.

QUÆSTIO II.

An, & quomodò metus cauſet involuntarium.

Not. 1. Metus, qui *eſt trepidatio mentis ex apprehenſione mali futuri*, alius eſt gravis, alius levis. Metus gravis oritur ex apprehenſione mali adeò gravis, ut vir conſtans moveretur ad aliquid faciendum, quod alias non eſſet facturus: unde vocatur *cadens in virum conſtantem*. Quod ut dignoſcatur, non ſolùm attendendum eſt malum quod timetur, ſed etiam qualitas perſonæ timentis; quia reſpectu fœminæ poteſt aliquandò dici metus gravis, qui tantùm eſt levis reſpectu viri. Metus autem gravis apud omnes eſt metus mortis, mutilationis, carceris, ſtupri, gravis infamiæ, & amiſſionis bonorum omnium, ad quem reducitur metus reverentialis, cui conjunctæ ſunt minæ. Metus levis *non cadens in virum conſtantem* is eſt, qui oritur ex apprehenſione mali rationabiliter contemnendi, & adeò levis, ut attentis circumſtantiis vir conſtans non moveretur.

Not. 2. Metus ſe habere poteſt ad actionem vel cauſaliter, vel concomitanter. Cauſaliter ſe habet, dum hic & nunc fit actio ejus motivo, & impulſu, prout eſt metus mortis, ad quam vitandam Viator dat latroni pecuniam ſuam. Concomitanter ſe habet, dum actionem non cauſat, ſed eam merè comitatur; ut metus ſuſpendii in latrone, quo non obſtante crumenam furatur. Porrò metus cauſalis aliquando eſt cauſa totalis actionis, aliquando partialis. Totalis dicitur, quando actio ita fit præciſè propter metum, ut ſine illo ipſa non fieret; ut in exemplo mox allato. Partialis verò dicitur, qui ita ad actionem movet, ut ipſo deſinente adhuc fieret; ſed ad ipſam promptiùs fortiuſque impellit; ut metus ab impudico incuſſus inhoneſtæ mulieri jam antecedenter ad impudicitiam paratæ. His notatis.

Dico I. Metus tantùm concomitans auget potius quàm tollit, aut minuit voluntarium.

Prob. Quia talis metus eſt occaſio voluntatis ardorem excitandi, ut patet in exemplo allato de latrone, qui metu ſuſpendii magis

Digitized by Google

magis ad furandum accenditur; ut patet etiam in his, qui cum metu mortis ægrotis peſte infectis inſerviunt, quique hujus metus occaſione magis ac magis obfirmantur in propoſito eis ſubveniendi.

Dico II. Nullum ſubeſt involuntarium, ſed potiùs duplex voluntarium in actu a metu partiali cauſato.

Prob. Quia ibi duplex eſt voluntarium, ubi duplex eſt motivum voluntatem ad actum impellens; ut videtur in exemplo de Meretrice, quæ ad turpitudinem inducitur, tum à ſua propria libidine, tum à minis ſævientis hominis impudici; ut patet etiam in exemplo juſtorum, qui licèt pœnarum infernalium metu divinis præceptis pareant, ita ſunt diſpoſiti ut eiſdem ſemper parerent, licèt nullus eſſet infernus, propter amorem Dei; duplex ibi reperitur motivum; Ergo, & duplex voluntarium.

Dico III. Metus totaliter cauſans, etiam graviſſimus, cauſat quidem voluntarium ſimpliciter, & involuntarium ſecundùm quid: ſed per ſe cauſat voluntarium; & involuntarium non cauſat niſi per accidens, ſeu occaſionaliter.

Prob. 1. Quia ille actus eſt ſimpliciter voluntarius, qui fit à principio intrinſeco cum cognitione finis; quique hic, & nunc à voluntate elicitur ad vitandum malum. Deinde ille actus eſt ſecundùm quid involuntarius, qui fit cum renitentia, & diſplicentia voluntatis; & qui ſublato metu non fieret: ſed talis eſt actus à metu totaliter cauſatus: Ergo voluntarius eſt ſimpliciter, & involuntariùs ſecundùm quid.

Objc. D. Thom. 2. 2. q. 142. a. 3. *Quæ per timorem fiunt*, inquit, *principium habent ab exteriori impellente, unde non ſunt ſimpliciter voluntaria.*

℞. Diſt. Non ſunt ſimpliciter voluntaria voluntarietate lubentiæ, aut complacentiæ, C. Voluntarietate libertatis ad unum potiùs quàm ad aliud ſe determinantis N. Certum eſt enim quod ea, quæ ſic fiunt ex metu, ut non fierent ſi metus abeſſet, nullatenus placere, & quòd in eo ſenſu ſimpliciter ſint involuntaria; licèt ſint ſimpliciter voluntaria, quatenus determinatè fiunt à voluntate cum cognitione finis, & circumſtantiarum.

Prob. 2. pars. Nempè quòd metus per ſe cauſet voluntarium, & per accidens involuntarium. Viator, v. g. qui cum diſplicentia latroni mortem minitanti pecuniam ſuam tribuit, ideò dat quia mortem timet: unde metus mortis eſt cauſa per ſe donationis pecuniæ ſuæ, quæ ſic eſt ſimpliciter voluntaria. Sed non ideò pecuniam ſuam tribuit cum diſplicentia, quia mortem timet; ſed præcisè quia ſibi plurimùm cordi eſt pecunia ſua; Ergo metus non eſt cauſa per ſe involuntarii, ſeu renitentiæ voluntatis; ſed tantummodò per accidens, occaſione nimirum affectus, quo tenetur viator ad pecuniam à ſe datam. Si enim hanc pecuniam flocci faceret, haud dubiè abſque voluntatis renitentia eam largiretur.

Conf. 1. Multa fieri poſſunt ex metu, quæque ſublato metu non fierent, quæ tamen non ſunt involuntaria: Ergo metus per ſe non cauſat involuntarium. Supponamus viatorem ad tranſeundum per hanc vel aliam viam ancipitem, atque indifferentem, qui unam præ alia ſeligit ex metu latronum in illa inſidiantium. Profectò viæ iſtius electio ipſi utique nec eſt involuntaria, nec diſplicens, licèt à metu gravi totaliter cauſata.

Confir. 2. Talis poteſt eſse metus, qui voluntati imperet; non ſolùm ut rem cujus affectu detinetur, abjiciat, ſed & ipſummet affectum, qui diſplicentiam, ſeu involuntarium cauſat: Ergo tunc actus à timore cauſatus non erit involuntarius, nequidem ſecundùm quid. Prob. Quia metus gehennæ, v. g. peccatori imperare poteſt, non ſolùm ut peccatum abjiciat, ſed & affectum quem habet ad peccatum. Is enim metus imperare poteſt quidquid gehennæ neceſſariò devincit; atqui affectus ad peccatum gehennæ nos devincit: Ergo metus gehennæ imperare poteſt, ut affectus ad peccatum abjiciatur. Imò, ſi timor eſt efficax, implicat ipſum non imperare. Si enim non imperaret, vellet, & ſimul nollet gehennam vitare: vellet ex ſuppoſitione quòd ſit efficax: nollet autem, quia nollet affectum ad peccatum deponere, qui gehennæ nos addicit.

Dico IV. Quæ fiunt ex metu, ordinariè excuſantur à tanto, non à toto peccato.

Prob. Quia ordinariè fiunt contra voluntatis propenſionem, ſuntque in hoc minus voluntaria; cùm gravitas, aut levitas peccati à majori, vel minori voluntatis propenſione ortum habeat. Deinde quæ fiunt ex metu, ſunt ſimpliciter voluntaria; quia licet metus voluntatem impellat; non tamen ipſam neceſſitat: Ergo non excuſantur à toto.

Dixi *ordinariè*. Tum quia quæ fiunt ex metu, poſſunt quandoque abſque voluntatis renitentia fieri, ut mox probatum eſt, & tunc non excuſantur à tanto; tum quia talis poteſt eſſe metus, ut rationem perturbet, & advertentiam ad peccatum neceſſariam auſe-

auferat, & tunc à toto poſſet excuſare.

Objic. Quæ fiunt ex metu gravi contra præcepta juris poſitivi, ad culpam non imputantur; Ergo metus excuſat à toto.

℟. Non ideò ad culpam non imputantur, quod metus excuſet à toto; ſed quia prædicta præcepta in tali caſu non cenſentur obligare, ut videbitur in Tractatu ſequenti.

QUÆSTIO III.

An, & quomodò concupiſcentia cauſet involuntarium?

Not. 1. Concupiſcentia ſumitur dupliciter 1. pro propenſione ad bonum ſenſibile, quatenus naturæ rationali eſt conveniens. Voluntas enim eſt inclinatio in bonum totius ſuppoſiti, quod cùm rationale ſit, ac ſenſibile, naturaliter propendet in bonum honeſtum, & ſenſibile. 2. Sumitur pro qualibet voluntatis, & appetitus ſenſitivi inordinatione per peccatum originale omnibus inſita hominibus. Hanc diſtinctionem exponit D. Thom. 1. 2. q. 82. art. 3. ad 1. dicens: *In tantum concupiſcere eſt homini naturale, in quantum eſt ſecundùm rationis ordinem: Concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam, & talis eſt concupiſcentia originalis peccati.*

Not. 2. Concupiſcentia ſecundo modo ſumpta vel eſt antecedens, vel conſequens. Antecedens, quæ priùs exiſtens in appetitu quàm in voluntate, hanc movet ad amorem, vel iram. Conſequens, quæ priùs eſt in voluntate, quàm in appetitu, quem excitat, ut promptiùs, & delectabiliùs feratur in objectum. Porrò motus concupiſcentiæ antecedentis duplicis ſunt generis, vel omninò rationis advertentiam præveniunt, aut voluntate totaliter repugnante inſurgunt; & dicuntur *primo-primi*; vel non ita rationem præveniunt, aut contra voluntatem inſurgunt, quin is, qui ſenſibus ſuis diligenter invigilat, eos perſentire ac refrenare poſſit, & dicuntur *ſecundo-primi*.

Dico I. Motus primo-primi concupiſcentiæ antecedentis tollunt omninò voluntarium, & liberum, nec ſunt peccaminoſi.

Prob. Auct. Conc. Trid. ſ. de Pecc. orig. & Summ. Pontificum in damnatione Prop. 50, & 51. Baii, definientium ſimiles motus ab omni culpa eſſe liberos. Item D. Aug. l. 5. contra Jul. c. 3. *Fruſtra dictum eſt*, inquit, *poſt concupiſcentias tuas non eas, ſi jam quiſque reus eſt, quia tumultuantes, & ad mala trahentes ſentit eas*: Item D. Bernardi de inter. Dom. c. 19. *Non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus; imò quod reſiſtentem fatigat, vincentem coronat.*

Confir. Ex definitione voluntarii liberi; quod à principio intrinſeco, id eſt, à voluntate procedit, cum cognitione; ſed motus primo-primi rationem præveniunt, & voluntate totaliter repugnante inſurgunt; Ergo.

Objic. D. Aug. ſæpiùs inculcantem hos motus concupiſcentiæ eſſe peccata.

℟. D. Peccata materialia, C. Formalia; N. Siquidem ideò à S. D. peccata nuncupantur, vel quia ſunt defectus, & effectus peccati originalis, vel quia ad peccatum nos protrahunt: *Quamvis*, inquit ille, lib. 2. cont. Jul. c. 9. *Jam non eo modo appelletur peccatum, quod facit reum; ſed quod ſit reatu primi hominis factum, & quòd rebellando nos trahere nititur ad peccatum.*

Dico II. Motus ſecundo-primi, ad quos advertit ratio, & quibus conſenſum præbet voluntas, augent quidem voluntarium, ſed minuunt liberum.

Prob. 1. pars. Quia actus eò magis dicitur voluntarius, quò propenſione inteñſiori producitur; ſed actus à concupiſcentia propulſus talis eſt: Ergo. Secunda pars patet. Nam eò minor eſt libertas, quò minor eſt voluntatis indifferentia, majorque determinatio ad unam partem; ſed propellente concupiſcentia minor eſt voluntaris indifferentia, majorque determinatio; Ergo minor eſt libertas. Hinc.

Reſol. Graviora eſſe peccata, quæ fiunt ex malitia, quàm quæ ex motu concupiſcentiæ. Ordinariè tamen adhuc ſupereſt ad peccatum mortale ſufficiens libertas. Dixi, *ordinariè*; ſiquidem quandoque contingere poteſt, ut erga concitatos concupiſcentiæ motus *ſecundo-primos*, perfecta non ſubſit rationis advertentia, plenuſque conſenſus, quo in caſu peccatum erit tantum veniale.

Objic. Contra 1. part. Quæ fiunt ex concupiſcentia, fiunt ab extrinſeco cum minore cognitione; concupiſcentia enim voluntati eſt extrinſeca, impeditque, quominùs attentiùs ad ea, quæ ſint agenda, advertamus. Ergo concupiſcentia, potiùs minuit, quàm auget voluntarium.

℟. D. Concupiſcentia eſt voluntati extrinſeca de ſe. C. Quoad propenſionem, & delectationem quam voluntati ingerit, N. Deinde licèt concupiſcentia impediat, quominùs ad omnia, quæ ſunt agenda, diligentiùs advertamus; certum eſt tamen, quòd

quòd attentiùs intueamur objecta, quæ intenſiùs volumus, ſecundùm eam rationem, quæ nos delectat, quod ſufficit ut ex hac parte actus magis ſit voluntarius.

Objic. Contra 2. part. Si concupiſcentia minueret liberum, minueret & voluntarium; cùm enim omne liberum ſit eſſentialiter voluntarium, unum minui nequit, quin minuatur alterum.

℞. Diſt. Omne liberum eſt voluntarium, ratione principii in utroque intrinſeci, C. Ratione indifferentiæ, N. Unde quia poteſt minui indifferentia, quin minuatur principii intrinſeceitas; minui poteſt liberum, quin minuatur voluntarium. Prætereà libertas, ſeu indifferentia eſt proprietas ſpecifica voluntarii, & voluntarium eſt genus reſpectu liberi; ſed proprietas ſpecifica immutari poteſt, quin ratio generica immutetur: Murus enim, v. g. minùs albus aut niger eſſe poteſt, quin deſinat eſſe coloratus; ergo actus minùs poteſt eſſe liber, quin ſit minùs voluntarius.

Dico II. Concupiſcentia conſequens auget voluntarium, & liberum ſecundùm morale judicium, proindeque aggravat peccatum.

Prob. 1. pars. Quia per voluntatis ardorem excitata paſſio, ipſamet paſſio voluntatem intenſiùs protrahit, & propenſiorem magiſque voluntariam efficit.

Prob. 2. Quia major iſta voluntatis propenſio, ut ſupponitur, effectus eſt ipſiuſmet voluntatis, quæ omninò liberè paſſioni ſe devovit, nedum eam non refrænando, ſed & voluntariè excitando; ſicque magis rea efficitur, quatenus magis ac magis voluntariè, & liberè è ſeipſa in malo obfirmatur, & ad peccandum propenſior efficitur. Ex quo D. Thom. 1. 2. q. 77. a. 6. rectè concludit: *Quantò aliquis majori libidine, vel concupiſcentia peccat, tantò gravius peccat.* Nec refert, quòd paſſio ex voluntate fluens, ac redundans, actus indifferentiam aliqualiter minuat; ſi enim illum phyſicè minuat, non minuit moraliter, id eſt ſecundùm morale judicium, cùm præviſa fuerit, & ſponte excitata. Ex quo.

Reſol. Eos qui ex pravorum habituum propenſione peccant, nedum à peccato non excuſari, ſed & graviùs peccare; quia eum voluntariè hos habitus foveant, actus inde ſequentes ſunt in cauſa liberi, eoque gravius peccaminoſi, quò propenſiùs in malum feruntur. Potrò hi pravos ſuos habitus fovere cenſentur; qui eos extinguere atque evellere negligunt. Imò peccant toties quoties de ſua prava conſuetudine cogitantes, eam emendare non proponunt, qui enim in peccandi periculo deliberatè vult immorari, teſte Scriptura, eo ipſo peccat: *Qui amat*, inquit, *periculum*, *in ipſo peribit*. Eccl. 3. C.

QUÆSTIO VI.

De involuntario per ignorantiam.

IGnorantia; quæ eſt *carentia notitiæ in ſubjecto cognitionis capace* (rationis enim expertia propriè ignorare non dicuntur) multipliciter dividitur, tum ratione ſui, tum ratione objecti, tum denique in ordine ad voluntatem.

1. Ratione ſui, alia eſt *poſitiva*, quæ eſt error poſitivus, ſeu judicium falſum de aliquo, ut Hæreticorum ignorantia: alia *negativa*, quæ eſt carentia notitiæ, quæ poteſt, ſed non debet ineſſe ſubjecto; ut ignorantia Theologiæ in muliere: alia demùm *privativa*, quæ eſt carentia notitiæ, quæ poteſt, & debet ineſſe ſubjecto, ut ignorantia Sacramentorum in Chriſtiano.

2. Ratione objecti, alia eſt ignorantia *juris* ſeu præcepti, qua lex ſeu præceptum ignoratur: alia *facti* qua aliquod factum particulare legi contrarium eſſe ignoratur. Prætereà ignorantia juris diverſa eſt pro legum diverſitate: alia eſt enim ignorantia juris *naturalis*, hoc eſt in corde cujuſlibet à natura inſcripti: alia verò juris *poſitivi*, hoc eſt ab aliquo Legiſlatore lati.

3. In ordine ad voluntatem triplex eſt ignorantia, Antecedens nimirum, Concomitans, & Conſequens.

Antecedens ea eſt, quæ omninò voluntatem præcedit, nec ejus vitio oritur, ſed aliunde; ita ut nec directè, nec indirectè, nec interpretativè ſit volita, & tamen eſt cauſa volendi, quod alioquin ignorans non vellet: Talis eſt ignorantia illius, qui prudenter putans occidere feram, amicum occidit. Hæc ignorantia dicitur invincibilis, & inculpabilis, quia ſuperari, & depelli non potuit; vel quòd oppoſitum nec menti occurrerit, nec occurrere debuerit; vel quòd ſi occurrerit, adhibita ſufficienti diligentia, quam prudentes viri, & timorati ejuſdem conditionis in ſimili negotio præſtare ſolent, pro indaganda veritate, ignorantia depelli, & veritatis cognitio obtineri non potuit.

Concomitans ignorantia ea eſt, quæ licèt opus comitetur, non eſt tamen illius cauſa;

Digitized by Google

quia ad illud nec voluntatem propellit, nec ab illo eam avertit, & perinde factum fuiſſet, licèt abfuiſſet ignorantia. Talis eſt ignorantia Hæretici, qui neſcius utrùm ſit dies Veneris, comedit carnes, quas comediſſet, ſi diem noviſſet.

Conſequens ignorantia ea eſt, quæ à voluntare pendet, & ipſam conſequitur, licèt reſpectu operis, in quod influit, ſit antecedens; talis eſt ignorantia Ruſtici, qui Fidei Myſteria ignorat, quia Cathechiſmo intereſſe neglexit. Hæc ignorantia vincibilis, & culpabilis dicitur; quia depelli potuit: Et eſt, vel directè, vel indirectè, ſeu moraliter, & interpretativè volita. Cenſetur directè volita, quando quis vult expreſsè ignorare, quod ſcire poterat, & debebat, ut liberius agat; & vincibilis *affectata* vocitatur. Cenſetur autem indirectè, ſeu moraliter, & interpretativè volita, quando quis non vult quidem expreſsè ignorare, ſed non curat, prout debet, addiſcere, quæ poteſt ac tenetur; & dicitur *non affectata*; & hæc iterum duplex eſt: alia eſt *craſſa*, ſeu *ſupina*, quæ facili negotio depelli poteſt ab eo, qui nullam, vel modicam adhibuit diligentiam: alia *non craſſa*, qua laborat is, qui aliqualem, ſed non planè ſufficientem, adhibuit diligentiam.

Cæterùm quæ de ignorantia mox retulimus, dicenda ſunt de oblivione, & inadvertentia, quæ eſt quædam actualis ignorantia; quod nempè alia ſit invincibilis, vincibilis altera, tam juris quàm facti. Invincibilis inadvertentia dicitur, dum quis advertere nec potuit, nec debuit, tum quia nullus omninò, vel minimus ſcrupulus, nec cogitatio præceſſit; tum quia inadvertens nullam ſuæ diſtractioni occaſionem præſtitit. Vincibilis è contrà dicitur, dum quis advertere potuit, ac debuit. Potuit autem advertere is, qui etſi de re aliqua facienda, vel non facienda actu, & expreſsè non cogitet, cogitat tamen de re aliqua, vel circumſtantia, quæ ita connexa eſt cum re facienda, ut ipſum facilè movere poſſit ad ejus cogitationem. Debuit verò, ſi propter inſtantem aliquam paſſionem, negligentiam, imprudentiam, aut præproperam feſtinationem, non cogitavit.

Circa ignorantiam duo ſunt exponenda ſequentibus Articulis. 1. An, & quomodò ipſa cauſet involuntarium. 2. Circa quæ detur ignorantia invincibilis.

ARTICULUS I.

An, & quomodò ignorantia cauſet involuntarium.

DICO I. OMnis ignorantia antecedens invincibilis tollit penitùs voluntarium, & ab omni culpa eximit.

Prob. 1. Ex Scriptura. Jacob. 4. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi*: Ergo qui bonum non operatur, quia neſcit, non eſt illi peccatum. Et Apoſt. Rom. 1. docet Gentiles Philoſophos eſſe *inexcuſabiles, quia, cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*. quod manifeſtè ſupponit peccatures non fuiſſe, ſi Deum ignoraſſent.

Prob. 2. Auct. Conc. Trid. & Summ. Pontificum, qui toties Anathemate perculerunt Blaſphematores, dicentes præcepta Dei obſervatu eſſe impoſſibilia. Si enim urgeret præceptum obſervandi, quod invicibiliter ignoratur, illud eſſet impoſſibile, cùm illud, quod ſic ignoratur, omninò nequeat obſervari.

Prob. 3. Ex D. Auguſtino inter cæteros Patres, lib. 3. de lib. arb. c. 18. *An tanta fallacia eſt, ut caveri omninò non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt.* Et c. 19. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras.*

Prob. 4. Ratione. Quot fit ex ignorantia, fit abſque cognitione, & contra voluntatis propenſionem; cùm operans cenſeatur ita diſpoſitus, ſaltem habitualiter, ut ſi ignorantia abeſſet, opus non præſtaret; quæ autem ſic fiunt, omninò ſunt involuntaria: Ergo.

Obji. 1. Multa Scripturæ loca, quibus indicatur actiones ex ignorantia elicitas, eſſe peccata. 1. Levit. 5. Statuuntur Sacrificia pro his, qui ex errore, oblivione, & ignorantia, peccaverunt. 2. Luc. 12. Legitur, quòd ſervus, qui peccavit ignorans voluntatem Domini ſui, vapulabit. 3. Pſalm. 24. Propheta inter peccata ſua commemorat juventutis ſuæ ignorantias.

℞. In his, & ſimilibus textibus non agitur niſi de ignorantia aliqualiter vincibili, ut expreſsè docet D. Aug. L. de natura, & grat. c. 17. *Aliud eſt*, inquit, *non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia Legis videbantur expiari, aliud intelligere velle nec poſſe.*

Objic. 2. Damnationem in Synodo Dioſpolitana promulgatam iſtius Pelagianorum

Digitized by Google

Dogmatis: *Oblivio, & ignorantia non ſubjacent peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem.*

℟. Illud Dogma in ſenſu Pelagianorum, non in ſenſu Catholicorum, damnatum fuiſſe. Siquidem duplici ex capite Pelagiani errabant circa ignorantiam. 1. Quia nullam in homine lapſo admittebant concupiſcentiam, aut agendi difficultatem, quæ nos inter agendum moraliter neceſſitaret; ideò omnem ignorantiam dicebant eſſe invincibilem, quandò non erat facilè vincibilis, quod eſt hæreticum. 2. Quia gratiæ neceſſitatem rejiciebant, eam ſolùm ignorantiam dicebant vincibilem, quæ ſolis naturæ viribus ſuperari poteſt; docentes eo ipſo, quo gratiæ auxilio ad benè agendum indigemus, immunes nos eſſe ab omni peccato, ſi bonum non faciamus; Unde D. Aug. l. de nat. & grat. c. 17. ut referat illud Pelagii dicentis: *Ideò eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentia ſua*, fatetur id verum eſſe: *Dum tamen*, inquit, *omnia potiùs diſputet, quàm ut oret, & dicat: da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.*

Objic. 3. Plurimos SS. Patrum Textus, maximè D. Auguſtini, docentium, *neceſſe eſſe ut peccet is, à quo ignoratur juſtitia*, ſicque omnem ignorantiam eſſe peccatum,

℟. In his, & ſimilibus Textibus Sanctos PP. ſermonem facere de vincibili ignorantia. Quòd ſi autem loquantur de invincibili: vel ſenſus eſt, quòd quidem naturæ viribus ſuperari nequeat, non verò gratiæ divinæ, cujus quotidie implorare tenemur auxilium; vel intelligendum eſt illam ignorantiam peccatum eſſe materiale, ſeu defectum naturæ; vel tandem agitur in his Textibus de ignorantia Myſteriorum, neceſſitate medii credendorum, ſine quorum fide, ac notitia ſalus obtineri nequit.

Objic. 4. Reg. Juris in 6. ſtatuentis, num. 13. *Ignorantiam facti non juris excuſare*; Ergo non omnis ignorantia excuſat à peccato.

℟. D. In foro externo, C. In foro interno, N. Quia cùm agitur de judicio ab hominibus ferendo, plerumque judices ignorantiam facti excuſant, non autem legis. Sic excuſatur homo, qui hominem occidit, putans invincibiliter eſſe feram, qui tamen non excuſaretur, ſi diceret ſe ignoraſſe homicidium eſſe illicitum. Huc accedit, quòd argumentum nimis probat: probaret quippe ignorantiam juris poſitivi non excuſare, quod nec ipſi volunt Adverſarii.

Objic. 5. Ad veram, & propriam peccati rationem ſufficit, ut nobis ſit voluntarium voluntate Adami; quandoquidem peccatum originale non alia ratione nobis eſt voluntarium, quod tamen in omnibus, ac ſingulis hominibus veri, ac propriè dicti peccati rationem obtinet: ſed ignorantia invincibilis juris naturæ nobis eſt voluntaria voluntate Adami, cùm peccati originalis ſit pœna: Ergo verum eſt, ac propriè dictum peccatum.

℟. Negò ideò ignorantiam invincibilem nobis eſſe voluntariam voluntate Adami, quia eſt pœna peccati illius. Siquidem nihil nobis eſt voluntarium voluntate Adami, niſi quod Adamus voluit: noluit autem pœnam peccati ſui; Ergo ignorantia, quæ eſt pœna peccati ejus, nobis non eſt voluntaria voluntate Adami. Præterea, ſi quælibet pœna peccati primi hominis nobis eſſet voluntaria, ſequeretur motus *primo-primos* concupiſcentiæ, imò & omnia inordinata, quæ ex amentia, phreneſi, aut cœcitate corporali prodeunt, eſſe peccata propriè dicta, quod eſt hæreticum, & ab Eccleſia damnatum.

Cæterum, etſi verum eſſet, quod falſum eſſe contendimus, ignorantiam invincibilem voluntate Adami nobis eſſe voluntariam; non inde ſequeretur, quòd ipſa foret peccatum actuale propriè dictum, de quo ſolummodò eſt quæſtio; ad illud enim requiritur voluntas propria, non aliena. Unde jure ac merito Alex. VII. hanc Bajanam damnavit propoſitionem: *In ſtatu naturæ lapſæ, ad peccatum mortale, & demeritum, ſufficit illa libertas, qua voluntarium, & liberum fuit in cauſa ſua peccato originali, & voluntate Adami.*

Objic. 6. Si ignorantia invincibilis à peccato excuſaret, longè melior eſſet ignorantium conditio, qui poſſunt tantùm peccare materialiter, quàm eorum qui legem cognoverunt; quod eſt abſurdum.

℟. Neg. ſequelam. Quia qui invincibiliter, & bona fide ignorat, habitualiter eſt diſpoſitus, ut legem impleret, ſi cognoſceret. Huc accedit, quòd eo argumento probari poſſet meliorem eſſe conditionem ebrii quàm temperantis, ſtulti quàm ſanæ mentis, dormientis quàm vigilantis; quod nemo cordatus dixerit: Unde argumentum nimis probans, nihil probat.

Dico II. Ignorantia concomitans nec voluntarium, nec involuntarium cauſat; ideoque nec accuſat, nec excuſat ex ipſa agentem.

Prob. Quia nihil poteſt dici voluntarium, quod non eſt cognitum; nec involun-

luntarium, quod non ſolùm ſit ſine repugnantia, verùmetiam cum magna, ſaltem habituali, propenſione voluntatis. Ex quo patet hæreticum hominem, v. g. qui cum tali ignorantia Leges Eccleſiæ perfringit, ab externa quidem violatione excuſari, nec pœnis violationi annexis obnoxium eſse; licèt interna violatione propter affectum inordinatum Reus exiſtat.

Dico III. Ignorantia conſequens, non affectata, opus voluntarium ſimpliciter, & involuntarium ſecundùm quid efficit: affectata verò adauget voluntarium, ſimul & peccatum.

Prob. 1. pars. Quia qui vult cauſam, vult effectum ex ea neceſsario profluentem; Atqui vincibiliter ignorans vult ignorantiam, quam vincere potuit, ac debuit; Ergo & effectum ex ea ſubſequentem, qui ſic ſibi eſt voluntarius. 2. Pars patet. Illud enim, quod ſit ex ignorantia conſequente, ſit contra aliqualem voluntatis propenſionem; cùm agens ſic diſpoſitus ſupponatur, ut opus non præſtaret, niſi ignorantia laboraret; ex quo ſequitur ipſum ſibi eſse minùs voluntarium, minuſque peccaminoſum. 3. Pars etiam eſt evidens. *Ignorantia* quippe *affectata*; inquit D. Thom. 1. 2. part. q. 76. a. 4. *ex intentione voluntatis ad peccandum provenit; quòd aliquis vult ſubire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi*, conando nimirum conſcientiæ ſcintillam extinguere, quam menti noſtræ Deus indidit, ut eſset frænum retrahens à peccato.

QUÆR. Circa vincibilem ignorantiam; utrùm, qui ex ea legem perfringit, duplex peccatum committat, tum propter ignorantiam culpabilem, qua laborat, tum propter opus illicitum, quod ex ipſa perpetrat.

℞. Cum diſtinctione. Si ignorantia ſit eorum, quæ ratione ſui ſcire tenetur, certum eſt ipſam eſse peccatum ſpeciale diſtinctum ab eo, quod ex ejuſmodi ignorantia profluit; ſic enim peccans, duo præcepta ex diverſo motivo lata ſolvit. Quòd ſi verò ignorantia ſit eorum, quæ ratione ſui ſcire non tenetur, ſed per accidens ratione operis peragendi; dicendum eſt unicum eſse peccatum contra eam virtutem, ad quam ſpectat illius, quod vincibiliter ignoratur, obſervatio. Hinc.

Reſol. 1. Confeſsarius, qui ex ignorantia moralis Theologiæ pœnitentem ſacrilegè abſolvit, duplex peccatum committit. Idem dicendum eſt de Judice, Advocato, Medico, qui peccant ex ignorantia eorum, quæ ex officio ſuo ſcire tenentur.

Reſol. 2. Unum duntaxat peccatum homicidii perpetrat, qui ex vincibili inadvertentia hominem occidit, putans eſse feram. Item qui vincibiliter ignorans diem eſse jejunii, non jejunat, peccat ſolummodò contra Legem Eccleſiaſticam; quia ſupradicti hæc ſcire non tenentur ratione ſui; ſed ratione operis peragendi, vel non peragendi, &c.

ARTICULUS II.

Circa quæ detur ignorantia invincibilis?

Not. JAm ſatis perſpicuum eſt, in omni materia dari poſse ignorantiam, nedum facti, ſed & juris humani poſitivi, invincibilem. Sic enim Jacob juxta SS. Patres inculpabiliter acceſſit ad Liam, quam putabat eſse Rachelem. Sic Jonathas abſque peccato favum mellis guſtavit contra imperium Patris ſibi ignotum. Sed tota quæſtio exoritur, tum de jure poſitivo divino, tum de jure naturæ, quo circa.

Dico I. Dari poteſt ignorantia invincibilis, & inculpabilis juris divini poſitivi, nedum in Infidelibus, ſed & in Fidelibus.

Prob. 1. pars. Joan. 24. *Si non veniſſem*, inquit ſumma Veritas, *& locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*. Quod explanans D. Aug. Tract. 89. in Joan. *Hoc autem*, inquit, *peccatum, quia non crediderunt in Chriſtum, ſi non veniſſet, non utique haberent*. Et paulò poſt ſubdit: *Habere illos excuſationem, non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus*.

Conf. Ex multis relationibus, quibus compertum eſt in diverſis mundi partibus Barbaras Nationes repetiri, quæ nihil unquam de Legibus Evangelicis audierunt, vel audire potuerunt, & à quibus Lex Evangelica invincibiliter, proindeque inculpabiliter ignoratur. *Nam quomodo* inquit Apoſtol. Rom. c. 7. *invocabunt in quem non crediderunt; aut quomodò credent ei quem non audierunt, quomodò audient ſine prædicante*, &c. Hinc jure meito damnata eſt hæc Baii prop. *Infidelitas purè negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt*.

Prob. 2. pars. Contingere poteſt, ut aliquis fidelis Ruſticus de Lege quadam particulari, v. g. de ſumenda Euchariſtia in articulo mortis, nihil prorſus à Parentibus, aut

Pa-

Digitized by Google

Parochis ſuis audierit, proindeque nihil de eo cogitaverit, aut cogitare moraliter potuerit. Imò contingere poteſt, ut aliquis, vel doctus, erret circa Legem Divinam, ad quam dignoſcendam omnem adhibuit diligentiam; ſiquidem viri doctiſſimi de Jure divino multa docent quotidie omninò contradictoria; Ergo dari poteſt Juris divini poſitivi invincibilis ignorantia.

Dico II. Non datur ignorantia invincibilis Legum, vel præceptorum particularium, quæ ad ſtatum, vel officium cujuſque ſpectant, ſaltem quo ad ea, quæ ordinariè in illo ſtatu, vel officio ſciunt hi, qui ſalutis ſuæ ſunt ſolliciti.

Prob. Auctoritate Legum Civilium, quæ in hoc ab omnibus Theologis ſuſcipiuntur. L. *Quod te mihi* §. de reb. cred. ubi *paria* dicitur *eſſe ſcire, & debere ſcire*. Et Inſt. de L. *Aquil.* §. Præterea, ubi ſic legitur. *Imperitia quoque culpæ annumeratur, veluti ſi Medicus ſervum tuum occiderit, quia malè eum ſecuerit, & perperam ei medicamentum dedit*. Ubi & Gloſſa *juſtiſſimè autem*, inquit, *Medico imputatur, qui quod non benè didicit, tam gravi multorum periculo profitetur, & de vita hominis temerè ludit*. Eodem referri poteſt quod ait D. Thom L. 99. q. 7. de Malo a. 7. *Ignorantia illa, qua quis ignorat ea, quæ tenetur ſcire, non eſt abſque peccato*; Unuſquiſque autem tenetur ſcire, quæ ad officium ſuum ſpectant.

Ratio Concluſionis eſt evidens ex principiis ſuprà poſitis. Nam ignorans ea, quæ ad ſtatum, & officium ſuum ſpectant; vel actu, & expreſsè cogitavit ſe non ſufficienti pollere ſcientia; vel non actu, & expreſsè cogitavit. Si primum, & non obſtante hac cogitatione, ad ſcientiam acquirendam ſufficientem non adhibuerit diligentiam, profectò ejus ignorantia vincibilis eſt, & culpabilis. Si ſecundum, erit etiam culpabilis; quia licèt actu, & expreſsè non cogitaverit, perſæpè tamen cogitavit de multis rebus, aut circumſtantiis, quæ cum rebus ſciendis adeo erant connexæ, ut ipſum facilè movere potuiſſent ad eorum notitiam comparandam. Huc accedit torporem animi, propriæque ſalutis incuriam cauſam eſſe hujuſce oblivionis, & inconſiderationis, quæ proindè eſt in cauſa ſua voluntaria, & culpabilis. Hinc.

Reſol. 1. Profitentes officium publicum, vel artem periculoſam, Parochi, Superiores, Confeſſarii, Judices, Medici, &c. qui neceſſaria ad talem artem, vel officium debite peragendum ignorant, à peccato non excuſantur, plerumque mortali.

Reſol. 2. Idem dicendum eſſe de Patribusfamilias, Servis, Conjugatis, &c. Maximè autem de viris Eccleſiaſticis, ac Religioſis, quibus incumbit obligatio, nedum propriæ ſaluti, ſed & proximi invigilare; ſi Profeſſionis ſuæ ſtatutorum, & obligationum ſufficientem notitiam non ſibi comparaverint.

Reſol. 3. Mortaliter peccat, qui abſque debita ſcientia officium Judicis, Superioris, Confeſſarii, Parochi, ambit aut acceptat; quia temerè peccandi periculo ſe committit. Item qui peritiam neceſſariam defectu naturali comparare non valet, ob eamdem rationem tenetur ſub mortali officium à ſe comparatum deponere.

Dico III. Non datur ignorantia invincibilis circa primaria, & univerſaliſſima Juris naturalis principia, nec circa concluſiones ex his immediatè ſequentes; prout ſunt præcepta Decalogi, ſecundùm generales ſuas rationes conſiderata.

Prob. Ratione. Quia illud non ignoratur invincibiliter, cujus cognitio cuilibet ſincerè volenti, atque intendenti facilis eſt, & obvia; ſed facilis eſt, & obvia iſtorum principiorum cognitio: *Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris*; vel iſtud, *unicuique jus ſuum eſt tribuendum*: ex quibus abſque negotio, aut labore eruitur non eſſe furandum, aut occidendum, cùm hæc, & ſimilia generaliter ſpectata ſint omnibus evidentiſſima: Ergo.

Prob. Ex Script. Rom 2. *Cùm enim Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea quæ Legis ſunt, faciunt; ejuſmodi Legem non habentes ipſi ſibi ſunt Lex, &c.* In hunc planè ſenſum de omnibus, & ſingulis hominibus verba faciens Pſalm. 4. *Signatum eſt*, inquit, *ſuper nos lumen vultus tui, Domine*; quo lumine, ſaltem notiſſima Legis naturalis principia, omnes, niſi ex induſtria cæcutire velint, facillimè cognoſcere poſſunt.

Prob. Ex D. Aug. in Pſal. 57. *Multa ſunt, de quibus ſingulis interrogati homines, clara voce reſpondent, nolle ſe pati, v. g. Furtum eſt bonum? Adulterium bonum eſt? Homicidium bonum eſt? & omnes clamant, non* Aſſentit Auguſtino D. Thom. 1. 2. q. 94. a. 6. *Non poteſt*, inquit, *Lex naturæ, quoad ejus communia, & univerſalia omnibus nota principia, ex cordibus hominum aboleri; ſed quoad particularia quædam, & in paucioribus*.

Objic.

Digitized by Google

Objic. Iſtud Rom. 7. *Peccatum non cogno vi niſi per Legem*: Ergo ante Legem ſcriptam omne genus humanum, omnia Decalogi præcepta invincibiliter ignorabat; & qui hanc Legem etiam nunc noverunt, ea laborant ignorantia.

℟. Diſt. Ante Legem ſcriptam omne genus humanum ignorabat præcepta Decalogi quibus peccata voluntatis, & deſiderii prohibentur, C. Quibus peccata quælibet univerſim loquendo prohibentur, N. Nam homines ſub Lege naturæ noverant id ſolùm eſse peccatum, quod ratio dictabat alteri eſse nocumento, cujuſmodi profectò non ſunt peccata voluntatis, & deſiderii. Ut manifeſtè indicant Apoſtoli verba. Cùm enim dixiſset, *peccatum non cognovi niſi per Legem*, mox ſubdit: *Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces.*

Dico IV. Dari poteſt, ſaltem ad breve tempus, in rudibus ignorantia invincibilis, quorumdam Juris naturalis præceptorum, quæ à primis principiis eruuntur; dum ſcilicet aliqua veſtiuntur circumſtantia apparenter bona. Mentiri v. g. ad vitam innocentis conſervandam, ſeipſum occidere ad tuendam caſtitatem, ſuſcipere lucrum ex mutuo, &c.

Prob. Ex D. Chryſoſt. Hom. 62. in Gen. D. Ambr. l. 3. in Luc. c. 3, Theod. q. 94. in Gen. qui Thamar excuſaverunt à peccato, dum habitu meretricio ſocerum ſuum Judam induxit ad carnalem concubitum, ratione procreandæ prolis ex progenie Abrahæ. Item auctoritate ejuſdem D. Chryſoſt. Hom. 44. in Gen. excuſantis filias Loth, *quæ putaverunt*, inquit, *generalem totius orbis interitum factum, nullumque amplius hominem ſuperſtitem; ideoque, ne periret genus humanum, à Patre inebriato filios procrearunt.*

Confir. Ex D. Aug. l. 1. de Serm. Dom. in mont. c. 29. ubi dubitare videtur, utrùm adulterinus ſit concubitus mulieris cujuſdam, quæ divitiis alicujus impudicis deſideriis conſenſit, obtenta viri licentia; imò & ipſomet jubente, & volente, ut eum à mortis periculo liberaret: *Nihil hinc in alteram partem*, inquit, *diſputo, liceat cuique æſtimare quid velit.* Si ergo tantus Doctor de ſimili caſu dubitavit, quidni rudiores nonnulla juris naturalis præcepta, in quibuſdam circumſtantiis poſita, invincibiliter ignorare potuerunt?

Dixi. 1. *Ad breve tempus*, quia apud Fideles, adeò frequens eſt inſtructio, ut in praxi talia ignorantes difficillime excuſare debeamus.

Dixi 2. *Dum aliqua veſtiuntur circumſtantia*, &c. Siquidem defectu ejuſcemodi circumſtantiæ, non videntur excuſandi Adoleſcentuli, qui turpitudines in ſeipſos, ac in ſocios exercent; nec Conjugati, qui in deſideriis ſuis exardeſcentes, jure Matrimonii turpiter abutuntur; multò minùs, qui pollutionem ſibi promovent; quidquid protendere velint, hæc & ſimilia eſſe illicita ſeſe tunc penitus ignoraſse, nullumque circa hæc ſcrupulum paſsos fuiſse. Quippe certum eſt ad peccatum mortale non requiri, ut ſuo dicetur loco, claram, & explicitam mali perpetrandi cognitionem; ſed planè ſufficere, ut gravis quædam in hâc actione confuſè apprehendatur turpitudo. Hanc autem Adoleſcentulos in actionibus inhoneſtis, quas in ſe invicem exercent, turpitudinem apprehendere perſpicuum eſt; ex eo quod in eis exercendis omni cura omnium fugiunt oculos, & latebris ſtudioſiſſimè ſe occultant.

Idem ratione longè potiori dicendum venit de Conjugatis, qui jure Matrimonii turpiter abutuntur, aut de his, qui pollutionem ſibi promovent; quia impoſſibile videtur, quin in his exercendis turpitudinibus gravem non apprehendant deformitatem, ſaltem confuſè; quia nulla niſi turpi veſtiuntur circumſtantia, & *nulla eſt anima tam perverſa*, Aug. teſte l. 2. de Serm. Dom. in mont. c. 6. *in cujus conſcientia non loquatur Deus.*

Dico V. In doctis etiam, & litteratis dari poteſt ignorantia invincibilis, quoad nonnullas concluſiones à primis principiis remotiùs deductas, ſaltem in caſibus quibuſdam perplexis, atque extraordinariis.

Prob. Experientia, qua conſtat non raro contingere, ut Doctores ipſi, vel peritiſſimi, quandoque inter ſe diſceptent, an aliquid licitum ſit jure naturæ, vel illicitum. Ut patet de D. Bonav. & D. Thom. qui in materia juris naturæ in contradictorias abiere ſententias. Prior ſcilicet D. Bonav. aſserendo, poſterior negando, Judici licitum eſse morti addicere eum, quem privata ſcientia certò novit innocentem, dum publicè ac ſervato ordine juris nocentem eſse probatum eſt.

Prob. Ex abſurdis; quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, quòd nullus Parochus, aut Confeſſarius interrogatus ſuper perplexo, & ambiguo caſu, ad jus naturæ ſpectante, tuta conſcientia quòd ſibi coram Deo viſum fuerit

fuerit reſpondere poſſe ; nè ſe & alios periculo culpabiliter errandi committat. Item ſequeretur, nullum Officia Eccleſiaſtica, aut Civilia ſuſcipere poſſe, cùm nullum exerceri poſſit, abſque periculo quidpiam contra jus naturæ per ignorantiam mandandi, aut peragendi.

Objic. 1. Ex noſtra ſententia ſequeretur mandata Dei plerumque eſſe impoſſibilia ; quia adimplere non valemus, quòd invincibiliter ignoramus.

℞. Diſt. Mandata Dei eſſent plerumque impoſſibilia his qui nec illa cognoſcunt, aut cognoſcere poſſunt, C. his qui vel ea cognoſcunt, vel cognoſcere poſſunt, N. Cùm autem dicitur Deum impoſſibilia non jubere, intelligitur reſpectu eorum, qui ſecundùm Legem ordinariam, & citra miraculum, aut ea cognoſcunt, aut cognoſcere poſſunt.

Obj. 2. Scriptum eſt, quòd facilè *inveniatur ſapientia ab his*, nimirùm, *qui illam quærunt* orationibus, jejuniis, & piis operibus. Item ſcriptum eſt, *quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis*. Demùm commune eſt Theologiæ effatum: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*; Ergo nullus Legem naturæ invincibiliter, & inculpabiliter ignorare poteſt, cùm ejus notitiam orando, pulſandoque potuerit obtinere.

℞. In hac lacrimarum, & tenebrarum valle omnimoda Legis naturæ peritia comparari nequit, abſque ſingulari ac privilegiara gratia, quæ omnibus Juſtis, etiam in oratione perſeverantibus non conceditur. Ut patet de D. D. Thom. & Bonav. quorum alter aliquid ad jus naturæ ſpectans ignoravit, licet aſſiduam orationem non prætermiſerit: ea autem ignorantia, quæ abſque hac ſpeciali graria depelli nequit, cenſetur moraliter invincibilis.

Deinde ex hoc argumento ſequeretur, nullam dari ignorantiam invincibilem facti, aut juris poſitivi; imò motus *primo-primos* ac indeliberatos concupiſcentiæ vincibiles eſſe, & culpabiles; utpote qui aſſidua oratione ſuperari poſſent; attamen Apoſt. *ter Dominum rogavit, ut auferentur à ſe*, & repulſam tulit.

ADNOTATIO 6.

(*)

Cum Author noſter Theologicum effatum : Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam *referat, nec illud, ut par erat in Reſponſione impugnet, advertere ſas erit, quod illud proſcriptum fuerit a Clero Gallicano in Comitiis anno* 1700. *tamquam renovans, ſubdole ſaltem*, ſemipelagianiſmum. *Sic igitur eſt diſtinguendum:* Facienti quod in ſe eſt *viribus gratiæ*, Deus non denegat gratiam *Concedo*. Facienti &c. *viribus naturæ, nego. Deus enim operibus a natura corrupta, & vulnerata elicitis non movetur ad conferenda ſupernaturalia ejus Dona.* Molinæ *ſectatores exiſtimant quidem ejus effati veſtigia in* D. Thoma *invenire ; maxime in Queſt.* 14. & 24. *de verit. & alibi. Sed quidquid ſit de eo, quod ibi ſcripſerit perſpicuum eſt ipſum poſtea, & in Comment. Epiſt. ad Rom.* 10. *Lect.* 3., *& præſertim in* Summa, *Opere poſtremis curis elaborato, clarius mentem ſuam aperuiſſe ; & declaraſſe, quæ alibi non tam nitide forſitan ſcripſerat. Etenim cum in* 1. 2. *Queſt.* 109. *a.* 6. *oſtendendum ſuſcepiſſet hominem abſque auxilio gratiæ ſeipſum ad gratiam diſponere, & preparare non poſſe, objicienti ſupradictum effatum.* Facienti quod in ſe eſt *ſic ipſe reſpondet*: Nihil homo poteſt facere, niſi a Deo moveatur, *ſecundum illud* Jo. 15. „ *ſine me nihil poteſtis facere* „ & ideo cum dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur hoc eſſe in poteſtate hominis ſecundum quod eſt motus a Deo *Similia habet in* 1. 2. *Queſt.* 112. *a.* 3. *ubi reſpuens ſupradictum effatum, ſic explicat textum Gloſſæ in Epiſt. ad Rom.* 5. Deus recipit eum, qui ad ſe confugit, aliter in eo eſſet iniquiras; *quem ſibi objecerat*: Gloſſa illa loquitur de illo, qui confugit ad Deum per actum meritorium liberi arbitrii per Gratiam informati, quem ſi non reciperet, eſſet contra juſtitiam, quam ipſe ſtatuit. Vel ſi referatur ad motum liberi arbitrii ante Gratiam, loquitur ſecundum quod ipſum confugium ad Deum eſt per motionem Divinam, quam juſtum eſt non deficere. *Talia ſunt quæ Angelicus Doctor ſcripſit in poſtremis ejus operibus, majori adhuc ſtudio elucubratis de celebri Moliniſtico Axiomate :* Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam. *Luce poſtea meridiana clariora ſunt ea, quæ pariter ſenſerat ejus Præceptor* Auguſtinus, *uti videre eſt apud* Auguſtinianos *Theologos*.

(*)

DISSERTATIO III.

De moralitate actuum humanorum.

MORALITAS præcipua eſt, & eſſentialis actuum humanorum proprietas ; cujus rationem eſſentialem, proprias ſpecies, varias affectiones, & principia extrinſeca ſequentibus Capitibus inveſtigabimus.

CAPUT I.

De ratione eſſentiali Moralitatis.

NOmen hoc *Morale* à more dicitur. Mos autem, ut verbum ipſum ſonat, eſt operandi frequens modus hominibus, qui,

ut

ut tales, non agunt, niſi ex rationis judicio, & electione voluntatis liberè ſe determinantis ad bonum vel malum, ex quibus laudem aut vituperium, pœnam vel præmium aſſequuntur. Unde oritur.

QUÆSTIO I.

Per quid formaliter Actus humanus conſtituatur in eſſe moris?

Not. Circa hanc quæſtionem, multiplices eſse ſententias. Nonnulli cenſent actum humanum in eſse moris conſtitui per id ſolummodò, quòd fiat ex cognitione, & advertentia rationis. Plerique exiſtimant conſtitui per id quòd fiat libere ſimul, & cum advertentia. Alii vero rursùs docent, advertentiam quidem rationis, & voluntatis libertatem neceſsariò prærequiri, ipſam tamen formaliter non conſiſtere, niſi in habitudine actus humani ad rectæ rationis regulam, cum quibus.

Dico. Actus humanus non eſt formaliter moralis, quod fiat liberè cum advertentia rationis, ſed per habitudinem, & ſubordinationem ad rectam rationem.

Prob. 1. Pars. Quod ſpectat ad rationem naturæ alicujus rei non conſtituit rationem formalem entitatis ejus moralis; cùm hæc duo ſint diverſa, habeantque diſtinctas formalitates: ſed agere cum advertentia, & libertate ad naturam creaturæ rationalis pertinet; per hoc enim diſtinguitur à cæteris animantibus in genere naturæ: Ergo agere cum advertentia, & libertate non eſt formalis ratio moralitatis.

Conf. Eàdem ſemper remanente libertate, variari poteſt moralitas, Actus quippe, qui in primo inſtanti bonus erat, in ſecundo fieri poteſt malus propter aliquam advenientem circumſtantiam; quia nempe, qui erat permiſsus, à Lege prohibetur. Item poſſunt eſse in uno actu plures moralitates, licèt unica ſemper ſuperſit libertas, abſurdum enim eſset dicere duas eſse libertates in eo, v. g. qui dat eleemoſinam Sacerdoti egeno, quia in hac eleemoſina duæ ſunt moralitates, Charitatis, ſcilicet, & Religionis: Ergo.

Prob. 2. Pars. Actus moralis dividitur in bonum, & malum, tanquam genus in ſuas ſpecies: Unde ſic argumentor. Ratio formalis alicujus generis eadem eſt ac ratio ſuorum inferiorum, quatenus ponuntur ſub tali genere; non enim huic generi ſunt inferiora, niſi quia participant formalem rationem hujus generis, per quam ipſum genus de ipſis prædicatur. Homo, v. g. non eſt ſpecies animalis, niſi quatenus participat rationem formalem genericam animalitatis, ſibi cum aliis animantibus communem. Sed actus bonus, & malus non ſunt morales, niſi quatenus ſubordinantur rationi, tanquam regulæ dirigenti: Ergo hæc ſubordinatio, & habitudo eſt ratio formalis moralitatis, cujus ſunt ſpecies.

Confir. Ex D. Thom 1. 2. q. 19. a. 1. ad 3. *Bonum per rationem repreſentatur voluntati, ut objectum; & in quantum cadit ſub ordine rationis, pertinet ad genus moris.* Et ipſemet S. Doctor mox citat. docet, *ita eſſe rectam rationem agibilium, ſicut ars eſt recta ratio factibilium*. Id eſt pari modo de moralibus ratiocinandum eſse ac de artificialibus; ſed res non dicitur artificialis, niſi quatenus procedit à potentia executiva, ut ſubordinata regulis artis: Ergo actus non dicitur moralis, niſi quatenus habitudinem habet ad rationis regulam.

Objic. 1. Idem eſt eſse actum humanum, & eſse actum moralem; nam omnis actus humanus moralis eſt, & vice verſa; ſed actus ideò eſt humanus, quòd fiat cum advertentia, & libertate. Ergo actus eſt formaliter moralis, quia fit ex advertentia, & libertate.

℞. Diſt. Maj. idem eſt eſse actum humanum, & eſse actum moralem, realiter, C. formaliter, N. Nam actum eſse humanum præcisè tantum ſonat ipſum fieri ex cognitione cum dominio in illam; ſed eſse morale dicit aliquid ampliùs, habitudinem ſcilicet ad regulam rationis, quæ quidem eſt formalitas à libertate diſtincta. Dum enim concipio actum, quatenus liberum, tunc concipio duntaxat, quòd ita ponatur, ut potuerit non poni. Sed intelligere nequeo, quòd ſit bonus aut malus moraliter, niſi eum ad rectam rationem referam.

Objic. 2. In eo ſita eſt moralitas, quo poſito ponitur, quo ſublato tollitur; ſed ſublata libertate tollitur moralitas, & poſita ponitur: Ergo. Siquidem eo ipſo quo adeſt libertas, actus eſt imputabilis; & illa deficiente non eſt ampliùs imputabilis, imputabilitas autem à moralitate non diſtinguitur.

℞. Diſt. Sublata libertate tollitur moralitas, & poſita ponitur, in ſenſu reali, C. Libertas enim eſt fundamentum totius moralitatis, ſine quo actus bonus, vel malus dici non poteſt. Sublata libertate tollitur moralitas, & poſita ponitur, in ſenſu

forma-

ormali, N. Quia poteſt concipi ratio formalis libertatis, quin concipiatur ratio formalis moralitatis, & vice verſa. Ad probationem, pari modo diſtinguendum eſt. Eo ipſo quo adeſt libertas, actus eſt imputabilis in ſenſu reali, C. in ſenſu formali, N. Præterea verum quidem eſt imputabilitatem à moralitate eſſe inſeparabilem; ſed priùs concipitur actum eſſe moralem, quàm imputabilem; cùm imputabilitas à moralitate profluat.

CAPUT II.

De Moralitatis ſpeciebus.

OMnibus compertum eſt bonitatem, & malitiam ſpecies eſſe proprias moralitatis. Sed utrùm detur altera moralitatis ſpecies intermedia, ſcilicet indifferentia, quæſtio eſt nobis ſtatim dirimenda. Deinde in quo primariò, & intrinſecè ſita ſit actus humani bonitas, vel malitia, inquiremus.

QUÆSTIO I.

Utrùm detur Actus indifferens.

Not. 1. HIc non eſſe quæſtionem de actibus indeliberatis, & naturalibus, qui ex imaginatione, vel impetu naturæ prodeunt, ut fricare barbam, manum ori admovere, &c. Certum eſt enim apud omnes, hos, & ſimiles actus eſſe indifferentes. Sed quæſtio eſt de actibus deliberatis, qui ex judicio rationis, & voluntatis determinatione fluunt, quique verè ac propriè dicuntur humani.

Not. 2. Duplicem intelligi poſſe actus indifferentiam, vel in ordine ad finem naturalem, vel in ordine ad ſupernaturalem, meritum ſcilicet, & demeritum. Juxta primum actus dicitur moraliter indifferens: Juxta ſecundum dicitur indifferens ſupernaturaliter.

Not. 3. Actum humanum dici poſſe moraliter indifferentem, vel ſecundùm ſpeciem ſeu naturam, quatenus ſpectatur tantùm in ordine ad ſuum objectum, abſtrahendo utrùm exiſtat à parte rei, necne: Vel ſecundùm individuum, ſeu quoad exercitium, quatenus ſpectatur cum omnibus ſuis, quibus hic, & nunc veſtitur, circumſtantiis, objecto, fine, & cæteris. His notatis.

Dico I. Datur actus indifferens ſecundùm ſuam ſpeciem, ſeu ex objecto.

Prob. Multa ſunt objecta ex ſe præciſè, nec honeſta, nec inhoneſta: v. g. levare feſtucam, fricare barbam, &c. Neque enim ulla Lege prohibita ſunt, vel imperata: ergo actus, qui circa illa verſantur, ſunt indifferentes ex ſpecie ſua, quæ ab objecto, ſecluſis aliis circumſtantiis deſumitur.

Confirm. Multi ſunt actus humani, qui non ſunt boni, niſi quia imperati, ut à laboribus ſuperſedere die Feſto; nec mali, niſi quia prohibiti, ut laborare die Feſto: Ergo ſecundùm ſuam ſpeciem ſunt indifferentes. Si enim ſecundùm illam eſſent determinatè boni vel mali, eſſent è contrà imperati, quia boni, aut prohibiti, quia mali; Ergo, &c.

Objic. 1. Inter contradictoria non datur medium; ſed bonum & malum ſunt contradictoria; ſiquidem actus bonus dicitur, qui Regulæ ſuæ eſt conformis; malus autem, qui non eſt conformis: eſſe autem conforme, & non eſſe contradictorium eſt: Ergo, &c.

℞. Nego abſolutè actum, qui non eſt conformis rectæ rationi, eſſe malum; quia ad hoc, ut aliquis actus ſit malus ex objecto, non ſufficit, ut non dicat conformitatem cum ratione; ſed præterea dicere debet aut repugnantiam ad bonum, aut privationem illius in ſubjecto cui debet eſſe bonitas. Unde cùm objectum aſſignari poſſit, quod ſecundùm ſe ſpectatum, nullam dicat conformitatem aut deformitatem ad rectam rationem; inde fit, ut poſſit dari actus aliquis indifferens ex objecto.

Inſt. Actus bonus, & actus malus ex objecto ſunt ſaltem privativè oppoſita; ſed inter privativè oppoſita non datur medium: v. g. inter viſum & cœcitatem, inter verum & falſum. Ergo.

℞. Neg. Maj. Quia privatio propriè dicta non dicitur, niſi de ſubjecto capaci alicujus formæ, quam debet habere: lapis, v. g. non dicitur viſu privari, & cœcus eſſe; quia non eſt ſubjectum viſionis ſuſceptivum; ſed dicitur ſimpliciter non videns. Sic multa ſunt objecta quæ cùm de ſe & ex natura ſua, bonitatis, aut malitiæ non ſint ſuſceptiva, ab ipſa privari dici non poſſunt, ideoque dicuntur ſimpliciter non bona, vel non mala.

Obj. 2. Si actus ſecundùm ſuam ſpeciem eſſet indifferens, nunquam fieri poſſet bonus vel malus; quia quod eſt indifferens ſecundùm ſuam ſpeciem, eſt eſſentialiter indifferens: quod autem eſt eſſentialiter tale non poteſt non eſſe tale; Ergo.

℞. Diſt. Quod eſt eſſentialiter tale, non poteſt non eſſe tale, ſecundùm illud per quod eſt eſſentialiter tale, C. ſecundùm illud, quod poteſt ipſi advenire, N. Verum quidem eſt, quòd actus eſſentialiter indifferens ex objecto, non poteſt non eſſe ex objecto indifferens; ſed actus indifferens ex objecto poteſt eſſe bonus vel malus, ex aliqua nova ſuperveniente circumſtantia bona vel mala.

Dico II. Non datur actus humanus in individuo ſpectatus, indifferens, & medius inter honeſtum & inhoneſtum, ſeu inter moraliter bonum & malum.

Prob. 1. Ex D. Aug. l. 2. de pecc. merit. c. 18. *Voluntas*, inquit, *mirum ſi poteſt in medio quodam conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit.* Et lib. 12. de util. cred. *Omne factum, ſi rectè factum non eſt, peccatum eſt. Nec rectè factum ullo modo eſſe poteſt, quod non à recta ratione proficiſcitur.* Et L. qq. q. 30. & Ep. 19. *Cavendum eſt*, inquit, *ne quædam facta hominum media dicamus inter rectè facta, & peccatum.*

Prob. 2. Aut. & Rat. D. Thom. 12. q. 18. a. 9. *Cùm rationis ſit ordinare; actus à ratione deliberativa procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali. Si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis: unde habet rationem boni. Neceſſe eſt autem quòd ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem: Unde neceſſe eſt omnem actum hominis à deliberativa ratione procedentem in individuo conſideratum, bonum eſſe vel malum.*

Prob. 3. Altera ratione ejuſdem S. Doctoris, loc. cit. *Sed contra eſt*, inquit, *quod Gregorius dicit in quadam Homilia otioſum verbum eſt, quod utilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut piæ utilitatis caret. Sed verbum otioſum eſt malum, quia de eo reddent homines rationem in die Judicii. Si autem non caret ratione juſtæ neceſſitatis, aut piæ utilitatis, eſt bonum. Ergo omne verbum aut eſt bonum aut malum. Pari ergo ratione & quilibet alius actus, vel eſt bonus, vel eſt malus: nullus ergo individualis actus eſt indifferens.*

Prob. 4. Quidquid deliberatè appetitur, appetatur neceſſe eſt ſub ratione boni, vel honeſti, vel delectabilis; utile quippe ad honeſtatem, vel delectationem ſpectat. Si appetitur propter honeſtatem, actus erit bonus: Si propter delectationem, erit neceſſariò malus & inhoneſtus; neque enim licitum eſt homini propter ſolam delectationem operari; ut definivit Innoc. XI. in damnatione prop. 8. & 9. inter 65 *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum: Et opus conjugii, ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, & defectu veniali.* Ratio hujus definitionis eſt ex D. Aug. l. 1. de nupt. & concup. c. 4. *Quia malè utitur qui beſtialiter utitur, ut ſit ejus intentio in voluptate.* Et lib. 4. cont. Julian. c. 4. *Cum ſuppleta neceſſitate amor edendi animum pulſat, jam libido eſt, jam malum eſt, cui cedendum non eſt, ſed reſiſtendum.*

Confirm. Quicumque tenetur agere ſecundùm rectam rationem, tenetur finem bonum, & honeſtum intendere; ſed homo, dum agit deliberatè, tenetur agere ſecundùm rectam rationem: Ergo dum agit deliberatè, tenetur intendere finem honeſtum. Maj. patet, quia actio rectæ rationi conformis, & actio honeſta ſunt unum & idem; non enim eſt honeſta, niſi quia rectæ rationi eſt conformis, nec rectæ rationi eſt conformis, niſi quia honeſta. Minor eſt etiam evidens; quia, ſi homo non ageret ſecundùm rectam rationem, non ageret ut homo, ſed ut Beſtia; quòd ſanè turpe eſt homini & inhoneſtum, proindeque contra ipſam rationem, & peccaminoſum.

Objic. 1. D. Hieron. dicentem. *Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria; inter utrumque indifferens eſt ambulare, &c.*

℞. S. D. hic ambulationem ſumere ſecundùm ſpeciem; id eſt, comparate ad ſuum objectum, non autem in individuo, quatenus ex certo fine, & in certis circumſtantiis fieri poteſt. Nec enim ſub alia ratione ambulationem accipit, quàm continentiam, & luxuriam, quas inter ſe confert: alioquin frivola eſſet ejus ratiocinatio. Sed accipit hic continentiam, & luxuriam juxta cujuſque ſpeciem, ſecundùm quam unam dicit bonam, alteram malam; Ergo hic accipit ambulationem ſub eadem ratione; id eſt, ſecundùm ſuam ſpeciem, non autem in individuo.

Dices. S. D. poſt hæc verba immediatè ſubdit, *Sive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam*; quibus verbis indicatur hos actus accipere in individuo; quidquid enim fit, utique fit in individuo, cùm actiones ſint ſingulorum.

℞. Per hæc ſubſequentia verba nihil aliud intendit, S. D. quàm quod jam dixit confirmare, videlicet ambulationem planè eſſe indifferentem comparatè ad objectum, quia nimirum ſive ambulaveris, ſive non, nul-

lam

Digitized by Google

ſam ex parte objecti juſtitiam aut injuſtitiam conſequeris; cùm ambulatio de ſe nec bona ſit, nec mala. Verum quidem eſt quod quidquid fit, utique fit in individuo; ſed iſta individualis actio ſpectari poteſt; vel reſpectu circumſtantiarum, cum quibus peragitur, vel reſpectu objecti, circa quod verſatur. Si ſpectetur reſpectu circumſtantiarum, neceſſariò bona eſt, vel mala: ſi reſpectu objecti indifferens eſſe poteſt. Hic eſt Hieronymi germanus ſenſus.

Obj. 2. Datur actio indifferens in ſpecie; ergo & in individuo; quia nulla eſt natura in ſpecie, quæ non habeat aliquod individuum, in quo ratio ejus maneat, quæque per contrarium non pereat: Unde cùm detur actio indifferens ſecundum ſuam naturam & ſpeciem, neceſſe eſt ut aliquod habeat individuum, proindèque aliqua poterit eſſe actio individua, quæ maneat indifferens.

℞. Ratio ſpecifica actus indifferentis, ſecundùm ſuam naturam, eſt quòd habeat objectum de ſe nec bonum, nec malum. Iſta autem ratio in multis individualibus actionibus, in hac, v. g. ambulatione, verè remanet, nec per contrariam deſtruitur. Tam quippe verum eſt, hanc ambulationem in particulari circa objectum nec bonum, nec malum verſari, quàm univerſaliter verum eſt, quædam dari objecta ſecundùm ſe ſpectata, quæ nec bona ſunt, nec mala. Verumtamen quia ſpecies tantummodo ſpectatur relativè ad objectum, individuum autem ſpectatur ſecundùm omnes ſuas circumſtantias: hinc eſt quod ſpecies dici poſſit indifferens, quin individuum dicatur indifferens, niſi ratione duntaxat objecti ſui indifferentis, non autem circumſtantiarum, quæ neceſſariò bonæ ſunt vel malæ.

Obj. 3. Nullibi extat præceptum, quemlibet actum deliberatum in bonum finem ordinandi: Vel enim præceptum illud Juris eſt naturalis, vel poſitivi. Non naturalis; quia Jus naturale, quod omnibus eſt commune, Decalogo continetur, in quo tamen non habetur præceptum iſtud. Non Juris poſitivi, quia nullibi Lex habetur Divina ea de re ſtatuta; Ergo non datur tale præceptum.

℞. Præceptum eſt Juris naturæ rationalis, quæ prout rationalis eſt, ut numquam, niſi rationaliter deliberatè agamus, nos jubet: & illud ad primum Decalogi revocari poteſt, quo tenemur rationis ſummæ & æternæ imperio, ac regimini ubique & in omnibus ſubjici. Et verò, cum recta ratio humana quædam ſit rationis æternæ participatio, & quaſi effluvium nobis connaturaliter inſitum; quidquid fit vel non fit juxta dictamen ejus, jure ac merito cenſetur fieri, vel non fieri juxta Legem æternam ſupremæ rationis, nempè Dei.

Inſt. Præceptum iſtud, ſi extet, eſt affirmativum; atqui tale præceptum non ſemper & pro ſemper obligat: Ergo.

℞. D. Non obligat pro ſemper abſolutè loquendo, C. hypotheticè, N. Non enim tenemur ſingulis vitæ noſtræ momentis agere cum rationis advertentia in bonum finem; quia hoc eſt impoſſibile: ſed ſuppoſito quòd deliberatè agamus, incumbit nos obligatio agendi rationabiliter. Huc accedit quòd præceptum iſtud, ſicut & cætera præcepta quæcumque affirmativa, aliquid negativi comprehendat: Videlicet, *nihil peragas deliberatè irrationabiliter, ſeu quod ad finem honeſtum, virtualiter ſaltem non referas.*

Obj. 4. Poteſt quis operari propter levem naturæ indigentiam aut commoditatem: v. g. fricare barbam, ſpuere, alvum purgare, &c. Sed ſimiles actus, etiam deliberate eliciti, nec boni ſunt, nec mali. Quis enim cordatus dixerit hominem laude, vel vituperio dignum eſſe, quòd ſpuerit, aut alvum purgaverit.

℞. Vel per corporis indigentiam & commoditatem intelligitur ſanitatis conſervatio, ſeu debita ſuſtentatio, quies aut recta corporis conſiſtentia; vel intelligitur bonum ſenſibile & delectabile. Si primum, actus ſupradicti ſunt formaliter honeſti, juxta D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 9. *Hoc ipſum*, inquit, *quòd aliquis agit ordinatè ad ſuſtentationem vel quietem ſui corporis, ad bonum virtutis ordinatur.* Conforme quippe eſt naturæ rationali, qua tali, honeſtè conſervare ac ſuſtentare corpus ſuum, cujus cura à Deo ipſo nobis commiſſa eſt. Si ſecundum, actus illi ſunt venialiter mali, quia homo, utpote rationalis, operari tenetur ob finem excellentiorem, quàm bruta.

Inſt. Hæc ſententia hominum humeris jugum importabile imponit, & conſcientiam innumeris obvolvit ſcrupulis. Quis enim omnes deliberatas actiones ſuas, quantumvis leves, ſemper in bonum finem poteſt ordinare? Quis poteſt omnes planè, vel leviſſimas delectationes, inter dormiendum, edendum, ambulandum, &c. occurrentes, ſemper & ubique abjicere?

℞. Hæc & ſimilia non habent quòd moveant. 1. Quia actus iſti naturales, in quos frequenter prorumpimus, fiunt ut plurimum abſque deliberatione. 2. Dum fiunt delibe-

ratè ad honeſtam quietem & naturæ ſublevamen ordinantur. 3. Non opus eſt ut ſemper finem honeſtum deliberatione reflexa intendamus: ſufficit virtualis intentio, qualem cenſetur habere ut plurimum, qui chriſtianè vivunt; quique ſenſibus ſuis non dediti mortificationem Jeſu Chriſti jugiter in corpore ſuo portare ſatagunt. 4. Quia teſte D. Thom. 1. 2. qu. 4. a. 2. ad 2. nobis non vetatur guſtare commoditates *& delectationes, quas Inſtituor naturæ appoſuit propter operationes*; ſed nobis duntaxat eſt vetitum operari propter delectationem; adeò ut finis operationis noſtræ ſit ipſamet delectatio; hoc enim brutale eſt, turpe & inhoneſtum.

Obj. Ultimo. Damnationem propoſitionis iſtius Joan. Hus: *Nulla ſunt opera indifferentia. Sed hæc eſt diviſio immediata humanorum operum, quòd ſint vel virtuoſa vel vitioſa.*

℞. Hæc propoſitio non in ſenſu Catholicorum damnata eſt, ſed in ſenſu ipſius Joan. Hus docentis, omnia Juſtorum opera eſſe bona, & peccatorum mala, eo ipſo quo juſti ſunt, aut peccatores, quod falſum eſt atque hæreticum. Certum eſt enim Juſtos perſæpè actus moraliter malos elicere, ſicut & peccatores moraliter bonos; licèt gratiæ defectu non meritorios; de qua quæſtione alibi opportuniùs.

QUÆSTIO II.

In quo primariò, & intrinſecè ſita ſit actus humani bonitas, & malitia?

Not. CUm omne factum, rectè vel perversè non ſit factum, niſi quatenus regulæ ſuæ conforme eſt vel difforme; actuum noſtrorum regulam curioſiùs inquirunt Theologi, non quidem extrinſecam, quales ſunt Leges juris poſitivi, non ſecundariam qualis eſt conſcientia, ſed intrinſecam, radicalem, & primariam. Circa quam.

Dico. Primaria, radicalis, & intrinſeca bonitatis, & malitiæ regula non eſt natura, ut rationalis eſt; nec judicium rationis dictantis hoc eſſe bonum, vel malum; ſed potiùs ipſum rationis lumen, ab æterna ratione nobis cœlitùs derivatum, & menti noſtræ inſitum, ad juſtum ab injuſto ſecernendum.

Prob. 1. Pars. Ea natura non eſt regula primaria, quæ regulam ſequi tenetur; ſed natura rationalis, præciſè quia rationalis eſt, regulam ſequi tenetur, cùm per hoc præciſè à natura brutorum differat: Ergo; &c. Quòd ſi verò natura rationalis regulam, cui ſe componat ſequi teneretur, profectò non ſeipſam, quia ſui ipſius exemplar eſſe nequit; id enim ſoli Deo competit; ergo alia eſt regula, & aliud exemplar.

Confir. Natura rationalis non eſt prima actuum humanorum regula, niſi quatenus eſt vel diſcurſiva, vel libera; ſiquidem nihil aliud per hanc naturam intelligendum menti occurrit: Atqui neutrum dici poteſt. Non enim concipitur ipſam benè vivendi normam, & exemplar nobis exhibere, quòd perſpicacitate ſua unam veritatem ab alia inferre, aut objectum præ alio objecto ſeligere valet: Ergo.

Prob. 2. Pars. Judicium rationis dictantis hoc regulæ ſuæ conforme eſſe vel difforme, poſterius eſt ipſa regula, ipſamque ſupponit; ergo non eſt ipſa regula. Id quippe regulæ ſuæ non eſt conforme, vel difforme, quia tale judicatur; ſed potiùs ideò tale judicatur, quia jam eſt tale. Et quidem lectio Legis non eſt ipſamet Lex, quæ ſanè priùs lata eſt, & ſcripta quàm legatur, aut judicetur hoc factum ipſi eſſe conforme, vel difforme. Præterea omnis Lex, ſeu regula aliquid fixum eſt, & permanens; ergo non eſt rationis actus, varians, & tranſiens. Ubi tamen.

Adverte, quòd licèt rationis judicium agendorum, vel non agendorum primaria non ſit regula, ſecundaria tamen eſt; quatenus actum applicat ad regulam primariam, eamque voluntati exhibet. Cùm enim voluntas ſit potentia cæca, objectum regulæ primariæ conſonum nequit amplecti; niſi recta ratione mediante illud accipiat. Quamobrem in eo duntaxat ſenſu vulgò dicitur, id bonum eſſe vel malum, quod rationis dictamini conſonum eſt, vel diſſonum.

Prob. 3. Pars. Ex D. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 6. *In lege temporali*, inquit, *nihil eſt juſtum atque legitimum, quod non ex hac æterna ſibi homines derivaverint. Nam*, & addit. l. 4. de Trinit. c. 15. *in libro Lucis illius, quæ veritas dicitur, omnis Lex juſta deſcribitur.* Et rurſus Epiſt. 89. *Proinde, quoniam Lex eſt etiam in ratione hominis, qui jam utitur arbitrio libertatis naturaliter in corde conſcripta, qua ſuggeritur nè aliquid mali faciat quiſque alteri, quod pati ipſe non vult.* Et iterum de hac Lege (lumine videlicet rationis) in cordibus noſtris naturaliter ſcripta verba faciens, c. 8. *Motibus animæ*, inquit, *cùm ratio dominatur, ordinatus homo dicendus eſt. Creatura benè amatur ordine cuſtodito*; id eſt, ordine rationis, *malè autem, ordine perturbato.*

Prob.

Digitized by Google

Prob. Ex D. Thom. 1. 2. q. 71. a. 6. & q. 19. a. 4. *Regula voluntatis humanæ, propinqua, & homogenea eſt ipſa ratio humana.* Et ut palam fiat ipſum verba non facere de natura rationali, nec de judicio actuali rationis, ſubdit: *Quod autem ratio humana ſit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas menſuratur, habet ex Lege æterna, quæ eſt ratio divina.* Quia nimirùm actuum noſtrorum regula primaria nihil aliud eſt, quàm ipſum lumen rationis, qui quaſi radius eſt, ſeu effluvium rationis æternæ, ab ipſamet in cordibus noſtris ſcriptæ.

Prob. Ratione. Quia, ut ſuperiùs dictum fuit ex D. Thom. pari modo de moralibus ratiocinandum venit, ac de artificialibus: ſed arteſactorum regula ſeu exemplar primarium non eſt ſanè aliqua artificialis natura, nec judicium ipſum, quod circa ipſam exercere poteſt intellectus; ſed ſola exemplaris idea, quam in mente concepit artifex. Sic à pari regula ſeu exemplar bonitatis, & malitiæ actus moralis nihil aliud eſſe videtur, quàm rationis lumen, quo agendorum, vel fugiendorum habemus ideam, nobis in mente naturaliter inſitam.

Objic. 1. Sicut bonum naturale dicitur quod ſubſtantiæ naturali, ut tali, convenit; ita bonum morale eſt quod convenit naturæ rationali, ut rationalis eſt, malum autem quod ei non convenit.

℞. Concedo bonum morale id eſſe quod naturæ rationali, ut rationalis eſt, congruit; ſed contendo ipſi non congruere, niſi quatenus ipſi lumini rationis eſt conforme, & ſic ruit argumentum.

Objic. 2. Plantare Braſſicam inverſis radicibus, &c. lumini rationis eſt diſſonum, non tamen peccatum.

℞. Diſt. Lumini rationis dictantis quid faciendum ſit in genere naturæ, C. in genere moris, N. Poſſet enim quis braſſicam inverſis radicibus plantare ob rationale motivum, ut de B. P. Franciſco narratur; & eſſet actio bona in ordine moris, licèt mala eſſet in ordine naturæ. Quòd ſi verò abſque ratione ſic braſſicam plantaret, vitium eſſet tum in ordine naturæ, tum in ordine moris.

Objic. 3. Voluntas poteſt eſſe recta, quin lumini rationis ſit conformis, ut patet in eo qui ignorantia laborat invincibili: Ergo.

℞. Nego Ant. Quia lumini rationis conforme eſt, quod quis agat ſecundùm id quod prudenter judicat eſſe honeſtum. Vel Diſt. Voluntas illius qui ignorantia invincibili laborat, eſt recta nec tamen conformis lumini rationis ſeu regulæ, quam non apprehendit, C. quam apprehendit, N. Certum quippe eſt regulam dirigere non poſſe voluntatem, niſi ab intellectu apprehendatur; eſt enim hæc apprehenſio, ſeu cognitio, inſtrumentum ſeu conditio ſine qua ipſa voluntatem dirigere nequit. Igitur ſi in caſu propoſito voluntas lumini rationis non eſt conſona, hoc per accidens evenit, defectu applicationis regulæ, non defectu ipſiuſmet regulæ, quæ ſemper manet vera ac primaria actuum humanorum regula. Ex his.

Collige 1. Actum moraliter bonum rectè definiri, qui plenè rectæ rationi conformis eſt; malum verò, qui ipſi in aliquo eſt difformis: Unde ſic ait D. Thom. 1. 2. q. 18 a. 5. & 8. *Actus humanus qui dicitur moralis, habet ſpeciem ex objecto relato ad principium*; id eſt, *regulam actuum humanorum, quod eſt ratio. Unde ſi objectum actus, includat aliquid quod convenit ordini*; id eſt, *lumini rationis, erit actus bonus ſecundùm ſuam ſpeciem. Si autem includat aliquid quod repugnat ordini rationis; erit malus.*

Collige 2. Sententiam noſtram coincidere cum ſententia dicentium, legem æternam actuum noſtrorum regulam eſſe primam, ſi Lex æterna ſumatur pro ratione divina totius honeſtatis ideas in ſe formaliter continente, quatenus nimirum ad nos fluit, & derivata eſt. Quòd ſi verò Lex æterna ſumatur pro voluntate divina ordinem rationis ſervare jubente, eſt tantùm actuum noſtrorum regula ſecundaria; cùm priùs concipiatur hoc vel illud lumini rationis eſſe conſonum, quàm fieri jubeatur. De hac voluntate, obiter.

Quær. In quo, & quomodò actus humanus voluntati divinæ conformis eſſe debeat? Circa quod priùs.

Adver. 1. Duplex volitum in Deo ſpectari, materiale, & formale. Volitum *materiale* eſt objectum, quod Deus vult. *Formale* verò eſt motivum, quo Deus illud vult. Voluntas cuidam motivo conformis eſſe poteſt, quin ſit alteri. Sic Deus, & Judæi idem volitum materiale, nempè mortem Chriſti, intendebant; ſed cùm Deus ipſam intenderet propter humani generis ſalutem: Judæi verò ex odio, & invidia; voluntates eorum in volito formali non conſentiebant. E contrà Apoſtolus diſſolvi cupiebat, Deus autem ipſum in corpore manere volebat; ſicque voluntates eorum

in

Digitized by Google

in volito formali conſentiebant, licèt in volito materiali non convenirent; quia diverſa intendebant propter idem motivum, nempè honorem, & gloriam Dei.

Adver. 2. Dupliciter voluntatem noſtram divinæ conformari poſse in utroque volito; vel poſitivè, ita ut hoc ipſum quod Deus vult velimus & nos; vel negativè, ita ut quamvis actu non velimus quod actu vult Deus, id tamen nobis non eſt injucundum, ſumuſque diſpoſiti illud ſuſcipere, ſi Deus vellet, & ſub eadem, qua vellet, ratione. His obſervatis.

Reſpondent unanimiter Theologi. 1. Voluntas humana poſitivè conformari tenetur voluntati divinæ, tam in volito materiali quàm formali, dum agitur de præcepto. Quòd ſi adſit dumtaxat conſilium, tenetur tantummodò volito materiali negativè ſe componere. Sic tenetur diligere proximum, quod eſt materiale volitum; & diligere propter Deum, quod eſt formale. Sed non tenemur velle poſitivè virginitatem, quam Deus nobis tantùm conſulit; bene quidem eam approbare tenemur, quod eſt eam velle negativè.

Reſp. 2. Semper tenemur voluntatem noſtram in volito formali divinæ accommodare negativè; quia rationi divinæ juſtiſſimæ, quæcumque demum illa ſit, abſque crimine adverſari non poſſumus. Non tamen tenemur huic ſemper nos accomodare poſitivè; quia ipſam, utpote ſecretiſſimam plerumque ignoramus. Unde.

Reſp. 3. Debemus quidem voluntatem noſtram cum divina conciliare ſecundùm unam formalitatem, & poſſumus ipſam non conciliare ſecundùm alteram; conditionaliter nimirum, ſi Deus voluerit. *Et ideò*, inquit, D. Bonav. in 1. Diſt. 48. a. 2. q. 2. *Voluntate rationis debemus etiam velle malum pœnæ, quod ſcimus Deum velle; ſed voluntate pietatis poſſumus conditionaliter, ſive quantùm eſt in nobis, ſi Deo placet, non velle. Nam, & ipſe Deus quantùm in ſe eſt non vult, ſicut prædictum eſt.*

CAPUT I.

De variis Moralitatis affectionibus.

VArié affici poteſt, moralitas. Siquidem vel multiplicatur, vel augetur. Circa primum quæritur utrùm unus, & idem actus plures habere poſſit moralitates? Circa ſecundum, utrùm actus externus actui interno bonitatem, vel malitiam novam ſuperaddat. Sit igitur.

QUÆSTIO I.

Utrùm unus, & idem Actus plures habere poſſit Moralitates.

Not. HIc non eſt quæſtio, utrùm idem actus plures *ſucceſſivè* habere poſſit moralitates? Perſpicuum eſt enim actum bonum fieri poſſe malum, ac vice verſa ob aliquam advenientem circumſtantiam. Item non eſt quæſtio, utrùm unus, & idem actus ſimul habere poſſit bonitates, aut malitias diſtinctas. Nemo quippe non videt, unum, & eumdem actum: v. g. furtum duabus virtutibus diverſis, juſtitiæ, & Religioni, adverſari poſſe. Sed quæritur an unus, & idem actus malitiam ſimul, & bonitatem habere poſſit: quod duobus modis contingere poteſt; vel quando actus intrinſecè bonus eſt, & intrinſecè malus, ob duo nimirum, quæ ſimul concurrunt, præcepta diverſa: v. g. audire Sacrum die Feſto, dum gravis urget neceſſitas proximi, cui ſubvenire tenemur; vel quando actus intrinſecè bonus eſt, & extrinſecè malus ob malam circumſtantiam. Si quis v. g. ex vana gloria conciones ad populum haberet; ita ut per actum eumdem peccemus ſimul, & bonum faciamus, proindeque mereamur pœnam ſimul, & præmium. Ad cujus clariorem intelligentiam, certa ab incertis, & dubiis ſunt ſecernenda.

Certum eſt 1. quod, qui è concurrentibus ſimul duobus præceptis minus obſervaret ſcienter, & voluntariè, graviori neglecto, actus ejus non eſſet ſimul bonus, & malus, ſed ſimpliciter malus, juxta illud Theologiæ effatum ſæpiùs decantatum: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu.* Ratio eſt, quia tenemur voluntatem noſtram accommodare voluntati divinæ quæ actuum noſtrorum eſt regula. Voluntas autem Dei eſt, inquit Aug. *ut potiùs potiora, & minùs minora diligamus.* Igitur qui graviori præcepto neglecto, minus obſervat, contra voluntatem Dei agit, ac proindè peccat.

Certum eſt 2. quòd actio mala intrinſecè ſeu ex objecto, nullatenus à quantumlibet bona circumſtantia cohoneſtari poteſt: ſic mentiri non licet ad ſalvandum innocentem. Unde tantùm hic quæritur, utrùm actio intrinſecè bona omninò vitietur à circumſtantia: v. g. ab intentione mala; circa quod.

Certum eſt 3. Circumſtantiam mortaliter malam,

Digitized by Google

malam, totaliter actum vitiare, ut ſi quis Sacrum celebraret turpis lucri gratia, nec dubium exurgit, niſi de intentione aliave circumſtantia venialiter mala; & hoc vel antecedenter in actum influit, ut cauſa ipſius; ſi quis v. g. jejunaret, ut appareret hominibus jejunans, vel ſolùm actui advenit, & ipſum comitatur; ſi quis, v. g. inter jejunandum gloriam inanem de ſuo jejunio conciperet; vel aliqua veniali impatientia, tædio parvo, aut ſimilibus afficeretur, de hac.

Certum videtur 4. juxta probabiliorem, & communiorem Theologorum ſententiam, hanc advenientem circumſtantiam venialiter malam, totam actus bonitatem non auferre, nec omne illius meritum delere; tum quia, cùm non ſit cauſa actus, malitiam ſuam ipſi non influit; tum quia meritum cum veniali ſtare poteſt. Quoad circumſtantiam venialiter malam, quæ in actum influit, ut cauſa ipſius:

Dico. Actus quantumvis ex objecto bonus, fit ſimpliciter malus ex circumſtantia venialiter mala, antecedenter in actum influente, ſine nimirum, vel intentione vitioſa. Unde unus, & idem actus intrinſecè bonus, & extrinſecè malus eſſe non poteſt.

Prob. Ex Script. Matth. 6. *Attendite nè juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis.* Hoc autem eſſet falſum, ſi actus ex aliqua intentione vitioſa factus poſſet eſſe bonus; merces enim debetur actui bono. Et cap. 7. *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere:* ſed intentio mala eſt arbor, & actus in quem cauſaliter influit, eſt fructus: Ergo, &c. Et Luc. 11. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Per oculum SS. Patres, maximè Aug. l. 4. cont. Jul. intentionem intelligunt. Unde D. Bernard. Epiſt. 69. *Intentionis propoſitum culpas diſcernit, & merita; dicente Domino, ſi oculus tuus ſimplex fuerit, &c.*

Prob. Ratione, & auctoritate D. Thom. 1. 2. q. 19. a. 7. ad 2. & 3. *Ad hoc enim*, inquit, *quòd ſit voluntas bona, requiritur quòd ſit boni ſub ratione boni: id eſt quòd velit bonum, & propter bonum. Voluntas non poteſt dici bona, ſi ſit intentio mali cauſa volendi. Qui enim vult dare eleemoſinam propter vanam gloriam conſequendam, vult id quod de ſe eſt bonum ſub ratione mali; & ideò prout eſt volitum ab ipſa eſt malum.*

Confirm. 1. Si actus ex intentione mala poſſet eſſe bonus, & meritorius, ſequeretur peccatum poſſe eſſe cauſam meriti, 2. Sola gratia eſt cauſa meriti; mala autem intentio elicitur abſque gratia. 3. Ut actus aliquis ſit bonus, requiritur ut referatur in objectum, quatenus rectæ rationi eſt conſonum; Actus autem bonus quidem ex objecto, ſed relatus in malum finem, non fertur in illud conformiter ad rectam rationem; Ergo, &c.

Objic. 1. Nonnulla incommoda, quæ ex noſtra orirentur ſententia. 1. Sequeretur Martyrium non fore meritorium homini juſto, qui illud propter levem vanam gloriam ſubiret. 2. Sequeretur eum, qui propter eamdem vanam gloriolam Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſumeret, gratiam non conſecuturum; imò & Sacrilegium perpetraturum.

℞. Ad 1. Non mirum eſt eum, qui fidem profitendo propter vanam gloriam mortem ſubiret, Martyrii palmam non aſſecuturum: cùm juxta D. Aug. in Martyrio cauſa, non pœna attendatur. *Inflatio, enim*, inquit D. Ambr. vel Auctor antiquus apud Ambr. Epiſt. 44. *& ambitio, & propriorum bonorum ſuperba defenſio poſſunt deſtruere eleemoſinas, poſſunt evacuare Martyrium.*

℞. Ad 2. Nec etiam durum nimis videri debet, quòd Sacramenti Pœnitentiæ ſuſceptio ſit ſacrilega in eo, qui illud principaliter ſuſciperet propter vanam gloriam; quia ſupernaturalis contritio in hoc Sacramento requiſita haberi nequit ſine gratia, quæ ex actu peccaminoſo prodire nequit. Quoad Euchariſtiæ, Confirmationis, &c. Sacramenta; dicendum eſt horum ſuſceptionem in prædicto caſu non fore ſacrilegam, ſi aliunde ſuſcipiens eſſet in ſtatu gratiæ; quia non committitur Sacrilegium, niſi ab eo qui hæc Sacramenta ſuſcipit in peccato mortali: ſuſceptio autem eorum non eſſet niſi peccatum veniale, ſicut cauſa in ipſam influens. Verumtamen certum eſt, hæc Sacramenta ſic ſuſcipientem per hunc præciſè actum augmentum gratiæ non aſſecuturum, cùm ipſam per actum peccaminoſum aſſequi minimè poſſimus.

Objic. 2. Actus ex objecto ſimul, & fine bonus, duplicem habet bonitatem: Ergo dum malus eſt finis, & objectum bonum, in illo reperitur una bonitas.

℞. Neg. Conſeq. & diſparitas in eo ſita eſt, quòd bonitas objecti, & bonitas finis non ſint ſibi invicem contrariæ, ſimulque ſtare poſſint; cùm utraque rationi omninò ſit conſentanea. Secùs dicendum eſt de objecto bono propter malum finem volito; quia

Digitized by Google

quia, cùm non appetatur niſi ſub ratione mali, bonitas ejus communicari nequit actui ſic elicito, qui rectè rationi conformis ſimul, & difformis eſſe non poteſt.

Inſt. Inde ſequeretur vanam gloriolam, levem impatientiam, &c. in actum bonum irrepentes, aut ſubvenientes, ipſum totum vitiare, contra quod ſuprà diximus. Quia nimirum unus, & idem actus rectæ rationi conformis ſimul, & difformis eſſe nequit, & deformitas ejuſdem conformitatem excludit.

℞. Ideò vana gloriola actui ſubveniens ipſum totum non vitiat, quia non eſt cauſa ipſius, ut ſupponitur; ſicque malitiam ſuam ipſi communicare non poteſt. Huc accedit quòd gloriola actui ſubveniens eſt actus ab illo diverſus: non repugnat autem quòd ex duobus actibus diverſis unus ſit malus, & alter bonus.

Urgeb. Si gloriola in actum irrepens, malitiæ ſuæ ipſum non facit participem; Ergo actus iſte non eſt minùs bonus, minuſque meritorius, quàm ſi in ipſum non irrepſiſſet.

℞. 1. Minus eſſe bonum ex duplici capite; tum quia gloriola ſubveniens voluntatem remoratur, & actum ejus remiſſiorem efficit; tum quia duorum iſtorum conjunctio, & ſocietas præſtat utique; quòd actus bonus Deo ſit minùs acceptus.

QUÆSTIO II.

Utrùm Actus externus novam bonitatem, aut malitiam Actui interno adjiciat?

Not. ACtus externus, qui eſt actus ex voluntatis imperio, à potentia à ſe diſtincta elicitus, novam concipitur malitiam, aut bonitatem actui interiori adjicere, vel per ſe, vel per accidens. Quæſtio non eſt, utrùm per accidens novam bonitatem, aut malitiam actui interiori adjiciat. Perſpicuum eſt enim, actum interiorem experientia operis plerumque fieri intenſiorem; quia vel ſuavitate, vel difficultate, vel duratione ipſiuſmet operis increſcit affectus voluntatis; ſed quæritur, utrùm voluntate invariata actus imperatus aliam formalem bonitatem, aut malitiam obtineat quàm interioris, à quo imperatur. Circa quod.

DICO. Actus exterior nullam formalem bonitatem, aut malitiam, meritum, vel demeritum, per ſe, actui interno ſuperaddit.

Prob. 1. Matth. 5. Dicitur. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*; ubi clarè videtur voluntatem pro facto haberi! Unde Aug. l. 1. de lib. arb. c. 3. *Si cui non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum aliquo modo ſit id eum cupere; & ſi poteſtas detur, facturum eſſe; non minùs reus eſt, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur.*

Prob. 2. Abrahamo dictum eſt, Gen. 22. qui filium ſuum ſacrificare voluerat, licèt Sacrificium opere non compleviſſet: *Quia feciſti hanc rem.* Et de Vidua paupercula in Gazophilacium mittente æra minuta duo, dixit ipſemet Chriſtus: Marc. 12. *Vidua hæc pauper plus quàm omnes miſit. Quia Deus,* inquit Cyprian. Tract. de Op. & Eleemoſ. *conſideravit non quantum, ſed ex quanto dediſſet. Quid enim planius,* inquit D. Bern. Epiſt. 77. *quàm quòd voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit neceſſitas.*

Prob. Ratione 1. illud de ſe malitiam, aut bonitatem non ſuperaddit, quod de ſe nullam habet; ſed actus exterior de ſe nullam habet, ſed totam ab actu interno deſumit, qui ſolus libertate gaudet; Ergo. 2. Si quædam malitia, aut bonitas in actu externo adeſſet, ſequeretur manus, pedes, &c. qui ad actum illum concurrunt, aliquod peccatum committere, quod eſt abſurdum. 3. Sequeretur, quòd qui profert crumenam, eleemoſinam elargiendi gratia, aliqua meriti ſui parte orbaretur, ſi quis tunc violenter ipſi crumenam ſubriperet: vel qui catapultam in inimicum emitteret, minùs eſſet reus coram Deo, ſi ob aliquod impedimentum externum ipſum non attigiſſet.

Obj. 1. Illud Aug. l. 13. de Trin. ubi aſſerit *quemque ſola voluntate miſerum fieri; ſed miſeriorem poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur.* Atqui non ob aliud miſerior videtur, quàm quòd actus externus actus interni malitiam augeat; Ergo.

℞. Diſt. Miſerior quia actus externus interioris malitiam adauget per accidens, C. per ſe, N. ut dictum eſt ſuprà. Huc accedit quòd per exercitium potentiarum externarum actus magis ad malum inclinant, & inclinantur, ingenii acumen obtunditur, & animus malis habitibus irretitur.

Obj. 2. Actus interior, & exterior diverſis prohibentur præceptis. Nam in Decalogo, non ſolùm adulterium, & furtum prohibentur, ſed etiam alienæ, & alieni concupiſcentia; at ubi ſunt diverſa præcepta, ibi ſunt diſtinctæ bonitates, & malitiæ, Ergo.

℞. Diſt. Min. Ubi ſunt diverſa præcepta, ibi ſunt diverſæ bonitates, & malitiæ, dum

ſub

Digitized by Google

ſub diverſo motivo ſtatuuntur, C. dum ex eodem, N. Evidens eſt autem actum internum, & externum propter idem motivum imperari, vel prohiberi. Præthereà, ideò tantummodò ſpecialibus præceptis alienæ, & alieni concupiſcentia Judæis, quibus Lex ſcripta data eſt, fuit vetita, nè Judæi, utpotè carnales, Legem obſervaſſe ſibi blandirentur, ſi à ſolis actibus externis abſtinerent.

Objic. 3. Incommoda quæ ex noſtra ſententia oriri videntur. 1. Sequeretur æqualem merito futurum eum, qui Martyrium concupiſcit cum eo, qui actu illud ſubit. 2. Quòd ſolos actus internos in Confeſſione declarare ſufficeret, utpotè ſoli demeritorii. 3. Quòd fruſtranea eſſent opera externa. 4. Quòd incaſſum realiter Sacramenta reciperemus. 5. Quòd qui vellet tantùm mereri ac B. V, tantumdem mereretur, etiamſi nihil ageret.

℞. Ad 1. Nihil vetat, quominùs is qui ardentiſſimo ſtudio Martyrium deſideravit, ne dum ſit æqualis meriti coram Deo, ſed & longè eminentioris, quàm qui illud de facto ſubiit. Nec enim, v. g. dubium eſt quin B. Franciſcus, qui tanto Martyrii deſiderio flagravit, in hoc majus meritum apud Deum fuerit aſſecutus, quàm Infantes qui pro Chriſto fuerant occiſi; proindeque majus meritum eſſentiale obtinuerit, licèt præmium quoddam accidentale, Aureolam ſcilicet, quæ ſolis de facto Martyribus conceditur, non ſuſceperit.

℞. Ad 2. Ideò actus etiam confiteri tenemur, non ſolùm ut appàreat utrùm actus interior fuerit vel intenſior vel efficacior vel durationis diuturnioris; ſed maximè quia Deus voluit totam peccati entitatem aperiri, quæ integratur ex actu interno, tanquam parte formali; & externo, tanquam materiali, ratione cujus actus externus etiam denominatur peccatum.

℞. Ad 3. Non eſſent fruſtranea opera externa, tum quia occaſione operis externi voluntas magis ad bonum accenditur; tum quia plerumque opus externum eſt imperatum, tum quia demùm opus eſt ſatisfactionis, quæ non ex merito, ſed pœnalitate in actu externo reſidente deſumitur.

℞. Ad 4. Non fruſtrà Sacramenta exteriùs ſuſciperentur; quia nimirum ex opere operato producunt gratiam, quam non obtinent, qui de facto eadem non ſuſcipiunt.

℞. Ad 5. Qui vellet efficaciter tantùm mereri quantùm B. V. non ideò tantùmdem meretur; quia B. V. meritum coaleſcit ex actibus innumeris, quibus unus actus voluntatis particularis nequit comparari. Deinde voluntas objectum attingere non valet, niſi ſecundùm id quod ipſi per intellectum objicitur: At intellectus B. V. meritum voluntati exhibere non poteſt, niſi confusè, & imperfectè; ergo niſi imperfectè ipſum poteſt attingere.

CAPUT IV.

De principiis Moralitatis externis.

EX triplici fonte actus humani rationis lumini conformes, vel difformes eſſe poſſunt, ex objecto nimirum, fine & circumſtantiis, de quibus ſigillatim ſequentibus quæſtionibus.

QUÆSTIO I.

An, & quomodò Actus humanus Moralitatem deſumat ex objecto?

Not. PEr objectum hic intelligitur quod primò per ſe actui objicitur. Et hoc vel eſt materia, vel perſona, circa quam aliquid fit. Dixi *primò & per ſe*, ut diſtinguatur a circumſtantiis, quæ quidem voluntati objiciuntur, ſed ſecundariò, & per accidens. Sic objectum furti eſt res aliena, & eleemoſinæ pecunia, quæ tribuitur. Pari modo charitatis objectum eſt Deus; Homicidii eſt proximus.

Not. 2. Objectum dupliciter concipi poteſt, vel in eſse phyſico, vel in eſse moris. Objectum in eſse phyſico eſt objectum ſecundùm ſe materialiter ſpectatum. Objectum in eſse moris eſt objectum ſpectatum quatenus comparatur huic actioni rectæ rationi conſentaneæ, aut diſsentaneæ. Hic ſumitur objectum in eſse morali, non in eſse phyſico; quia ſic ſumptum poteſt eſse vieiſſim objectum boni, vel mali actus v. g. odium Dei eſt actus malus, licèt verſetur circa objectum optimum; & odium peccati eſt actus bonus, licèt verſetur circa peſſimum. Nec odium Dei dicitur malum ex objecto, niſi quia Deus non eſt objectum rationale odii; & odium peccati non dicitur bonum; niſi quia rationi convenientiſſimum eſt ipſum deteſtari.

Not. 3. Dupliciter objectum bonum, vel malum eſse poteſt: intrinſecè quatenus de ſe rationi conforme eſt, vel difforme; extrinſecè quatenus rectæ rationi non eſt conforme, vel difforme, niſi quia à Lege poſitiva impe-

Digitized by Google

imperatum eſt , vel prohibitum . Primum bonnm , vel malum eſſe nunquam non poteſt , ut odinm , & amor Dei : Secundum vel bonum quandoque, vel malum , vel indifferens evadere poteſt ex aliqua circumſtantia ; ut jejunium , ambulatio , &c. His notatis.

Dico Actus humanus moralitatem ſuam , & quidem primariam eſſentialem , & ſpecificam , ab objecto deſumit.

Prob. Quòd actus humanus moralitatem ſuam ab objecto deſnmat . Oſeæ . 9. *Facti ſunt abominnbiles ſicut ea quæ dilexerunt.* Unde Aug. Epiſt. 52. ad Maced. *Mores noſtri*, inqnit , *ex eo quod quiſque diligit*, *dijudicari ſolent* . Præterea perſpicuum eſt, actum non eſſe bonum , vel malum , niſi quatenus ad bonum, vel malum tendit, quod rationi conveniens eſt , vel diſconveniens.

Prob. Quòd actus primam, & eſſentialem moralitatem ab objecto deſumat . Illa eſt prima , & eſſentialis moralitas , quæ ſecluſis , aut mutatis quibuſcumque aliis ſemper eadem remanet; ſed ſecluſis & mutatis omnibus aliis fine, & circumſtantiis , actus bonus, vel malus ex objecto ſemper bonus eſt, vel malus; ſic furtum, ſive fiat ex avaritia, ſive ex odio , ſemper malum eſt ; & amor Dei quoquomodò eliciatur , ſemper bonus; Ergo.

Prob Quòd hæc moralitas ſit ſpecifica . Quia omnis actus in genere naturæ ſpeciem habet ex objectis; Ergo & in genere moris. Non eſt enim potior ratio de ſpecificatione naturali, quàm de morali.

Confir. Totum ex D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 2. *Sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex ſua forma*, *quæ dat ſpeciem ei*; *ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti*,

Obj. 1. Actus circa objectum indifferens profectò non ſumit ab eo bonitatem , vel malitiam, cùm rectæ rationi nec conveniens ſit , nec diſconveniens : Ergo moralitas ex objecto non ſumitur.

R. Diſt. Objectum indifferens ſecundùm ſe & materialiter ſpectatum , rectæ rationi nec conveniens eſt , nec diſconveniens , C. quatenus huic actioni comparatur , Neg. Ambulatio enim , v. g. fieri nequit , niſi conformiter , vel difformiter ad rectam rationem , ut patet ex jam dictis de actibus indifferentibus.

Objic, 2. Finis eſt priùs volitus quàm objectum, cùm hoc velimus propter illum. Si quis v. g. gladium furaretur ad hominem occidendum. Sed quod primò volumus, dat primam moralitatem volitioni ; Ergo objectum non dat primam.

R. Finis eſt 1. prius volitus in intentione, C. in executione , N. Nam in alto exemplo homicidium reſpectu intentionis eſt prius volitum ; ſed tunc eſt objectum , ad cujus aſſecutionem ſecundariò furtum , tanquam medium eligitur.

QUÆSTIO II.

An, & quomodò actus humanus moralitatem ſuam deſumat ex fine.

Not. 1. Duplex eſt finis, extrinſecus ſcilicet , & intrinſecus. Finis intrinſecus, qui & dicitur proximus, & operis, is eſt in quem tendit opus de ſe, & ex natura ſua ; ut in jejunio mortificatio corporis , in eleemoſina ſublevatio pauperis . Finis extrinſecus, qui & dicitur remotus ſeu operantis , is eſt in quem tendit agens. Dum v. g. quis orat, ut juſtus habeatur, furatur ut ſe inebriet, &c. Primus finis ab ipſomet objecto non differt. Secundus objecto eſt extrinſecus, quia illo ſublato adhuc actio remanet integra, circa quem.

Dico Actus humanus diverſimodè moralitatem deſumit ex fine juxta actus, & finis diverſitatem.

1. Actus ex objecto indifferens fit bonus dùm in finem bonum refertur ; & malus dùm in malum ; quia tunc finis rationem objecti potiùs habet quàm finis. Unde ſtudium ad vanam gloriam eſt opus vanitatis, & ob lucrum animarum opus charitatis.

2. Actus ex objecto bonus ad finem indifferentem relatus , ut abſtinentia ad ſomnum ſibi conciliandum, non eſt bonus, ſed potiùs malus ; tum quia ſic operans bonitatem medii non intendit , v. g. abſtinentiæ , quam non exercet niſi propter ſomnum ; tum quia , uti jam diximus , non datur actus indifferens in individuo. Unde, cùm iſte actus non ſit bonus; neceſſariò malus evadit.

3. Actus ex objecto malus ad finem indifferentem relatus , totam ſuam malitiam ſervat, nec ob finis indifferentiam mutatur, ut patet.

4. Actus bonus relatus in finem malum, ut eleemoſina propter vanam gloriam eſt ſimpliciter malus; quia quod primò ab operante intenditur , dat moralitatem actui.

5. Actus malus relatus in bonum finem, v. g. mendacium ad ſalvandum innocentem, eſt etiam ſimpliciter malus ; nec enim finis boni-

Digitized by Google

bonitas medii mali turpitudinem auferet: *Quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*. Verumtamen bonus finis aliqualiter *de ſe* minuit malitiam actus. Quia qui urgente neceſſitate medium malum aſſumit, cenſetur ejus voluntas minùs affici erga malitiam quàm erga honeſtatem, quam ſibi proponit. Dixi *ex ſe*; nam per accidens fieri poteſt; ut qui furatur, v. g. ad dandam eleemoſinam, novum peccatum actui adjiciat; tum quia periculo ſe committit numquam reſtituendi; tum quia in peccatum inducit eum cui bona furatus eſt.

6. Actus bonus in bonum finem relatus, vel malus in malum, novam bonitatis, vel malitiæ ſpeciem acquirit: v. g. ſi quis dat eleemoſinam cum intentione peccata ſua redimendi; duplex meritum, miſericordiæ, ſcilicet, & pœnitentiæ aſſequitur. Item ſiquis furetur, ut vino ſatiùs indulgeat; duplex peccatum; injuſtitiæ nimirum, & intemperantiæ perpetrat. Nam ideò actus moralitatem ex objecto deſumit, quia in illud fertur; ſed non minùs, imò potiùs in finem ſupradictum fertur, quàm in objectum; cùm hoc velit propter illud; Ergo ab illo novam bonitatem, vel malitiam obtinet.

QUÆSTIO III.

An, & quomodò Actus humanus moralitatem deſumat ex circumſtantiis?

Not. Circumſtantiæ ſunt accidentia quædam humano actui in ſuo eſſe tum phyſicè, tum morali jam conſtituto advenientia, & ipſum moraliter afficientia. Dicitur 1. *Actui humano in ſuo eſſe*, &c. quia circumſtantia ſtrictè ſumpta non tribuit actui humano primam ſpeciem, ideoque nec primam bonitatem, aut malitiam. Dicitur 2. *Ipſum actum moraliter afficientia*. Si enim nihil conferant ad bonitatem, vel malitiam actus; ſi quis, v. g. hominem gladio, vel ſclopeto occidat &c. non ſunt circumſtantiæ propriè dictæ.

Porrò certum eſt, & indubitatum, actuum humanorum moralitatem non tantùm deſumi ex objecto, & fine, ſed etiam ex circumſtantiis, cùm ipſæ morum regulis ſubjaceant; & ab his regulis, vel præcipiantur, vel prohibeantur, vel permittantur. Circa has circumſtantias multa quæruntur hic ſigillatim, & breviter exponenda.

QUÆR. 1. An Moralitas, quæ ex circumſtantiis advenit actui humano, ipſi ſit eſſentialis, vel accidentalis?

℞. Cum diſtinctione. Siquidem, vel circumſtantia primariò, & per ſe ab operante intenditur, vel non. Si primum, circumſtantia eſt eſſentialis, quia tunc eſt primum, præcipuumque operantis objectum; ut dùm quis furatur ad fornicandum, fornicatio eſt eſſentialis circumſtantia: Si ſecundum, eſt accidentalis, quia cenſetur advenire actui in eſſe morali jam conſtituto, nec eſt objectum præcipuum operantis, dum quis, v. g. furatur in loco ſacro.

QUÆR. 2. Quotuplicis generis ſint circumſtantiæ?

℞. 1. Aliæ ſunt formales, eæ ſcilicet, quæ ſe tenent ex parte actus, ut intenſio, remiſſio, duratio major, vel minor, libertas, facilitas, vel difficultas in operando, &c. Aliæ ſunt objectivæ, quæ nimirum ſe tenent ex parte objecti, ut major, vel minor quantitas furti, circumſtantia loci, temporis, perſonæ, &c.

℞. 2. Circumſtantiæ tum formales, tum objectivæ, ſunt iterum duplicis generis; augentes videlicet, aut minuentes bonitatem, aut malitiam actus intra eamdem ſpeciem, ut intentio, & duratio actus, paſſio, metus, ignorantia, &c.; & mutantes ſpeciem; id eſt, actum trahentes in ſpeciem diverſam ab ea, quam ab objecto ſuo immediato deſumit, ut furtum in loco ſacro.

QUÆR. 3. Quotupliciter circumſtantia mutare poteſt bonitatem, vel malitiam actus.

℞. Duplici modo juxta duplicem ſpeciem, quæ in actu ſpectari poteſt. Alia quippe dicitur moralis, alia Theologica. Moralis ex ipſomet objecto deſumitur, ut in furto rei ſacræ res ſacra novam ſpeciem moralem actui adjicit, videlicet, ſacrilegii. Theologica, quæ & reatus vocitatur, deſumitur ex quantitate materiæ, aut alia circumſtantia, quæ de veniali in mortale transfert. Nam licèt furtum magnum, & parvum ejuſdem ſint ſpeciei moralis, quatenus eidem virtuti, juſtitiæ opponuntur, quantitas furti ſpeciem ejus Theologicam mutat, & diverſum efficit peccatum, in Confeſſione exponendum.

QUÆR. 4. Quomodò circumſtantiæ malitiam Theologicam augere poſſunt?

℞. Vel leviter, vel notabiliter. Leviter, inquam, ſi ad novam malitiam venialiter tantùm malam aſcendant. Notabiliter verò, ſi novam mortaliter malam ſuperaddant. Sic in eadem inceſtus ſpecie; qui jam eſt mortalis; alius eſt inceſtus cum conſanguinea in quarto gradu, alius eſt cum matre, & ſorore. Sic in eadem ſpecie injuſtitiæ

aliud eſt furtum decem duplionum, aliud eſt centum, quæ ſedulò in Confeſſione ſunt declaranda, ut ſuo loco videbitur.

QUÆR. 5. Quandonam cenſeatur circumſtantia novam ſpeciem diſtinctam malitiæ, aut bonitatis actui ſuperaddere?

R. Duplici modo: vel dum diverſæ virtuti conformis eſt; aut difformis, vel dum eidem quidem virtuti, ſed modo diverſo. Nam ubi eſt diverſa oppoſitio, vel diverſus; modus oppoſitionis (idem dic de conformitate) cum aliqua virtute, tunc ſanè diverſa eſt diſconvenientia cum recta ratione; Ergo diverſum peccatum: Ex quo obiter.

Reſol. 1. Qui quatuor Temporum frangit jejunium coincidens cum die Quadrageſimali, aut qui Sacrum omittit die Dominica, in qua incidit Feſtum, unum tanmodò peccatum committent. Quia una eſt tantum oppoſitio ad temperantiæ virtutem, propter quam indictum eſt jejunium, & in altero exemplo una tantùm oppoſitio ad virtutem Religionis, propter quam Feſtum eſt obſervandum. Idem dicendum eſt de eo qui adversùs diverſa Dei attributa blaſphemat, aut qui Deo ſimul & hominibus idem præcipientibus non obtemperat; quia & blaſphemia, & inobedientia uni tantum obſervantiæ Deo debitæ opponuntur: obedientia enim hominibus non exhibetur, niſi propter divinam in his relucentem auctoritatem.

Reſol. 2. Adulterium à Monacho perpetratum triplex eſt peccatum, quia ſimul opponitur Caſtitati, Juſtitiæ & Religioni. Item qui Sacro non intereſt die Feſto, id ſibi præcipiente Confeſſario, duplex peccatum committit contra Religionem, & contra Pœnitentiam.

Reſol. 3. Qui jejunium perfringit per duplicem cœnam, & per carnium comeſtionem duplex peccatum committit. Quia, licèt contra unam virtutem temperantiæ peccet, diverſimodè tamen peccat. Idem dicendum eſt de eo, qui laborans per totum diem Feſtum Sacro non intereſſet, dupliciter peccaret, quia eamdem Religionis virtutem diverſimodè oppugnaret.

QUÆR. 6. Utrùm circumſtantiæ debeant eſſe cognitæ, & volitæ, ut ad peccatum imputentur.

R. Cum diſtinctione. Circumſtantiæ vel ſe tenent ex parte objecti, ut ut res ſacra in furto; vel ſe tenent ex parte actus, ut intentio, duratio, libertas, &c. vel tandem ſe tenent ex parte qualitatis illius qui operatur, ut Religioſus, Sacerdos, Superior, Conjux &c. Circumſtantiæ, quæ ex parte actus habentur, aliqualiter debent eſſe cognitæ & volitæ, ſaltem interpretativè, id eſt, quòd quis illas cognoſcere debuerit & potuerit. Quoad alias, quæ ex parte actus, aut ex parte operantis habentur, per ipſummet actum deliberatè directum ſatis ſuperque cognitæ ſunt, & volitæ, proindeque peccaminoſæ.

QUÆR. 7. Quot ſint particulares circumſtantiæ, & quomodo ab ipſis actus humanus moralitatem ſuam deſumat?

R. Septem numerantur circumſtantiæ hoc verſiculo comprehenſæ: *Quis*, *Quid*, *Ubi*, *Quibus auxiliis*, *Cur*, *Quomodò*, *Quandò*.

Circumſtantia, *Quis*, denotat, non quidem perſonam operantem ſecundùm ſe, ſed conditionem, & qualitatem ipſius. Hæc circumſtantia 1. plerumque ſpeciem mutat, ſic luxuria in Religioſo fit Sacrilegium, & in perſona conjugata Adulterium. Sic peccatum publicum, in Superiore, annexum habet ſcandalum, & negligentia Domeſtici in cura bonorum Heri ſui, furtum. 2. Aliquando notabiliter aggravat, ſic Sacerdos fornicando gravius peccat quàm Subdiaconus, ſic Cognatus turpiorem inceſtum committit accedens ad ſororem quàm ad conſobrinam. 3. Sæpiùs tamen non peccatum aggravat. Multa quippe ſunt peccata, quæ graviora non fiunt ob perſonæ qualitatem, mendacium, v. g. furtum, detractio, cæteris paribus, ut plurimùm graviora non evadunt in hac perſona, quàm in altera.

Circumſtantia, *Quid*, non denotat actus objectum, cùm illud ſit de ejuſdem ſubſtantia; ſed denotat materiæ, aut perſonæ, circa quam actus verſatur, conditionem, quantitatem, & qualitatem. Hæc circumſtantia quandoque ſpeciem mutat, prout dum quis rem ſacram furatur, aut peccatum luxuriæ committit circa ejuſdem ſexus perſonam, & quandoque notabiliter peccatum aggravat, prout dum quis notabilem pecuniæ ſummam ſubripit, vel proximum graviori contumelia afficit, &c.

Circumſtantia, *Ubi*, denotat loci qualitatem, in quo contra reverentiam ipſi debitam peccatum committitur. Hæc ſæpiùs mutat ſpeciem, & interdum aggravat; ſic ſanguinis, aut ſeminis effuſio in loco ſacro, imò & voluntas ea ibidem effundendi, ultra malitiam ſibi propriam, Sacrilegii malitiam contrahunt. Idem eſt dicendum de furto rei ſacræ, aut non ſacræ in loco ſacro, ſive ipſa ſit in cuſtodiam Eccleſiæ credita,

Digitized by Google

dita, ſive non; ut communius & probabilius docent Theologi. Ex C. *Quiſquis inventus*, 17. q. 4. ubi declaratur Sacrilegium committi auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro.

Quod ſpectat ad alia peccata, detractiones, turpiloquium, mendacium, &c. quæ nec locum ſacrum polluunt, nec ibi ab Eccleſia perpetrari prohibentur, diſtinctam Sacrilegii malitiam adjicere non cenſentur, licèt peccatum notabiliter aggravent in Confeſſione declarandum. Gravius eſt enim hominem in domo ſua offendere, quàm in platea.

Circumſtantia, *Quibus auxiliis*, media inſtrumenta denotat, quibus operans utitur ad finem aſſequendum. Hæc ſpecialem, & diſtinctam malitiam confert, ſi media ſint ſpecialiter mala; ut ſi quis utatur ope Dæmonis ad puellam ſeducendam. Auget verò duntaxat malitiam, ſi media ſint ejuſdem ſpeciei cum fine intento; ut ſi quis ſcalam furetur, ut poſſit furari in domo aliqua.

Circumſtantia, *Cur*, finem denotat, qui tranſit in objectum, ut jam obſervavimus.

Circumſtantia, *Quomodò*, indicat modum, quo fit actio. Et is vel ſpecie differt ab actione, vel ejuſdem eſt rationis. Si primum, novam malitiam actioni ſuperaddit: Rapinæ, v. g. in eo, qui violenter furatur: Feritatis in eo, qui in cadaver occiſum ſævit, &c. Si ſecundùm, malitiam tantummodò auget, ut actus intentio, duratio, conſuetudo, &c.

Circumſtantia, *Quando*, denotat durationem, & qualitatem temporis. Prima non mutat ſpeciem, ſed poteſt eſſe tanta, ut eam notabiliter aggravet. Si actus, v. g. duret per menſem, diſtractio per totum Officium, ideoque in Confeſſione aperienda. Secunda quandoque mutat ſpeciem; ut ſi quis inter Miſſarum ſolemnia Sacramentum adminiſtrando, vel ſuſcipiendo, peccatum luxuriæ, aut aliud grave committat. Et quando aliqualiter aggravat, ut ſi quis, die Communionis, ebrietatibus, comeſſationibus, fornicationibus, &c. vacet.

DISSERTATIO IV.

De Conſcientia.

Conſcientia propriè ſumpta definitur: *Actus intellectus practici dictantis quod licitum eſt, vel illicitum, & quod hîc & nunc agendum, vel omittendum eſt.*

Dicitur 1. *Actus*; Quia conſcientia nec eſt potentia, nec habitus, ſicut ſynderesis, & prudentia. Synderesis enim *eſt habitualis cognitio generaliſſimorum principiorum, dictans univerſaliter omne bonum eſſe faciendum, & malum fugiendum*. Prudentia item *eſt habitus*, vel acquiſitus, vel infuſus, *qui ex primis principiis univerſales concluſiones deducit*. Ex iſto principio, v. g. *Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris*, iſtam concluſionem deducit; Ergo non debemus ullam rem proximi ſubripere. Nec inde ſequitur nullam fore conſcientiam in dormientibus; ſiquidem ipſa comprehenditur in ſynderesi in nobis habitualiter permanente, tanquàm in ſuo principio, ex quo concluſiones generales, & particulares deducere poteſt, dum actuale judicium peragir.

Dicitur 2. *Actus intellectus*. Solius enim eſt intellectus de agendis, vel non agendis judicare, non autem voluntatis, quæ, utpotè potentia cœca, ab intellectu dirigi debet. Nec obſtat quòd conſcientia dicatur communiter bona, vel mala, quod ſoli voluntati congruit. Nam ſic intellecta abuſivè ſumitur pro ipſamet voluntate recta, aut prava. Quo ſenſu Docti improbi, qui majori lumine ſunt prædiiti, ad bonum a malo ſecernendum, ſæpiùs dicuntur minùs habere conſcientiæ, quàm rudiores qui pietatem ſectantur.

Dicitur 3. Intellectus *practici* non ſpeculativi, nec enim verſatur circa actiones humanas, ut eas cognoſcat, ſed ut eas dirigat.

Dicitur 4. *Dictantis quod hîc & nunc*; &c. ut iterum diſtinguatur tum à ſynderesi, tum à prudentia generali, quæ circa agenda, vel non agenda in genere, non in particulari, verſantur, & quorum judicium dicitur *ſpeculativè - practicum*. At Conſcientiæ judicium *practicè - practicum* vocatur; quia nimirum, generalia ſynderesis, & prudentiæ principia ad materiam determinatam applicat, hoc modo. Statim ſynderesis hoc generale principium dictat: *Quod tibi non vis fieri; alteri nè feceris*. Sequitur univerſalis prudentia ſuggerens: *Non debemus res proximis ſubripere, cùm nollemus noſtras nobis auferri*. Ex quibus Conſcientia per judicium practicè-practicum ſic ſubſumit: ſed hæc pecunia, quam caſu inveni in via, eſt res aliena: Ergo eam retinere non debeo. Unde Conſcientia eſt alti-

ultimus particularis prudentiæ actus, & veluti ejus concluſio, diciturque à S. Antonino *Conſcientia*, *quaſi concludens ſcientia*.

Hæc quadruplex aſſignatur 1. Recta, ſeu vera. 2. Dubia, ſeu incerta. 3. Scrupuloſa, ſeu agitata. 4. Probabilis, ſeu opinativa; quibus opponuntur Erronea, Certa, Lata, & Improbabilis, quæ omnia ſequentibus Capitibus nobis ſunt enucleatim diſcutienda.

CAPUT I.

De Conſcientia recta, & erronea.

Recta, ſeu vera conſcientia eſt judicium de bonitate, vel malitia operis hic, & nunc agendi, quod Legi eſt conforme; Lex jubet, v. g. ut quiſque proximo ſuo indigenti ſubveniat. Si conſcientia idem hic, & nunc dictat, dicitur Conſcientia recta, & vera. Erronea è contra eſt judicium de bonitate, aut malitia actus, quod Legi non eſt conforme; ut ſi quis judicaret non eſſe hic, & nunc orandum, quia gravis tentatio actualiter urget, conſcientia erronea laboraret. Error verò, vel eſt juris, vel facti, vel vincibilis, vel invincibilis, ut de ignorantia dictum eſt. De conſcientia erronea ſtatim inquiremus, utrùm eam ſequi teneamur. Deinde caſus nonnullos circa ipſam occurrentes reſolvemus.

QUÆSTIO I.

An Conſcientiam erroneam ſequi teneamur?

Not. Certum eſt, atque indubitatum ad omnem actum bonum, vel malum neceſſariò prærequiri judicium aliquod conſcientiæ dictantis hoc, vel illud hic, & nunc eſſe bonum, vel malum; quia voluntas non fertur in incognitum. Item certum eſt actus noſtros huic judicio, dum rectum, & verum eſt, conformari debere; actus enim rectus eſſe nequit, qui à recta regula deviat; ſed judicium rectum conſcientiæ eſt recta morum regula; Ergo. Dubium igitur duntaxat eſſe poteſt de judicio conſcientiæ erroneo, quod, cum à recto deviet, actus humanos regulare, ac dirigere non poſſe videtur. Verùmtamen.

Dico I. Conſcientiæ invincibiliter erroneæ judicio, ſub peccato conformari tenemur.

Prob. Ex Apoſt. Rom. 14. Qui verba faciens de cibis, quos ex Chriſtianis nonnulli erroneè illicitos exiſtimabant, dicit, nihil eſſe commune, niſi ei qui exiſtimat. Nam *qui diſcernit inter cibos*; Id eſt, qui exiſtimat cibos Dæmonibus oblatos eſſe immundos, licèt de facto non ſint: *Si manducaveris, damnatus eſt; quia omne quod non eſt ex fide*; id eſt, credulitate, & dictamine conſcientiæ, *peccatum eſt*.

Prob. Ex D. Bernard. l. de præc. & diſp. c. 14. *Si aliquis crederet*; inquit, *quod præceptum Proconſulis eſſet præceptum Imperatoris, contemnendo præceptum Proconſulis, contemneret præceptum Imperatoris. Sic quando ratio errans proponit aliquid, ut præceptum Dei; tunc idem eſt contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum.*

Prob. Ratione. Quia peccatum deſumitur ex affectu voluntatis; qui autem operatur contra dictamen rationis proponentis hoc eſſe malum, convincitur affectum habere ad malum; Ergo peccat. Deinde ille peccat, qui à regula deviat; ſed conſcientia, licèt erronea, eſt regula noſtra; nec aliam habemus, aut poſſumus habere, ut ſupponitur; Ergo peccat. Unde D.Thom. 1. 2. q. 9. a. 3. ad 3. ait: *Non oportet, quòd omnis menſura ſit omninò infallibilis & certa; ſed ſecundùm quod eſt poſſibile in genere ſuo.*

Objic. 1. Nunquam licet agere contra Legem Dei, ſed quod dictat conſcientia erronea, eſt contra Legem Dei; Ergo.

℞. Diſt. Nunquam licet agere contra Legem Dei à conſcientia propoſitam, C. non propoſitam, & hic & nunc à nobis invincibiliter ignoratam, N. Hinc accedit, quod agens contra dictamen conſcientiæ, verè agit contra Legem Dei, qui nihil præcipit niſi mediante conſcientiæ dictamine; jubetque, ut juxta illud operemur.

Objic. 2. Non licet ſequi conſcientiam quæ nec vera, nec recta eſt; ſed talis eſt conſcientia etiam invincibiliter erronea; Ergo.

℞. Diſt. Maj. Non licet ſequi conſcientiam, quæ nec vera, nec recta eſt, tam ſpeculativè quàm practicè, C. quæ nec vera, nec recta eſt practicè, licèt non ſit ſpeculativè. N. Talis eſt autem conſcientia invincibiliter erronea. Qui enim, v. g. invincibiliter putans Diem eſſe Jovis, carnem manducat Die Veneris, conſcientia ejus vera, & recta eſt practicè; quia benè concludit, ſe hic, & nunc poſſe manducare carnem, ex ſuppoſitione ſpeculativè falſa, ſed invincibiliter facta, Diem eſſe Jovis, non Veneris.

Objic.

Digitized by Google

Objic. 3. Actus ab objecto ſpecificantur; Ergo ſi objectum eſt malum intrinſecè, & eſſentialiter, actus non poteſt non eſſe malus. Deinde malum ex quolibet defectu, bonum ex integra cauſa; Ergo ſi actus ob malum objectum deficit, non poteſt eſſe bonus.

℟. Diſt. Actus ſpecificantur ex objecto, ut ab intellectu proponitur, C. ut eſt in ſe, N. Deinde malum ex quolibet defectu vel vero, vel vincibiliter exiſtimato, C. non vincibiliter exiſtimato, N. Nec enim, ut ſæpiùs dictum eſt, voluntas fertur in incognitum, nec poteſt velle objectum, niſi ſub ea ratione boni, vel mali, ſub qua ſibi ab intellectu exhibetur.

Dico II. Nec ſequi licet conſcientiam vincibiliter erroneam, nec contra ejus dictamen operari, ſed debet deponi.

Prob. Quia nefas eſt pravæ, & peccaminoſæ regulæ ſeſe accommodare; conſcientia autem vincibiliter erronea prava eſt, & peccaminoſa, cùm à peccato non excuſet; Ergo. Nec etiam fas eſt contra ipſius dictamen operari; quia ille peccat, qui eligit objectum quod tamquam malum ab intellectu apprehenditur: ſed qui agit contra dictamen conſcientiæ vincibiliter errantis, fertur in objectum quod ab intellectu proponitur, tanquàm malum; Ergo peccat; Ergo antequàm agat, adhibere tenetur moralem diligentiam, qua error quo laborat depelli poſſit.

Objic. 1. Si vera eſſet hæc propoſitio: *Peccat, qui contra dictamen conſcientiæ erroneæ operatur*; neceſse eſt, ut hæc ſit falſa: *Non peccat, qui juxta dictamen conſcientiæ erroneæ operatur*: quia duarum propoſitionum contradictoriarum neceſse eſt unam eſse veram, alteram falſam.

℟. Diſt. Duarum propoſitionum contrad. &c. Si ſint contradictoriæ ſecundùm idem, C. ſi ſecundum aliud, N. Nec enim, qui juxta dictamen conſcientiæ erroneæ operatur, ideò peccat præciſè, quia illud dictamen ſequitur; ſed quia actio, quam ponit ex hoc dictamine, aliunde ex objecto mala eſt; cujus malitia non auſertur per ignorantiam, quæ voluntaria eſt, utpotè vincibilis.

Objic. 2. Si vincibiliter ignorans peccat, conſcientiam ſuam ſequendo, & non ſequendo, neceſsariò peccabit.

℟. Diſt. Neceſsariò peccabit, neceſſitate hypothetica, ſi conſcientiam ſuam non deponat, quam deponere poteſt, utpotè vincibilem, C. neceſſitate ſimplici, & abſoluta, N. Nam ſi in hac neceſſitate verſetur, ejus culpa eſt; quia rem ſeduliùs perpendere, doctiores conſulere, ut errorem vinceret, minimè dignatus eſt. Quòd ſi autem præceptum urgeat, & tempus ad conſulendum, & inquirendum non ſuppetat; ſitque paratus ut, ſi tempus afforet, rem accuratiùs diſcuteret, error ejus de vincibili invincibilis evadet, & non peccabit; niſi ejus ignorantia ſit eorum, quæ de ſe ſcire tenetur; quia tunc peccatum jam eſt commiſsum.

QUÆSTIO II.

Reſolutio caſuum circa Conſcientiam erroneam occurrentium.

QUÆR. 1. An gravius peccet, qui conſcientiam vincibiliter erroneam ſequitur, quàm qui contra ipſam operatur.

℟. Gravius eſt de ſe contra ipſam operari quàm ea ſequi. Quia qui ſcienter peccat, graviùs peccat, quàm qui ex ignorantia, licèt culpabili: qui autem contra conſcientiæ dictamen peccat, ſcienter peccat. Ergo. Dixi *de ſe*. Nam ſi gravior eſt obligatio, graviuſque præceptum, omiſſio ejus gravius eſt peccatum: v. g. qui ex ignorantia exiſtimat deſerendum eſse ægrotum in extremis verſantem, ut die Feſto Sacro interſit, gravius peccat, ipſum deſerendo, juxta conſcientiæ dictamen, quàm ſi à Sacro abeſset; quia levius eſt præceptum Sacrum audiendi, quàm tali ægroto ſubveniendi.

QUÆR. 2. Quale ſit peccatum, an mortale, aut veniale, contra conſcientiam agere.

℟. 1. Tale eſse quale à conſcientia exiſtimatur. Si quidem peccata ſpeciem ſuam deſumunt ab objecto, non ut in ſe eſt, ſed prout intellectui ſubjacet. Unde, ſi illud proponit tanquàm mortale, peccatum mortale erit; ſi ſub venialis idea, veniale; ſi ſub ratione ſacrilegii aut inceſtus, ſacrilegium aut inceſtus erit, &c.

℟. 2. Si dubitetur, utrùm mortale ſit, an veniale, mortaliter peccat operans; quia cum tali dubio opus peragens, voluntariè periculo ſe committit mortaliter peccandi. Adde quòd interpretativè velle cenſetur peccatum, cui ſeſe exponit.

℟. 3. Si conſcientia dictet aliquid eſse peccatum generaliter, non determinando utrùm ſit veniale, an mortale; Diſtinguendum eſt. Si apprehendatur, ſaltem confusè, velut aliquid graviter turpe & injuſtum; mortaliter peccatur. Si tanquàm levi-

ter tantùm, peccatur duntaxat venialiter, niſi tamen gravioris peccati periculum appareat. Quod ſi quis inter agendum, ita eſt conſtitutus, ut abſolutè vellet agere, ſive de re gravi agatur, ſive non, peccaret mortaliter. Quod ſi autem ſic eſt conſtitutus, ut nequaquam illud committere vellet, ſi dubium occurreret quòd poſſit eſse mortale, cenſetur duntaxat peccare venialiter. Unde à mortali excuſantur ſimplices & idiotæ, qui nonnulla peragunt opera, quæ ſub ratione generali mali apprehendunt, non cogitantes, nec diſcernentes, utrùm mortalia ſint, vel venialia.

Adnotatio 7.

(*)

Tradita ab Authore doctrina eo ſenſu accipienda eſt, ſi videlicet ſimplices iſti, & idiotæ in dicta conſtitutione inveniantur talia opera non peragendi, ſi in ipſis dubium occurreret, quod poſſent eſſe mortalia. Si ſecus autem forent diſpoſiti, aliter de ipſis etiam eſſet dicendum. Hoc fuit neceſſarium advertere, quia ſimplices iſti, & idiotæ, more Brutorum plerumque agentes in quæcumque allicit prava concupiſcentia impetu cæco feruntur. In tali caſu, etiam ſi nihil de gravi operis malitia expreſſe cogitarent, a gravi tamen culpa ob malam illorum interpretativè ſaltem habitualem diſpoſitionem, non eſſent excuſandi.

(*)

QUÆR. 3. Utrùm Pœnitens tuta conſcientia ſpernere poſſit dictamen conſcientiæ ſuæ, quod Confeſsarius, Parochus, aut Superior cenſet erroneum, & contra hoc dictamen operari?

℞. Non ſolùm poſse, ſed & ordinariè teneri; quia lumen à Deo nobis conceſsum ad operationes noſtras dirigendas, ſequi tenemur: ſed directio Confeſsarii, Parochi, ac Superioris, de quibus dictum eſt: *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lumen mundi*, lumen eſt à Deo nobis conceſsum, deficiente, & vacillante rationis lumine, ad operationes noſtras dirigendas; Ergo. Dixi ordinariè. Nam ſi Pœnitens eminenti pietate, ac doctrina præpolleat, non tenetur illicò mutare ſententiam; ſed ſtudendo, orando, & conſulendo veritatem diligentiùs tenetur indagare.

QUÆR. 4. Utrùm Confeſſarius monere teneatur Pœnitentem, qui conſcientia laborat vincibiliter erronea?

℞. Quæcumque illa ſit ignorantia, ſive Juris divini, ſive humani, ſive vergat in præjudicium tertii, ſive non, de illa Confeſſarius Pœnitentem monere tenetur; qui erga ipſum duplex munus & Doctoris & Medici peragit. Quatenus Doctor ipſum erudire tenetur, quatenus Medicus morbos ejus præſentes curare & futuros, quantùm in ſe eſt, præcavere debet: Imò pœnitentem monere tenetur, etiamſi peccatum, de quo agitur, nihilominus brevi commiſſurum prævideat; tum quia non monitus ſemper peccaret ex ignorantia vincibili quæ à peccato non excuſat; tum quia defectu iſtius monitionis, periculum eſt nè in peccati habitudinem inveteratam prolabatur, faciliùs peccet, & peccatum ipſum contemnens de ipſo nequidem confiteatur. Monitus verò, præterquàm quòd aliqualis emendationis integræ ſpes affulgeat, peccabit rarius conſcientiæ ſtimulis agitatus, peccati horrore perterritus, & à Confeſſariis reprehenſus.

QUÆR. 5. Utrùm Confeſſarius pœnitentem monere teneatur conſcientia invincibiliter erronea laborantem?

℞. Diſtinguendo; Vel Pœnitens de veritate Confeſſarium interrogat, vel non: Vel fructus aliquis hujuſce monitionis ſperatur, vel nullus: Vel error pœnitentis in boni publici detrimentum vergit, vel non vergit: Vel agitur de ignorantia facti, vel de ignorantia Juris naturalis, aut poſitivi: Vel error pœnitentis verſatur circa ea quæ ad ſalutem ſunt neceſsaria, vel non neceſſaria: Vel tandem pœnitens exiſtimat quædam eſse peccata quæ ſunt licita, vel peccara eſse mortalia, quæ non ſunt niſi venialia.

1. Tenetur Confeſsarius pœnitenti de aliquo interroganti veritatem aperire, quia tunc pœnitens non errore invincibili, ſed vincibili laborat; cùm aliquod in ejus conſcientia ſuboriatur dubium. Adde quòd non eſt Doctor ex officio ſuo, niſi ut interrogatus doceat.

2. Licèt non ſit interrogatus, ſi ſpes emendationis affulgeat, pœnitentem monere tenetur; quia ipſi tanquam Doctori illum erudiendi incumbit obligatio, & tanquàm Medico à peccatis etiam materialibus eum retrahendi.

3. Si timeatur, ne monitio magis nociva ſit futura, quàm utilis; quia nempè, periculum eſt nè pœnitens, qui uſquemodò materialiter tantùm peccavit, formaliter poſthàc ſit peccaturus, Confeſsarii monitionem ſpernendo, ab ipſa omninò eſt abſtinendum. Sic enim ipſemet Chriſtus Dominus nonnullas Diſcipulos ſuos celabat veritates, quas *non poterant portare modò*. Sic prudens Medicus quædam medicamenta, licèt de ſe ſalutaria, morbis omnibus non

non adhibet ob infirmi malam habitudinem, cui magis nociva forent quàm proficua.

4. Si error pœnitentis in malum publicum vergit, quoquomodò pœnitens ſe habeat, Confeſſarius eum monere tenetur: ſi quis v. g. invalidè eſſet ordinatus; quia bonum publicum particulari prævalere neceſſe eſt.

5. Si agatur de ignorantia facti aut juris poſitivi, & nulla ſpes utilitatis affulgeat, pœnitens non eſt admonendus. Si verò agatur de ignorantia primorum juris naturalis principiorum, ſemper ac ſedulò eſt admonendus; quia, ut dictum eſt, circa hæc non datur ignorantia invincibilis. Quòd ſi verò de ſecundariis agatur principiis, etiam ordinariè eſt monendus; tum quia raró contingit circa hæc dari ignorantiam invincibilem; tum quia ignorantia, quæ tunc ſupponitur invincibilis; brevi fiet vincibilis ob malitiæ ſuſpicionem, quam ex ſeſe facilè ingerit actio naturaliter turpis & inhoneſta.

6. Tandem ſi pœnitens exiſtimat, quædam eſſe peccata quæ ſunt licita, aut quædam eſſe mortalia quæ ſunt tantummodo venialia, monendus eſt à Confeſſario qui, utpotè Doctor & Medicus, omnes peccandi occaſiones è pœnitente tenetur avertere. Certum eſt autem pœnitentes in ſimilibus verſantes erroribus ſæpiùs peccare, ubi non peccarent; cùm ideò ſolummodo peccent, quòd talia agendo de ſe non mala, mala eſſe erroneè exiſtiment. Nec obſtat quòd ſic pœnitentes à quibuſdam pietatis operibus deterrentur; quia longè ſatius eſt, ut ab his deterreantur, quàm ſi erroris ſui occaſione in multa peccata contra conſcientiam prolabantur.

Adnotatio 8.

(*)

Benignior, quàm ut conveniat, viſa fuit non paucis tradita ab Authore doctrina de Confeſſarii ſilentio. Confeſſarium præter munera Judicis, & Medici, munus etiam Doctoris obire debere inconfeſſo eſt apud omnes. Si igitur eſt Doctor, generaliter loquendo, pœnitentem inſtruere tenetur de iis, quæ ipſe ignorat, quæque ad Sacramentum, & mandatorum obſervantiam vel ſpectant, vel ſpectare debent. Aſt, cum Authore ajunt non pauci, adſunt caſus in quibus timetur ne monitio magis nociva ſit futura, quam utilis: *periculum eſt enim ne* Pœnitens, qui nequemodo materialiter tantum peccavit, formaliter poſthac ſit peccaturus. *Ratio iſta, ut verum fatear, ne tantillum quidem mihi arridet. Vel enim Pœnitens, in caſu ſupponitur verè diſpoſitus, vel non. Si non ſupponitur diſpoſitus, jam patet, quod nullo modo eſt abſolvendus. Si vero eſt diſpoſitus; cur timendum, quod* monitio magis nociva, quam utilis *ſit futura, & quod proinde de Peccatore tantum materiali, Peccator formalis etiam evadat? Dicendum ne quod diſpoſitio Pœnitentis conſiſtat, vel conſiſtere poſſit in præparatione animi ad obſervanda aliqua tantum, vel faciliora mandata? minimè quidem; ſed omnia uſque ad unum, licèt ardua ſint, atque difficiliora: & qui ſic non eſt affectus, incapax eſt Sacramenti. Si igitur Pœnitens diſpoſitus eſt, ut ſupponitur, debet eſſe paratus ad univerſa adimplenda præcepta, ſive juris Divini ſint, ſive poſitivi, & humani; & proinde ad humiliter recipienda, atque ſequenda monita, & lumina, quæ ipſi præbere poteſt, & debet prudens Confeſſarius. Quod ſi ex monitione Confeſſarii realiter Pœnitenti ſequatur damnum, & peccator inde formalis evadat, hoc ſibi imputare debet, & ſuper propriam malitiam, reitatem ſuam, & damnationem refundere. Exemplum D. Salvatoris hanc doctrinam confirmat. Sciebat ipſe, & quidem infallibiliter ſciebat, quod ejus prædicatio non ſolum inutilis, verum etiam nociva, propter eorum duritiam futura foret Judæis. Attamen, non deſtitis prædicare, non deſtitit eos monere, increpare, atque Evangelii præcepta ipſis proponere. Quare hoc? niſi, ut inexcuſabiles eſſent in eorum erroribus, & perditione.* Si non veniſſem, *ait ipſe Joan.* 15. & loqutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.

Ex paucis adductis, aliiſque adducendis, ſi opus foret, concludendum apparet, quod timor, ne monitio vel inutilis, vel etiam nociva futura ſit Pœnitenti, Confeſſarium retrahere non debet a fungendo munere ſuo; Pœnitentem, ſcilicet dulciter admonendo, illumque illuminando de ignorantia, ſive de errore, quamquam hic & nunc inculpabili, in quo verſatur. Excipe aliquot caſus particulares, qui fortè evenire poſſent, puta: ſi ſcandala, inimicitiæ, rixæ, aliaque ſimilia ex monitione hic, & nunc facienda inſurgere deberent. Tunc prudens Confeſſarius vel differre deberet abſolutionem Pœnitenti, tali ignorantia laboranti; vel, ſi ineluctabiliter urgeret Confeſſionis obligatio, ſuſpendere monitionem ad tempus, donec occaſio effulgeat commodiùs, atque ſine inconvenientibus monitionem peragendi. De cætero Confeſſarii *ſeriò perpendant, quæ Deus ipſe imponit, & minitatur Ezechieli cap. 33.:* Et tu Fili hominis, Speculatorem dedi te domui Iſrael. Audiens ergo ex ore meo Sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad Impium: Impie morte morieris: non fueris loquutus, ut ſe cuſtodiat Impius a via ſua: ipſe Impius in iniquitate ſua morietur; Sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad Impium, ut a viis ſuis convertatur, non fuerit converſus a via ſua: ipſe in iniquitate ſua morietur; porrò tu animam tuam liberaſti.

(*)

CAPUT II.

De conſcientia dubia.

CUm conſcientia certa ſit judicium firmum de bonitate aut malitia operis peragendi; dubia è converſo *eſt ſuſpenſio judicii circa eamdem bonitatem aut malitiam*; vel quia rationes non occurrunt ullam partem ſuadentes, dum quis v. g. dubitat, utrum Rex dormiat, aut vigilet; diciturque dubium negativum, aut potiùs mera neſcientia; vel quia occurrunt pro utraque parte rationes æquè ponderantes, quæ animum ancipitem, ac ſuſpenſum detinent; diciturque dubium poſitivum, dum quis verbi gratia omnibus hinc inde rationibus perpenſis, hunc contractum eſſe uſurarium dubitat.

Dubium aliud eſt purè ſpeculativum; dum ſcilicet de re non agenda dubitamus, utrùm v. g. Deus concurrat mediatè, vel immediatè in actionibus noſtris. Aliud eſt practicè ſpeculativum; dum de aliqua re facienda in genere dubitamus, utrùm v. g. die Feſto pingere liceat. Aliud eſt practicè practicum, dum dubitamus de te aliqua hic & nunc facienda cum omnibus ſuis circumſtantiis; utrum v. g. hoc die Feſto ad exornandam Eccleſiam mihi nunc pingere liceat. Poſſumus autem de re facienda ſpeculativè dubitare, licèt de ea practicè certi ſimus: ut in exemplo allato dubitare quis poteſt, utrùm pingere ſit opus ſervile, cui diebus Feſtis vacare non licet; qui certus eſt hìc & nunc ſibi licitum eſſe pingere, quia nempè gravis urget neceſſitas. E contra, nullus de re facienda practicè dubitare poteſt, quin de ea ſpeculativè dubitet. Oritur enim dubium practicum ex ſpeculativo; nec dubitat quis, utrùm hìc & nunc pingere ſibi liceat, niſi quia dubitat utrùm pingere ſit opus ſervile. De dubio inveſtigandum eſt, 1. An operans cum conſcientia dubia peccet, & quomodò. 2. Qua ratione conſcientia dubia ſit deponenda. 3. Nonnullos demum caſus circa dubium reſolvemus.

QUÆSTIO I.

An & quomodò peccet operans cum conſcientia dubia?

Dico. 1. OPerans contra conſcientiam ſpeculativè dubiam nullatenus peccat, modò ob aliquam particularem circumſtantiam, de actionis vel omiſſionis bonitate, hìc & nunc practicè certus ſit.

Prob. Quia conſcientia ſpeculativa non eſt propriè conſcientia, ſed potiùs univerſalis prudentia ex primis principiis generalem deducens concluſionem, quæ per veram conſcientiam applicatur ad hanc actionem hìc & nunc in tali circumſtantia agendam, vel omittendam. Ideò cùm actiones noſtras in actu ſecundo nec dirigat nec regulet, contra ipſam inculpabiliter agere poſſumus, modò aliam regulam certam habeamus, conſcientiam, ſcilicet practicè practicam.

Dixi; *Modò ob aliquam*, &c. Si enim non variatur dubium ſpeculativum, tale erit haud dubiè judicium practicè practicum, & utrique actionem noſtram accommodare erit neceſſe.

Dico III. Nunquam operari licet cum conſcientia practicè dubia.

Prob. Quia, ut jam dictum eſt, ſic operans imminenti peccandi periculo ſe committit, virtualiter Legem contemnit, cenſeturque velle interpretativè malum. Deinde ex Apoſt. *Quod non ex fide*, id eſt ex perſuaſione, quòd actio vel omiſſio ſit licita, *peccatum eſt*; & quidem tale, & ejuſdem ſpeciei quale eſt dubium, in quo quis fluctuat.

QUÆSTIO II.

Quo principio deponi poſſit conſcientia dubia, & fieri certa?

Not. 1. AD licitatem operis non requiri certitudinem aut Metaphyſicam, aut Phyſicam, cui falſum ſubeſſe nequeat, utpote ferè ſemper impoſſibilem, ſed ſufficere certitudinem moralem, quæ talibus principiis moralibus ſuadetur, ut formidinem excludat, & temerarius meritò cenſeatur qui contra ſentiat ac diſputet, licet abſolutè loquendo illi falſum ſubeſſe poſſit. Ad hanc certitudinem aſſequendam, & dubium deponendum conveniunt omnes ſufficere erga indoctos & illiteratos, timoratorum praxim communem, & viri prudentis ac docti conſilium. Sed quæritur, utrùm principium iſtud toties à nonnullis Caſuiſtis decantatum. *Melior eſt conditio poſſidentis*, in omnibus materiis accommodari poſſit, ac per ipſum dubium omne morale ſolvi ac deponi; vel utrùm potiùs non ſit recurrendum ad principium iſtud: *Pro ea*

ſtan-

Digitized by Google

ſtandum eſt, pro quo ſtat præſumptio. Circa quod.

Not. 2. Auctores qui contendunt principium iſtud: *Melior eſt conditio*, &c. in omnibus materiis extra juſtitiam aptari poſſe, duplicem diſtinguunt poſſeſſorem: Legem ſcilicet, & hominis libertatem. Poſſeſſio, inquiunt, ſtat pro lege contra libertatem, dum conſtat de lege, & dubium eſt de libertate. E contra poſſeſſio ſtat pro libertate contra legem, dum conſtat de libertate, & dubium eſt de lege. Sic qui dubitat utrùm votum emiſerit, ad voti obſervationem, non tenetur; quia poſſeſſio, inquiunt, ſtat pro libertate. E contra, qui dubitat utrùm votum adimpleverit, ad illud implendum tenetur, quia poſſeſſio ſtat pro lege.

Not. 3. Quoad alterum principium: *Standum eſt pro*, &c. præſumptionem haberi ab aſſuetis, juxta Reg. 45. Juris in 6. & aliquid rationabiliter præſumi *ex eo quod ut plurimùm accidit*. Sic in allato exemplo, qui dubitat utrùm votum emiſerit, ad illud non tenetur; quia non emiſiſſe præſumitur. Siquidem cum voti emiſſio ſit res gravis, & homo cum deliberata applicatione ejuſmodi actiones peragere ſoleat, imò & ſæpè reiterata conſideratione ratificare, facilè de hac voti emiſſione recordaretur. Qui autem dubitat utrùm votum emiſsum adimpleverit, illud adimplere tenetur, quia non adimplevisſe prudenter præſumitur ob eamdem rationem, niſi alia occurrat ratio, quæ contrariam ſuadeat præſumptionem. His notatis.

Dico. Regula Juris *Melior eſt*, impertinens eſt ac inutilis ad conſcientiam dubiam deponendam, & certam efformandam; & ad alteram *Standum eſt*, &c. confugere neceſse eſt, & ſi pro neutra parte præſumptio ſtare clarè videatur; *Tutior pars eſt eligenda*.

Prob. 1. Prima Pars. Circa res quæ conſcientiæ obligationem inducunt (excepta tamen materia juſtitiæ) in dubio poſſeſſio nunquam ſtat pro libertate: Ergo vanum eſt atque ineptum ad hanc regulam confugere, ad dubium deponendum.

Prob. Ant. Poſſeſſio libertatis eſt jus quod habet homo faciendi pro libitu, vel non faciendi hanc rem, vel illam; ſed in dubio de lege homo nunquam jus habet faciendi quidquid libuerit: Ergo. Prob. Min. Qui dubitat de lege, dubitat de ejus obligatione, obligatio enim eſt proprietas eſsentialis legis, & nulla eſt lex, ſi non obligat: ſed qui dubitat de legis obligatione, eo ipſo dubitat utrùm jus habeat agendi, vel non agendi pro libitu. Ergo in dubio de lege homo nunquam jus habet faciendi quidquid libuerit; Ergo poſſeſſio libertatis non ſtat pro ipſo.

Confir. Exemplo. Qui dubitat ver. grat. utrùm in adoleſcentia ſua caſtitatem voverit, dubitat profectò utrùm ſibi ſit licitum Matrimonium contrahere, vel non; ſed qui dubitat utrùm ſibi ſit licitum Matrimonium contrahere, non poſſidet libertatem Matrimonium pro libitu contrahendi. Ergo qui dubitat de lege, dubitat etiam de libertate. Ergo libertatem non poſſidet.

Dices. Sufficit quod, antequam dubium de lege occurrat, homo ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis.

℞. Hoc diceretur ineptiſſimè; quia hic non inquiritur quid ſit agendum, priuſquàm exurgat dubium de lege. Satis perſpicuum, eſt, poſſeſſionem tunc ſtare pro libertate; ſed quæritur quid in ipſomet legis dubio ſit agendum; & contendimus poſſeſſionem libertatis ſtare non poſse cum dubio legis obligantis.

Prob. 2. Illud principium inſufficiens eſt ad dubium deponendum, quòd nihil planè conferre poteſt ad veritatem, de qua dubitatur, indagandam; ſed tale eſt principium de quo eſt quæſtio. Ergò. Quis enim, niſi mentis impos, interrogatus v. g. quare tandem, ſe votum non emiſiſse exiſtimat, reſpondere auderet: quia cogitavi poſſeſſionem ſtare pro libertate mea. Numquid ſeriò dici poteſt hanc vanam excuſationem, dum quis in tremendo Judicio Dei, de voti ſui inobſervatione accuſabitur, fore acceptandam.

Prob. 3. Deficit in multis iſtud principium, & in apertas falſitates inducit, quod inductione patebit.

1. Si quis dubitat, utrùm in recitando divino Officio Pſalmum aliquem omiſerit, illud recitare non tenetur; ſi nunquam illud omittere conſueverit; quia prudenter præſumitur etiam nunc non omiſiſse. Veruntamen poſſeſſio ſtat pro lege integrè Officium recitandi.

2. Si quis dubitat an media nocte pulſata ſit duodecima hora antequam comederit, Miſsam poſtridie celebrare non poteſt. Poſſeſſio tamen ſtat pro libertate.

3. Dum Princeps ſubdito mandat arma ſumere, tenetur obedire; licet dubitet an bellum ſit juſtum. Attamen poſſeſſio ſtat pro ſubditi libertate.

4. Aliquis votum jejunandi ſingulis Sabbathis emiſit, aut in caſu tranſgreſſionis ta-

Digitized by Google

lem pecuniæ ſummam loco Pio ſolvendi. Voveus qui dubitat an jejunaverit, pecuniam ſolvere non tenetur; ſi advertat ſe ſemper jejunaſse die Sabbathi, nec illa die occaſionem non jejunandi occurriſse, licet in hoc caſu poſseſſio ſtet pro voto.

Prob. 4. Nullum prorſus, vel minimum reperitur nec in Scriptura, nec in Patribus, nec in Conciliis, nec in Pontificum Decretis, imò nec in Jure Canonico, aut Civili credendi indicium hanc regulam extra materiam juſtitiæ applicari poſse ad dubium deponendum. Ergo purum eſt imaginationis commentum, quod utique de actionum noſtrarum licitate moralem certitudinem nobis ingerere nec poteſt, nec debet.

Obj. 1. In dubio de lege remanet libertas, quia certum per incertum non tollitur; ſed in dubio de lege lex eſt incerta, & certa erat libertas, antequàm ſaltem de lege dubitaretur. Ergo in dubio de lege remanet libertas. Deinde ſi in dubio legis non remaneret libertas, ſequeretur nos ad legem perinde teneri ac ſi de illa certi eſſemus, quod dici nequit.

℞. Conc. Maj, & Diſt. Min. Incerta eſt lex, quæ præcipit in hoc caſu, v. g. eſſe jejunandum, C. Incerta eſt lex naturalis, & æterna, quæ jubet ut Superiorum noſtrorum legibus obtemperemus, & eas infringendi periculo nos non committamus, N. Unde ultrò concedimus eum qui de lege dubitat, perinde ad legem teneri, dum dubium ſuum deponere nequit, ac ſi de ipſa certus eſſet; non quidem vi iſtius legis, de qua dubium eſt; ſed vi legis naturæ, quæ omninò eſt certa.

Objic. 2. Si æquitas ratioque poſtulant, nè poſſeſſor bonæ fidei in materia juſtitiæ ſua poſſeſſione privetur in dubio de rei dominio, cur non in aliis materiis?

℞. Ob multas rationes. 1. Quia ſic à Lege ſtatutum eſt in materia juſtitiæ, non autem in aliis materiis. 2. Quia in materia juſtitiæ dubium non eſt de poſſeſſione, cùm ſit omninò certa, ſed de dominio rei poſſeſſæ. Unde per dubium de dominio poſſeſſio non tollitur; ſecùs autem in aliis materiis, ubi ſtatim ac dubium exurgit de lege, dubium de libertate exoritur, & evaneſcit poſseſſio. 3. Quia poſſeſſio in materia juſtitiæ præſumptionem ingerit, quòd poſseſsor ſit verus Dominus rei poſseſsæ; cùm ordinariè qui poſsidet, rem ſuam, juſque ſuum poſſidet. Secùs autem in aliis materiis, ubi poſseſſio, ſi daretur, nullam ingerere poteſt præſumptionem; ex qua parte ſtet veritas.

Prob. 2. Pars concluſionis, quòd nempè verum certitudinis acquirendæ principium ſit iſtud: *Pro eo ſtandum eſt pro quo ſtat præſumptio*. Illud eſt verum certitudinis principium, ſine quo omnis ruit certitudo; Atqui ſine hoc principio, qualibet poſſeſſione excogitata, ruit omnis certitudo; Ergo. Siquidem qualibet excogitata poſseſſione, ſi probabiliſſimè, & prudenter ob quamdam circumſtantiam præſumitur actionem eſse licitam, haud dubiè licita erit, & vice verſa, ut in allatis, & mox afferendis reſolutionibus patet. Quod autem hoc principio uti poſſimus ad deponendum dubium probatur, ex eo quòd prudenter agat qui in dubiis pro ea parte ſtat, pro qua probabilius præſumit ſtare veritatem; eſſet enim jugum intolerabile, ſi ſemper, & ubique partem tutiorem ſeligere teneremur, ut ſequenti capite ex profeſſo probabitur.

QUÆSTIO III.

Quorumdam caſuum circa dubia occurrentium reſolutiones.

Quorumdam caſuum reſolutiones hìc adjicere operæ prætium duximus, ut Theologiæ Candidati faciliùs addiſcant, qua ratione ſupradicta principia diverſis materiis debeant accommodare; & nè materiarum diverſitas confuſionem pariat, ſingulas ſingulis exponemus articulis.

ARTICULUS I.

De dubiis ad materiam juſtitiæ ſpectantibus.

Reſol. 1. Dubitans utrùm res quæpiam; v. g. domus, quam hactenus bona fide tanquam ſuam poſſedit, ſua ſit, an aliena, ſi poſt ſufficientem diligentiam adhibitam ad verum ejus Dominum inveſtigandum, in eodem remaneat dubio; licitè poteſt rem illam retinere, eaque uti, donec verus Dominus compareruit.

Reſol. 2. Quòd ſi ſufficienti diligentia adhibita probabiliùs notabiliter appareat rem eſſe alienam; tenetur poſſeſſor, non obſtante poſſeſſione ſua, rem totam reſtituere; vel ſaltem, ut nonnulli cenſent Doctores magis laxi, dividere; quia tunc cum non ſit verum dubium, nec par utrobique cauſa

ſa, uti exigit regula Juris, hæc regula ipſi favere non poteſt.

Reſol. 3. Ut is, qui bona fide poſſidet, cum vero dubio uti poſſit hac Juris Regula; *Melior eſt conditio poſſidentis*, requiritur, ut cauſa illius adversùs quem dubitat, non habeatur in Jure favorabilior. Sex autem vulgo annumerantur cauſæ in Jure favorabiles: nimirum, cauſa Matrimonii, cauſa libertatis; id eſt immunitatis à ſervitute, cauſa Dotis, cauſa Teſtamenti, cauſa pia, & cauſa Fidei.

Reſol. 4. Dubitans utrum æs alienum à ſe contractum ſolverit, tenetur totum ſolvere, niſi tamen creditor etiam de ſolutione dubitet. Tunc enim non ad integram, ſed ad partem ſolutionis, pro dubii qualitate tenetur, nec illi favere poteſt Regula Juris, *Melior eſt* &c. quæ tantummodò locum habet, quando agitur de actione reali, ſeu de vindicatione rei determinatæ, ut hujus domus; non autem quando agitur de perſonali, ut fit in æris debito, ubi perinde eſt, ſive ex hac, ſive ex illa pecunia ſolvatur.

Reſol. 5. Qui certus eſt cauſam damni alicujus dediſſe, vel commodatum, vel depoſitum amiſiſſe; ſi dubitat an id culpa ſua contigerit, tenetur proximi damnum reſarcire; quia præſumitur, quod ſæpiùs contingit, hæc & ſimilia non amitti, niſi culpa cuſtodientis.

Reſol. 6. Si dubitatur de duobus quinam ſit Pater pueri, quilibet pro ſua parte eum alere, & educare tenetur; & uno deficiente alter obligarur in integrum. Quia dum quis dubitat utrùm facto ſuo cauſam dederit alicujus damni, ad reſtitutionem tenetur. Unde juxta omnes Doctores, ſocius latronum qui dubitat an fuerit cauſa efficax latrocinii, præſumitur latrocinio fuiſſe cooperatum, & reſtituendi ipſi incumbit obligatio.

Reſol. 7. Qui ludens cum ſocio, decem nummos per fraudem lucratus eſt; & dubitat utrum, fraude ſeſcluſa, non etiam eos lucratus fuiſſet, tenetur tantum ad reſtitutionem nummorum, quos injuſtè lucratus eſt; non autem eorum quos ipſemet ludi diſcrimini commiſit; & hoc ex Regula. *Melior eſt*.

Reſol. 8. Princeps dubitans utrùm bellum ſit juſtum, offenſivum movere non poteſt, ſed duntaxat defenſivum ſuſtinere; quia cùm poſſeſſio ſtet pro poſſidente, donec lis pacificè dirimatur, Poſſeſſor injuſtè vi appetitur, & juſtè jus ſuum tuetur.

Reſol. 9. Licet, uti jam dictum eſt, in dubio de juſtitia Belli, ſubditus Principi obedire teneatur, dum ipſi imperat arma ſumere; quia præſumptio tunc ſtat pro Principe; attamen ſi Princeps injuſta bella movere ſoleret, nec ulla appareat juſtitia, ſubditi ejus non poſſent militare, quia præſumptio, quæ habetur ab aſſuetis, tunc ſtaret contra ipſum.

Reſol. 10. Dubius utrum poſſit Novitio ſuffragari ad Religionis Profeſſionem emittendam, ſuffragium ſuum ei concedere tenetur; non quod, ut inſulsè dicunt nonnulli, Novitius ſit in poſſeſſione aptitudinis ſuæ, cum de hoc ipſo dubitetur; ſed quia in dubio præſumendum eſt pro eo, qui alioquin plurima boni propoſiti teſtimonia, ut ſupponitur, jam exhibuit. Hùc accedit hæc Regula Juris in ſimilibus caſibus applicanda, C. de Sent. & re Jud. & L. ſemper in dubiis: *Delictum, & defectus non præſumitur, ſed demonſtrari debet*; & *dubia indicia de malitia alterius ſunt in meliorem partem interpretanda*. Quia, inquit D. Thom. 2.2, q. 60. a. 4. & q. 157. a. 2. ad 3. *Hoc ipſo quòd aliquis habet malam opinionem de aliquo abſque ſufficienti cauſa, injuriatur ei, & contemnit ipſum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre, niſi cauſa cogente. Et ideò ubi non apparent manifeſta indicia de malitia alterius, debemus eum ut bonum reputare, in meliorem partem interpretando, quod dubium eſt.*

ARTICULUS II.

De dubiis circa Leges, & Præcepta.

Reſol. 1. Dubius de exiſtentia legis, vel præcepti tenetur ad illam implendam: Idem dicendum eſt, quando dubium exurgit utrum lex, vel præceptum ad certum quemdam caſum pertineat; quia tunc perinde eſt ac dubitare, utrùm lex poſita ſit; tum etiam quando ambigitur utrùm lex aliqua ſit uſu recepta: tum quando quis dubitat utrùm propter neceſſitatem aliquam, aut ſpecialem quamdam circumſtantiam à tali lege eximatur; tum denique ſi dubitetur utrum lex ſit abrogata, aut utrum in ea diſpenſatum ſit. Ratio horum omnium eſt, non quia lex poſſidet, aut non poſſidet: ſed quia in dubiis tutior eſt pars eligenda.

Reſol. 2. Certus de lege, ſed dubius an ipſam impleverit, ad eam non tenetur; ſi

de

de ſe experimentum habeat non facile oblivisci eorum quæ peragit deliberatè, & nulla occaſio non adimplendi legem, quam ſemper adimplere conſuevit, ſeſe obtulerit; quia tunc de facto legem adimpleviſſe præſumitur. Si autem probabiliſſimam præſumptionem de legis adimpletione habere non potuerit, ſemper remanet obligatio.

Reſol. 3. Dubitans an delectationi, vel tentationi mortiferæ conſenſerit, præſumere poteſt ſe non conſenſiſſe, ſaltem perfectè, ſi ſit timoratæ conſcientiæ, ſoleatque his tentationibus reſiſtere, & ſibi videatur ſe malle mori potiùs quàm ſimile quid perpetrare. E contrà ſi dubitans, de ſalute ſua parùm curet, nec ſit timoratæ conſcientiæ, præſumitur perfectè conſenſiſſe.

Reſol. 4. Dubitans utrùm Superioris præceptum ſit de re licita, vel utrùm ſuæ poteſtatis limites excedat, obedire tenetur, modò de valore Sacramenti non agatur; quia præſumptio ſtat pro Superiore, ad cujus mandatum dubium eſt deponendum. Dixi: *modò non agatur*, &c. quia in materia Sacramentorum probabilior, & tutior pars eſt eligenda, ut definivit Eccleſia.

Reſol. 5. Dubitans utrùm elapſa fuerit hora mediæ noctis, idque ſive poſt, ſive ante diem jejunii, cœnare non poteſt, nec carnes comedere. Ac ſimiliter dubitans utrùm poſt illam horam comederit, vel biberit, non poteſt die ſequenti ad Euchariſtiam accedere. Item dubitans utrùm annum 21. expleverit, obligatur ad jejunandum, ob rationem jam ſæpiùs allatam; quia in dubio tutior pars eſt eligenda.

Et hic ineptiſſimè nonnulli confugiunt ad libertatis, aut legis poſſeſſionem, quæ cum in his, & ſimilibus caſibus nullam præſumptionem ingerat, ad veritatem indagandam, pro nihilo eſt habenda. Ridiculum eſt enim contra Deum, aut Eccleſiam libertatis poſſeſſionem allegare; quaſi vero Deus nobiſcum litigaret de poſſeſſionis anterioritate, & potioritate. Perpendant igitur, & animo revolvant iſti vani Diſputatores, qui argutiis, cavillationibuſque ſuis omnes Caſus perplexos reſolvere ſibi poſſe blandiuntur, hanc D. Bonav. auream ſententiam, de Prof. Relig. l. 2. c. 41. & 12. *Cum Deo diſputare velle ſtultum eſt; quaſi velle convincere illum, ut non debeat judicare hoc eſſe peccatum mortale, quod noſtra opinio non vult pro mortali habere. Sua exiſtimatio eſt regula juſtitiæ infallibilis, non noſtra argutoſa opinio, quam conſcientiam noſtram appellamus.*

ARTICULUS III.

De dubiis circa Vota.

Reſol. 1. Qui dubitat utrùm vovendi ac ſe obligandi intentionem habuerit, id eſt utrùm quod promiſit, ſit potius ſimplex propoſitum quàm verum votum, ordinariè præſumitur non voviſſe; quia verum votum ut plurimùm ſit cum tanta deliberatione, ut facilè quiſque de ipſo poſſit reminiſci.

Reſol. 2. Si quis certus ſit de voti emiſſione, & dubitet an cum ſufficienti deliberatione illud emiſerit, ob ſubitam ſcilicet paſſionem vel timoris, vel iræ, voto adſtringitur; quia præſumitur deliberationem adfuiſſe, cùm rariſſimè contingat per ſimiles motus homines uſu rationis ad votum ſufficiente privari.

Reſol. 3. Qui vovit ſe nunquam acceſſurum ad mulierem, ſed dubitat utrùm votum ejus fuerit de acceſſu tantùm fornicario, vel etiam conjugali, nubere non poteſt; quia particula *non*, utpote malignantis naturæ, omnem omninò acceſſum ad mulierem excludit.

Reſol. 4. Qui caſtitatem vovit, ſed dubitat an in perpetuum, vel ad tempus; ſi nihil occurrat quòd contrariam ingerat præſumptionem, tenetur per hæc ſua verba: *Voveo caſtitatem*, ad perpetuam obſervandam.

Reſol. 5. Qui vovit Religionem, ſed dubitat an voverit profeſſionem emittere, tenetur profiteri; quia præſumitur quod vovendo Religionem, etiam voverit quod eſt de eſſentia Religionis.

Reſol. 6. Dubitans utrùm animum habuerit obligandi ſe ad Religionem generatim, an ad aliquam ſingularem, non poteſt licitè ingredi laxiorem, juxta D. Thom. in 4. d. 38. art. 3. q. 1. ad 6. quia, inquit, in dubio tutius eſt ſequendum.

Reſol. 7. Qui dubitat utrùm voverit ſeptem, aut ſex jejunia, tenetur ſepties jejunare; quia tutior pars eſt eligenda, ubi nulla contraria occurrit prudens præſumptio, ſicut occurreret in eo, qui poſt votum emiſſum de recitanda quotidie Corona, dubitaret utrùm voviſſet Coronam ſeptem vel ſex Decadum, iſte teneretur tantùm ad ſex; quia præſumitur ſe voviſſe Coronam, ſicut ordinariè recitari conſuevit.

AR-

ARTICULUS IV.

De dubiis circa Sacramenta.

Reſol. 1. DUbitans utrùm intentionem habuerit conſecrandi, baptizandi, &c. præſumitur habuiſſe; quia rariſſimè contingit, qui seriò conficiunt aut adminiſtrant Sacramenta, illam non habere. *Reſol.* 2. Dubius utrùm formam Conſecrationis debitè pronuntiaverit, præſumere debet ob eamdem rationem debitè pronuntiaſſe, nec debet iterum pronuntiare.

Reſol. 3. Dubitans an 22. annum inchoaverit, ſacros Ordines ſuſcipere non poteſt, quia periculo Legem violandi ſe committeret.

Reſol. 4. Dubitans utrùm lethale peccatum perpetrarit, confiteri tenetur; ac ſimiliter certus de culpa lethali commiſſa, ſed dubius de facta ejus Confeſſione. Sic & dubius an ea, quam fecit, Confeſſio irrita fuerit, debet iterum confiteri peccata mortalia, quæ confeſſus eſt, ſive nullitas ex culpa ſua, vel ex aliena contigerit.

Reſol. 5. Qui poſt Matrimonium contractum de valore Sacramenti dubitat, non poteſt debitum petere; poteſt tamen ac debet petenti concedere, ſive Matrimonium in dubio celebravit, ſive bona fide. Hoc ab Eccleſ. ſtatutum eſt, Cap. *Dominus* de ſecund. Nupt. & Cap. *Inquiſit.* de ſent. Excom. Ratio hujus reſolutionis eſt, non quia pars dubitans eſt in poſſeſſione libertatis; ſic enim non ſolùm poſſet debitum reddere, ſed & exigere. Adde quòd, qui mala fide & in dubio celebravit Matrimonium, libertatem ſuam minimè poſſidet, prout non poſſidebat ante celebrationem. Sed ratio reſolutionis eſt, quia Conjux dubitans, eligendo reddere debitum exigenti, quem de dubio monere ſæpiùs non expedit, ut ſupponitur, minus malum eligit, proindeque partem tutiorem. Nam debitum concedendi ſe tantum exponit diſcrimini violandi caſtitatem, quia fortè Sacramentum eſt invalidum. Debitum è contrà denegandi periculo ſe committit violandi juſtitiam, quam ſuæ comparti debet, quia forte validum eſt Sacramentum, quod eſſet majus malum. Unde non petendo debitum, ſed petenti concedendo, tutiorem partem eligit.

Reſol. 6. Qui dubitat utrùm adſit impedimentum dirimens, poſtquàm contraxerit Matrimonium, ſed antequam ſit conſummatum, debet per ſpatium duorum menſium etiam exigenti debitum denegare; quia nullam ſuæ comparti injuriam infert; cum ex Decreto Eccleſiæ liberum ſit cuilibet Matrimonium ineunti debitum reddere aut denegare; ut perpendere valeat, utrum in Matrimonio permanere, vel ad ſtatum Religionis tranſire velit.

Reſol. 7. Si poſt contractum, & conſummatum Matrimonium uterque Conjux dubitet de valore Sacramenti, neuter debitum reddere & exigere poteſt; quia in dubio neuter jus habet reddendi & exigendi; ſed tunc tutior pars eſt eligenda, ut patet ex ſupradicta Eccleſiæ reſolutione, ubi prohibetur uni Conjugi dubitanti, nè debitum exigat.

CAPUT III.

De lata, & ſcrupuloſa conſcientia.

Not. 1. COnſcientia ſcrupuloſa, ſic dicta à ſcrupulo ſeu lapillo itinerantis pedes offendenti, *eſt judicium imperfectum ſeu ſuſpicio levibus, ac futilibus principiis innixa de pravo propriæ conſcientiæ ſtatu; cum animi anxietate.* Unde ſcrupulus primario ad intellectum ſpectat, quatenus eſt fluctuans, & imperfectum judicium; & ad voluntatem ſecundariò, quatenus angit & cruciat. Scrupuloſa conſcientia differt ab erronea, quæ determinatè errori aſſentitur. Differt ab opinione, quæ gravibus principiis innixa potiùs uni parti adhæret quam alteri. Differt à dubia quæ ex prudenti motivo judicium ſuſpendit; ſcrupuloſa verò inaniter fluctuans nunc uni parti inclinat, nunc alteri, licèt nullam excludat.

Not. 2. Conſcientia lata è contra ſic dicta à nimia latitudine res etiam magnas continente, eſt judicium levibus principiis innixum de bono conſcientiæ ſtatu, cum pernicioſa animi ſecuritate. Unde diſcrimen eſt inter laxos, & ſcrupuloſos; quòd laxi parvi faciant quæ gravia communiter reputantur; ſcrupuloſi verò gravia reputant quæ communiter parva æſtimantur. Laxi non fidem adhibent Paſtoribus, & Confeſſariis eos reprehendentibus; ſcrupuloſi verò non fidem adhibent iiſdem eos excuſantibus. Laxi præcipitanter, & inconſideratè in actiones ſive bonas, ſive malas prorumpunt; ſcrupuloſi autem hæſitanter & ſuſpensè in omnibus procedunt, &c.

Not. 3. Scrupuloſos nullatenus eſſe dicendos, qui ſalutis ſuæ ſolliciti, & timore

filiali

filiali ducti, trepidant nè forte in aliquo ſummam bonitatem offendant aut offenderint; nec enim qui *verebatur omnia opera ſua*, Beatus Job vir erat ſcrupuloſus, ſed timoratus. Item nec dicendi ſunt ſcrupuloſi Pharisæi cœci, *excolantes culicem, camelum autem deglutientes*, qui in levibus dubii & anxii, ſed in gravioribus lati, dum ad mentis ſerenitatem redeunt, ſuperbos, elatos, inobedientes, mendaces, detractores, calumniatores, contumelioſos, contentioſos, &c. ſeſe exhibent. Hi potiùs nefandi, inſani, & vecordes peſſimi, quam ſcrupuloſi ſunt nuncupandi.

Verus ſcrupuloſus is eſt, qui verè timens Deum, & ſalutis ſuæ ſollicitus, de rebus tanquàm incertis angitur, quæ ab omnibus timoratis tanquàm certa judicantur; qui ſapientum conſilio ac judicio, non niſi cum timore & anxietate acquieſcit; qui in cogitationibus ſuis implicatus frequenter judicia ſua mutat, nunc in unam partem, nunc in alteram fluctuans, quin ullam de judiciorum ſuorum varietate rationabilem cauſam proferre valeat. His notatis.

Dico I. Contra conſcientiam ex ſcrupulis ortam, niſi priùs error deponatur, agere non licet.

Prob. Non licet agere contra conſcientiam practicè erroneam, aut dubiam; ſed quilibet ſibi efformare poteſt talem conſcientiam, ſive gravioribus, ſive levibus rationibus, ſive cum fundamento, ſive abſque fundamento; Ergo non poteſt agere contra illam; ſed obſervandum eſt utrùm hæc conſcientia ſic efformata verum ſit judicium, aut verum dubium, in quo nec Confeſſarius ſcrupuloſi, nec ipſemet ſcrupuloſus facilè fidem debet adhibere.

Dico II. Scrupuloſus nedum poteſt, ſed & plerumque ſub peccato tenetur, contra ſcrupulos agere, ipſoſque aſpernari & negligere.

Prob. 1. Pars. Quia licet agere contra conſcientiam improbabilem: Conſcientia autem, quæ vanis & futilibus rationibus innititur, eſt conſcientia improbabilis, aut potiùs vera conſcientia non eſt, ſed timor & apprehenſio mali, ubi non adeſt; quo timore non obſtante, judicium practicum de licitate actionis perſeverat, rationibus tum intrinſecis, tum extrinſecis; id eſt reſolutione prudentis Confeſſarii.

Prob. 2. Pars 1. Quia anima vanis inhærens ſcrupulis, interna pace ſpiritualique gaudio privatur, quæ ad virtutis argumentum plurimum conferunt; & gravibus tentationibus deſperationis, infidelitatis, ſeſe committit. 2. Quia ſcrupuloſi, anxietatibus ſuis nimium intenti, ſæpiùs officia ſua negligunt, & aliis vitiis hinc inde irrepentibus frœna laxant. 3. Quia ſcrupulis ſuis agitati, ad munia ſua obeunda contra obedientiam impotentes efficiuntur; quæ omnia, ſi ſint voluntaria, maximè ob pertinaciam proprio judicio nimium adhærendi, quandoque poſſunt fieri mortalia.

QUÆR. 1. Quæ ſint ſcrupulorum cauſæ?

Reſp. Frequentiores cauſæ ſunt ſequentes. 1. Dæmonis calliditas, qui jugum Dei ſuave licèt, aggravare ſtudet, ut illud penitùs excutere ſcrupuloſis perſuadeat. 2. Deus ipſemet permittens conſcientiam augi ſcrupulis, ut purior hac probatione evadat. 3. Ignorantia & defectus judicii, bonum inter & malum, clarè diſcernere non valentis. 4. Frigidum melancolicum, atque formidoloſum temperamentum. 5. Plerumque ſuperbia occulta, amor proprius, & mentis obſtinatio.

QUÆR. 2. Quæ ſint ſcrupulorum remedia?

Reſp. Multa aſſignari. Se ſcrupuloſum agnoſcere; Multi enim Dæmonis arte & amore proprio deluſi, quandoque cum aliorum contemptu, timoratæ conſcientiæ ſe credunt, cùm ſint tantummodò inaniter ſcrupuloſi; quæ tamen toto cœlo differunt. 2. Perſuaſum habere ſtatum hunc ſaluti periculoſum eſſe, ob ſupra allatas rationes; ſicque teneri in conſcientia ſcrupulos deponere. 3. Prudentis & docti viri directioni ſeſe committere, cujus deciſiones ſequantur cum omni humilitate ac ſimplicitate. 4. Contra ſcrupulos agere, eos contemnere, nec adverſus ipſos inaniter diſceptare. 5. Nunquam exiſtimare actionem non eſſe debitè factam, peccatum commiſſum, & non confeſſum niſi ſcrupuloſo adeò ſit compertum, ut de hoc juramentum præſtare poſſet. 6. Sentire de Domino in bonitate; quia, juſtus licet, non tamen ſeverus eſt litigator & exactor, ſed Rex pacificus ac benignus Dominus.

CAPUT IV.

De Conſcientia probabili.

PRobabile in latiori ſignificatione idem eſt ac approbatione dignum, & in hoc ſenſu comprehendit etiam quidquid per ſcientiam, & fidem nobis innoteſcit. In ſtrictiori autem ſenſu ſumitur pro eo, quod veri-

veriſimile eſt, quamvis non ſit certè verum. Et hoc dicitur 1. De objecto, quod probabiliter cognoſcitur. 2. De cognitione, quæ attingit illud objectum. 3. De motivo quo innititur illa cognitio. 4. De intellectu cognitionem eliciente.

Opinio probabilis in ſtrictiori ſenſu *ea eſt, quæ talem præſefert veritatis apparentiam, ut digna ſit aſſenſu prudenti*: ſeu, quæ nititur fundamento, quod, omnibus ſufficienter perpenſis, ad aſſenſum impellat virum probum, nullo affectu præoccupatum; quamvis non ſine formidine ſaltem radicali, ne opinio oppoſita ſit vera. Dixi. 1. *Omnibus ſufficienter perpenſis*. Nec enim prudenter agit, qui leviter, & abſque examine ad aſſenſum ſe determinat. Dixi. 2. *Virum probum nullo affectu præoccupatum*; Siquidem perſæpè contingit cordis præoccupationem ita judicium pervertere, ut probabiliſſimum improbabile, & improbabile probabiliſſimum præoccupato animo appareat. Dixi. 3. *Quamvis non ſine formidine ſaltem radicali*. Quia licèt opinantis intellectus uni parti contradictionis aſſentiendo eam affirmet eſſe veram; cum tamen aſſentiendi medium non ſit demonſtrativum, neceſſe eſt, ut agnoſcat non repugnare, quòd ſit falſa; ac proinde aliqua ſit in tali aſſenſu radix formidinis.

Multifariè ſumitur probabilitas opinionis, intrinſecè nimirum, & extrinſecè. Intrinſecè ſumitur à motivis ſeu rationibus eam ſuadentibus: Extrinſecè verò à doctrina, & pietate eorum, qui hanc opinionem amplexi ſunt. Item probabilitas opinionis ſumitur; vel abſolute, & ſimpliciter, quando communiter ſic habetur inter ſapientes; vel reſpective ad operantem, cui videtur probabilis. Nam quod probabile eſt uni, videtur quandoque improbabile alteri non tam perſpicacis ingenii. Inſuper opinio eſt probabilis; vel ſpeculative tantùm, dum agitur de re facienda in genere; vel practicè, dum de re aliqua particulari hic, & nunc facienda agitur; ut dictum eſt de dubio.

Opinio aliqua vel magnam probabilitatem habet, vel tenuem, ſeu nullam. Prima ea eſt, quam ſuperiùs deſcripſimus, quæ tot tantiſque innititur rationibus, & auctoritatibus, ut ad aſſenſum quemlibet prudentem virum determinet; & hæc ſola in vero, proprio, ac legitimo ſenſu digna eſt, quæ probabilis dicatur. Secunda ea eſt, cujus rationes, licèt non ab omnibus reſpuantur, communiter tamen deſpiciuntur; ita ut probabilitas illa pro nihilo reputetur: parum enim in qualibet materia perinde ſe habet, ac nihil, unde improbabilis dicitur.

Inter opiniones certò probabiles alia dicitur probabilior altera, cujus nempè rationes, & auctoritates præponderant rationibus, & auctoritatibus partis oppoſitæ: alia dicitur minùs probabilis altera, cujus rationes, & auctoritates minùs ponderant: ultima tandem æquè probabilis, cujus rationes ejuſdem ſunt ponderis, ac ejus contradictoriæ.

Opinio vel eſt tuta, vel tutior, vel minùs tuta. Tuta dicitur ea, quam qui ſequitur non peccat, nec ad ſemitas vitii declinat: Tutior, quæ magis à peccandi periculo recedit; Minùs tuta, quæ minùs recedit. Illa magis favet legi, iſta magis libertati. Opinio tutior poteſt eſſe minùs probabilis, imò, & improbabilis: v. gr. Opinio, quæ doceret non eſſe licitum accipere aliquid ultra ſortem ſub quolibet titulo. Qui nihil unquam acciperet, tutiorem profectò ſequeretur; ſed non probabiliorem. E converſo minùs tuta probabilior, & omninò certa eſſe poteſt; ut in allato exemplo, qui ſub legitimo titulo aliquid ultra ſortem accipit, non tutiorem, ſed probabiliorem ſequitur.

Ut motivum opinionis ad aſſenſum probabilem, & prudentem valeat impellere, requiritur, 1. Ut nitatur aliqua ſolida ratione, licèt non evidenter convincente, quæ tamen nulli alteri veritati exploratæ, & fidem plenam facienti adverſetur. 2. Ut hæc opinio à majoris notæ Theologis communiter non damnetur. 3. Ut nullatenus contraire appareat Summorum Pontificum Decretis, Sacris Canonibus, expreſſo Scripturæ Textui, principiis Fidei, & communi Fidelium exiſtimationi. Quarum, ſi vel una ex his conditionibus deſit, opinio erit improbabilis, & explodenda, tamquam in praxi non tuta. His expoſitis

Non una dumtaxat, ſed triplex exoritur quæſtio, juxta reſpectum triplicem, ſub quo ſpectari poteſt opinio probabilis, quæ libertati favet. Vel enim ſpectatur in concurſu alterius, quæ minorem obtinet probabilitatem, vel in concurſu oppoſitæ, quæ æquali donatur probabilitate; vel demum in concurſu alterius, quæ probabilior eſt. Sit igitur

QUÆSTIO I.

Utrùm liceat ſequi opinionem probabilem, quæ favet libertati, in concurſu probabilioris, quæ favet legi?

Not. Hic quæſtionem procedere de aliquo adimplendo præcepto, aut de vitando peccandi periculo. Nam conveniunt omnes, quòd in aliis materiis, quæ v. g. ad valorem Sacramenti, & ad jacturam bonorum alienorum, inter probabiles opiniones, probabiliorem & tutiorem ſequi teneamur; imò, in quibuſdam aliis minus probabilem ſequi poſſimus. Dum quis v. g. probabilius dubitat de revocatione cujusdam privilegii ſibi olim conceſſi; hoc non obſtante ipſo gaudere poteſt, donec revocatum fuiſſe certò ſibi conſtet. Hoc notato

Dico. E duabus propoſitionibus contrariis ſequi non licet minùs probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege.

Probatur ex Scriptura.

1. Eorum Textuum auctoritate, ubi ſtatuitur quemlibet ex eo quòd ſecutus fuerit, vel non ſecutus propriæ conſcientiæ ſuæ judicium, abſolvendum, vel damnandum fore. Ut Rom. 2. *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus in die cùm judicabit Deus occulta hominum.* Et Rom. 4. *Qui autem diſcernit ſi manducaverit, damnatus eſt, quia non ex fide. Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Qui autem ſequitur opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori, agit contra *Teſtimonium conſcientiæ, & contra fidem* dictantem probabilius actionem eſſe contra legem Dei, proindeque illicitam.

2 Auctoritate eorum Textuum ubi admonemur, ut cum timore ſalutem noſtram operemur. Rom. 11. *Noli altum ſapere, ſed time.* Philip. 2. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Prov. 28. *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* Job. 9 *Verebar omnia opera mea, ſciens quia non parceres delinquenti.* Sed qui de duabus oppoſitis partibus eam ſeligit, quæ minùs eſt probabilis, relicta probabiliori, ſalutem ſuam non operatur cum timore, nec timet Deum, nec opera ſua veretur, nec juſtos eſt; ſed potiùs impius de numero eorum, qui ſibi pravam efformantes conſcientiam, *dixerunt Deo*, teſte Job. 21. *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.*

3. Hanc controverſiam planè dirimere videtur Apoſt. dicens 1. Theſſ. 5. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete; ab omni ſpecie mala*, ideſt mali, ut Doctores omnes interpretantur, *abſtinete vos.* Quis enim minùs à ſpecie mali ſeſe abſtinet, quàm qui ſeligit opinionem, quam in conſcientia exiſtimat longè majorem mali ſpeciem, quàm alteram, præſeferre.

4. Hanc controverſiam non minùs evidenter diluit Eccli. 3. dum admonet nos, ne legem infringendi periculo nos committamus: *Qui amat periculum*, inquit, *in illo peribit.* Perſpicuum eſt enim eum, qui ſequitur opinionem minùs probabilem in conflictu probabilioris, evidenti ſe committere periculo legem infringendi, & peccandi.

5. Textus innumeri, quibus jubemur veritatem in divinis mandatis, quantum in nobis fuerit, inquirere atque ſectari, Theſim noſtram probant invictiſſimè. Prov. 2. *Inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam*, & c. 19. *Audi conſilium & ſuſcipe diſciplinam.* Et Deut. 26. *Hodie Dominus præcipit tibi, ut facias mandata hæc atque judicia, & cuſtodias & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Et Pſal. 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*, ideſt, valde. Qui autem, neglecta probabiliori ſententia, minùs probabilem ſequitur, nunquid cor ſuum inclinat ad prudentiam, ſuſcipitque diſciplinam, & prudentiam? Nunquid cuſtodit mandata Dei ex toto corde ſuo, & ex tota anima ſua?

6. Hùc accedunt preces, quas quotidie, & ſingulis horis coram Deo fundere tenemur, cum Pſalmiſta dicente: *Da mihi intellectum, ut ſciam mandata tua. Doce me facere voluntatem tuam* &c. Quorſum, velim, tot preces, ſi non obſtantibus gravioribus momentis ſuadentibus hanc actionem Divinæ voluntati eſſe contrariam, ab ipſa deſiſtere ſeriò non proponamus?

Probatur ex SS. Patribus.

1. Profertur Auguſtinus lib. 22. de Civ. c. 23. ubi ait: *Vigiliis continuis excubandum eſſe, ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſatus, ne ſe tenebræ alicujus erroris effundant, ne quod bonum eſt, malum, aut quod malum eſt, bonum eſſe credatur* &c. Quòd ſi excubandum ſit, ne opinio veriſimilis nos fallat; quomodò opinionem minùs veriſimilem, relicta veriſimiliore,

miſiore, ampleɕti poſſumus? Item illud Pſal. 61. *mendaces filii hominum in ſtateris*, exponens: *Non afferamus*, inquit, *ſtateras do loſas, ubi appendamus, quod volumus pro arbitrio noſtro; dicentes, hoc grave eſt, hoc leve eſt; ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis . . . . & in illa quid gravius, quid levius appendamus, imò non appendamus, ſed a Domino appenſa cognoſcamus*; Ergo ex D. Aug. quæ graviori pondere rationum obfirmantur, opiniones ſectari debemus. Item l. 3. cont. Acad. c. 16. eſpreſsè reprobans. & impugnans iſtud Academicorum principium: *Cùm agit quiſque quod ei probabile videtur, nec peccat, nec errat*, illud dicit, *nefarium, formidoloſum, & optimo cuique metuendum*, utpotè quòd ſcelerum omnium, atque flagitiorum excuſationem prætexere poſſit.

2. Accedit Author Oper. Imper. inter Opera D. Chryſoſt. Hom. 44. in Matth. *Si veſtimentum empturus, unum gyras negotiatorem, & alterum*; & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: quomodo non oportet Populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi ſincera veritas Chriſti venundatur, & ubi corrupta, & omnium confeſſiones cognoſcere, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum.

3. Subſequitur D. Thom. quodlibeto 9. a. 15. *Reſpondeo*, inquit, *dicendum quod, omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi eſpreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur*. Non autem expreſsè veritas habetur, ubi veriſimilius, & probabilius judicatur falſitas; Ergo.

4. Adſtipulatur D. Bonaventura in Opuſc. de Proceſ. Relig. Proceſ. 5. *Tales opiniones*, ideſt probabiles, *quandoque periculoſiores ſunt, quàm apertæ tranſgreſſiones: quia ubi ſcit homo ſe delinquere, inde facilè corrigitur. Ubi autem neſcit ſe peccare, & inſuper credit ſibi licere, inde nec in morte convertitur propter falſam ſpem, quòd fortè licuerit, vel minùs in eo peccaverit, baculo arundineo, & confracto innitens*.

5. Pro nobis ſtat D. Anton. 1. p. Tit. 3. cap. 10. ſeſſ 10. *Sunt de aliquibus materiis moralibus Doctores opinionum contrariarum: & tunc ſcrupuloſi dubitant quam partem poſſint cum bona conſcientia eligere. Pro cujus enodatione difficultatis notandum eſt; quod cum bona conſcientia poteſt quis tenere unam partem alicujus opinionis, modò . . . . ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, ſed bonam ſibi conſcientiam, & credulitatem formet de eo quod credit, tanquam de probabiliori parte.*

Probatur ex damnatione propoſitionum ad probabilitatem ſpectantium.

Quatuor enumerantur Propoſitiones damnatæ ab Innoc. XI. circa probabilitatem, in quarum damnatione uſus opinionis minùs probabilis, in aliis etiam materiis damnatio videtur involvi.

Prima propoſitio ſic jacet. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi* &c. ex cujus propoſitionis damnatione ſic argumentor.

Non eſt potior ratio, cur non liceat ſequi opinionem minus probabilem in Sacramentis conferendis, quàm in aliis materiis; Ergo ſi ex definitione Eccleſiæ non ſit licitum talem opinionem ſequi in Sacramentis conferendis, nec licitum erit in aliis. Prob. Ant. Ideo præcisè non eſt licitum ſequi opinionem minùs probabilem in Sacramentis conferendis, quia id contrarium eſt reverentiæ debitæ ipſiſmet Sacramentis, eorum inſtitutioni, & legi divinæ mandanti, ut tali modo Sacramenta conficiantur, aut conferantur; ut patet ex reſtrictionibus in propoſitione damnata poſitis: *Niſi id vetet lex, conventio* &c. Sed qui contendunt in nulla alia materia licere ſequi opinionem minùs probabilem, in hoc ſimiliter fundantur, quod id adverſetur reverentiæ debitæ honeſtati, ſeu legi divinæ ad talem materiam ſpectanti; Ergo eadem eſt prorſus utrobique ratio. Certè utrobique extat lex poſitionem talis actus, aut vetans, aut imperans. Utrobique idem Summus Legiſlator, qui omnia prorſus mandata ſua, tum ea quæ reſpiciunt jus naturale aut poſitivum, tum ea quæ ſpectant ad confectionem, & collationem Sacramentorum, *mandavit cuſtodiri nimis*: Ergo ſi non licet uti opinione minus probabili erga unum mandatum, nec etiam erga alterum.

Deinde potiſſima ratio, cur utens opinione minùs probabili in Sacramentis conferendis, injuriam infert legi, & inſtitutioni Sacramentorum, ea eſt præcisè, quòd qui vetat, ne fiat talis actio, eo ipſo vetat ne quis periculo ſe committat eam faciendi. Sed, qui in aliis materiis utitur opinione minùs probabili, periculo ſe committit faciendi actionem à lege prohibitam; Ergo

H 2 pe-

perinde peccat, ac qui in Sacramentis conferendis utitur opinione minus probabili.

Dices 1. Diſparitatem in eo eſſe, quòd opinio minùs probabilis non efficit, ut Sacramentum ſit validum; quod forſan de ſe eſt invalidum. Secus autem dicendum in aliis materiis, ubi opinio minùs probabilis efficit, ut id ſit formaliter licitum, quod de ſe forſan eſt materialiter malum.

℞. Per hoc vis argumenti non infringitur, ſed firmatur. Nam ſicut, qui opinionem minùs probabilem ſequens, Sacramentum realiter facit invalidum, aut periculo ſe committit illud faciendi, juxta Eccleſiæ definitionem, à peccato formali non excuſatur; pari ratione, qui eandem opinionem ſequens, actionem præſtat materialiter malam, aut illam perpetrandi periculo ſe committit: ab eodem formali peccato excuſari minimè poteſt, quia eadem utrobique eſt ratio. Quis enim non videt, quòd ſicut in Sacramentis conferendis opinio probabilis non efficit, ut Sacramentum ſit realiter validum, & juxta Sacramentorum legem collatum; ita in aliis materiis eadem minùs probabilis opinio nòn efficit, ut talis actio non ſit de ſe materialiter mala, & Legi divinæ contraria.

Dices 2. Si par eademque ſit ratio in aliis materiis, ac in Sacramentorum collatione aut confectione, ſequeretur non majorem in his conferendis aut conficiendis requiri certitudinem, quàm in aliis actionibus peragendis; ſaltem conſequens: Ergo, & antecedens.

℞. Neg. quòd hoc ſit falſum. Siquidem ſicut in aliis materiis moralibus, ſic & in Sacramentis licitum eſt quandoque ſequi opinionem verè probabilem cum aliquo fruſtrationis periculo, non morali quidem, ſed metaphyſico. Unde in ſuprà allata propoſitione damnata per hæc verba, *relicta tutiore*, non eſt intelligenda tutiſſima ac certiſſima opinio, cui falſum ſubeſſe omninò non poſſit; ſed tantummodò opinio probabilior de non valore Sacramenti, collata cum opinione minus probabili de valore ejuſdem. Hoc patet 1. ex uſu quotidiano, in quo ſive ad materiæ ſive ad Miniſtri electionem, non ea adhibetur ſemper diligentia, quæ omnem penitus errorem excludat. Patet 2. ex praxi Summ. Pontificum, qui in ſuis diſpenſationibus ad valorem Sacramentorum, maximè Matrimonii, ſpectantibus, perſæpè opiniones probabiliores quidem, ſed evidenter minùs tutas, ſecuti fuere. Sic Alexander V. Honorius II. Cœleſtinus II. Benedictus IX. juxta Baronium in voto ſolemni caſtitatis diſpenſaverunt cum Monachis profeſſis, ut Matrimonium contraherent; licèt longè tutius eſſet non diſpenſare.

Secunda Propoſitio ſic ſe habet: *Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*. Ex quo ſic argumentari licet.

Longè minor eſt obligatio Judicis circa negotia temporalia ad jus alienum ſpectantia, quàm cujuſlibet particularis circa negotia ſpiritualia ad propriam ſalutem ſpectantia: Ergo ſi Judici non licet ſententiam ferre juxta opinionem minùs probabilem de jure alieno, à fortiori non eſt licitum cuilibet particulari operari juxta opinionem minùs probabilem de Lege Dei obſervanda. Certum eſt enim Judicem à Republica conſtitutum eſſe loco ſingulorum, ut id quod ſinguli ex propriæ rationis dictamine ſibi invicem præſtare deberent, pronuntiet, & ſtatuat ſingulis faciendum. Unde ſi cuilibet particulari ſufficiat, ad licitè agendum, ſequi opinionem minùs probabilem; licebit Judici eamdem ſequi, ad licitè recteque judicandum: Et ſi in hoc aliquid interſit diſcriminis, in eo ſitum eſt quòd in foro conſcientiæ, ubi agitur de rebus ſpiritualibus ad Dei gloriam, & æternam animæ ſalutem ſpectantibus, ſeverior longè, & accuratior menſura ſit adhibenda, quàm in foro fori, ubi agitur tantùm de rebus temporalibus ad terrenæ familiæ utilitatem ſpectantibus.

Nec hic etiam objici poteſt ſupra allata diſparitas: Nempè quod opinio minùs probabilis, quam ſequitur Judex circa jus alienum, efficere non poſſit, ut res inter litigantes diſceptata ad unam potiùs partem, quàm alteram pertineat. Cùm è contra opinio minùs probabilis, quàm quiſque habet de ſuæ actionis licitate, operantem ex ipſa à peccato formali excuſet; quia prudenter agit talem opinionem ſectando. Non, inquam, hæc objici poteſt diſparitas.

1. Quia eſt imaginaria diſparitas, & pura petitio principii: De hoc enim præciſè controvertitur; nempè quòd quilibet particularis non magis excuſari poſſit à peccato formali Legem Dei infringendo, quàm Judex contra juſtitiam pronuntiando.

2. Quia, ſi quilibet particularis prudenter agit ſequens opinionem minùs probabilem de actionis ſuæ licitate; cur item non prudenter aget Judex eamdem ſequens opinionem de jure alieno? Aut vice verſa, ſi Judex

Judex talem opinionem ſequens, imprudenter aget quilibet particularis eamdem ſequendo? cùm Judex, ut ſupra dictum eſt, quemlibet privatum repræſentet.

3. Sicut opinio minùs probabilis de jure alieno, quam Judex ſequitur, non efficit, ut res diſceptata ad unam partem potiùs quàm ad alteram pertineat; ita opinio minùs probabilis de licitate actionis efficere nequit, quòd non ſit contra Legem; Ergo nulla eſt diſparitas. Unde cùm uſus opinionis minùs probabilis in Judice ideò ſit illicitus, quia conjunctus eſt cum periculo damni proximo realiter inferendi: ſic etiam illicitus eſt uſus opinionis minùs probabilis in particulari, quia ſimiliter conjunctus eſt cum periculo violandi Legem realiter, & injuriam materialem Deo inferendi.

Sed inquies: ejuſmodi injuria, utpotè materialis, non eſſet imputabilis, propter ſibi faventem opinionem minùs probabilem.

R. Blaſphemum atque hæreticum eſset dicere, ſtrictius nos teneri ad non inferendum proximo damnum, quàm ad injuriam à parte rei Legi divinæ, & ipſimet Deo non inferendam. Ideò ſi Judici imputatur damnum, quod proximo à parte rei intulit, ſequens opinionem minùs probabilem; longè potiori ratione imputanda eſt cuilibet privato injuria ab ipſo realiter, & à parte rei illata Legi divinæ, ipſique Deo eamdem opinionem ſequendo.

Tertia propoſitio ſic legitur. *Generatim dum de probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modò a probabilitatis finibus non exeatur: confiſi, aliquid agimus, prudenter agimus.*

Hac damnata propoſitione, omninò non videtur, quomodò Probabiliſtarum ſyſtema ſtare poſſit. Hujus enim capitale, aut potiùs unicum principium in eo ſitum eſt, quòd agens ex opinione minùs probabili, modò vere ſit probabilis, prudenter agit; licè prudentius ageret, ſi oppoſitam probabiliorem ſequeretur. Cùm enim probabile, & prudens apud ipſos pro eodem habeantur, non refert quòd gravis, aut levis ſit probabilitas, modò à probabilitatis finibus non exeatur, ut aliquis agens ex probabilitate prudenter agere cenſeatur: quemadmodum non refert, quòd quis gravius, vel levius peccatum mortale commiſerit, modò ſit verum mortale peccatum, ut gehenna æterna ſit reus. Deinde quælibet gravis probabilitas longè graviori collata, eo ipſo levis ac tenuis evadit, ut ipſimet fatentur Adverſarii: Ergo ſi pertinaciter contendunt eum, qui ſecundùm hanc probabilitatem; quæ levis eſt ac tenuis in comparatione gravioris, operatur, prudenter operari; non videtur quo pacto damnationem Pontificiam valeant effugere.

Quarta Propoſitio talis eſt. *Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.*

Quod ſi ex Eccleſiæ determinatione ab infidelitatis peccato non excuſatur Infidelis, non credens, ductus opinione minùs probabili; quomodò in tremendo Dei judicio excuſabitur Fidelis, qui minus probabilem opinionem, relicta tutiore ac probabiliore, amplectitur; dum de aliquo alio præcepto aut ſpei, aut charitatis, aut cujuſlibet alterius virtutis agitur? Nunquid non eadem Lex vetat aut præcipit in aliis materiis, ac in materia Fidei? Nunquid non eadem ipſam utrobique obſervandi ſub pœna æterna obligatio? Nunquid non idem periculum hanc Legem infringendi, ſi erga ipſam opinionem, minus probabilem ſectemur, neglecta tutiore ac probabiliore?

Probatur variis rationibus:

1. In rebus moralibus nunquam licitum eſt imprudenter agere; ſed cum omni prudentia procedere tenemur: atqui ſeligens opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris imprudentiſſimè ſe gerit: Ergo. Siquidem ille imprudentiſſimè ſe gerit 1. Qui omnibus penſatis, majorem fidem adhibet levioribus quàm gravioribns rationibus, & auctoritatibus. 2. Qui deliberatè eligit, quod judicium ſuum à vero, & bono ad ſalutem neceſsario longius recedit. 3. Qui tandem ex certa ſcientia errandi, & peccandi periculo voluntariè ſe committit. Quis enim niſi inſenſatus viator in bivio conſtitutus viam eligeret, quam probabilius exiſtimaret ad perditionem inevitabilem ducere poſſe? Quis ægrotus adeò mente captus pertinaciter ſorbere vellet potionem, quàm medicorum pars maxima, nonnullis contrarium affirmantibus, pernicioſam atque mortiferam firmiſſimè obteſtaretur?

2. Ille peccat qui agit contra charitatem Deo debitam; ſed qui, ſpreta opinione probabiliori, opinionem minus probabilem ſequitur, agit contra charitatem Deo debitam; Ergo. Prob. Min. Ille agit contra charitatem Deo debitam, nec niſi mendaciter dicere poteſt ſe Deum ex toto corde diligere, qui non vult abſtinere ab actione, à qua veriſimiliùs judicat Deum graviter offenſum iri; ſed qui minus probabilem opi-

opinionem ſequitur, ſpreta probabiliori, non vult abſtinere &c. Ergo.

3. Nullus actionem licitè exercere poteſt, quin priùs judicio moraliter certo judicaverit illam eſſe licitam; ſed qui opinionem minus probabilem ſequitur, ea neglecta, quam probabiliorem eſſe judicat, certus non eſt illam actionem, quæ minus probabiliter dicitur licita, eſſe bonam, & honeſtam: hæc enim duo judicia ſic inter ſe pugnant, ut ab uno eodemque homine circa unum, & idem nullatenus eliei poſſint. Qui v. gr. hanc propoſitionem ſerio enuntiaret: *Rebus omnibus perpenſis mibi veriſimilius videtur contractum Mobatra Legi divinæ eſſe contrarium:* Alteram, modò ſit mentis compos, enuntiare nequit: *Moraliter certus ſum me non agere contra Legem, talem contractum celebrando*: Ergo &c.

4. Nemo actionem exercere poteſt, quam propria ductus conſcientia morali certitudine judicat eſſe malam, & lege prohibitam; ſed qui ſequitur opinionem minus probabilem, actionem exercet, quam ex propria conſcientia certitudine morali judicat eſſe malam, & lege prohibitam; Ergo. Prob. min. E duabus propoſitionibus de uno, & eodem contradictoriis v. g. *Contractus Mobatra eſt uſurarius. Contractus Mobatra non eſt uſurarius*, una eſt neceſſario vera, & altera falſa, & qui primam propoſitionem morali certitudine judicat eſſe veram, ſecundam eſſe falſam, eadem certitudine judicare neceſse eſt. Sed qui probabiliùs cenſet v. gr. contractum *Mobatra* eſse uſurarium, morali certitudine judicat ipſum eſse illicitum: Sicut qui probabilius cenſeret hunc contractum non eſse uſurarium, moraliter certus eſset ipſum eſse licitum, cum juxta hanc ſibi probabiliorem opinionem operari poſset, urpotè moraliter certus de licitate actionis ſuæ. Ergo ſi juxta opinionem minus probabilem hunc contractum celebraret, actionem exerceret, quam certitudine morali judicaret eſse malam: cum è duabus propoſitionibus de eodem, & ſecundum idem una ſit neceſsario vera, altera falſa.

5. Omnis qui agit ex affectata veritatis ignorantia, haud dubie peccat; ſed qui agit ex opinione minus probabili non conformi Legi, ſpreta probabiliori, quæ ipſi conformis eſt, agit ex affectata veritatis ignorantia: Ergo peccat. Maj. eſt certa. Min. videtur evidens. Nam ille profectò agit ex affectata veritatis ignorantia, qui in judicando, & operando magis attendit ad momenta leviora, quibus pertinaciter adhæret, quàm ad graviora, quæ ex induſtria negligit: Unde ſi errat, opinionem ſequens minus probabilem Legi contrariam, à gravi culpa eximi non poteſt; eum ideò male egerit, quia intelligere noluit quid hic, & nunc ſibi erat agendum. *Si quis*, inquit Aug. Ep. 154. *bonum putaverit eſſe*, ignorantia nimirum vincibili, *quod malum eſt, & fecerit hoc putando, utique peccat.* Quantò gravius peccabit, qui fronte obfirmata mentis oculos à veritate cognita detorquens id peragit, quòd probabilius ſibi exhibetur, tamquam malum?

Evertuntur Adverſariorum objectiones ex Scriptura, & SS. Patribus petitæ.

Obj. 1. Nonnulla Scripturæ loca, ubi aſſeritur jugum Domini ſuave eſse, mandataque Dei gravia non eſse &c. quòd inquiunt veritati minus eſset conſonum, ſi in agendis non liceret amplecti probabilem opinionem, quæ gravium Doctorum ſuffragio, gravique ratione nititur; nec aliunde aut Scripturis, aut SS. Patribus, aut Conciliorum Canonibus adverſatur.

℟. Si verum ſit jugum Chriſti ſuave eſſe &c. non minus verum eſt portam, quæ ducit ad vitam, arctam eſse, & anguſtam. Unde dicendum eſt jugum Chriſti ſuave eſse ex gratia, & charitate, quæ *quidquid durum eſt in præceptis*, inquit Aug. Serm. 56. c. 1. *ut ſit leve facit*; non autem ex probabilitate, quæ nimias invehendo laxitates portam latam ac ſpatioſam ad perditionem ducentem nobis effingit.

Inſt. Sententia noſtra viros timoratos innumeris tradit ſcrupulis, & anxietatibus, ob metum continuum, ne ſententiam in agendo probabiliorem, niſi prius utriuſque opinionis momenta ſedulò perpenderit, & ſcientiam ac pietatem Doctorum, qui ea de re diſseruerunt, recognoverit; quod quidem onus graviſſimum foret ac prorſus intolerabile.

℟. Nullum hic adeſse ſcrupulorum locum, quia ad agendum tuta conſcientia ſufficit, ut quilque pro modulo ſuo utriuſque opinionis momenta diſcutiat pro negotii qualitate, & temporis opportunitate, Doctores magiſque pios, quos ſibi habebit obvios ſincerè conſulat, & precibus fervidis ſapientiam poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter: & poſthac opinionem, quæ probabilior apparebit, quietus ſectetur. Quæ in agendis prudentia gravis nimis videri nequit,

Digitized by Google

nequit, niſi his qui per viam latam ac ſpatioſam ad perditionem ducentem incedere ſtatuerunt.

Obj. 2. praxim Summorum Pontificum, quos dicunt in ſuis diſpenſationibus, ac deciſionibus opiniones minus probabiles libertati faventes ſæpiùs ſecutos fuiſſe; ut in exemplo ſuperiùs allato de Pontificibus, qui in voto ſolemni Caſtitatis diſpenſaverunt cum Monachis profeſſis, ut Matrimonium contraherent; licèt videatur tutior ac probabilior opinio D. Th. id fieri poſſe negantis.

℟. Licèt opiniones *illæ* quibuſdam viſæ fuerint minùs probabiles, tales ipſiſmet Pontificibus non apparuerunt. Quod probatur maximè, quia exemplorum, quæ ab Adverſariis adducuntur pars maxima, vel ad valorem Sacramentorum, vel ad materiam Fidei pertinent, circa quæ juxta Eccleſiæ definitionem ſententiam minus probabilem ſequi minimè licèt. Unde Sum. Pontifices in deciſionibus ſuis perſæpè profitentur ſententiam ſibi viſam probabiliorem fuiſſe ſecutos. Sic enim ait Greg. IX. cap. *Capellanus* de feriis: *Quia conſulti fuimus, utra iſtarum opinionum potior videatur, nobis, & fratribus apparuit quòd poſterior ſententia meliori, & ſubtiliori nititur ratione.* Ubi Gloſſa: *Nota*, inquit, *quod illa debet ſemper obſervari, quæ meliori ratione, & ſubtiliori juvatur.*

Obj. 3. illud Aug. Epiſt. 82. ad Hieron. *Alios ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi vel per Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, mibi perſuadere potuerunt.*

℟. Per rationem probabilem S. D. non intelligit opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris, ſed ſimpliciter rationem ita probabilem, ut perſuadere poſſit aliquam opinionem à vero non abhorrere, à quo ſanè abhorrere videtur opinio minùs probabilis in conflictu probabilioris.

Obj. 4. illud D. Leonis Epiſt. 2. ad Ruſticum. *In bis quæ dubia ſunt, vel obſcura, id noverimus ſequendum quod nec Præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis SS. Patrum videtur adverſum.* Atqui ſic ſe habet opinio verè probabilis: Ergo.

℟. N. Min. Quia in hoc præcisè opinio videtur minus probabilis, quia Præceptis Evangelicis, quibus non favet, & SS. Patrum Decretis omninò videtur minus conſentanea. Deinde Præceptis Evangelicis, & SS. Patrum Decretis omninò eſt adverſum opinionem ſequi probabilem in conſpectu probabilioris; cum voce concordi doceant omnes, nullum licitè agere poſſe, quin priùs moralem certitudinem de actionis ſuæ honeſtate comparaverit, quam nequit habere agens ex opinione minùs probabili.

Obj. 5. iſtud reſponſum quòd fertur datum fuiſſe à B. Antonino poſt Albertum Magnum, nempè, quòd *frater ſimplex cum ſalute ſequi poteſt in conſilio quamcumque opinionem voluerit, dummodò alicujus Doctoris magni opinionem ſequatur.*

℟. Hoc conſilium à B. Anton. non fuiſſe datum viro timorato, qui inter opinionem minus probabilem, & probabiliorem fluctuat; cum ipſemet diſertis verbis contrarium doceat; ſed fratri ſcrupuloſo, qui ex levibus rationibus malum, ubi non eſt, anxie ſuſpicatur. Nemini autem dubium eſt, quin talis ſcrupuloſus ſententiæ viri docti, nedum adhærere poſſit, ſed & debeat.

Diluuntur objecta ex ratione petita.

Obj. 1. Opinio probabilis ea eſt, quæ gravi ac prudenti fundamento nititur; ſed qui operatur ex gravi, & prudenti fundamento dictante actionem eſſe licitam, prudenter operatur, & qui prudenter operatur non peccat. Ergo &c. Sed ſic eſt, quod qui agit juxta opinionem abſolutè probabilem, relicta probabiliori, tunc operatur juxta opinionem abſolutè probabilem, licèt minus ſit probabilis. Nam ſicut homo minus pius altero non deſinit pius eſſe; ita minùs probabilis non deſinit eſſe abſolutè probabilis, quia comparativum neceſſario ſupponit poſitivum. Ergo &c.

℟. Neg. abſolutè opinionem minùs probabilem gravi ac prudenti principio niti, dum probabiliori confertur; tunc enim omnis ejus probabilitas evaneſcit; quia nullus prudenter judicare poteſt opinionem minùs probabilem eſſe veram, dum judicat probabilius contradictoriam eſſe falſam: Veritas enim conſiſtit in indiviſibili, nec magis aut minus ſuſcipere poteſt.

Ad id autem, quod dicitur comparativum ſupponere poſitivum, diſtinguendum eſt: Dum extrema quæ comparantur, non ſunt oppoſita C. ſecus N. Ideò homo minùs pius altero non deſinit eſſe pius, quia eſſe pium, & minùs pium non ſunt oppoſita contradictoriè; ſicut talem actionem eſſe licitam, & non eſſe licitam, quorum unum neceſſario eſt falſum, & alterum verum, utpotè contradictoriè oppoſita.

Eo-

Eodem uſus eſt ratiocinio D. Aug. l. 3. c. 73 cont. Creſc. qui contendebat Donatiſtarum doctrinam eſſe probabilem, quia Catholici ſuam propugnabant, tamquam veriorem, ac probabiliorem; cui reſpondet S. D. *Conſidera diligentiùs . . . . non ſemper illum gradum, quod ante poſitum eſt, augere, ſed aliquando contrario ſuperferri. Cujus locutionis exemplum mihi ex Apoſt. Epiſtola occurrit ad Hebr. Confidimus*, inquit, *de vobis meliora. Attende, quomodò hìc meliora dixerit, non quia bona erant, quæ ſuprà dixerat . . . . Quòd ſi ego dixerim probabiliùs, comparativum pro poſitivo ponens, non quia vos probabiliter, ſed magis, quia improbabiliter; ſicut ille meliora, non quia bona, ſed magis, quia mala.*

Objic. 2. Qui opinionem ſequitur minus probabilem; licèt *ſpeculativè* ſit incertus de actionis ſuæ licitate; ſibi tamen efformare poteſt conſcientiam hìc, & nunc *practicè* certam per hunc actum reflexum: *Licitum eſt ſequi opinionem certò probabilem*, quæ gravi nititur tum ratione, tum auctoritate; quæque manifeſtè videtur nec Scripturæ ſacræ, nec Traditioni, nec Conciliorum Decretis adverſari.

℟. Qui opinionem ſequitur minus probabilem &c. ſibi efformare poteſt conſcientiam practicè certam erroneè C. verè N. Deinde impoſſibile eſt, ut intellectus ſpeculativè incertus de aliqua veritate, de eadem practicè certus evadat, niſi in praxi nova occurrat circumſtantia, quæ incertitudinem ſpeculativam auferat. Sed actus ille reflexus: *licèt ſequi opinionem certò probabilem* &c. hanc incertitudinem nullatenùs aufert; cùm non minuat pondus rationum, & auctoritatum, propter quas intellectus erat ſpeculativè incertus; Ergo.

Inſt. 1. Voluntas intellectum determinare poteſt, ut uni propoſitioni minùs probabili, probabiliori relicta, aſſenſum præbeat. Licèt enim v. gr. gravioribus rationibus, atque indiciis mihi appareat Petrum eſſe virum improbum, prudenter tamen mihimet imperare poſſum, ac debeo ex charitate, ut judicem eſſe probum: Ergo à pari poſſum intellectum meum determinare, ut judicet actionem eſſe licitam, quæ probabiliùs mihi videtur mala.

℟. Diſt. Voluntas intellectum determinare poteſt, ut propoſitioni minùs probabili præbeat aſſenſum imprudenter C. prudenter N. Imprudentiſſimum eſt enim ſibimet perſuadere aliquid eſſe licitum; dum longè plura validioraque momenta ſuadent contrarium. Vel Neg. abſolutè hoc fieri poſſe; quia, ut jam dictum eſt, dum intellectui proponuntur neceſſaria argumenta, ineluctabiliter aſſentitur; dum probabiliora neceſſariò opinatur cum quadam formidine; dum contraria æquè probabilia neceſſariò dubitat, nec uni parti, potiùs quàm alteri adhærere poteſt, niſi novum motivum determinans ipſi exhibeatur.

Quoad exemplum propoſitum. Diſt. tamquam virum probum reputare poſſum, ac debeo Petrum, qui gravioribus indiciis mihi videtur improbus, *in meliorem partem*, ut verbis utar D. Thom. *hæc indicia interpretando*, ſi ſic poſſint interpretari C. in meliorem partem ea non interpretando N. Nec enim alio modo ſecundùm Petri probitatem judicare poſſum, aut debeo. Quia ſimul, ac indicia, quæ prima fronte improbitatem ejus probabilius arguunt, in bonam partem interpretatus fuero, prout ex charitate teneor; tunc nihil ampliùs contra ipſum probare valent, & pro ejus probitate tamquam pro probabiliori parte pronunciare mihi facillimum eſt. Quod ſi autem indicia, quæ Petri improbitatem arguunt, adeò ſint manifeſta, & convincentia, ut in bonam partem eadem interpretari non poſſim; certum eſt ex eodem D. Thom. me ipſum tamquam virum probum reputare nec poſſe omninò, nec teneri; cùm judicare non valeam; niſi ſecundùm eam rationem, quæ intellectui exhibetur.

Inſt. 2. Voluntas prudenter appetere poteſt minùs bonum, ſpreto meliori: ergo intellectus aſſentire poteſt minùs probabiliter verò, ſpreto probabiliori.

℟. Nego Ant. Quia nullus prudenter minùs bonum eligere poteſt, niſi aliud magis bonum in hac electione ſibi proponat: contrarium nedum rationi, ſed, & naturæ inclinationi adverſatetur. Deinde Nego Conſeq., & paritatem: & diſparitas eſt, quòd minùs bonum ſit verum, & certum bonum. At minus probabiliter verum, in conflictu probabilioris veri, eſt probabilius falſum.

Obj. 3. Si non liceat ſequi opinionem minùs probabilem in conflictu probabilioris, præciſè ob peccandi periculum; ob eamdem rationem non licebit ſequi probabiliorem in concurſu tutioris; quam ſemper ſequi teneremur, quod falſum eſt.

℟. Nego ſequelam, & paritatem. Nam qui, poſt adhibitam moralem diligentiam ad veritatem indagandam, opinionem probabiliorem amplectitur; totum peregit quod

in

Digitized by Google

in ſe erat, ut prudenter ageret; ideoque ſi errat, non niſi invincibili ignorantia errare cenſetur, nec niſi materialiter peccat. Sed qui opinionem minùs probabilem, ſpreta probabiliori, ſequitur; nedum nihil facit, ut veritatem agnoſcat; ſed & ipſammet contumaciter ſpernere, & Legem divinam flocci facere convincitur; proindèque formaliter peccat.

Inſt. Ergo omnes quoquot viri doctrina ac pietate præſtantes, qui hanc ſententiam ſecuti ſunt, ac docuerunt præterito ſæculo, vincibiliter erraverunt, & mortaliter peccaverunt, quod ſanè minùs probabile videtur.

℟. Vel Probabiliſtarum ſententia his Doctoribus, eorumque ſequacibus viſa eſt minùs probabilis, vel non. Si minùs probabilis, haud dubiè peccaverunt, ipſam in Eccleſiam invehendo contra propriæ dictamen conſcientiæ. Si ipſis probabilior viſa eſt poſt ſufficientem adhibitam diligentiam, ut piè credendum eſt, non peccaverunt; cùm ignorantia invincibili id fecerint.

Objic. 4. doctrinam Sanctorum Patrum uno ore pronuntiantium, teneri ſubditum Superiori ſuo parere omnibus in rebus, in quibus peccatum manifeſtè non apparet; quæ Doctrina noſtram penitus evertere videtur; cum perſæpè contingat, ut aliquid præcipiat Superior, quod ſubdito probabiliùs videtur illicitum.

℟. Hanc Patrum Doctrinam nihil adversùs noſtram facere; quia ſubditus Superiori ſuo morem gerere debet, & ſimul deponere judicium, quo judicat rem præceptam eſſe fortè illicitam, & probabiliùs judicare licitam eſſe propter auctoritatem Superioris, ad cujus nutum tenetur, & mentem, & judicium proprium componere, rationabiliter pièque præſumens eum recta præcipere, qui in regimine ſuo Dei vices peragit. Ex quo ſequitur ſubditum tunc non agere juxta opinionem minùs probabilem, ſed potiùs juxta eam, quæ poſito Superioris præcepto, ſibi facta eſt probabilior.

Objic. 5. Confeſſarii tenentur ut plurimum opinionibus, quas pœnitentes æſtimant probabiliores, ſeſe accommodare, licèt ipſimet Confeſſariis minùs probabiles videantur.

℟. Neg. Confeſſarios, ordinariè loquendo, poſſe ac teneri Pœnitentum ſuorum opinionibus, quas minùs probabiles ipſimet Confeſſarii exiſtimant, ſeſe accommodare: Tum quia nullus agere poteſt contra propriam reclamantem conſcientiam: Tum quia & rationi, & Sacramenti pœnitentiæ inſtitutioni minùs conſentaneum videtur, ut Confeſſarius, qui in hac cauſa à Deo Judex eſt conſtitutus, ſententiam pœnitentis, qui reus eſt, ſubſequatur; cùm potiùs Reus Judicis arbitratui collum humiliter ſubdere teneatur.

Dixi, *ordinariè loquendo*. Quia ſi pœnitens ſequatur ſententiam, quam ſine proprio affectu, ſed ſincerè coram Deo, ob graves rationes, & auctoritates cenſet probabiliorem; Confeſſarius ipſi poteſt acquieſcere contra particulare judicium ſuum; nec adeò de ſe preſumere debet, ut totum velit in ſuam opinionem, quæ forſan erronea eſt, concludere. At tunc pœnitenti, tanquam Reo, non acquieſcit; ſed potiùs tanquam alicujus teſtis particularis, rectam ejus conſcientiam induit, ſecundùm quam judicare poteſt; imò, & quandoque tenetur, ne ipſum gratia ſacramentali injuſte defraudare cenſeatur.

QUÆSTIO II.

An ſequi liceat opinionem probabilem faventem libertati, in conflictu alterius æquè probabilis, quæ favet Legi?

Not. AD Probabiliſmum penitùs fundituſque evertendum, ſtatuiſſe non ſufficit uſum opinionis minùs probabilis libertati faventis in concurſu probabilioris Legi faventis illicitum eſſe, ac peccaminoſum. Sed inſuper probandum incumbit ipſum illicitum eſſe, etiam in concurſu opinionis æquè probabilis. Nec enim deſunt Theologi, qui verum inter, & falſum quaſi fluctuantes, ac ſibimet contradicentes, concedunt quidem non licere ſequi opinionem minùs probabilem, ſpreta probabiliori; ſed contendunt inter duas opiniones æquè probabiles alterutram ſeligere omninò liberum eſſe: cujus ſententiæ falſitas ut appareat

Dico. Uti non licet opinione libertati favente, ubi adeſt opinio æquè probabilis pro lege; ſed tunc incumbit obligatio opinionem ſequendi tutiorem, ſeu pro lege ſtantem.

Ne in faſtidioſas impingamus repetitionet, hic ſedulò recolendæ ſunt rationes, & auctoritates, quas ad præcedentem probandam concluſionem attulimus; cùm fermè nulla ſit, quæ ad iſtam adſtruendam plurimum

mum valere non poſſit ; quemadmodum ea, quæ mox de iſta adducemus, valebunt plurimùm ad præcedentem confirmandam ; quia nimirum ambæ concluſiones connexionem inter ſe eſſentialem habere videntur. Omiſſis igitur variis jam citatis Scripturæ locis, quæ huic Concluſioni facili negotio accomodari poſſunt, ſtatim

Prob. Concluſio ex plurimis Sum. Pontificum Oraculis, qui in quæſtionibus tum juris, tum facti principium iſtud tanquam inconcuſſum, atque indubitatum protulerunt; ac ſua divinitus accepta anctoritate confirmarunt, & ſæpiùs inculcaverunt ; nempè: *In dubiis tutior eſt pars eligenda. In dubiis, ſemitam debemus eligere tutiorem. Pars ſecurior eſt tenenda*; ut videre eſt Cap. *Ad Audientiam*. Cap. *Significaſti*. Cap. *Juvenis de ſponſalibus*. Cap. *Illud de Cler. Excom.* Et Clem. Extr. §. de verb. ſign. &c. quæ referre longius eſſet.

Prob. 2. ex damnatione Prop. 26. ab Alex. VII. quæ ſic ſe habet. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.* Nam ſicut ex eo quòd Judici non ſit licitum juxta opinionem minus probabilem judicare, rectiſſimè jam ſuprà concluſimus, nec cuilibet privato licitum eſſe opinionem minus probabilem amplecti, in conflictu probabilioris, ac tutioris; non abſimili ratione, ex eo quòd Judici non liceat ſententiam ferre in favorem unius præ alio; in concurſu duarum opinionum pro utroque æquè probabilium, rectè concludere poſſumus, nec cuique privato licere ſequi opinionem libertati faventem, dum adeſt oppoſita æquè probabilis, quæ favet legi: Quia nimirùm veram injuriam inferret legi, quaſi cum libertate tunc litiganti; quemadmodum Judex, qui rem totam, de qua duo litigantur, uni præ alio æquali jure firmato, adjudicaret, ipſi veram injuriam inferret, & ad reſtitutionem teneretur. Quæ quidem injuria legi illata eò gravior eſſet, quò libertas nullum jus obtinet, nec habere poſſit adversùs legem, & voluntatem divinam, cui totum adjudicare æquum omninò ac juſtum eſt.

Prob. 3. ex D. Aug. qui l. 2. de Bapt. cont. Don. c. 3. verba faciens de Donatiſta ad Eccleſiam Catholicam redire meditante, ac jam fatente certum ſe eſſe Baptiſmum in Eccleſia Catholica rectè ſuſcipi; ſed dubitare utrùm rectè etiam apud Donatiſtas reciperetur; docet eum graviter peccare, qui in rebus ad ſalutem pertinentibus incerta certis anteponit. *Accipere itaque*, inquit S. D. c. 5. *in parte Donati ſi incertum eſſet peccatum, qui dubitat certum eſſe peccatum non ibi potiùs accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum?*

Prob. 4. ex D. Thom. clare pronuntiante Quodl. 8. art. 13. Clericum, qui plures præbendas quærit; *ſed tamen*, utrùm hoc ſit licitum, *in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum; & ſic, ſi manente dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit; & ſic proculdubio peccat, utpotè magis amans Beneficium temporale, quàm propriam ſalutem.*

Prob. 5. ex D. Anton. *Qui agit ſcienter*, inquit 1. part. tit. 3. *id de quo dubitat, permanente dubitatione, mortaliter peccat, ſumendo propriè ac ſtrictè dubitationem, prout rationes ſunt æquè ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem, quàm ad aliam.*

Prob. 6. variis rationibus. 1. Juxta ipſosmet Adverſarios unam opinionem præ alia ſeligere non poſſumus abſque peccato, niſi nobis ſit perſuaſum eam eſſe veram; ſed è duabus propoſitionibus æquè probabilibus arbitrari non poſsumus unam potiùs veram eſse, quàm alteram, cùm ſtent rationes, & auctoritates æquales pro utraque; Ergo. 2. Neutra ex his propoſitionibus in hoc conflictu eſt probabilis; Ergo neutram abſque peccato amplecti poſsumus. Nec enim probabilis eſt opinio, niſi ea, quæ nititur fundamento gravis momenti, quòd quidem magnum ſit abſolutè ſimul & comparativè, omnibus hinc inde ritè perpenſis; ſed motivum unius opinionis non eſt grave reſpectu opinionis oppoſitæ; cùm re ipſa vim nullam habeat intellectum ad aſſenſum pertrahendi in conflictu alterius motivi æquè gravis; Ergo. 3. Peccat formaliter qui periculo ſe committit perpetrandi aliquid contrarium divinæ voluntati; ſed qui agit cum rationibus æqualiter perſuadentibus hoc eſse contrarium, vel non contrarium voluntati divinæ, tali periculo ſe committit; Ergo. 4. Qui aliquid præſtat cum æqualibus rationibus affirmandi, & negandi illud eſse à Deo prohibitum; perinde ſe habet ac ſi diceret: ſive velit hoc Deus, ſive nolit, ego volo peragere. Siquidem per rationem, quam habet affirmandi, paratus eſt ad dicendum, Deum id nolle; ſicut per rationem contrariam ad dicendum paratus eſt, Deum id velle;

ſed

ſed patet ſic ſe habentem formaliter peccare; Ergo.

Prob. 7. Si liberum eſſet è duabus opinionibus æquè probabilibus alterutram pro libitu amplecti, maxima ſequerentur abſurda. 1. Sequeretur quòd Titius, v. g. qui rationes habet æquales credendi Matrimonium ſuum cum Maria initum validum eſſe, & invalidum, poſset tuta conſcientia illam dimittere & aliam ducere, v. g. Petronillam, propter rationes ſuadentes ſuum primum Matrimonium eſse nullum; & paulo poſt, dimiſsa Petronilla, poſset ad Mariam redire, propter rationes ſuadentes validitatem hujus primi Matrimonii; ſicque poſset ab utraque pro libitu petere, imo & nulli debitum reddere. 2. Sequeretur, quòd qui diverſos filios ab eadem Matre ſuſcepiſset, uni legitimam aſſignare poſset ſequendo opinionem, quæ dictat Matrimonium ſuum eſse validum; & alteri denegare, ſequendo alteram, quæ ſuadet eſse nullum. 3. Sequeretur quòd qui rationes haberet æquales ad credendum horam nocturnam duodecimam eſse pulſatam, ſemel & iterum communicare poſset intra eamdem noctem. Siquidem ſemel communicare poſset, ſequendo opinionem ſuadentem duodecimam jam eſse auditam, & diem ſubſequentem jam incœpiſse; & iterum communicare poſset, ſequendo opinionem ſuadentem duodecimam nondum fuiſse auditam, nec diem incœpiſse, dum prius communicavit.

Diluuntur Objecta.

Obj. 1. Regul. 11. Juris quæ habetur in 6. ***Cùm ſunt jura partium obſcura, Reo favendum eſt potiùs quàm Actori.*** Nomine autem Actoris ſignificatur ille qui agit ut pœna & obligatio imponatur; ſicut nomine Rei intelligitur is cujus res agitur, quoad pœnam & obligationem ſubeundam, qualis eſt homo de cujus libertate agitur.

℟. In hac Regula duntaxat agitur de Reo abſolvendo vel condemnando, & propter id ſolummodo conſtituta eſt; tum ad vitandum periculum damnandi innocentem; tum ad coercendam licentiam hominum alios impetentium, quod certè æquius eſt atque tutius.

Objic. 3. Reg. 15. ejuſdem Juris: ***Odia reſtringi, favores convenit ampliari.***

℟. Nuſquam licuit leges inter odioſa annumerare; cùm è contra omninò nobis faveant; utpote quæ ad bonum commune ex natura ſua referantur.

Obj. 3. Regulam 30. ***In obſcuris minimum eſt ſequendum.***

℟. Id eſt, in quo minimum eſt inconveniens. Maximum autem eſt inconveniens legem violandi periculo ſe committere.

Obj. 4. Reg. Juris Civ. 57. Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt. Et Honorius III. Cap. finali de Tranſact. ***Opinio***, inquit, ***benignior & ſuavior præferri debet.***

℟. Benigniora in Jure intelliguntur ea, in quibus eſt minus malum minuſque periculum damnum proximo inferendi. Item & intelliguntur ea, quæ favent cauſis quibuſdam favorabilibus, putà Matrimonii, Teſtamenti, Dotis, &c. Cauſa autem legis talis eſt, cum in favorem hominis fuerit inſtituta, ut mox notavimus.

Obj. 5. In veris tantummodò dubiis tutior pars eſt eligenda; ſed qui habet opiniones utrimque æqualiter probabiles, non eſt in dubio vero & propriè dicto; quia, inquiunt, in tali dubio nullæ ex utraque parte rationes ſuadentes occurrunt, benè quidem in opinionibus probabilibus. Adde quòd in dubiis intellectus nulli parti adhæreat; in opinione verò uni realiter adhæret, licet cum formidine partis oppoſitæ.

℟. Falſum eſt omninò, uti jam notavimus, dubium negativum, in quo nimirum nullæ rationes alterutram partem ſuadentes occurrunt, verum eſſe dubium, cùm potiùs pura neſcientia appellari poſſit: At cùm hìc non de vocibus, ſed de rebus ſit quæſtio, dicendum eſt intellectum æque à parte rei remanere ſuſpenſum, dum ipſi æquales rationes objiciuntur pro alterutra propoſitione, ac dum pro neutra nulla ratio exhibetur; quemadmodum lances non minus in æquilibrio manent, dum æquale pondus utrique lanci appenditur, quàm utri nullum. Ad illud autem quod dicitur intellectum dubitantem nulli parti adhærere, benè autem opinantem; commentum eſt omninò ineptum; cum moralis & actualis formido unius opinionis includat eſſentialiter incertitudinem alterius oppoſitæ, quæ ſemper remanet dubia. Huc accedit quòd planè ſit impoſſibile, ut intellectus huic adhæreat: cùm nullum, ut ſupponitur, occurrat motivum uni potiùs quàm alteri adhærendi.

 Obj.

Obj. 6. Nulla lex obligat, niſi fuerit ſufficienter promulgata; ſed dum æquè eſt probabile illam non exiſtere ac exiſtere, non eſt ſufficienter promulgata; quia ſufficiens legis promulgatio certam facere debet legis obligationem, quæ utique non habetur, niſi habita legis certitudine: Ergo.

R. Diſt. Maj. Nulla lex obligat, niſi fuerit ſufficienter promulgata, ſi per legis promulgationem intelligatur ſolemnis legis intimatio facta generaliter à Legiſlatore omnibus ſubditis, C. Si per eam intelligatur ſimplex legis propoſitio, qua ſingulis innoteſcit, N. Unde negatur Min. & Conſeq. Si enim ad ſufficientem legis promulgationem foret neceſſarium, ut quilibet particularis certus eſſet de legis obligatione, ſequeretur eum qui contra legem facit, nequidem materialiter peccare. Item ſequeretur omnes leges irritantes, v. gr. Matrimonium, ſuum non ſortiri effectum in ſubjectis, qui nihil unquam de illis audierunt, quod ſecundum ipſoſmet Adverſarios falſum eſt.

Inſt. Lex, ad culpam ſaltem, non obligat ſingulos, niſi ſufficienter ſingulis ſit propoſita; ſed non eſt ſufficienter propoſita, dum adeſt dubium utrum lata ſit, & obliger in tali caſu Ergo.

R. Neg. Min. Abſurdum eſt enim dicere legis obligationem à diverſis hominum opinionibus pendère, aut nullam Legem obligare, niſi omnes & caſus, & materias, circa quas verſari poteſt, clarè, & diſtinctè determinavit. Sufficit igitur ad hoc ut Lex vim obligandi obtineat, ut ratione probabili ſubdito exhibeatur, cui mox incumbit de ejus veritate inquirere; & ſi eam aſſequi non poſſit, partem Legi faventem ſeligere, nè ipſam materialiter violandi periculo ſe committat, quod foret utique peccatum formale.

Adnotatio 9.

(*)

Ad magis magiſque Authoris noſtri de opinionum Probabilium delectu confovendam Sententiam, unicum textum addere liceat, ex operibus Sapientiſſimi Pontificis Benedicti *XIV. excerptum. Inter alia plura documenta tanto Pontifice digna, pro præparatione ad Annum Sanctum ultimo elapſum, exarata, unum Italico idiomate die 26. Junii 1749. evulgavit, inſcriptum:* Lettera Circolare della Santità di N. Signore Benedetto *XIV.* a tutti i Patriarchi, Arciveſcovi, e Veſcovi ſopra la preparazione all' Anno Santo. *Et ne videamur ex ejus verbis vel apicem unicum immutare, ipſum originalem textum Italicè tranſcribimus. Poſtquam igitur ex verbis* Alexandri *VII. adnotavit plures Scriptores in rebus ad conſcientiam pertinentibus, alienos ſe exhibere* ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina *ſic, quod ad rem pertinet, proſequitur*: ma ſenza entrare in verun dettaglio particolare, e nelle ineſtricabili queſtioni, che ſopra il credito degli Autori, e delle loro dottrine potrebbero eccitarſi, ci contentaremo di dire, che il buon Confeſſore, nelle materie dubbie, non dee fidarſi nella ſua privata opinione, ma prima di riſpondere, ſi contenti di vedere non un ſolo libro, ma ne veda molti, e fra queſti i più riſpettabili; e poi prenda quel partito, che vedrà Piu' aſſiſtito dalla Ragione, e dall' Autorita'. *Cum igitur Pontifex ſtatuat, quod inter Opinionum varietatem, illa in praxi tenenda ſit, cui magis Ratio, & Authoritas ſuffragari conſpicitur; quid aliud dicit, quid aliud vult, aut decernit, niſi quod inter opiniones probabiles, illa probanda ſit, & amplectenda, quæ Probabilior eſt, & Operanti videtur? Probabilioriſmum igitur; tum objectivum, tum ſubjectivum hìc clarè ſuggerit Pontifex, & inculcat. Quod autem hìc decernit pro* Confeſſariorum *inſtructione, jam antea a ſe ſtatutum fuiſſe declarat in alia Encyclica circa uſuras.* Così, *addit ipſe*, ci ſpiegammo nella noſtra Lettera Circolare ſopra le uſure, che è la 143. nel Tomo *I.* del noſtro Bollario al §. 8. " *ſuis privatis opinionibus ne nimis adhæreant, ſed priuſquam reſponſum reddant, plures ſcriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur, deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum auctoritate planè confirmatas intelligent.* " Così ora ripetiamo, non dovendo la maſſima eſſer riſtretta alla ſola materia delle uſure, ma dovendo eſtenderſi ad ogni altra coſa che appartenga al Foro Sagramentale, ed alle regole della coſcienza.

Sed dicent contrariæ ſententiæ Patroni: Benedictus *hìc, non loquitur* ut Pontifex, non loquitur ex Cathedra. *Non inficiamur: nec enim ſupradictam Epiſtolam, tamquam Bullam dogmaticam venditare prætendimus. Attamen Encyclica eſt ad omnes* Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos directa. *Attamen in ipſa Paſtores omnes, &* Confeſſarios *cæteros erudit, & inſtruit, quomodo ſe gerere debeant in directione Animarum, & in ſolutione caſuum ad conſcientiam pertinentium. Attamen in Encyclica tali, qualis ſit in Opinionum delectu ejus ſententia luce meridiana clariùs oſtendit. Documenta talia adferant pro ſe Adverſarii, ſi poſſunt.*

Ad tollendum ſubterfugium quodcumque, & omnem aleam dubitationis circa legitimam relati textus intelligentiam, amovendam, advertendum eſt, quod cum ſupradicta Epiſtola Italico idiomate, uti diximus, exarata, latinè reddita fuerit, latinus textus non omnino, totaliter, & adamuſſim correſpondet textui Italico quo ad integram verborum vim, & efficaciam. Cum enim

in

in textu Italico nitidè habeatur, quod quando Confeſſarius inter Authores conſuluerit Præſtantiores: I più Riſpettabili; *illi poſtea adhæreat Parti, ſeu Opinioni, eamque ampleƈtatur, cui magis authoritatem, & rationem ſuffragari cognoverit*: E poi prenda quel partito, che vedrà più aſſiſtito dalla Ragione, e dall'Autorità: *in verſione latina, ſic tantum habetur.* (*Bullarii T. 3. pag. 90.*) Sat erit Confeſſarios monuiſſe, ut in re dubia propriæ opinioni non innitantur; ſed antequam cauſam dirimant, libros conſulant quam plurimos; eos cum primis, quorum doƈtrina ſolidior; ac deinde in eam deſcendant ſententiam, quam ratio ſuadet, ac firmat auƈtoritas. *Jam patet in hac verſione adhuc aliquid deſiderari, ad efficaciam Italicorum verborum pleniùs, ac adæquatè reddendam. Ly* PIU': *magis, quod legitur in Italico textu, in Latina verſione expreſſe non invenitur. Cum igitur ex hoc vitiligatores ambigendi, & implicandi occaſionem forſitan arripere poſſent, ſciendum eſt, Pontificem ſummum Italico idiomate Encyclicam illam verè ſcripſiſſe, & idiomate tali primitus evulgatam Romæ fuiſſe; licet poſtea ad faciliorem pro omnibus Nationibus ejus intelligentiam latinè reddita fuerit ad normam textus Italici, & ſic in Bullario inſerta. In ipſo igitur Italico textu, verba, quæ fideliter retulimus expreſſe leguntur: ſicuti videre eſt in aliquibus exemplaribus, quæ adhuc remanent. Cum ergo & textum originalem, & ejus verſionem habeamus, dubio aliquo circa legitimum ſenſum verborum, aut mentis Scriptoris adæquatam intelligentiam, inſurgente, ad illum, & non ad iſtam recurrendum eſſe, reƈta regula docet. Adde; quod licet in Latina verſione particula* magis: PIU' *expreſſe notata non fuerit: nihilominus cum immediatè antea notatum expreſsè legamus, quod Confeſſarius, eos maxime libros conſulere debet,* quorum doƈtrina ſolidior; *in hoc verbo* ſolidior, *integrum ſenſum, ſi non verbum Italicum adhuc habemus. Hæc ad dubium removendum quodcumque pro legitimo ſenſu laudatæ Encyclicæ; & pro mente Legiſlatoris plenius adſequenda.*

(*)

QUÆSTIO III.

An ſequi liceat opinionem probabiliorem libertati faventem in concurſu minùs probabilis faventis Legi?

Not. PRofligatis mitiorum Probabiliſtarum laxitatibus, qui quamlibet probabilitatem morum eſſe Regulam contendunt; nunc profliganda reſtat nimia quorumdam rigiditas docentium, nullam, quantumvis gravem probabilitatem ad conſcientiæ ſecuritatem ſufficere. Siquidem in Scriptura Anathemate non minùs gravi percutiuntur, qui dicunt bonum malum, quàm qui malum bonum eſſe pronuntiant Igitur.

DICO. E duabus oppoſitis opinionibus tutiorem Legique faventem non ſemper ampleƈti tenemur; ſed illæſa conſcientia ſequi poſſumus minùs tutam, modò alterà quæ tutior eſt, ſit probabilior.

Prob. 1. Ex damnatione iſtius Prop. ab Alex. VII. *Non licet ſequi opinionem probabilem* (id eſt, quæ nullam habet probabiliorem, aut æquè probabilem oppoſitam) *vel inter probabiles probabiliſſimam.*

Prob. 2. Ex D. Aug. l. de util. cred. c. 11. docente, plurima nos credere, & tenere in ſocietate humana, opinione ſcilicet veroſimillima; quæ certò ſcire non poſſumus, & quibus falſum ſubeſſe poteſt. *Quæro*, inquit, *ſi quod neſcitur credendum non eſt, quomodò ſerviant Parentibus liberi eoſque mutua pietate diligant, quòd Parentes ſuos eſſe non credant .... Credimus tamen, & ſine ulla dubitatione credimus, quod ſciri non poſſe confitemur .. :. Multa poſſunt afferri, quibus oſtendatur nihil omninò humanæ ſocietatis incolume remanere, ſi nihil credere ſtatuerimus quod non poſſumus tenere perceptum.*

Prob. 3. Ex D. Thom. 2. 2. q 70. a. 2. *In aƈtibus humanis, ſuper quibus conſtituuntur judicia, non poteſt haberi certitudo demonſtrativa; eo quòd ſit circa contingentia, & variabilia; & ideò ſufficiet probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etſi in paucioribus à veritate deficiat.*

Prob. 4. Ex D. Anton. 1. par. tit. 3. c. 10. *Certitudo, quæ requiritur in materia morali, non eſt certitudo evidentiæ, ſed probabilis conjeƈturæ.... Quæ certitudo moralis non conſurgit ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjeƈturis groſſis, & figuralibus, magis ad unam partem quàm ad alteram ſe habentibus .... Ex quo ſequitur, quod in humanis agibilibus .,.. Sufficit talis certitudo, quæ non ſemper ſcrupulos omnes abjiciat, ſed ſufficit ut contemnat, & ſuperet eos.*

Prob. Rationibus 1. Quia Deus ab homine non plus exigit, quàm ut operetur humano modo; id eſt, rationabiliter atque prudenter; ſic autem operatur qui ſequitur opinionem, quod poſt ſinceram, & accuratam veritatis inquiſitionem ita probabilem judicat, ut nihil ipſi adverſum occurrat; vel ſi quidpiam occurrat, nullius ſit ponderis opinioni probabiliori collatum.

2. Quia

2. Quia ſententia contraria onus grave nimis afferret; cùm in controverſiis moralibus difficillimum ſit, imò ſæpiùs impoſſibile, veritatem cognoſcere ea certitudine, ut nulla prorſus in mente formido ſuperſit. 3. Quia ex hac ſententia ſequeretur, quòd inaniter Doctores inſudarent, ad cujuſlibet opinionis veritatem indagandam; ſi nempè quod ipſis veroſimilius videtur, non liceret amplecti; cùm rariſſimè contingat, ut quæ certiſſima ſunt atque demonſtrativa argumenta, in medium proferre valeant.

Obj. Qui operatur cum dubitatione de malitia operis peccat, quia peccandi periculo ſe committit, ut ſæpius dictum eſt: ſed qui operatur ex opinione, quantumvis probabili, operatur ſemper cum quadam dubitatione. Qui enim ex hac opinione judicat talem contractum eſſe licitum, ſimul tamen judicat forſan eſſe illicitum; cùm ſuæ probabilioris opinionis argumenta non ſint evidenter convincentia ac demonſtrativa: Ergo dubitat adhuc, & fluctuat.

℞. Neg. Min. Nam opinio, quæ nullam ſibi habet oppoſitam probabilem, vel ſi habet, adeò leviter eſt probabilis, ut comparativè ad alteram probabiliorem nullius ſit ponderis, ad aſſenſum moraliter determinat intellectum; non quidem aſſenſum ſcientificum, ſed tamen fixum, & determinatum, excludentem omnem rationabilem dubitationem. Et verò, licet intellectus quaſdam leves rationes, quæ adversùs hunc contractum celebrandum militant, apprehendat; eo ipſo quòd leves ſunt, ipſe negligit atque contemnit, conſcientiam ſibi rectam efformans de licitate ipſius.

Inſt. Opinio quantumvis probabilis, ſemper reſtat opinio, quæ eſſentialiter formidinem ſibi habet annexam, proindeque dubitationem.

℞. Diſt. Opinio eſſentialiter ſibi habet annexam formidinem, metaphyſicam, aut radicalem, C. quia abſolutè loquendo ipſi falſum ſubeſſe poteſt: formidinem moralem, & actualem, N. quia probabilior opinio moralem certitudinem intellectui ingerit, quod ſufficit ad prudenter agendum.

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS.

De Legibus.

POST expoſitam Actuum humanorum Regulam intrinſecam, videlicet conſcientiam, opportunè ſequitur Tractatus de Legibus, quæ eorumdem Actuum Regulæ ſunt extrinſecæ; de quibus, juxta communem methodum, duplicem inſtituemus Diſſertationem, primam de Legibus in communi, ſecundam de Legibus in particulari,

DISSERTATIO I.

De Legibus in communi.

IN hac Diſſertatione duo tantummodò ſequentibus Capitibus exponenda veniunt. 1. Quid, & quotuplex ſit Lex 2. Quæ ſint ipſius eſſentiales conditiones.

CAPUT I.

De natura, & diviſione Legum.

LEx, quæ juxta D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 1. *à ligando dicitur, quia obligat ad agendum*, ſumitur impropriè ſeu largè, & propriè ſeu ſtrictè. Largè, & impropriè ſumpta eſt Regula, ſeu menſura, ſecundùm quam res quælibet vel ad operandum inducitur, vel ab operando retrahitur, quo ſenſu animata omnia, ſive inanimata, rationabilia, ſive irrationabilia, artes ſive licitæ, ſive illicitæ, leges ſuas habere dicuntur; utpote quæ Regulis nonnullis diriguntur. Lex autem propriè, & ſtrictè ſumpta eſt morum Regula, ſecundum quam quilibet ad bonum morale inducitur, & à malo morali retrahitur, quod ſolis creaturis rationabilibus vetæ obedientiæ capacibus competit.

Sic ſumpta lex ritè definitur, ad mentem D. Thom. art. 4. citatæ quæſt. *Rationis ordinatio ſtabilis, ad bonum publicum promulgata ab eo, qui curam Communitatis habet, cum intentione obligandi ſubditos.*

Dicitur 1. *Rationis ordinatio*, ideſt, rectæ rationi conſentanea. Dicitur 2. *Stabilis*; ideſt non ad tempus, ſed in perpetuum duratura, donec abrogetur. Dicitur 3. *Ad bonum publicum*, non in privatum Legiſlatoris, ſed totius Communitatis commodum. Dicitur 4. *Promulgata*, ideſt ſubditis intimata ac denuntiata, Dicitur 5. *Ab eo qui curam Communitatis habet*; ideſt qui in completam perfectamque Communitatem juriſdictione, & auctoritate Coactiva pollet: Dicitur 6. *Cum intentione ſubditos obligandi*; ideſt non per modum conſilii, aut documenti, ſed per modum præcepti. Circa quod

Obſervandum eſt legem omnem eſſe quidem præceptum, ſed omne præceptum legem non eſſe. Differt enim præceptum à lege. 1. Quòd illud ſit tranſitorium, ſive ex ſeſe, ſive ex parte privatæ perſonæ, aut familiæ particularis, quæ temporis decurſu extinguitur: 2. Quòd præceptum privatam aut perſonæ, aut cujuſdam familiæ utilitatem reſpicere poſſit. 3 Quod ipſum à minoribus, ac ſubalternis ſuperioribus condi valeat.

Porro lex dividitur in legem æternam; naturalem, & poſitivam. Poſitiva verò in divinam, & humanam: Poſitiva divina in veterem ſeu Moſaycam, & novam ſeu Evangelicam. Poſitiva humana in Eccleſiaſticam ſeu Canonicam, & Civilem ſeu politicam. De quibus in ſequenti Diſſertatione. Quòd ſpectat ad legis naturam, & eſſentiam exoritur

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Lex actus ſit voluntatis, an intellectus?

Not. 1. NOmen legis multifariè uſurpatur; vel pro aliquo ſigno externo, qualis eſt Scriptura, per quam lex hominibus innoreſcit; vel pro auctoritate qua præſtat, obligandi ſubditos, in quorum intellectu habitualiter permanet, poſtquàm ipſis eſt ſufficienter intimata; vel denique prout eſt actus Legiſlatoris legem ferentis.

Not. 2. Lex, prout in Legiſlatore ſpectatur, duos complectitur actus, intellectus nimirum Legiſlatoris dictantis hoc, vel illud ad bonum commune vitandum eſſe, vel amplectendum; item & voluntatis, quo mandat, & præcipit quædam ab ipſis, vel per-

Digitized by Google

peinci, vel omitti. Circa quod quæritur, in quo actu propriè ſita ſit legis eſſentia.

Dico. Lex propriè, & eſſentialiter eſt actus voluntatis.

Probatur ex variis Scripturæ locis, ubi lex dicitur voluntas Pſal. 39. *In capite libri ſcriptum eſt, ut facerem voluntatem tuam*; ideſt legem tuam, juxta hæc verba immediatè ſubſequentia: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Et Pſalm, 120. *Notas fecit vias ſuas Moyſi, & filiis Iſrael voluntates ſuas*; ideſt leges, & præcepta. Unde D. Auguſt. l. 4. de Civit. c. 6. Legem vocat *Arbitrium Principum*; & Ulpianus l. 1. de Conſtitut. Princip. Tit. 4. ait: *Quod Principi placuit legis habet vigorem.* Arbitrium autem, & placitum voluntatis actum evidenter innuunt. Ergo &c.

Confirmatur ratione. Actus Legiſlatoris, quatenus Legiſlator dicitur, is eſt ſanè quo ſubditos ad agendum, vel non agendum obſtringere poteſt: Atqui ſolus voluntatis actus ad agendum, vel non agendum ſubditos obſtringere poteſt; Ergo. Maj. eſt evidens: Min. probatur. Eatenus Legiſlator ſubditos ad agendum, vel non agendum obſtringere poteſt, quatenus coactivam auctoritatem, qua pollet, in eos exercet: Sed coactivam auctoritatem in ſubditos non exercet per actum intellectus judicantis, hoc eſſe faciendum, vel omittendum; ſed per actum volontatis, quo illud vel præcipit, vel prohibet; cum judicare poſſit hoc, vel illud ad bonum commune conducere, quin legem ferat, & ſolummodò eam ferre cenſetur, dùm diſtrictè pronunciat ſe velle ac jubere, ut id quod bonum judicavit, à ſubditis executioni mandetur. Ergo lex magis propriè ad voluntatem, quàm ad intellectum ſpectat.

Objic. 1. Lex in Scripturis ſacris non ſemel vocatur *lumen, lux, lucerna illuminans oculos*, quæ ſoli intellectui conveniunt. ℞. Lex ſic in Scripturis vocatur, prout eſt in homine cui proponitur, & qui ſecundùm ipſam agere debet C. prout eſt actus Legiſlatoris eam ſancientis N.

Obj. 2. Ex ipſa legis definitione conſtat, ipſam eſſe *rationis ordinationem*; rationis autem ordinatio actus eſt intellectus, non voluntatis, Ergo. ℞. Lex eſt rationis ordinatio directivè C. formaliter N. Nam eatenus dicitus rationis ordinatio, quatenus eſt imperium à recta ratione ordinatum, non autem quatenus obligationem imponit ſubditis, quibus intimatur.

Obj. 3. Lex eſt eſſentialiter Regula; Sed Regula, quædam eſt idea, cui omnia quæ Regulæ ſubjacent, debent eſſe conformia: Idea autem eſt in intellectu, non in voluntate. ℞. Lex, quædam eſt idea præſuppoſitivè, quatenus in Legiſlatore præſupponitur mentis actus, quo concipit aliquid bono Communitatis congruere C. Formaliter, quatenus id quod conveniens eſſe concepit, à ſubditis obſervari mandat N. Ad illud autem quod dicitur legem eſſe Regulam ſeu ideam, cui ſubditi in agendo ſeſe componere debent; diſtinguo ut ſupra; objectivè, prout eſt in homine, cui proponitur. C. Formaliter; prout eſt in Legiſlatore N. Nec enim Legiſlator per ideam ſimplicem, ſed ſolommodò auctoritate ſua ſubditos ligare poteſt.

Obj. 4. Lex naturalis non eſt actus voluntatis; Ergo. ℞. Tranſeat Ant. Nego Conſeq. Siquidem ibi non eſt quæſtio de intrinſecis actuum humanorum Regulis, prout eſt lex naturalis; ſed de extrinſecis, lege ſcilicet poſitiva, divina, & humana. Dixi. *Tranſeat*. Nam Ant. diſtingui poteſt ut ſuprà: Lex naturalis non eſt actus voluntatis, prout eſt in homine C. prout eſt actus in Deo ſummo Legiſlatore, qui mandat, ut huic legi menti noſtræ inditæ homo ſeſe accommodet N.

CAPUT II.

De conditionibus ad Legem eſſentialiter requiſitis.

EX præallata legis definitione conſtat ſex præcipuas conditiones ad legem eſsentialiter requiri. 1. Quòd rectæ rationi ſit conſentanea; cùm *rationis* dicatur *ordinatio*. 2. Quòd Communitati ſit conducibilis; cùm feratur *in bonum publicum*. 3. Quòd Superior ferens legem legitima eam ferendi auctoritate præſtet; cùm ſit *ab eo qui curam Communitatis habet*. 4. Quòd ſubditis ſufficienter innoteſcat; cum debeat eſſe *promulgata*. 5. Quòd liget, & obſtringat ſubditos, cùm feratur *cum intentione obligandi*. 6. Quòd firma in æternum perſtet, niſi legitimè abrogetur; cùm ſit *ſtabilis*. Has omnes conditiones ſingulatim exponere operæ pretium eſt; cùm ad eas quæcumque ad leges in communi ſpectant, facili negotio adduci poſsunt. Sit igitur

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An, & quomodò Lex rationi debeat eſſe conſentanea?

Not. TRiplici ex capite legem rectæ rationi diſſentaneam eſse poſse. 1. Si id quod de ſe malum, ac inhoneſtum eſt, præcipiat aut permittat. 2. Si legibus adverſetur divinis. 3. Si ſit obſervatu moraliter impoſſibilis. Unde.

Dico. Vera lex, ligans ſubditos, ea dici nequit, quæ vel de ſe inhoneſta, vel legi divinæ contraria, vel moraliter impoſſibilia jubet.

Prob. 1. Pars. Vera lex ſubditos ligans eſt eſſentialiter morum Regula, lex autem quæ inhoneſta, aut præcipit, aut permittit, non eſt morum Regula, cùm à recto deviet. Ergo.

Prob. 2 Pars. Omnis legiſlativa poteſtas eſt à Deo; ſed quod eſt à Deo, divinæ voluntati nequit adverſari. Ergo.

Prob. 3. Pars eſſentiale eſt legi, quòd ſit in bonum publicum; atqui non eſt in bonum publicum, ſi ſpectata perſonarum loci, & temporis opportunitate, humanæ fragilitati non eſt accommodata. Unde D. Thom. 1. 2. q. 46. art. 4. hujuſmodi leges potiùs violentias dicendas eſſe quàm leges pronunciat, nec ipſas in conſcientia obligare docet, niſi fortè ad vitandum ſcandalum: juxta Reg. Juris in 6. *Nemo ad impoſſibile obligatur.*

Obj. Cum Machiaveliſtis, & Mahometanis. Publica tranquillitas, & temporalis fœlicitas eſt finis politici regiminis; Atqui honeſtatis Regulæ, & præcepta divina, nedum ſæpiùs ad publicam tranquillitatem, & temporalem fœlicitatem non conferunt, ſed & ipſis plerumque, adverſantur; Ergo Principes politici in ſuis legibus ferendis, hujuſmodi Regulis ac præceptis non adſtringuntur.

℞. Diſt. Maj. Publica tranquillitas, & temporalis fœlicitas eſt finis proximus politici regiminis; C. finis ultimus, N. Nullum enim eſt regimen, quod ad Dei gloriam, & fœlicitatem æternam referri non debeat; nec *fœlices Imperatores dicimus* cum Auguſt. l. 5. de Civ. c. 24. niſi *eos, qui juſtè imperant*, quique *ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum Majeſtatis ejus famulam faciunt*. Deinde falſiſſimum eſt, honeſtatis Regulas præceptaque divina publicæ utilitati ſæpiùs adverſari; cùm hominum improbas paſſiones, quæ tranquillitatem ipſorum ac fœlicitatem temporalem funditùs ſubvertunt, de ſe coerceant ac dirigant.

Inſt. Si finis politici regiminis ſit cultus Dei & fœlicitas æterna, ipſum ab Eccleſiaſtico regimine non differt. ℞. Nego ſequelam; quia finis proximus Eccleſiaſtici regiminis eſt Dei cultus æternaque fœlicitas, ut per ſe patet.

QUÆSTIO II.

Utrùm communis utilitas Legi ſit eſſentialis?

Not. LEx ad bonum commune dupliciter referri poteſt; ex parte, ſcilicet, *operantis*; id eſt, Legiſlatoris, qui in lege condenda hoc bonum intendit; & ex parte *operis*; id eſt, quòd ipſamet lex ad tale bonum conducat. Conſtat apud omnes ad valorem legis neceſſariò non requiri, ut Legiſlator bonum commune intendat, & pravam ejus intentionem, ſi quam habeat, legi prorſus eſſe extrinſecam, proindeque indifferentem, ſed quæritur utrùm lex in ſe ſumpta, ut veræ legis rationem habeat, ad publicam utilitatem referri debeat.

Dico. Non eſt vera lex, quæ de ſe ad privatum commodum, non ad commune, eſt conducibilis.

Prob. 1. Ex Iſid. l. 5. Ethym. cap. 5. *Lex*, inquit, *honeſta, & juſta nullo privato commodo, ſed pro communi Civium utilitate conſcripta*. 2. Ex ſe lex referri debet ad illud bonum, propter quod publica poteſtas à Deo eſt inſtituta: poteſtas autem publica inſtituta non eſt, niſi propter bonum publicum. 3. Turpe eſt ac inhoneſtum totum ad partem referri; cùm potiùs pars ad totum naturaliter referatur; Ergo, &c.

Obj. 1. Leges plurimas, quæ ad ſola privatorum commoda referri videntur; cujuſmodi ſunt leges in favorem Pupillorum, Militum, Clericorum, &c. latæ. Item leges præſcriptionum, quæ in Civium nocumentum plerumque cedunt. Item præceptum vitam propriam conſervandi.

℞. Has, & ſimiles leges ad privatum commodum referuntur quidem proximè, & immediatè, ſed in bonum commune remotè, & mediatè. Siquidem Reipub. plurimùm intereſt, ut Pupilli ab injuriis, quibus ob propriam infirmitatem ſunt obno-

xii, vindicentur; ut Militibus, Clericis, &c. de Reipub. benè meritis privilegia concedantur; ut præſcriptionibus, poſſeſſionum tranquillitati provideatur, nè Civium diſſidia in infinitum accreſcant: ut vita cujuslibet ſervetur immunis, nè multis Civibus orbata Communitas tandem pereat.

Obj. 2. Samuel 1. Reg. cap. 8. Regum Jura Iſraelitico populo recentens plura, quæ ad utilitatem communem minimè ſpectant, enumerat. *Hoc*, inquit, *erit Jus Regis.... Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis*, &c.

℞. Samuelem hìc de jure legitimo, quod Regibus eſt proprium, ſermonem non facere, ſed de jure uſurpato, quod Reges ſibi arrogaturos eſſe populo prædicebat, ut à Regis poſtulatione eos deterreret.

Obj. 3. Ceſſante bono publico lex non ceſſat; Ergo legi non eſt eſſentiale ut ad bonum publicum conducat. Licèt quippè probè ſciret aliquis Principem in proprium ſuum commodum tributa convertere, eorumdem tamen ſolutioni ſemper extaret obnoxius. Item licèt ceſſarent fraudes, quas Eccleſia, Matrimonia irritans clandeſtina, præcavere voluit, non deſineret hujuſce legis obligatio.

℞. Diſtin. Ant. Ceſſante bono publico, non ceſſat lex, ſi privatis ſolummodò hominibus id appareat, C. ſi publica id conſtet auctoritate, Neg. Præterea boni publici intereſt magnopere, ut leges auctoritate publica ſancitæ à privatis hominibus non infringantur, etiamſi motivum earum deſierit.

QUÆSTIO III.

Quibus, & circa quod Leges condere ſit conceſſum?

LIcèt ſolius ſit Superioris, cui ſoli competit imperium, leges condere; non omnis tamen Superior, & circa omnia eas condere valet. Videamus igitur quibus Superioribus competat poteſtas legiſlativa, & circa quæ verſetur hæc poteſtas.

ARTICULUS I.

Quibus Superioribus competat poteſtas legiſlativa?

Not. NOn defuerunt Hæretici, qui omnem ſpernentes dominationem, docuere poteſtatem legiſlativam nulli prorſus hominum, ſed ſoli Deo, competere. Hunc nefandum errorem à Concilio Conſtantienſi jampridem damnatum ſæculo præterito refricavere Lutherus & Calvinus, contendentes nullas prorſus leges, tum ab Eccleſia, tum à Magiſtratu latas per ſe conſcientiam ligare poſſe, Fidemque Chriſtianam veros Fideles ab omni lege eximere: contra quos.

Dico I. Principes ſæculares, quicumque ſint, ſive boni, ſive mali, ſive Fideles, ſive Ethnici, aut Hæretici, poteſtate gaudent legiſlativa.

Prob. Ex ipſomet Chriſto Domino, qui hanc poteſtatem in Principe etiam Ethnico agnovit, dum illi tributum ſolvit, alioſque ſolvere docuit, dicens Lucæ 20. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* Eamdem poteſtatem tanquam ab ipſomet derivatam agnoverunt Apoſtoli. *Omnis anima*, inquit D. Paulus, Rom. 13. *Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas niſi à Deo.* Item D. Petrus, 1. Epiſt. cap. 2. *Subditi eſtote*, inquit, *ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam à Deo miſſis.* Et ne quis in errorem inducatur, dicens Apoſtolum de bonis ducibus ſermonem facere, ſubdit: *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.*

Prob. 2. Unanimi Patrum conſenſu, quorum unum aut alterum hìc laudare ſufficiat. S. Polycarpus, qui apud Euſebium Hiſt. lib. 4. cap. 15. ad Principem Ethnicum ſermonem dirigens, *Tibi quidem*, inquit, *rationem reddere non me piget; præceptum enim nobis eſt, ut Magiſtratibus & Poteſtatibus à Deo conſtitutis honorem debitum exhibeamus.* Et D. Juſtin. in Apol. ad Anton. Imper. *Veſtigalia ſanè eis, qui à vobis ſunt ordinati exactoribus præ omnibus ubique inferre intendimus, quemadmodum ab eo ſumus inſtituti.*

Confir. Nationum omnium aſſenſu concordi, quæ pro ſervanda communi pace & tranquillitate, leges condere neceſſarium ſemper duxerunt; imò & ipſorummet, quos impugnamus, Hæreticorum praxi, qui plurimas quotidie leges ferunt, & tranſgreſſores tanquam criminis reos duriotibus pœnis perſtringunt.

Dico II. Eccleſia leges condendi ſuprema auctoritate pollet.

Prob. 1. Apoſtolorum tempore leges condidit Eccleſia; Ergo nunc temporis etiam poteſt. Patet conſequentia, quia hujuſce temporis Eccleſia non minùs eſt Sponſa Chriſti, quàm Apoſtolorum tempore; cum ſemper ſit una & eadem Eccleſia, quæ iiſ-

dem

dem ſemper gaudet dotibus ac privilegiis, quibus a Sponſo ſuo Chriſto Domino donata fuit. De hac enim Eccleſia, uſque ad finem ſæculorum duratura, ſcriptum eſt, Matth. 8. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Et de primis ejus Paſtoribus: *Quæcumque ligaveritis ſuper terram*, &c. Quod autem Apoſtolorum tempore Eccleſia leges tulerit conſtat ex Apoſt. 1. Theſs. 4. *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum.* Et Actor. 15. Legitur Paulum Fidelibus præcepiſse, cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum; cujus modi fuit lex ab Apoſtolis edita in Concil. Jeroſolimitano, qua Gentiles ad Fidem converſi juſſi ſunt ab Idolothytis, ſanguine, & ſuffocato abſtinere; & lex à B. Paulo promulgata. 1. Timoth. 3 qua prohibitum eſt, ne Bigami, & Neophiti in Epiſcopos eligerentur.

Prob. 2. Praxi & auctoritate priorum Eccleſiæ ſæculorum, quę hanc Poteſtatem in ipſa ſemper agnovere; ut conſtat ex Canonibus plurimis his primis temporibus circa diſciplinam editis; & evidenti ratione confirmatur: ſi enim hac poteſtate non gauderet Eccleſia, miniſterium ſibi à Deo commiſsum peragere non valeret, nec diſciplinæ vigorem, ordinis rationem, pacis tranquillitatem, morum compoſitionem incolumes ſervare, quo nihil abſurdius excogitari poteſt.

Obj. 1. Inſulsè Hæretici complura Scripturę loca perperam intellecta. 1. Iſayę 33. *Dominus Legifer noſter.* 2. Deuter. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, nec addas quidquam aut minuas.* 3. Cor. 7. *Nolite fieri ſervi hominum.* 4. Galat. 5. *Vos in libertatem vocati eſtis.* 6. Mat. 7. *In vanum me colunt, docentes doctrinam & præcepta hominum.* 7. Luc. 21. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* 8. 1. Tim. *Lex non eſt poſita juſto.*

℞. Breviter ad 1. Dominus ſolus eſt principalis Legifer noſter, qui tamen impoſuit homines ſuper capita noſtra, tanquam Vicarios ac Miniſtros ſuos. Ad 2. Per hoc intelligitur, quod divinis præceptis nihil contrarii adjicere, aut minuere liceat. Ad 3. Senſus eſt hominum obſequium divino, ut par eſt, poſtponendum eſse. Ad 4. Vocati quidem ſumus in libertatem à peccato, vel ut ſimus immunes à legis Moſaycæ onere, non autem ab aliis legibus. Ad 5. Ibi Chriſtus arguit Judæos, qui divinis mandatis neglectis, vana quædam & inutilia obſervanda mandabant. Ad 6. His verbis monet Chriſtus Prælatos Eccleſiaſticos, nè cum faſtu & ambitione per timorem carnalem, ſicut Principes Gentium, dominentur, & ut præſint magis verbo & exemplo, quam minaci præcepto. Ad 7. Lex non eſt poſita juſto, id eſt, lex metu cogens & premens, C. Lex honeſta demonſtrans, & ad ea amore ditigens, N.

Obj. 2. Lex naturalis & divina planè ſufficit, & Chriſtus independenter à legibus humanis ſufficienter Eccleſiæ ſuæ providit; Ergo ipſæ vanæ ſunt prorſus atque inutiles.

℞. Sufficere quidem legem naturalem & divinam ſimpliciter & abſolutè, non autem ſecundùm quid; id eſt, ad majorem utilitatem ac ſecuritatem. Siquidem lex naturalis & divina, legum humanarum ſubſidio, clarius exponitur, faciliùs & accuratiùs executioni mandatur. Deinde Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſufficienter providit vel immediatè per ſe, Evangelium ſuum annuntiando, vel per Miniſtros ſuos, quos poſuit, ut vice ſui Eccleſiam ſuam regerent, & quibus poteſtatem largitus eſt, pro perſonarum, temporum & locorum opportunitate, leges congruentes ſtatuere.

Dico III. Solius eſt Superioris, qui perfectæ curam gerit Communitatis, non autem qui imperfectæ, leges condere.

Explicatur Concluſ. Perfecta Communitas ea eſt; quæ ad finem tum temporalem, tum ſpiritualem aſsequendum, ad quem inſtituta eſt, ſibimet ſufficit. Imperfecta verò, quæ non ſibi ſufficit. Cenſetur autem ad hoc ſibi ſufficere Communitas, dum auctoritate pollet Magiſtratus, aut Paſtores inſtituendi, Miniſtros ac Præpoſitos ordinandi, Cives Subditoſque in ordine continendi, lites, & controverſias naſcentes dirimendi, improbos contumaces pœna capitali perſtringendi. Hoc poſito.

Prob. Concluſ. 1. Quia lex, ut ſuperiùs dictum, in commune Reipublicæ bonum referri debet; quod ſanè præſtari nequit, niſi ab eo, qui eidem Reipublicæ præeſt. 2. Quia ſi quilibet privatus leges condendi poteſtatem ſibi arrogaret, contraria plerumque præciperentur in totius Reipublicæ ſubverſionem. 3. Quia expedit, ut penès eum ſit leges ſancire, qui poteſtatem habet ſubditos ad earum obſervationem cogendi, quod ſolis Principibus ac Prælatis competit.

QUÆR. 1. Qui nam cenſeantur curam gerere perfectæ Communitatis civilis, & in ea legislativa poteſtate præſtare.

℞. Hac poteſtate gaudent. 1. Imperato-

res, Reges, Reginæ, quocumque jure, vel hæreditario, vel electivo, Regnum aut Imperium obtineant, 2. Principes, qui in Principatu ſuo ſupremam habent Juriſdictionem. 3. Comitia generalia cujuslibet Regionis, imò, & Civitatis quæ eſt juris ſui. Non competit hæc poteſtas Marchionibus, Comitibus, & ſimilibus Dominis, qui Juriſdictionem tantummodò inferiorem in Vaſſallos ſuos obtinent; multo minùs Collegiorum, & Academiarum Præfectis, & Patribus-familias, qui licèt filios ſuos cogendi atque puniendi poteſtatem habeant, in eos tamen non habent poteſtatem juridicè coactivam, qualis extat in Judicibus, qui Principis vice ac nomine jus dicunt; ſed tantummodò Œconomicam, qua pœnis gravioribus, carcere, exilio, mutilatione, &c. Subditos ſuos perſtringere minimè poſſunt.

QUÆR. 2. In quibus vigeat poteſtas legiſlativa Eccleſiaſtica?

R. 1. Primus omnium Sum. Pontifex poteſtate gaudet condendi leges, quæ ubique terrarum Fideles adſtringant. Fruſtrà quippe dictum fuiſſet Petro, & Succeſſoribus ejus. *Paſce oves meas*, ſi legibus opportunis commiſſum ſibi pecus, per vias rectas agere non poſſent.

2. Concilium Generale à Summo Pontifice probatum eadem præditus eſt poteſtate; cùm univerſam Dei Eccleſiam exhibeat.

3. Cardinales, qui tunc temporis in Cleri Romani locum ſuffecti ſunt, Sede Romana vacante, ſi ab electione violenter impediantur, Decreta condere poſſunt proviſionalia ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſartam tectam, ſervandam. Quod probatur facto Clerici Romani, qui Sede vacante poſt Fabiani obitum proviſionaliter ſancivit, ut lapſis; in mortis periculo ſacra Communione donarentur, licèt totum pœnitentiæ ſuæ curſum non explevisſent.

4. Concilia Provincialia poſſunt leges ferre pro univerſa Provincia; cùm eam repræſentent, proindeque poſſint quæcumque ipſa poteſt.

5. Epiſcopi omnes pro ſuis reſpectivè Diœceſibus leges ferre poſſunt: Idque probatur tum ex Act. 12. ubi ſcribitur Epiſcopos eſſe poſitos à Spiritu ſancto ad regendam Dei Eccleſiam, tum ex continua omnium Eccleſiæ ſæculorum praxi, tum ex multis legibus; quas Epiſcopi condiderunt cum totius Eccleſiæ applauſu.

6. Capitula Cathedralia qui Sede vacante Juriſdictionem Epiſcopalem habent, duntaxat tranſeuntem, leges ferre non poſſunt; niſi proviſionaliter, dum nempe diſciplinam Eccleſiaſticam tuendi gravis urget neceſſitas. Cautum eſt enim in Jure Canonico ne quid *Sede vacante innovetur*.

7. Abbates exempti Ordinum Religioſorum, Capitula Generalia, & Provincialia, aliique Prælati, qui Juriſdictione quaſi Epiſcopali gaudent, quique verè ſunt Ordinarii, leges condere valent, niſi tamen à jure aut conſuetudine prohibeantur, uti re vera in multis Ordinibus ſunt prohibiti.

8. Prælati Epiſcopis inferiores, qui Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem non habent, Parochi, Rectores Facultatum, Collegiorum, Conventuum, &c. leges condere non valent, ſed præcepta duntaxat aut ſtatuta; cum perfectæ Communitatis curam non habeant, nec gladii ſpiritualis poteſtate donentur.

ARTICULUS II.

Quæ ſit materia, circa quam Leges verſantur.

DE objecto ſeu materia legum tria ſunt exponenda. 1. Quænam ſit propria legis tum Civilis, tum Canonicæ, materia. 2. Utrùm utraque lex actus internos præcipere valeat. 3. Utrùm modus finiſque legis cadant ſub præcepto; ſit igitur.

§. 1. *Quænam ſit Legis tum Civilis, tum Canonicæ, propria materia?*

Not. EX Legum diverſo fine diverſa eruitur legum materia. Cùm ergo Lex Civilis bonum Communitatis temporale reſpiciat, & Eccleſiaſtica ſpirituale, illa niſi circa temporales, iſta circa ſpirituales, res verſari nequit: Unde.

Dico I. Civilis poteſtas circa res finem ſupernaturalem ſpectantes, Fidei, ni mirum, Sacramentorum, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, leges condere non valet.

Prob. Quia ſolis Eccleſiæ ſupremis Paſtoribus, non autem Civilibus Poteſtatibus, concredita fuit a Chriſto Domino ligandi atque ſolvendi facultas, munuſque commiſſum docendi ac regendi Populos. Ipſis quippe, non Principibus, dictum eſt: *Paſce oves meas*: *Paſcite qui in vobis eſt gregem*: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram*, &c.

Confirm. Ex Nicolao Papa ad Michaelem Imperatorem ſcribente. *Imperium veſtrum*, inquit, *ſuis publicæ rei adminiſtrationibus debet eſſe contentum, non uſurpare quæ*

quæ Sacerdotibus Domini ſolùm conveniunt . . . . Quoniam idem Mediator Dei , & hominum homo Chriſtus Jeſus ſic actibus propriis , & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis utriuſque decrevit propria . . : Ut , & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent , & Pontifices pro curſu temporalium tantummodò rerum imperialibus Legibus uterentur , quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus ; & ideò militans Deo minimè ſe negotiis ſæcularibus implicaret ; ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur , qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus. Oſius Cordub. Epiſc. ap. S. Johan. in Epiſt. ad ſolit. vit. ag. *Conſtantinum* Imperatorem ſic alloquitur : *Tibi Deus Imperium commiſit , nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredit . Et quemadmodum , qui tuum Imperium malignis oculis carpit contradicit ordinationi divinæ , ita & tu cavæ ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens , magno crimini , obnoxius fias . Date , ſcriptum eſt , quæ ſunt Cæſaris Cæſari , ut quæ Dei Deo . Neque igitur , fas eſt nobis Imperium tenere ; neque tu thymiamatum , & ſacrorum poteſtatem habes , Imperator .*

Objic. Multa Imperatorum Decreta , maximè Juſtiniani , & Caroli Magni , quæ Eccleſiæ Regimen ſpirituale ſpectant.

℞. 1. Nonnullos Imperatores , & Reges multa , in Eccleſia abuſu temerario quandòque ſibi arrogaſſe , quæ jure ſibi minimè competebant . 2. Ipſorum circa res ſpirituales ſtatuta nullam vim habent , aut unquam habuerunt , niſi quatenus vel expreſſo , vel tacito Eccleſiæ conſenſu firmata ſunt . 3. Plerique Principes Chriſtiani , pro ſua , qua præſtabant , pietate , Edictis ſuis curam impenderunt , ut latæ ab Eccleſia Leges , & Canones ſervarentur ; quod nedum à poteſtate à Deo ſibi conceſſa facere poſſunt , ſed , & debent , ut Leo Magnus Leoni Auguſto ſcribit , Epiſt. 75. *Debes* , inquit , *incunctanter advertere Regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad Mundi regimen , ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium , eſſe collatam.*

Dico II. Eccleſiæ legiſlativa poteſtas circa res tantummodò ſpirituales verſatur , nec in temporales , exporrigi poteſt.

Prob. Eccleſia nulla poteſtate atque auctoritate præſtat , niſi ea quam Chriſtus Dominus adminiſtravit , & Apoſtolis ſuis adminiſtrandam tradidit . Atqui nullam niſi ſpiritualem , minimè verò civilem , & temporalem , adminiſtravit , & Apoſtolis adminiſtrandam tradidit , cùm ipſemet dicat , Joan. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo* : Ergo . Hanc veritatem firmant ſuprà allati Nicolai Papæ , & D. Athanaſii Textus , quibus conſtat Chriſtum Dominum utriuſque poteſtatis , Civilis nempè , & Eccleſiæ , *officia decreviſſe propria* ; & eos qui officium ſibi non proprium uſurpant *ordinationi divinæ contradicere*.

§. 2. Utrùm nedum actus externi , ſed & interni , Legibus ſubjaceant humanis ?

Not. Actus internus multipliciter ſpectari poteſt : 1. Vel quatenus nullam habet cum externo connexionem , ut oratio pure mentalis ; vel quatenus cum ipſo aliquam habet , ut oratio vocalis ſimul , & mentalis . 2. Actus internus connexionem habet cum externo duplici modò ; accidentaliter , & extrinſecè , ita ut actus externus in genere moris ſine eo ſubſiſtere poſſit , ut oratio facta ad obtinendam vel caſtitatem , vel peccatorum remiſſionem : eſſentialiter , & intrinſecè , ita ut ſine ipſo in genere moris nequeat ſubſiſtere . 3. Actus internus eſſentialem connexionem habere poteſt cum externo ; vel prout neceſſarius eſt , ut actus externus ſit humanus ; id eſt , quod voluntariè & deliberatè fiat ; vel prout neceſſarius eſt , ut actus externus ſit moraliter bonus : His notatis.

Dico I. Lex Civilis præcipere aut prohibere non poteſt actus purè internos , nec eos qui accidentaliter tantum externis ſunt connexi , benè tamen actus internos eſſentialiter externis connexos .

Prob. 1. Pars . Nulla poteſtas præcipere aut prohibere poteſt , niſi ea quæ neceſſaria ſunt ad finem , ad quem inſtituta eſt , aſſequendum : Atqui civilis poteſtas non eſt inſtituta , niſi ad pacem , & tranquilitatem Communitatis conſervandam , quæ ſanè abſque actibus merè internis , aut accidentaliter tantùm exterioribus connexis , obtineri poteſt ; Ergo eos præcipere aut prohibere minimè valet .

Prob. 2. Pars . Qui actum unum poteſt præcipere , poteſt , & alium , ſine quo actus ille ſubſiſtere nequit ; ſed Princeps aut Judex civilis (à fortiori Eccleſiaſticus) præcipere poteſt actum externum , qui abſque actu interno ſubſiſtere nequit . Nam Princeps aut Judex civilis præcipere poteſt , ut quis , v. g. Juramentum præſtet , aut Matrimonium ineat cum puella quam ſeduxit , aut domum , agrum vel officium , quo in Reipub. perniciem abutitur , vendat ; qui actus exter-

externi abſque interno, voluntate nimirum, & intentione, omninò eſſe non poſſunt; Ergo, &c.

Dico II. Lex Canonica nedum actus internos, ſine quibus actus externi moraliter boni eſſe non poſſunt; ſed, & actus internos accidentaliter tantummodò actibus externis annexos, imò, & merè internos verè ac propriè præcipere poteſt aut prohibere.

Prob. 1. Pars. Quarumdam Propoſitionum damnatione, qua conſtat Eccleſiam hos, & ſimiles actus verè, & propriè præcipere. 1. Propoſitio: *Præcepto de Horis Canonicis ſatisfacit, qui voluntariè labiis tantum, non autem mente orat.* Damnata fuit à Clero Gallicano an. 1700. 2. Prop. *Eidem Eccleſiæ præcepto Sacrum audiendi ſatisfit per reverentiam exteriorem tantùm, animo licèt voluntariè in aliena, imò & prava cogitatione defixo.* Ab eodem fuit damnata. 3. Prop. *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Dominici Corporis manducationem.* Damnata ab Inn. XI. 4. Prop. *Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit Eccleſiæ præcepto.* Damnata ab Alex. VII. Ergo verè ab Eccleſia præcipi poſſunt, & præcipiuntur actus interni, attentio, contritio, devotio, &c. ſine quibus actus externi moraliter boni eſſe nequeunt.

Dices. Præceptum eſt non Eccleſiæ, ſed Juris naturalis, & divini, ut dum quis orat, vel Sacro intereſt, vel ad Confeſſionem, aut ad ſacram Synaxim accedit, reverenter, devotè, & attentè hæc omnia peragat.

R. Hoc minus aptè dicitur; cùm de jure naturali aut divino in ſupradictis propoſitionibus nulla ſit quæſtio. Nec enim qui has docuerunt propoſitiones, unquam negare potuerunt aut voluerunt, præceptum eſſe Juris naturalis, & divini, ut ſupradicta debita attentione ac devotione peragerentur, ſive liberè, ſive ex præcepto fierent; ſed immeritò contendebant, per actiones externas indebitè, & abſque neceſſariis actibus internis elicitas præceptis Eccleſiæ ſatisfieri; & id præcisè ab Eccleſia damnatum eſt. Quòd ſi autem per ſolos actus externos, neglectis internis, iis præceptis Eccleſiaſticis non ſatisfit, conſequens eſt actus internos, nedum à Jure naturali, & divino, ſed & ab ipſamet Eccleſia verè ac propriè præcipi.

Prob. 2. Pars. Si Eccleſia Fidelibus jejunium indiceret ad pacem inter Principes Chriſtianos obtinendam, aut ad ſedandam peſtilentiam, iſta intentio eſſet actus accidentaliter actui externo Jejunii connexus. Atqui Eccleſia Fidelibus præcipere poteſt, ut inter jejunandum hanc intentionem Fideles ſibi proponant; Ergo præcipere poteſt actum internum exteriori accidentaliter connexum.

Prob. 3. Pars 1. Ea lex præcipere poteſt quidquid ad finem, ad quem inſtituta eſt, nos conducit: Atqui actus merè interni maximè ad ſalutem æternam, quæ eſt finis proprius Legis Canonicæ, nos conducunt; Ergo eos præcipere poteſt.

Prob. 2. Dum Eccleſia prohibet, ne die Veneris carnem comedamus, prohibet ſimul voluntatem, & propoſitum eam comedendi; ita ut qui efficaciter carnem comedere ſibi in animo proponeret, licet de facto non comederet, peccaret mortaliter contra præceptum Eccleſiæ; Ergo Eccleſia præcipere poteſt actus merè internos.

Dices. Voluntatem carnem comedendi ab Eccleſia quidem prohiberi, non directè, & primariò, ſed indirectè, & ſecundariò, quatenus ſcilicet Eccleſia carnium manducationem prohibere nequit, quin prohibeat ſimul comedendi voluntatem, quæ ad externam comeſtionem reducitur.

R. Si Eccleſia carnium comeſtionem prohibere nequeat, quin prohibeat ſimul comeſtionis propoſitum; Ergo hoc propoſitum verè ac propriè prohibet, ſicut vere ac propriè prohibet realem comeſtionem. Deinde ex hoc ratiocinio ſequeretur voluntatem internam falſum teſtimonium ferendi, verè ac propriè à Deo non prohiberi, quia indirectè tantum inhibetur, quatenus nempè hæc voluntas ad reale falſum teſtimonium reducitur: Unde quemadmodùm voluntas interna falſum dicendi teſtimonium verè ac proprié à Deo prohibetur, quia ipſa ad reale falſum teſtimonium reducitur; ita, & voluntas interna carnes comedendi die Veneris, verè ac propriè ab Eccleſia vetatur, quia hæc in reali comeſtione concluditur.

Prob. 3. In variis Conciliis, ſpeciatim in Trident. in Proœm. ſeſſ. 6. *Diſtrictiùs inhibetur, nè deinceps audeat quiſquam aliter*, nedum *prædicare*, & *docere*, quod opus externum ſpectat; ſed & *credere*, quod actum internum dicit, *quàm præſenti Decreto ſtatuitur, & declaratur*. Et Clem. XI. In ſua Conſtitutione *Vineam Domini Sabaoth* autenticè declaravit obedientiam Conſtitutionibus Inn. X. & Alexand. VII. circa factum Janſenii debitam minime impleri

ri

ri per obſequioſum ſilentium; ſed quemlibet, damnatum in V. Propoſitionibus Libri Janſeniani ſenſum, non ore duntaxat, ſed & corde rejicere ac damnare diſtrictè teneri, nec alia mente aliove animo formulæ ſubſcribi licitum eſſe; Ergo, &c.

Dices. Eccleſia prohibet aliter ſentire aut credere, quatenus id jam à Lege divina vetitum eſt.

℞. 1. Eccleſia non alia ratione prohibet aliter ſentire aut credere, quam aliter prædicare, & docere; Atqui per auctoritatem ſibi à Deo conceſſam verè ac propriè prohiber aliter docere, & prædicare; Ergo, & aliter ſentire, & credere. 2. Ex hac reſponſione ſequeretur Eccleſiam non vere ac propriè inhibere, aliter docere, & prædicare, cùm id lege divina ſit vetitum. 3. Lex Divina prohibet aliter ſentire, & docere, quia præciſè id vetat Eccleſia, cui obſequium omne præſtare nos jubet. Si enim Eccleſia non præciperet, v. g. facto Janſeniano internam fidem adhibere, nulla ex parte legis Divinæ, circa id extaret obligatio. 4. Nihil vetat, quominùs Eccleſia præcipiat, aut prohibeat ſub una ratione, quod jam ſub alia à lege Divina præceptum aut inhibitum eſt. Num quotidie Confeſſarii pro ſatisfactione pœnitentibus mandanr opera exercenda, quæ à lege divina ant Canonica jam ſunt imperata?

Objic. 1. D. Thom. 1. 2. q. 91. a. 4. *De his*, inquit, *poteſt homo legem ferre, de quibus poteſt judicare. Judicium autem hominis non poteſt eſſe de interioribus motibus qui latent, ſed ſolùm de exterioribus qui apparent.*

℞. D. Thom. ibi verba non facere de lege ſecundùm vim directivam, ſeu quatenus actus noſtros regulare ac dirigere poteſt; ad quod non requiritur, ut Legislator de illis judicare poſſit, & ferre ſententiam; ſed de lege ſecundùm vim coactivam, ſeu quatenus debet Legislator delinquentes corrigere, & ad legis executionem urgere; ad quod ſanè requiritur, ut poſſit de actibus ſubditorum ſuorum judicare.

Inſt. Nulla eſt legislativa Poteſtas, niſi ea quæ ad obediendum cogere valet; Ergo ſi lex cogere non poteſt, non eſt vera lex, utpotè inutilis.

℞. Nulla eſt Poteſtas legislativa, niſi ea quæ *de ſe* cogere poteſt, C. quæ *per accidens* non poteſt cogere, N. Poteſtati quippe legislativæ accidentale eſt, quòd cognoſcat aut non cognoſcat legum ſuarum prævaricatores, quos profectò cogere nequit, niſi eos noverit. Unde ſi eos cogere ac punire non poſſit, quia ipſos non novit, id non impedit quominus ſit ſemper vera Poteſtas legislativa; quemadmodùm vera eſſet lex, quæ cuilibet Fideli præciperer, ut ſecretò Pſalterium recitaret, licèt Eccleſia ſcire non poſſet, utrùm à quolibet Fideli recitatum fuiſſet, & per accidens ad illud recitandum ipſum cogere non valeret. Deinde negatur, quòd lex quæ cogere non poſſet, foret inutilis, cùm ad dirigendos ac regulandos ſubditos, quos in conſcientia ligaret, plurimùm conduceret:

Objic. 2. Eccleſia nullam habet Juriſdictionem, niſi in Fidelium viſibilem Societatem; Ergo ejus auctoritas non niſi in actus externos qui viſibilitatem Eccleſiæ conſtituunr, extendi poteſt. ℞. Neg. Conſeq. Siquidem ideò Eccleſia Fidelium Societati Civili actus internos præcipere poteſt, quia ipſi ad finem ſupernaturalem hanc viſibilem Societatem conducunt, non ſecùs ac externi.

ADNOTATIO 10.

(*)

Tertia pars anteactæ Concluſionis, in qua ſtatuitur Eccleſiam actus &c. merè internos, vere, ac propriè præcipere, aut prohibere poſſe, *communiori Theologorum ſententiæ adverſari videtur. Etenim, Doctores non deſunt, qui cum Authore noſtro in Eccleſia talem poteſtatem agnoſcunt; ſed* Benedictus *XIV. ipſis contrarium exiſtimat* D. Thomam, *cum quo negativam laudat ſententiam. Ipſe enim diſſerens de facultate abſolvendi ab hæreſi occulta, ſic ad rem ait lib. 9. c. 4. n. 4.* Eccleſia, ſicuti non poteſt per ſe, directè, & immediatè præcipere, aut prohibere actum merè internum, juxta communem Theologorum ſententiam, quam cum S. Thoma 1. 2. q. 91. a. 4., & q. 100. a. 9. docet Suarez de legib. c. 12. per rot.; ita non poteſt hæreſim, quæ in exteriorem actum non prodit, cenſura perſtringere. *Cum igitur Pontifex ſapientiſſimus* communem *appellet* Theologorum ſententiam, *opinionem illorum, qui talem poteſtatem in Eccleſia non agnoſcunt, ipſi adhærere congruum erit.*

(*)

§. 3. Utrùm modus finiſque Legis cadant ſub præcepto?

Not. SUb hac quæſtione multa complectuntur ad praxim utilia, quænam videlicet actui ſint neceſſaria, ut per eum verè lex adimpleatur; id eſt, utrùm neceſſe ſit. 1. Ur fiat ſcienter, & liberè. 2. Ur fiat ex intentione legem adimplendi.

di. 3. Ut fiat eodem fine quem ſibi Legiſlator proponit. 4. Tandem ut fiat virtuoſè, ita ut ſit actus virtutis.

Dico I. Ad legis impletionem neceſse eſt, ut actus ſcienter, & liberè fiat.

Prob. Quia cùm lex hominibus, non brutis, imponatur, ideoque humano modo ſit adimplenda, impleri minimè poteſt, niſi per actum humanum; id eſt, cum advertentia, & voluntate libera faciendi quod præceptum eſt. Hinc.

Reſol. 1. Qui die Feſto, Sacro intereſt ebrius, aut dormiens, nec ſui compos, præcepto non ſatisfacit.

Reſol. 2. Qui Sacro interfuit, aut jejunavit, prorſus violenter coactus, præceptum minimè adimplevit. Dixi *prorſus violenter*. Siquidem Pueri, licèt Sacro non interfuiſſent, niſi Parentes aut Pædagogi præcepiſſent, ſi tamen cum debita attentione interſint, præcepto ſatisfaciunt, licèt ex aliquo metu id faciant; quia metus non tollit voluntarium ſimpliciter.

Reſol. 3. Recitans Horas ſola voluntate ſtudendi, aut aliquid addiſcendi non ſatisfacit, uti nec ille qui ad Templum ubi Miſſa celebratur, accedit, vel ut ibi amicum præſtoletur, vel ut ibi de negotiis ſuis commodius cogitet, ſi Miſſam audiendi nullam voluntatem haberet. Item non ſatisfacit qui fictè, & ſimulatoriè confitetur, orat, &c. quia hæc omnia non fiunt humano modo.

Dico II. Ad legi vel præcepto ſatisfaciendum, formalis, & expreſſa ſatisfaciendi voluntas minimè requiritur; ſed ſufficit (& requiritur ſaltem) generalis confuſa, & interpretativa intentio. Dixi quòd *ſaltem requiritur*. Nam qui per hunc actum præcepto ſatisfacere nollet, non utique ſatisfaceret.

Prob. 1. Pars. Ex communi praxi Fidelium, qui præcepto ſe ſatisfeciſse arbitrantur, licet formalem hanc intentionem non emiſerint: *Volo tali legi per talem actum ſatisfacere*.

Prob. 2. Pars. Ex effato communi: *Actus hominis ultra intentionem agentis non operantur*. Deinde tenetur quiſque legi ac Legiſlatori ſubjectus eſse; nec illis ſubjectus eſse cenſetur, niſi obedire voluerit, & præcepto ſibi impoſito ſatisfacere.

Reſol. 1. Qui bona fide ac devotè Sacro interfuit neſciens eſse diem Feſtum, præceptum adimplevit; ſuppoſito quòd, ſi interrogatus, utrùm legi ſatisfacere voluiſset, ſincerè reſpondiſset, ſe voluiſse. E contrà, qui ex mera devotione Miſſam audiret, & nollet actu ſatisfacere præcepto, ipſum utique non adimpleret.

Reſol. 2. Clericus, qui jam Horas recitavit, ſed non ea, qua voluit, devotione, & ob id eas repetere propoſuit, ut præcepto ſatisfaciat; licèt poſthac eaſdem iterum, non recitet, nullo peccato tenetur; quia cùm in prima recitatione voluntatem ſaltem interpretativam habuerit, novum ejus propoſitum nihil mutat in actu præcedente.

Dico III. Neceſse eſt ut opus fiat ex fine Legiſlatoris intrinſeco, non autem ex fine extrinſeco.

Prob. 1. Pars. Finis intrinſecus eſt id, de quo Legiſlator intendit legem ferre; ut quis, v. g. jejunet, Miſſam audiat, Horas recitet, &c. Atqui neceſse eſt, uti mox probavimus, quòd quis jejunare, Miſſam audire, Horas recitare velit &c. ut legem adimpleat; Ergo neceſse eſt, ut opus fiat ex fine Legiſlatoris intrinſeco.

Prob. 2. Pars. Finis extrinſecus eſt id quod per accidens intenditur à Legiſlatore; nimirum, quòd Jejunium peragatur, vel ad hanc gratiam à Deo obtinendam, vel ut habitus mortificationis acquiratur, aut charitas augeatur; ſed non requiritur ut Jejunium obſervetur cum tali intentione, niſi expreſsè mandet Legiſlator; Ergo. Prob. Minor ex communi praxi Fidelium etiam timoratorum, qui præcepto ſe probè ſatisfeciſse non dubitant; licèt varios fines, quos ſibi Legiſlator in ferenda lege propoſuerit, non intenderint. Dixi id *expreſsè mandet*, cùm enim Poteſtas Eccleſiaſtica actus internos, uti jam diximus, præcipere valeat; ſi id præciperet, profectò obediendum foret; ideoque non plenè ſatisfacere legi, qui ex alio motivo, licet honeſto, jejunium exerceret.

Dico IV. Modus interior, qui neceſſarius eſt ut actus ſit virtuoſus, cadit ſub præcepto, nec lex Eccleſiaſtica per actum peccaminoſum adimpleri poteſt.

Prob. Auctorit. D. Thom. 2. 2. q. 44. a. 4. *Cùm præcepta*, inquit, *dentur de actibus virtutum, hoc modo aliquis actus cadit ſub præcepto, ſecundùm quod eſt actus virtutis: Requiritur autem ad actum virtutis, non ſolùm quòd cadat ſuper debitam materiam, ſed etiam quòd veſtiatur debitis circumſtantiis; quibus ſit proportionatus tali materiæ*.

Ratio fundamentalis eſt, quia Eccleſia præcipit actus ad ſalutem æternam, & finem ſupernaturalem conducentes; ſed actus ad hunc finem conducere nequeunt, niſi

ſint

ſint virtuoſi; Ergo ab Eccleſia imperantur cum modo neceſſario, ut ſint actus virtutis; Ergo ſi debitè fiant, non ſolùm in legem naturalem, & Divinam, ſed in Eccleſiaſticam peccabitur. Ex quo.

Reſol. 1. Clericus, qui ad templum pergit, & divinum celebrat Officium, principaliter propter retributionem temporalem, præcepto non ſatisfacit, Simoniam committit, & mortaliter peccat. Ita D. Thom. Quodl. lib. 8. art. 11.

ADNOTATIO II.

(*)

Dura forſan videbitur hæc Reſolutio Authoris; at ipſa invenitur in D. Thoma *in terminis. En verba S. Doctoris loc. cit.* utrùm ille, qui vadit ad Eccleſiam propter Diſtributiones, aliàs non iturus, peccet? *ſic ſe habet titulus Articuli, cui ſtatim ſubdit reſolutionem dicendo:* Ad primum ſic proceditur. Videtur quod ille, qui vadit ad Eccleſiam propter diſtributiones, aliàs non iturus, peccet. Ipſe enim videtur ponere Obſequium Divinum, quod eſt impretiabile, ſub pretio rei temporalis: ergo committit Simoniam: & ita videtur quod mortaliter peccet. *In reſponſione autem ad objectionem ſibi factam de Vovente bona intentione, cujus poſtea voluntas mutetur, ita ut invitus faciat, quod vovens liberè promiſit, ſic magis elucidat, & confirmat propriam ſententiam:* In prædicto caſu diſtinguendum eſt. Si enim hujuſmodi Diſtributiones recipit quaſi finem ſui Operis principaliter intentum, Simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem, Deum in tali actu; ad hujuſmodi autem diſtributiones reſpicit ſecundariò, non quaſi in finem, ſed ſicut in id, quod eſt neceſſarium ad ſuam ſuſtentationem, conſtat, quod non vendit actum ſpiritualem, & ita Simoniam non committit, nec peccat. Sic enim acceptio diſtributionum non erit cauſa quare ad Eccleſiam vadat; ſed propriè hujuſmodi determinatio quare nunc vadat, & non alia vice.

Major difficultas inſurgit circa primam partem Reſolutionis, in qua ſtatuitur, quod pergens ad Templum cum ſupradicta animi diſpoſitione præcepto non ſatisfacit recitandi D. Officium; cum hoc non inveniatur in loco citato D. Thomæ. *Nihilominus, hoc ſcitè Author deduxit ex propriis præjactis principiis, ut legenti patebit. Videtur enim ſupponere, quod talis ita diſpoſitus, materialiter tantum recitet Officium, & abſque illis diſpoſitionibus internis, quæ neceſſariæ ſunt, ut totaliter, & cum merito præcepto ſatisfiat. De cætero, ſi ſic diſpoſitus, cum debita attentione, & reverentia Officium nihilominus recitet, dicendum videtur, quod ſatisfaciat eſſentialiter præcepto, licet aliunde deficiat, & peccet proptor ſcilicet, defectum puritatis intentionis. Et ſic intelligendus eſt Author in dicta Reſolutione.*

(*)

Reſol. 2. Non ſatisfacit præcepto Miſſam audiendi, qui Sacro intereſt principaliter ad videndum, aut alloquendum pulchram mulierem. Ita D. Anton. 2. part. Titul. 9. c. 10.

Reſol. 3. Nec præceptum eleemoſynæ adimplevit, qui ipſam largitus eſt principaliter propter auram popularem, aliumve pravum finem: Et ſic dicendum de cæteris. Utrùm autem ad legis impletionem requiratur ut actus fiat ex motivo charitatis, de hoc alibi opportuniùs, & fuſiùs. Interim obiter eſt.

Obſervandum, quòd licet D. Thom. meritò doceat non impleri formaliter præceptum ullum, niſi per actum virtutis: non tamen ad id ſemper requiritur, ut fiat ex motivo charitatis, ſi lex aut præceptum à præcepto charitatis ſit diſtinctum; cùm opus abſque charitate elicitum poſſit adhuc eſſe ſuo modulo honeſtum ac virtuoſum. Id expreſsè docet S. Doctor. 1. 2. q. 100. a. 10. ubi dicit modum charitatis cadere quidem ſub divinæ legis præcepto, quod ſpecialiter de Dilectione Dei, & proximi datur, non autem ſub cæteris præceptis. Ita ut in hoc præcepto, *Honora Patrem tuum*, non includatur quòd honoretur ex charitate, ſed ſolùm, inquit S. Doct. quòd honoretur Pater:

QUÆR. An, & quomodò per unum actum ſatisfieri poſſit pluribus legibus ſeu obligationibus?

℞. Id poſſe fieri, ſi obligationes illæ in unum eumdemque realiter actum cadere poſſunt; id eſt, ſi idem realiter actus diverſarum virtutum poſſit eſſe materia: Ex quo.

Reſol. 1. Sacerdos Beneficium poſſidens per unam Horarum recitationem duabus ſimul obligationibus ſatisfacit. Item qui die Feſto, in quo dies Dominica incidit, unam tantùm Miſſam audit, per hanc diverſa implet præcepta; nec alteram audire tenetur, & cætera hujuſmodi.

Reſol. 2. Poteſt quis eodem tempore Miſſam die Feſto præceptum, & ſimul Horas recitare, vel alias preces voto, aliave ratione, ſibi impoſitas.

℞. 2. Non poſſe per unum realiter actum pluribus obligationibus ſatisfieri, dum eæ non cadunt in unum eumdemque realiter actum, ſed in plures realiter diſtinctos. Id quod triplici ex capite dignoſcitur. 1. Vel quia unius actus poſitio, alterius poſitionem præpedit. 2. Vel quia duæ ſunt ejuſdem vir-

virtutis obligationes. 3. Vel quia talis eſt expreſſa, aut præſumpta Legislatoris intentio.

Ex primo capite, *Reſolvitur*, non ſatisfieri præcepto Sacrum audiendi, dum tempore Sacri peccata ſua quis confitetur; Quia Confeſſio attentionem ad Sacrum neceſſariam impedit, nec ex propria ſua ratione ad orandum inſtituta eſt.

Ex ſecundo capite, *Reſolvitur* 1. Si quis duo vota unum poſt aliud, tempore diverſo, emiſerit, Coronam v. g. B. V. recitandi, huic duplici voto non ſatisfacit per unius Coronæ recitationem, ſed alteram recitare tenetur.

Reſol. 2. Qui alteri ex pluribus obligationibus debet centum, nempè ex promiſſo, & ex damno illato, non ſatisfacit, ſi ſemel det centum.

Reſol. 3. Non ſatisfacit præcepto Confeſſionis, & Communionis annuæ pro annis duobus per duas Confeſſiones, & Communiones factas ſub finem anni præcedentis, nec præcepto Horas recitandi ſingulis diebus per recitationem factam intra tempus quoddam utrique diei commune; videlicet ad Veſperum diei præcedentis, quo ſcilicet licitum eſt recitare Matutinum ad diem ſequentem, ad quod ſpectat hujuſce propoſitionis damnatio ab Alex. VII. proſcripta: *Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.*

Reſol. 4. Qui tenetur duas Miſſas audire, non ſatisfacit duas quæ ſimul celebrantur in diverſis Altaribus audiendo: *nec ſatisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes ſimul à diverſis Celebrantibus audit*, ut definivit Innoc. XI.

Ex tertio capite, *Reſolvitur* 1. Qui ex voto; & præcepto Eccleſiæ jejunare tenetur, per unum Jejunium minimè ſatisfacit; quia plerumque non hæc eſt mens voventis.

Reſol. 2. Qui ex præcepto Eccleſiæ ſimul, & ex pœnitentia à Confeſſario impoſita jejunare, aut Miſſam audire tenetur, per unum Jejunium, & unius Sacri auditionem non ſatisfacit; quia, regulariter loquendo; Confeſſor pœnitentiam non imponit, niſi de opere ab omni alia obligatione libero, niſi aliter fuerit expreſſum. In dubio autem præſumendum eſt actum diverſum fuiſſe præſumendum, quia ſic communiùs accidit.

QUÆSTIO IV.

Utrùm neceſſaria ſit, & ſufficiat Legis promulgatio, ut vim obligandi habeat.

HUjuſce quæſtionis ſenſus eſt non ſolùm utrùm promulgatio ſit de eſſentia legis, ſed utrùm per ſolam promulgationem vim obligandi habeat, independenter à ſubditorum acceptatione; ſit igitur,

ARTICULUS I.

Utrùm promulgatio ſit Legi eſſentialiter?

Not. DUplici ratione concipitur promulgationem eſſe de eſſentia legis, vel quatenus eſſentialem, & intrinſecam legis rationem non habet abſque promulgatione, vel quatenus ſine eà ſubditos obligare non poteſt.

Dico I. Promulgatio eſt de intrinſeca, & eſſentiali ratione Legis.

Prob. 1. Illud eſt de eſſentia alicujus rei, quòd in ejus eſſentialem definitionem ingreditur: Promulgatio autem in definitionem legis eſſentialem ingreditur juxta omnes Theologos. Ergo. 2. Lex eſt eſſentialiter Legislatoris imperium. Atqui nullum eſt Legislatoris imperium, niſi realiter quibuſdam imperet, nec ipſe realiter imperat niſi per promulgationem: Ergo. 3. Nulla eſt lex, quæ non liget aut ſaltem ligare poſſit, ſed nec ligat lex; nec ligare poteſt, aut vim ligandi habet, juxta omnes, abſque promulgatione: Ergo.

Obj. Lex ſe habet per modum Regulæ, & promulgatio per modum ejuſdem applicationis: Atqui Regulæ applicatio non eſt de eſſentia Regulæ; Regulam quippe præſupponit in ſuo eſſe jam conſtitutam: Ergo, &c.

℞. Diſt. Maj. Lex ſe habet per modum Regulæ, quæ datur ad regulandum, C. quæ non datur, N. Non datur autem lex ad regulandum, niſi mediante promulgatione, nec eſt Regula niſi quatenus regulat aut regulare poteſt: Atqui non regulat aut regulare poteſt, niſi promulgetur; Ergo promulgatio eſt de eſſentia legis, etiam quatenus eſt Regula.

Dico II. Lex obligandi vim non habet, niſi fuerit ſufficienter promulgata.

Prob. Auctoritate, & ratione D. Thom. 1. 2. q. 90. a. 4. ubi dicit legem imponi aliis per

per modum Regulæ, & menſuræ. *Regula autem*, inquit, *& menſura imponitur per hoc quod applicatur his quæ regulantur, & menſurantur; unde ad hoc quod lex virtutem obligandi habeat, quod eſt proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui ſecundùm eam regulari debent*. Et hanc ſententiam ſuam, quæ communis eſt omnium Theologorum, firmat S. Doctor Gratiani auctoritate, Diſt. 4. Cap. in iſtis, dicentis *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur*.

Obj. Lex obligat nedùm eos quibus jam innotuit, ſed, & eos quibus eſt incognita; Ergo promulgatio, per quam lex ſubditis innoteſcit, non eſt neceſſaria.

℞. Diſt. Ant. Lex ſufficienter promulgata obligat eos quibus eſt incognita in actu primo; id eſt, vim habet eos obligandi, C. in actu ſecundo; id eſt, actualiter, N. Deinde iterum Diſtinguo etiam Conſeq. Non eſt neceſſaria promulgatio, per quam lex cuilibet ſubdito in particulari innoteſcat, C. per quam ipſi facilè innoteſcere poſſit, N. igitur eo ipſo, quo lex ſic eſt promulgata, ut cuilibet particulari facilè innoteſcere poſſit, omnes quidem obligat ſive ſcientes, ſive ipſam invincibiliter ignorantes, ſed diverſimode: Scientes obligat actualiter; & invincibiliter ignorantes virtualiter tantùm, non actualiter, quia nullus ad impoſſibile tenetur. Porrò lex dicitur virtualiter obligare, etiam ipſam ignorantes; quatenus per ſufficientem promulgationem cauſat in omnibus ſubjectis debitum quoddam morale, ſimile aliis debitis mortalibus Juribus, nimirum, dominiis, &c. quæ in nobis poſſunt oriri per ſolam alterius actionem, aut voluntatem nobis etiam ignorantibus. Ut patet in legibus contractus aut electiones irritantibus, quæ licet à contrahentibus electoribus, & electis ignorentur, nulli tamen ſunt contractus, & electiones ſunt irritæ, ſi contra legis diſpoſitionem fiant.

Dico III. Novæ leges nedùm Civiles, ſed & Pontificiæ, & Canonicæ, vim obligandi non obtinent in Regnis, & Provinciis, ubi ſpecialiter promulgatæ non fuerunt, nec ſufficit quòd in Curia facta fuerit promulgatio.

Prob. De legibus Civilibus. 1. Ex omnium Regnorum praxi, qua conſtat hanc ſemper, & ubique fuiſse Principum ſollicitudinem, ut in omnibus ſuarum ditionum locis præcipuis leges à ſe latæ proponerentur. 2. Hoc expreſsè definitum eſt in Authentica *Ut factæ novæ Conſtitutiones*, quæ eſt 66. inter Novellas Juſtiniani, in qua ſtatuitur novas Conſtitutiones non obligare, niſi in ſingulis Imperii Provinciis promulgentur. 3. Ex perenni Galliarum conſuetudine, ubi leges Civiles non obligant, niſi primùm ad varia Regni Parlamenta mittantur: Deinde ad Seneſchallos, per quos iterum in ſingulis Provinciis promulgantur. Defectu cujus ſpecialis promulgationis nonnullæ leges Gallicanæ robur obtinent in una Provincia, quod non habent in altera.

Prob. De legibus Pontificiis, & Canonicis. 1. Leges Civiles non obligant in Provinciis, ubi ſpecialiter promulgatæ non fuerunt, ut mox dictum eſt; Ergo nec Pontificiæ, & Canonicæ. Patet ſequela; quia dum in Jure Canonico nihil circa quidpiam ſtatutum eſt, ſervandum eſt Jus Civile modò Juri Canonico non adverſetur; uti legitur, C. 1. *Sicut Leges* de novi operis nuntiatione, Et C. *Si in adjutorium*, Diſt. 10. ubi habetur leges Imperiales in adjutorium Eccleſiæ aſsumi poſse. Et Gloſsa ibidem ait: *Ubi deſunt Canones, leges citari poſſunt*: Atqui circa legum Canonicarum promulgationem in ſingulis Provinciis faciendum nihil in Jure Canonico ſtatutum eſt; Ergo circa eamdem ſtandum eſt Juri Civili.

Prob. 2. Non eſt potior ratio, cur leges Civiles in ſingulis Provinciis promulgari debeant, quàm leges Pontificiæ, & Canonicæ, imò longè magis neceſsaria videtur iſtarum, quàm illarum, in ſingulis Provinciis promulgatio; Ergo. Ratio potiſſima, cur leges Civiles in ſingulis Provinciis ſunt promulgandæ eſt, quia alioquin hæ leges non cenſerentur in notitiam ſubditorum ſufficienter pervenire poſse ob nimiam Imperii latitudinem; nimiſque durum videretur, minuſve humanæ fragilitati accommodatum, ſubditos obligare ſtatim poſt factam in Regia promulgationem; Atqui hæc ratio longè gravius urget erga leges Canonicas, & Pontificias; tum quia ditio Eccleſiaſtica latiùs patet quàm quælibet Civilis; tum quia jugum Eccleſiæ ſuavius ac levius eſse debet, quàm jugum Principum. Ergo, &c.

Prob. 3. Ex conſtanti ac perpetua Eccleſiæ praxi; qua conſtat omnium legum, etiam in Conciliis Generalibus editarum, promulgationem omni cura atque diligentia fuiſse peractam: De quo innumera propemodùm omnium Eccleſiæ ſæculorum exempla hìc adduci poſsent, à Concilio Jeroſolymitano primo, ubi Apoſtoli, Decretum à ſe editum conſeſtim miſerunt his qui

erant Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ per Judam, & Silam, uſque ad Tridentinum, in quo ſtatutum eſt, ut Dectetum ejus de reformatione Matrimonii omnibus Ordinariis, quantociùs populo publicandum tranſmitteretur, & hujuſmodi, Decretum robur ſuum ubique habiturum poſt dies triginta à die primæ promulgationis factæ.

Ex his & ſimilibus exemplis, quæ hic referre non patitur brevitas propoſita, ſic argumentari licèt. Vel hanc promulgationem neceſsariam fuiſse arbitrati ſunt Majores noſtri, vel non. Si non ſunt arbitrati, cur tanta ſollicitudine hanc fieri curabant? Si ſunt arbitrati ſuo tempore neceſsariam eſse, cur non nunc temporis, cum hujuſce ævi Eccleſia non majoti quàm in prioribus ſæculis auctoritate polleat?

Prob. 4. Plurimæ extiterunt, & modo extant leges Canonicæ, quæ ſolo promulgationis defectu robur non habent in quibuſdam Provinciis, quod obtinent in aliis. Bulla Cœnæ viget in Hiſpania, Belgio, Italia, &c. quæ tamen in Gallia, Polonia, &c. minimè viget. Conſtitutio Pii V. *Sicut ad Sacrorum*, qua Pontifex pronuntiat Concil. Trident. ubique obligare, etiam quoad ea quæ diſciplinæ reformationem ſpectant, nulla auctoritate præſtat in Gallia, Germania ſuperiore & Polonia. Imò certum eſt Matrimonia clandeſtina non eſse irrita in pluribus orbis Chriſtiani partibus, ubi Concilium Tridentin. nondum fuit promulgatum.

Obj. 1. Curiæ Romanæ Præſules totius orbis Chriſtiani lites dirimunt juxta Romanos uſus, licèt tales uſus in Provinciis non fuerint promulgati; Ergo ſupponunt omnes Chriſti Fideles adſtringere per ſolam Romæ peractam promulgationem.

℟. Nego Romanos Judices Gallis, Anglis, Polonis, &c. jus dicere juxta leges apud has Nationes non promulgatas. Si enim in Curia Romana ſupponeretur has leges & uſus omnes Chriſti Fideles adſtringere, Summ. Pontifex cauſas Romam evocatas non remitteret, ut plerumque contingit, ad harum Regionum Archiepiſcopos aut alios; cùm probè ſciat ibi jus non dici, niſi ſecundum leges, quæ ibidem fuerunt promulgatæ. Deinde ſi Romani Præſules jus dicant diſſitis Roma Provinciis ſecundùm Romanos uſus, ſupponunt hujuſcemodi uſus in his Provinciis vigere & promulgatos fuiſse. Siquidem moraliter eſt impoſſibile, ut omnium Regionum atque Provinciarum uſus particulares perfectè calleant.

Obj. 2. Multa ſunt in Gallia, quæ vim obligandi obtinent, licèt in ipſa non fuerint promulgata.

R. Diſt. Licèt non fuerint promulgata formaliter, ſed fuere virtualiter, C. quæ nec formaliter, nec virtualiter promulgata fuerunt, N. Virtualiter autem leges Canonicæ in Regno promulgantur duplici ratione. 1. Quia in Regiis latæ ſunt Conſtitutionibus, qualis eſt, v. g. lex, quæ Matrimonii contractum ſpectat, quæ in Bleſenſibus Commitiis lata extitit. 2. Per univerſam Populorum acceptationem, quæ in promulgationis vicem tranſit, vel ſaltem æquale robur obtinet.

Obj. 3. Si legis Pontificiæ requireretur promulgatio in ſingulis Provinciis, vel id ex defectu poteſtatis, vel defectu voluntatis Summorum Pontificum oriretur. Non primum, cùm Pontifices in univerſa Eccleſia ſuprema auctoritate leges condendi polleant & ubique Gentium fidelem Populum ligandi. Non ſecundum, quia ſæpius in Bullis ſuis proteſtantur, *ſe velle, ut Bullæ ſuæ poſt promulgationem Romæ factam omnes ubique obligent, perinde ac ſi eſſent perſonaliter intimatæ.*

℟. Id ex defectu poteſtatis non oritur; cùm leges Civiles obligandi vim non habeant, niſi fuerint in ſingulis Provinciis promulgatæ, licèt Reges in Regno ſuo, non ſecùs ac Pontifices in Eccleſia, ſuprema auctoritate polleant. Sed id deſumendum eſt 1. Ex ipſa natura legum quæ humanæ fragilitati ſingularumque Nationum genio debent eſſe accommodatæ. 2. Ex defectu voluntatis Summorum Pontificum, qui cùm probè ſciant ſibi datam eſſe poteſtatem à Chriſto Domino non *in deſtructionem, ſed in ædificationem*, cujuslibet Regionis uſus receptos potiùs auctoritate ſua tueri, quàm violenter, nec ſine populorum perturbatione atque diſcordia, ſubvertere cogitant. Quòd autem Summi Pontifices non intendant leges ſuas in ſingulis Provinciis non promulgatas omnes Nationes, apud quas vigent uſus contrarii, obligare, patet 1. Quia adversùs eos qui his legibus colla non ſubmittunt, tamquam adversùs contumaces, nunquam reclamaverunt. 2. Quia Theologos, qui hanc noſtram ſententiam ſuper tecta prædicaverunt nè minima quidem cenſura unquam perſtrinxerunt.

Obj. 4. Eccleſiæ definitiones, quæ aut fidem, aut mores ſpectant, in his etiam obligant Provinciis, ubi ſpecialiter promul-

gatæ

atæ non fuerunt: Ergo à pari ea, quæ ad diſciplinam pertinent.

℞. Neg. paritatem, & diſparitas eſt, quòd definitiones, quæ fidem, & mores ſpectant, nihil novi contineant, ſinique juris naturalis ac divini jam ſufficienter promulgati declarationes: Unde promulgatione non opus eſt, modò conſtet ſic ab Eccleſia eſſe declaratum.

QUÆR. 1. Quomodò Leges promulgantur?

℞. Leges diverſimodè promulgari juxta legum diverſitatem. 1. Lex naturalis, quæ legis æternæ emanatio eſt, atque effluvium juxta D. Thom. 1. 2. q. 70. a. 4. cenſetur nobis promulgata fuiſſe, lumine quodam naturalis nobis ab ipſomet Deo indito per modum habitus, quo ſenſu Apoſt. dicit Rom. 2. *legem naturalem ſcriptam eſſe in cordibus noſtris*.

1. Lex Divina modis totidem promulgari poteſt, quot Deus voluntatem ſuam nobis poteſt exponere. 1. Per internam revelationem, ut dum Spiritus Jeſus ſegregari juſſit Saulum, & Barnabam ad opus ad quod aſſumpſerat eos. 2. Per externam locutionem abſque ſolemnitate, ut dum Chriſtus mandata ſua tradidit Apoſtolis. 3. Per externam revelationem ſolemnitate adhibita, ut dum Legem Moſaicam Judæis in monte Sinai, & Evangelicam in Die Pentecoſtes novis Chriſtanis intimavit.

3. Legem humanam publicè ac ſolemniter promulgari neceſſe eſt, ut vim obligandi obtineat. Unde licèt omnes ſubditi probè ſcirent, legem eſſe conditam, & ſcriptam, imò, & ſigillo publico munitam, ad eam tamen non tenerentur, poſſentque perinde ſe gerere ac ſi nulla prorſus foret, donec ritu ſolemni juxta morem Patriæ promulgaretur. Ratio eſt, quia cùm Principes leges condendi poteſtate non præſtent, niſi quatenus perſonæ publicæ, idcò ſubditos obligare minimè cenſentur, niſi ſolemni atque publica cæremonia id peragere videantur. E contrà, cùm Deus ſummam atque omnimodam in nos de ſe poteſtatem habeat, ſufficit quòd de ejus voluntate conſtet, ut ad eam adimplendam diſtrictè adſtringamur.

QUÆR. 2. Utrùm leges revocatorias, & irritatorias promulgari neceſſe ſit?

℞. 1. Lex prioris legis revocatoria promulgari debet, niſi lex prior fuerit oneroſa. Ratio eſt, quia lex revocatoria rationem legis non minùs obtinet quàm quævis alia lex, cùm ſubditos regulandi, & obligandi vim habeat; Ergo non ſecus ac aliæ leges promulgatione indiget. Dixi, *niſi lex prior fuerit oneroſa*. Nam.

℞. 2. Nullam requiri promulgationem in legum oneroſarum revocatione, & eo ipſo quo hæc revocatio exteriùs declaratur, etiam uni perſonæ, ſubditos id reſcientes ab illo onere abſolvi, juxta illud juris effatum *in favorabilibus neceſſaria non eſt promulgatio*. Hinc.

Reſol. 1. Concil. Tridentini Decretum; quo Matrimonii impedimenta ad numerum pauciorem contracta ſunt, ubique terrarum robur obtinet. Item plurimæ facultates quę in eodem Concilio Epiſcopis largiuntur, validæ ſunt, licèt in ſingulis Provinciis Concilium non ſit promulgatum; quia hæc impedimenta in Matrimonii celebratione inducta fidelibus Populis erant oneri, ſicut, & Epiſcopis ſubductio ſuarum facultatum, quæ jure communi ipſis competebant.

Reſol. 2. Promulgationem non requiri in Privilegii odioſi revocatione; id eſt, quod juri communi adverſatur, aut alteri nocet; benè quidem in revocatione Privilegii favorabilis, quod præter, & ultra jus commune dicitur, & conceditur abſque ullo alterius præjudicio. Ratio utriuſque eſt, quia Privilegii odioſi revocatio inter res favorabiles nuncupatur, & revocatio Privilegii favorabilis inter odioſas. Siquidem odioſum videtur alicui ſubtrahere Beneficium, quod nulli nocet: Deinde res ſic ſe habere conſuetudo obtinuit, & hæc videtur eſſe mens Principum, & Pontificum.

ARTICULUS II.

Utrùm præter legis promulgationem requiratur, ut lex obliget, populi conſenſus & acceptatio?

Not. DUpliciter legem poſſe non acceptari. Primo modo, dum Populus legem reſpuit ſtatim poſt ejus promulgationem: ſecundo modo, dum è longa Populi deſuetudine abrogatur. Nulli dubium eſt, quin lex humana quælibet longa Populi deſuetudine abrogari poſſit; ſed ſolummodò quæritur, utrùm lex à Populorum conſenſu ita pendeat, ut vim obligandi non habeat, ſi à majori & ſpectabiliori parte Populi reſpuatur.

Dico. Nullæ leges tum Civiles, tum Pontificiæ, Populorum acceptationem requirunt, ut eos obligandi vim obtineant.

Prob. 1. Ex iis tum Scripturæ, tum Patrum

trum teſtimoniis, quibus jam probavimus Poteſtates tum Civiles, tum Eccleſiaſticas condendi leges, quæ ſubditos adſtringunt, auctoritatem habere. Si enim hæc auctoritas non niſi volentes & conſentientes adſtringeret, & contumaces cogere non poſſet, proculdubiò vana prorſus, atque inutilis foret.

Prob. 2. *Omnis anima*, inquit Apoſt. *Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit:* Atqui non eſſet ſubdita, ſi juſtas leges à Poteſtatibus latas pro libitu reſpuere poſſet; imò ipſiſſimet Poteſtatibus ſublimioribus ſublimior eſſet; cùm ille profectò ſublimior ſit, qui legem confirmandi, quàm qui inſtituendi auctoritate prævalet.

Prob. 3. Si Populus legem à Poteſtatibus ſublimioribus conditam, & promulgatam abſque culpa reſpuere poſſet, ſequeretur Poteſtates injuſtè & peccaminosè Populum urgere, & pœnis graviſſimis compellere ad legis juſtæ executionem: Abſurdum conſequens, ergo & antecedens.

Prob. 4. Ex iſtius Prop. damnatione ab Alex. VII. *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam*. Item ex damnatione iſtius Lutheranæ, quam Pariſienſis Facultas, tanquam ſeditioſam, ac in fide & moribus erroneam, damnavit; *Neque Papa, neque ullus hominum habet jus unius ſyllabæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat ejuſdem conſenſus*. Atqui Populus abſque ulla cauſa legem reſpueret, ſi lex eſſet juſta, ut ſupponitur eſſe; lex enim injuſta non obligat; Ergo, &c.

Obj. 1. Poteſtas legiſlativa à Communitate derivatur; Ergo nulla eſt lex, ubi repugnat Communitas.

℟. Poteſtas legiſlativa à Communitate derivatur in Regimine Democratico, quod Populi ſuffragiis adminiſtratur, C. in Regimine Monarchico quod ab unius arbitrio, aut Ariſtocratico quod à Magnatum arbitrio immediatè pendet, N. Siquidem conſtat ex Scriptura ſupremam legum condendarum auctoritatem, qua pollent Reges ac Principes, ipſis à Deo fuiſſe collatam. Prov. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*. Et Sap. 6. *Data vobis eſt poteſtas, & virtus ab Altiſſimo*. Quod utique potiori jure de Sum. dicendum eſt Pontificibus, qui leges ferendi poteſtatem immediatè ſuſceperunt à Chriſto Domino; dicendo Petro & Succeſſoribus ejus: *Paſce oves meas, & quodcumque ligaveris ſuper terram*, &c. nulla facta populi conſenſus mentione. Deinde licèt legiſlativa Poteſtas à Communitate derivaretur, inde minimè ſequeretur Principes leges condere non vere abſque Communitatis conſenſu. Siquidem abſurdum eſt dicere Rempublicam ita auctoritatem in Principem tranſtuliſſe, ut ſibi facultatem non obediendi ei reſervaverit: Alioquin Principes potius Conſultores, quam Principes ac Domini dicerentur.

Obj. 2. Illud Gratiani Cap. *in iſtis* Diſt. 4. *Leges inſtituuntur, quando promulgantur: Firmantur, cùm moribus utentium approbantur*. Et Leg. *de quibus* §. de legibus: *Leges nulla alia ex cauſa nos tenent, quàm quod judicio populi receptæ ſunt*.

R. Ad 1. Leges firmantur cùm moribus utentium approbantur, quatenus firmitatem majorem per hunc uſum nanciſcantur, C. quatenus abſque eo nullam vim obligandi obtineant, N. Leges enim veræ ſunt leges, cùm inſtituuntur; & ex Gratiano *inſtituuntur, cùm probantur*. Ad 2. Reſp. hoc non dici de legibus à ſupremis Principibus latis, ſed de his quæ in Republica libera feruntur, prout olim Romæ condebantur à Senatu Populoque Romano.

Obj. 3. Lex jam lata, & uſu firmata, per Populi deſuetudinem poteſt ampliùs non obligare; Ergo à fortiori dum primùm fertur, non obligat, ſi uſu non recipiatur.

℟. Diſt. Non obligat per deſuetudinem rationabilem, accedente nimirum ſuperioris conſenſu expreſſo, vel tacito, C. per deſuetudinem irrationabilem, & arbitrariam, N.

Obj. 4. Lex à majori, ac ſpectabiliori parte Populi non recepta inutilis eſt atque nociva; Ergo non eſt vera lex, cujus ratio eſſentialis eſt, quòd ſit in bonum commune. ℟. Diſt. Eſt nociva ex Populi malitia, qui ideò peccat eam non recipiendo, C. ex ſe N.

Inſt. Atqui fieri poteſt legem eſſe nocivam, non ex Populi malitia, ſed quia vel receptæ conſuetudini eſt contraria, vel quia temporum opportunitati, aut Populorum geniis ac moribus non convenit; vel quia, licèt de ſe juſta ſit, valdè tamen gravis atque dura videtur ſaniori Communitatis parti.

℟. In his, & ſimilibus caſibus præſumendum eſſe Legiſlatorem, maximè Eccleſiaſticum, cui non data eſt poteſtas in deſtructionem, ſed in ædificationem, minimè Populum adſtringere velle ante legis ſuæ acceptationem, nec legem ſanxiſſe cum abſoluta ſtatim ligandi intentione, ſed tantummodò

tummodò Populi diſpoſitionem experiendi. Id multi teſtati ſunt Pontifices, & in plurimis receptum eſt Provinciis, maximè in Gallia, ubi ipſiſmet Pontificibus annuentibus, aut ſaltem tacitè conſentientibus, novæ leges uſibus ac moribus noſtris minùs accommodatæ executioni non mandantur. Hic obiter.

Obſerv. Quòd licèt graviter peccent ſubditi, legem ſtatim non acceptando abſque rationabili cauſa à Legiſlatore approbanda, poſtmodùm tamen ad illius obſervationem non tenentur, ſi Legiſlator inobſervatæ legis conſcius, tranſgreſſiones, quas facili negotio reprehendere poſſet, diſſimulat; quia tunc cenſetur nolle ampliùs ad legem adſtringere. Imò ſi ipſomet Legiſlatore inſcio, lex à majori ac ſaniori parte Communitatis non ſervetur, poſt legitimam præſcriptionem decem annorum pro lege Civili, & quadraginta pro Eccleſiaſtica, ampliùs non obligare cenſenda eſt.

QUÆSTIO V.

Quinam, & qua ratione legibus adſtringantur humanis?

CUm certum ſit atque indubitatum omnes omnibus legibus, & pari modo non adſtringi, inquirendum incumbit. 1. Quis legi humanæ ſit ſubditus. 2. Utrùm omnis lex obliget in conſcientia.

ARTICULUS I.

Quis humanæ legi ſit ſubditus?

DE multis quæritur utrùm legibus humanis ſubjiciantur. 1. De ipſo Legiſlatore. 2. De Infidelibus, Infantibus, Pueris adoleſcentibus, & ratione carentibus. 3. De Clericis. 4. De Peregrinis ac forenſibus: quæ omnia ſequentibus Paragraphis expendemus.

§. 1. *Utrùm Legiſlator legibus ſuis teneatur.*

Not. DUplicem eſſe Legiſlatorem. Primus ſingularis, & abſolutus dicitur, qui ſolus leges ferendi poteſtate gaudet, nec ad hoc Communitatis conſenſu indiget, ut Papa, Rex, & Epiſcopus in ſua Diœceſi. Secundus dicitur non abſolutus, qui hac non gaudet poteſtate, indigetque in ferendis legibus Communitatis aſſenſu, quales ſunt in Eccleſia Prælati Religionum in Capitulo, & Epiſcopi Præſidentes in Conciliis; & in Civili Republica Duces, Prætores, & Conſules. De iſtis Legiſlatoribus non abſolutis, dubium non eſt, quin legibus latis in Capitulis, Conciliis, aut Comitiis teneantur, cùm ſint iiſdem inferiores; At circa primum Legiſlatorem.

Dico Legiſlator ſupremus in conſcientia tenetur ſuis legibus quas decenter ſervare poteſt, non quidem quoad vim coactivam, benè tamen quoad directivam.

Prob. 1. Pars. Quia vis coactiva ſupponit Juriſdictionem in eum qui cogitur: Atqui nullus in ſeipſum Juriſdictionem habere poteſt; Ergo.

Prob. 2. Pars. 1. Ex Chriſto Domino Phariſæos increpante, quod aliis imponerent onera gravia, quæ digito ſuo movere nolebant. 2. Ex D. Amb. Epiſt. 32. ad Valent. Imper. *Quodcumque*, inquit, *præſcripſiſti aliis, præſcripſiſti etiam tibi; leges enim Imperator fert quas primus ipſe cuſtodiat.* 3. Non minùs turpe eſt caput à membris diſcordare, quàm membra à Capite; nec minus Legiſlatores, quàm ſubditi, ad bonum commune, pro quo leges ſunt conditæ, promovendum tenentur.

Dixi 1. in concluſione, *legibus quas decenter ſervare poteſt.* Sic Rex non tenetur legibus, quibus inhibuit pretioſis uti veſtibus, aut arma ferre, & cætera hujuſmodi.

Dixi 2. in conſcientia, non quidem ex vi legis humanæ; ſed legis naturalis jubentis, ut caput membris ſuis concordet; & quidem ſub mortali, ſi gravis deformitas, grave ſcandalum, vel gravis proximo injuria inde ſequeretur, ut contingere poteſt in contractibus, pretiis mercium taxatis, & cæteris hujuſmodi. Hinc.

Reſol. Epiſcopum, v. g. qui ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ Clericis ſuis tabernas inhibuit, cenſuram quidem non incurrere, ſed graviter peccare, ſi tabernas frequentet.

§. 2. *Utrùm Infideles, infantes, Pueri, & ratione carentes, legibus adſtringantur.*

Not. 1. INfideles duplici ſunt generis; vel enim Baptiſmo ſunt donati, ut Hæretici; vel Baptizati non ſunt, ut Pagani, Judæi, & Turcæ. Item rationis uſu carentes; vel illo nunquam uſi ſunt, ut Infantes, & perpetuò amentes; vel illo aliquando ſunt uſi, ſed hic, & nunc deſtituuntur,

tur, ut ebrii, dormientes, & ad breve tempus delirantes. De his omnibus eſt quæſtio.

Not. 2. Hominis ætates dividuntur in Infantiam, Pueritiam, Pubertatem, Adoleſcentiam, Virilem ætatem, & Senectutem. *Infantia* primum ſeptennium communiter complectitur. *Pueritia* ſecundum ſeptennium in Maſculis comprehendit, & in Fœminis ad annum duodecimum terminatur; & ibi incipit in illis ætas pubertatis. *Pubertas* tertium ſeptennium complectitur. *Adoleſcentia* uſque ad trigeſimum annum extenditur. *Virilitas* fixum non habet terminum; quia in aliquibus priùs, in aliis tardiùs per *Senectutem* terminatur.

Dico I. Infideles non Baptizati Evangelicis quidem præceptis, non autem Eccleſiaſticis, adſtringuntur; qui autem ſunt baptizati, his, & illis obligantur.

Prob. 1. Pars. Quia illud diſcriminis intercedit inter legem veterem, & novam, quòd illa ſolis Judæis fuerit à Deo impoſita, iſta vero omnibus hominibus: Iſaias enim de Eccleſia prophetizans, cap. 60. *Gens*, inquit, *& Regnum quod non ſervierit tibi, peribit*. Ex quo.

Reſol. Infideles non baptizatos teneri ad Baptiſmum ſuſcipiendum imò & ipſammet Euchariſtiam, non quidem tempore ab Eccleſia determinato, ſed aliquando, cum hæc ſint Juris Divini, non Eccleſiaſtici.

Prob. 2. Pars. Ex C. *Gaudemus* de Divortiis, ubi id expreſsè definitum eſt, juxta illud Apoſt. 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt judicare?* Ratio eſt quia Infideles non baptizati Eccleſiæ non ſunt ſubjecti, proindeque nec legibus ejus: Hinc.

Reſol. Supradictos Infideles Jejunii legibus, Feſtorum celebratione, &c. minimè teneri, nec ullis Cenſuris ab Eccleſia latis ligari poſſe.

Prob. 3. Pars. Quia licet ab Eccleſia per Hæreſim ſint præciſi, ejus tamen per Baptiſmum veri ſunt ſubditi: Ex quo.

Reſol. Sub mortali teneri ipſi morem gerere, niſi ignorantia invincibilis, aut impotentia excuſet.

Dico II. Infantes, & perpetuò amentes legibus humanis non tenentur; bene quidem ebrii, dormientes, & ad tempus delirantes.

Prob. Quia lex dirigere, nec proinde ligare poteſt, qui ipſam nec cognoſcunt, nec cognoſcere poſſunt. Atqui Infantes, & perpetuò amentes legem nec cognoſcunt, nec cognoſcere poſſunt: Ergo. Ebrii autem, dormientes, & ad tempus delirantes, cùm per accidens legem actu non cognoſcant, & ob id tunc à peccato excuſentur, poſſunt tamen, & quidem proximè eam cognoſcere, cùm ratio ſit tantum in ipſis ſopita: Unde ad legem ſaltem habitualiter verè tenentur. Hinc.

Reſol. 1. Infantes, & perpetuò amentes, ſicut & Infideles non Baptizati, veſci poſſunt carnibus Diebus ab Eccleſia prohibitis, & ipſimet abſque peccato carnes miniſtrari poſſunt. Non poſſunt autem miniſtrari ebriis, dormientibus, nec ad tempus delirantibus, niſi quatenus ſunt infirmi, quia cùm legibus Eccleſiaſticis habitualiter teneantur, carnes comedendo, materialiter peccant, ad quod cooperari minimè licet: Unde.

Reſol. 2. Nefas eſt perpetuò amentes, multò magis Infantes, & ad tempus delirantes, ad iram, libidinem, & blaſphemiam provocare; quia etſi legibus non adſtringantur humanis, tenentur tamen lege naturali ſibi naturaliter indita: Unde hæc, & ſimilia perpetrando, materialiter peccant, licèt ob rationis defectum non peccent formaliter: Iſtud autem materiale peccatum impellenti, tanquàm principali agenti, imputatur.

Dico III. Pueri ſtatim ab uſu rationis; id eſt ab anno ætatis ſuæ circiter ſeptimo expleto, legibus adſtringuntur humanis, licèt non omnibus.

Prob. Quia cùm jam ratione utantur, à legibus dirigi proindeque ligari poſſunt: Unde à carnibus tenentur abſtinere diebus prohibitis, Miſſam audire diebus Feſtis, annuè confiteri, &c. Dixi, *non tamen omnibus*, ſiquidem ante virilem ætatem; id eſt ante vigeſimum primum annum jejunare non tenentur, nec ante circiter annum undecimum ad ſacram Synaxim accedere, niſi in morbum incurrant periculoſum; quia tunc ad eam ex præcepto divino obligantur.

§. 3. *Utrùm Clerici legibus Civilibus teneantur?*

Dico. I. A Lege communi tributorum, & onerum Clerici ſunt immunes.

Prob. Ex Jure tum Canonico, C. *Clericis* de immunitate Eccl. Et C. *Sancimus*, de Sacroſanctis Eccl. tum Jure Civili, L. *Caſta*, & L. *Sancimus*, Cod. de Sacroſanctis Eccl. Illa autem immunitas totius Orbis Chriſtiani conſenſu videtur firmata, & ſemper, & ubique ſervata à Principibus ſæcularibus, quorum Anteceſſores in hoc juri ſuo ceſſerunt; vel potiùs per modum remune-

munerationis, & obſequii illam Eccleſiæ Miniſtris conceſſerunt.

Nec obſtat, quòd Principes ſæculares, etiam pietate præſtantes, pecuniarum ſubſidium à Clero plerumque exigant; cùm id non auctoritate abſoluta, ſed gratiosè poſtulent, & ab ipſo Clero gratis ac liberè concedatur.

Excipiuntur tamen Caſus nonnulli, ubi Clerici Principibus ſæcularibus tributa ſolvere tenentur. 1. Si bona quædam, antequàm ipſis concederentur, onus jam annexum habebant; quia tunc res tranſit ad ipſos cum onere ſuo. 2. Si negotiationem exerceant; tunc enim tenentur omnibus Mercatoribus communes taxas ſuſtinere. 3. ſubvenire tenentur communibus neceſſitatibus urgentibus, quæ ipſos perinde concernunt ac Laicos: utſi Turcæ, & Hæretici Regionem devaſtarent, ſi peſtis graſſaretur, ſi immineret inundatio, & cætera hujuſmodi.

Dico II. Clerici legibus Civilibus ad bonum Reip. Regimen latis adſtringuntur; ſalva tamen, ut par eſt, Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitate.

Prob. Iiſdem tum Scripturæ, tum Patrum Textibus, quibus jam probatum eſt Principes ſæculares leges condendi poteſtatem habere; non enim ad Laicos tantùm, ſed & ad Eccleſiaſticos, dictum eſt: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Admone illos Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe.* Unde Theodoretus in C. 3. Ep. ad Rom. ait: *Sacerdos, & Antiſtes, & Monaſticam vitam profeſſus, iis debent parere, quibus demandati ſunt, Principibus.* Ratio eſt, quia cùm Clerici verè ſint Cives ac membra Communitatis, ad bonum commune, pro quo leges ſunt conditæ, concurrere debent. Adde quòd æquitati atque rationi omninò adverſetur, quòd par à comparte diſſentiat; Ergo Clerici non minùs quàm Laici legibus civilibus morem gerere tenentur: imò qui eas deſpiciunt, eò graviùs peccant, quò cæteris exemplo ſuo prælucere tenentur.

Dixi tamen in Concluſione, *ſalva Eccleſiarum*, &c. Siquidem hæc immunitas, inquit, Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Reform. C. 20. *Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtituta eſt.* Circa hanc immunitatem multa à multis Auctoribus circumferuntur, quæ cùm ubique, maximè in Gallia, non ſint uſu recepta, hic referre non ducimus neceſſarium.

§. 4. An Peregrini teneantur legibus tum proprii territorii, tum alieni, in quo peregrinantur.

Not. 1. Alias eſſe leges locales, alias perſonales. Locales eæ ſunt, quæ non mediatè perſonas, ſed locum afficiunt, ſuntque loco velut affixæ. Perſonales autem quæ nullo modo à loco dependent, ſed perſonas ipſas immediatè afficiunt, ipſaſque ubique ſequuntur.

Not. 2. Peregrinos triplicis eſſe generis. Alii verè ſunt Peregrini, qui fixum domicilium in loco habentes, aliò tranſeunt, cum animo non longo tempore ibi commorandi abſque fixo domicilio: Alii forenſes, qui extra territorium in alio loco domicilium pro aliquo tempore figunt: Alii demum vagi, qui nullibi fixum habent domicilium, ſed continuò de loco in locum proficiſcuntur; His notatis.

Dico I. Unius loci Incolæ, qui ad alium locum abſque affectatione, & ex rationabili cauſa tranſeunt, ordinarie non tenentur legibus localibus proprii territorii.

Prob. Ex D. Aug. qui Epiſt. 68. ad Caſul. iſtud reſponſum D. Ambr. ſuper hoc à ſe conſulti refert. *Quando hic ſum*; id eſt, Mediolani, *non jejuno Sabbatho. Quando Romæ ſum, jejuno Sabbatho; & in quamcumque Eccleſiam veneritis, ejus morem ſervate.* Ratio eſt, quia cùm leges locales per ſe ac directè territorium afficiant, eique ſint affixæ, non obligant, niſi eos qui intra illud exiſtunt.

Dixi *ordinariè*. Siquidem leges etiam locales, quæ rem in territorio ſitam, vel ipſius territorii commodum reſpiciunt, ſubditos etiam extra territorium degentes adſtringunt. Sic leges prohibentes Mercium aut Monetarum tranſmiſſionem, præcipientes Synodorum aut Capitulorum convocationem, item & concernentes Beneficia, agros, ædificia, aut tributorum ſolutionem, omnes ubique ſubditos ligant. Ex concluſione.

Reſol. 1. Qui extra Diœceſim ſuam delictum perpetrant, Cenſuram non incurrunt tali delicto annexam in ſua tantùm Diœceſi.

Reſol. 2. Item de Caſuum reſervatione dicendum venit; qui enim peccatum commiſit in ſua Diœceſi reſervatum, ſive illud commiſerit in ſua, ſive in aliena Diœceſi, abſolvi poteſt à communi Confeſſario in aliena Diœceſi, ubi non eſt reſervatum.

Reſol. 3. Diœceſanus, qui peccatum in propria Diœceſi reſervatum commiſit in aliena, poſthàc in propriam Diœceſim rediens, à Confeſſario communi non poteſt abſolvi; ſicut nec ille, qui delictum perpetravit in propria Diœceſi non reſervatum, ſive illud in ſua, ſive in aliena perpetraverit, abſolvi non poteſt à Confeſſario communi in aliena Diœceſi, ubi reſervatum eſt.

Reſol 4. Exiſtens die Jejunii, aut die Feſto extra territorium ſuum, ubi tunc non eſt Jejunium, aut Feſtum, ibi poteſt carnes comedere, & ſervilia exercere. Imo talis non tenetur etiam legibus Eccleſiæ communibus, ſi ibi non vigeant. Ideoque exiſtens in loco, ubi Sabbathis uſus carnium intra Nativitatem Domini, & Purificationem eſt licitus, Incolatum mori poteſt ſeſe accomodare. Sicut è contra exiſtens in loco, ubi contra communem Eccleſiæ morem Jejunium Quadrageſimæ incipit feria quinta poſt Quadrageſimam, ibidem jejunare tenetur.

Dico II. Qui ex induſtria à proprio diſcedit territorio ea mente, ut à lege ſit immunis, ab ipſa nullatenus eximitur.

Prob. Ex illo communi axiomate ab omnibus ubique recepto: *Legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit.* Huc refertur quod ſtatuit Alex. III. Cap. *Si vis* de congnat. ſpirit. *Nemini*, inquit, *ſua fraus vel dolus patrocinari debent*: Sed qui ex induſtria à proprio diſcedit territorio ea mente, ut à lege ſit immunis, in fraudem legis aperte facit; Ergo. Prob. Min. Ex lib. 1. Digeſt. tit. 3. c. 29. & 30. ubi ſic legitur: *Fraudem legi facit, qui ſalvis verbis legis ſententiam ejus circumvenit: & fraus legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit.* Ubi Gloſſa ſubdit expreſſiùs, fraudem in legem vel legi fieri, quando, etſi non fiat contra id quod lex expreſſis verbis habet, fit tamen contra ejus ſenſum à Legiſlatore intentum; unde Reg. 88. Juris: *certum eſt quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Sed qui ex induſtria diſcedit, &c. contra voluntatem, & intentionem legis nititur; Ergo agit in fraudem, ergo peccat. Hinc.

Reſol. 1. Cum D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 6. ad 3. Etſi ſumptio electuariorum, & potus extra tempus comeſtionis non ſit per ſe contra legem Jejunii, eo quòd non ſit inſtituta principaliter ad nutrimentum, ſed ad ciborum digeſtionem; uſus tamen ille eſt contra talem legem, ſi quis res hujuſmodi aſſumat in magna quantitate, eiſque quaſi aliis cibis utatur ad famem extinguendam; quia nimirum, cùm hoc ſit contra Legiſlatoris intentionem, ſeu contra finem proximum ab ipſo intentum, hoc eſt agere in fraudem legis.

Reſol. 2. Graviter peccaret, qui in fraudem jejunii ſic ſeſe venando, iter faciendo deſatigaret, ut propter comedendi neceſſitatem jejunare non poſſet. Sic contra præceptum Eccleſiæ ageret Incola, ſi abſque juſta cauſa è loco ſuo diſcederet, ubi Feſtum eſt vel Jejunium, ut vel carnes comederet, vel ſervilia exercere poſſet. Hic tamen notandum eſt non opus eſſe, ut hæc cauſa ſit gravis, modò quis non intendat à lege exemptionem, licèt prævideat quòd ſit ab ea eximendus.

Reſol. 3. Qui ex induſtria è propria Diœceſi, ubi peccatum reſervatum commiſit, diſcederet eo fine, ut in aliena, ubi non eſt reſervatum, faciliùs abſolutionem impetraret, ſacrilega atque nulla ejus eſſet Confeſſio. Vide Bull. *Superna* Clement. X.

Reſol. 4. Illegitimum eſt Matrimonium inter eos, qui cùm ſint Incolæ loci, in quo Decretum Concilii Tridentini de Matrimonio eſt promulgatum, transferunt ſeſe in locum, ubi publicatum non eſt, ut ibi ſine Parocho, & Teſtibus cum fraude contrahant, retinentes idem domicilium, ſeu habitationem non mutantes: Juxta definitionem Cardinalium dicti Concilii Interpretum ab Urb. VIII. ſpeciali Decreto confirmatam, ut videre eſt apud Card. de Lugo l. 1. Reſp. mor. dub. 36.

Dices 1. Qui ex propria Diœceſi ſic diſcedit, jure ſuo utitur; Ergo non agit in fraudem legis. ℟. Cùm leges Eccleſiaſticæ in Diœceſibus ad ſubditorum ſpiritualem utilitatem ſint conditæ juxta Legiſlatoris mentem, nullum profecto jus habet ſubditus abſque cauſa obligationem ſubterfugiendi, & intentionem Legiſlatoris eludendi.

Dices 2. Poteſt unuſquiſque domicilium mutare, ut à durioribus territorii ſui legibus ſeſe eximat; Ergo à pari, &c. ℟. In eo diſparitatem eſſe, quòd unicuique ſit liberum hoc vel illud territorium ſeligere, adeoque his vel illis legibus ſe ſubjicere, non autem liberum eſt proprii leges territorii contra legis intentionem eludere.

Dico III. Vagi, Peregrini, & Forenſes legibus locorum, in quibus exiſtunt, adſtringuntur.

Prob. De vagis, quia alioquin ab omni

lege

lege particulari omninò eſſent ſoluti, omni-que carerent regimine, quod incredibile videtur. Ideò ubique uſu receptum eſt, ut vagi delinquentes, juxta locorum leges, ubi tunc verſantur, pœnas ſuſcipiant.

Prob. De Peregrinis ſimul, & Forenſibus, 1. Ex D. Aug. aſſerente lib. 3. Conf. c. 8. & Epiſt. 118. ad Jan. c. 2. *Pactum alicujus Civitatis non poſſe a Civibus, aut à Peregrinis violari.* 2. Qui ſentit commodum, onus & ſubſtinere debet: Unde cùm Peregrini à legibus territorii ſui ſint immunes, æquum eſt ut legibus territorii ubi exiſtunt, teneantur. 3. Quia alioqui pax, & ſocietas violaretur, & omnia turbarentur, ſi Reipublicæ leges ab omnibus advenis infringerentur.

Nec obſtat, quòd peregrini & Forenſes ad locum ad quem divertunt, pertineant; ad hunc enim pertinent non permanenter, ſed tranſitoriè propter tranſitoriam inhabitationem; ex quo.

Reſol. 1. Peregrini, & Forenſes tenentur ſervare Feſta, & Jejunia locorum ubi ſunt, ſicut ad ſolvenda Vectigalia & Gabellas, quæ in dicto loco perſolvi conſueverunt.

Reſol. 2. Tenentur item legibus particularibus contractuum: Ideò Incolæ loci, ubi Trid. non eſt promulgatum, tenentur in loco ubi viget, formam obſervare ab eodem Concilio præſcriptam, & hoc ſub pœna nullitatis.

Reſol. 3. Peregrini, antequam diſcedant è territorio ſive proprio, ſive alieno, implere tenentur præcepta, quæ ibi eos deprehendunt, ſi ibidem fecerint moram præcepto ſervando proportionatam, prævideantque ſe illud non impleturos in loco ad quem pergunt. Unde.

Reſol. 4. Si quis diſceſſurus è loco, ubi eſt Jejunium, & certus moraliter ſe Veſperi perventurum ad locum, ubi non eſt Jejunium, non poteſt ante diſceſſum ibi veſci carnibus, nec manè jentare; poteſt tamen meridie prandére, prout prandent omnes qui inibi jejunant.

Reſol. 5. Veniens è loco non Jejunii, & accedens ſub veſperam, ubi eſt Jejunium, non poteſt cœnare; ſed tantùm collationem ſumere, ut omnes jejunantes inibi faciunt. Quod ſi ad iſtum locum, ubi eſt Jejunium, accedat circa tempus prandii, ibi prandere poteſt, licèt manè ſumpſerit jentaculum in loco, ubi non erat Jejunium: non poteſt tamen veſci carnibus. Ratio eſt, quia poteſt, ac debet cæteris in hoc loco jejunantibus ſe conformare.

Reſol. 6. Qui Londino, ubi juxta veterem ſtylum non abſoluta eſt Quadrageſima, venit Pariſios, ubi eſt abſoluta, poteſt cum aliis non jejunare & carnes comedere; ſicut è contra, qui Pariſiis diſcedens, ubi eſt abſoluta Quadrageſima, venit Londinum, ubi non eſt abſoluta, tenetur Londini iterum jejunare; quia legibus locorum tenetur quiſque ſe componere, & qui ſentit commodum, onus etiam per accidens adveniens ſuſtinere debet.

Reſol. 7. Incola loci, ubi Feſtum celebratur, pergens ad locum ubi nullum celebratur, tenetur antea Miſſam audire, niſi gravis urgeat neceſſitas, vel niſi ſit auditurus in loco ad quem pergit, etſi non Feſtivo; quia quiſque prævidens ſe non impleturum poſtea, legem eam prævenire tenetur: Sicut qui prævidet ſe poſtea impediendum fore per febrim, quæ ſupervenire aſſolet, vel ab auditione Miſſæ, vel ab Officii recitatione, tenetur & Miſſam audire, & Officium recitare quamprimùm poteſt.

Reſol. 8. Viator qui advenit in locum, ubi Feſtum celebratur, & qui juxta morem ſuum proficiſci ſtatuit ex hoc loco Hora 6., moram non tenetur trahere, longiorem uſque, v. g. ad Horam nonam, ut Miſſam audire poſſit; licèt prævideat ſe eam non auditurum in loco ad quem pergit; ſed poteſt hora ſtatuta diſcedere. Ratio diſparitatis eſt, quòd ſecundùm communem exiſtimationem ad plus tenetur Incola, quàm Viator; ſiquidem ille territorii ſui legibus permanenter adſtringitur, iſte verò tantummodò tranſitoriè.

Reſol. 9. Si quis ex devotione jam Sacrum audivit in loco, ubi non eſt Feſtum, non tenetur ampliùs ad illud audiendum, dum advenit ad locum ubi Feſtum celebratur; quia intentione interpretativa jam adimplevit præceptum, nec vetus mos eſt apud Fideles, ut qui unam Miſſam audierit, ad aliam teneatur, quocumque perrexerit.

ARTICULUS II.

Utrùm omnis lex obliget in conſcientia?

Triplex lex diſtinguitur; nempè merè præceptiva aut prohibitiva, ſeu moralis, merè pœnalis, & mixta. Prima quæ actum aliquem vel præcipit, vel prohibet, nulla pœnæ facta mentione. Secunda quæ nec præceptum, nec prohibitionem exprimens, operis alicujus pœnam ſtatuit. Tertia demum quæ præter præceptum & prohibitionem, pœnam in tranſgreſſores decernit.

cernit. De lege merè præceptiva & prohibitiva ſtatim agemus, poſtmodùm de pœnali & mixta.

§. 1. *Utrum lex merè præceptiva aut prohibitiva, tum Civilis, tum Eccleſiaſtica, ſub reatu culpæ obliget?*

PRæter Hæreticos, qui Poteſtatibus humanis leges condendi facultatem abſtulerunt, contenderuntque leges humanas ad ſummum obligare poſſe in foro exteriori, & illæſa conſcientia infringi poſſe, modò ſcandalum abſit; Auctores extiterunt Catholici, inter quos Gerſon annumeratur, qui docuerunt conſcientias ligandi auctoritatem Legiſlatori humano propriè non competere; ſed ſoli Deo, cujus Legiſlator humanus intentionem ac voluntatem tantummodò proponit & exhibet. Contra quos.

Dico. Poteſtas tum Civilis, tum Eccleſiaſtica merè prohibens aut præcipiens, in foro conſcientiæ verè ac propriè ligat, & quidem aliquando ſub reatu culpæ mortalis.

Prob. Ex Scriptura Rom. 13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui reſiſtunt, ſibi damnationem acquirunt* & ſubdit: *Subditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed propter conſcientiam.* Et ſpecialiter de Poteſtate Eccleſiaſtica dicit Chriſtus, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Et Matth. 18. *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Quæ omnia apertiſſime demonſtrant Legiſlatorem humanum auctoritate præſtare obligandi in conſcientia, etiam ſub reatu peccati mortalis; licèt id quod præcipit aut prohibet, de ſe non ſit nec Juris naturalis, nec divini. Fruſtra quippè Deus nos juberet præpoſitis noſtris morem gerere ſub damnationis pœna, ſi nihil niſi quod jam alias præceptum aut prohibitum eſt præcipere, aut inhibere valerent.

Obj. 1. Ex D. Aug. l. 22. cont. Fauſt. c. 27. Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam; Ergo nullum eſt peccatum contra legem humanam; Ergo poteſtas humana in conſcientia ligare non poteſt.

℞. Diſt. Ant. Omne peccatum eſt contra legem æternam, vel proximè, vel remotè, C. ſemper proximè, N. Qui enim Præpoſitis ſuis juſta præcipientibus non obtemperat, proximè agit contra legem humanam, & remotè contra æternam, quæ ordinem naturalem ſervari jubet, videlicèt ut quiſque Poteſtatibus ſublimioribus ſit ſubditus.

Obj. 2. Si Poteſtas humana obligandi vim haberet ſub peccati mortalis reatu, vim haberet gratiam ſanctificantem nobis auferendi; quod eſt abſurdum, cùm hæc à ſolo Deo pendeat.

℞. Diſt. Vim haberet gratiam nobis auferendi moraliter, & conſequenter, C. phyſicè & efficienter, N. Poteſtas Civilis vim habet gratiam ſanctificantem nobis auferendi moraliter, quatenus qui legibus ejus non obtemperant, merentur gratiam ſanctificantem ipſis à Deo ſubtrahi.

Obj. 3. Miniſtri Eccleſiæ conſcientiam ſolvere non valent, niſi in foro conſcientiæ, id eſt in Sacramento pœnitentiæ: Ergo in ſolo foro interiori, non autem in exteriori eamdem ligare poſſunt.

℞. Neg. Conſeq. & paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quòd Miniſtri Eccleſiæ directè ſolvunt conſcientiam in foro interiori, & indirectè tantum ligant eam in foro exteriori; quatenus nonnulla præcipiunt, quæ ſubditi infringere non poſſunt citra peccatum.

Obj. 4. Poteſtas Civilis merè temporalis eſt; Ergo non poteſt ligare conſcientiam, quæ ſpiritualis eſt. Deinde ſolius eſt ligare, cujus eſt ſolvere; Poteſtas autem Civilis ſubditorum conſcientias ſolvere non poteſt: Ergo nec ligare.

℞. Poteſtas Civilis merè temporalis eſt quoad objectum, C. cùm non reſpiciat niſi pacem & tranquillitatem Reip. Quoad debitum quod imponit per auctoritatem Dei, à qua promanat, N. Deinde falſum eſt ſolius eſſe ligare, cujus eſt ſolvere; ſiquidem peccator per peccatum ſeſe ligat, nec tamen ſeipſum ſolvere poteſt. Item quilibet homo voto, vel juramento, vel aliquo contractu ſeſe in multis ligat, à quibus ſeipſum ſolvere nequit.

QUÆR. 1. Quandonam leges humanæ ſub mortali obligare cenſeantur?

℞. Id ex materiæ gravitate vel levitate, attentis circumſtantiis, dignoſcitur, lex enim humana perinde ſe habet quoad debitum, ac divina; ſed lex divina in materia gravi obligat ſub mortali, in levi ſub veniali; Ergo.

Dixi *attentis circumſtantiis*, quia res quæ de ſe levis eſt, gravis ex circumſtantiis ſæpiùs jure merito cenſetur. Sic ingreſſus Clericorum in tabernas, armorum delatio, habitus talaris geſtatio, &c. quamvis de ſe videantur levia, ſi tamen penſetur eorum

finis,

finis, decor ſcilicet Ordinis Eccleſiaſtici, valdè ſunt gravia. Sic è caſtris egreſſus momentaneus culpa gravis eſt in milite, extremoque ſupplicio punienda, quatenus hoc plurimum conducit ad diſciplinam militarem ſervandam.

QUÆR. 2. Qua ratione dignoſci poſſit gravem eſſe legis materiam?

℞. Ex triplici capite. 1. Ex benè fundata conſuetudine, quia conſuetudo vim legis obtinet. Sic dum lex in tali communitate, ut gravem inducens obligationem, à timoratis recipitur, gravis ejus cenſetur materia, ſecus autem levis tantummodò. 2. Ex formula qua Legiſlator in lege condenda utitur, ſi nempè verbis utatur præceptivis, aut præcepto æquivalentibus: v. g. Firmiter præcipimus, mandamus, &c. diſtrictè teneantur; vel ſi adhibeantur formulæ graviter comminatoriæ ſub indignatione Dei, ſub interminatione Divini Judicii, in virtute ſanctæ Obedientiæ, &c. tunc materia gravis cenſetur. 3. Ex gravitate pœnæ, quam lex tranſgreſſoribus imponit, ut in ſpiritualibus pœna excommunicationis latæ vel ferendæ ſententiæ, depoſitionis, ſuſpenſionis, interdicti &c. In civilibus autem ſi imponatur pœna mortis, mutilationis, perpetui carceris, infamiæ, bonorum confiſcationis, tunc cenſetur gravis materia.

In dubio autem an lex ſub mortali, vel veniali obliget, præſumendum eſt ſub mortali obligare; quia cum res de ſe levis poſſit ex circumſtantiis eſſe gravis, conſtare debet de levitate materiæ, ut quis à peccato mortali excuſetur.

QUÆR. 3. An poſſit Legiſlator humanus obligare graviter in materia levi, & leviter in materia gravi?

℞. Negativè quoad partem utramque. Ratio eſt. 1. Quia lex vim obligandi non habet, niſi juſta ſit ac rationabilis: non autem juſtum eſt & rationabile graviter obligare in materia levi, & leviter in materia gravi. 2. Lex non obligat niſi quatenus legi æternæ naturali & divinæ, à qua derivatur, eſt conformis: Lex autem æterna graviter non obligat in materia levi, & leviter in gravi. 3. Quia quandò res præcepta aut prohibita, graviter vel leviter bono communi proficua aut nociva eſt, ejus omiſſio aut commiſſio independenter à Legiſlatoris intentione graviter vel leviter rationi eſt conſentanea. 4. Materia levis incapax eſt gravis obligationis, & materia gravis, levis eſt incapax, cùm una alteri debeat eſſe proportionata.

Dices 1. Lex non habet vim obligandi; niſi dependenter à Legiſlatoris voluntate; Ergo gravitas vel levitas ejus obligationis pendet ab eadem voluntate.

℞. Diſt. Lex non habet vim obligandi; niſi dependenter a Legiſlatoris voluntate, quatenus legem poteſt ferre vel non, C. quatenus poteſt talem vel talem obligationem inducere, N. Modus quippè obligationis petitur ex natura rei; id eſt ex gravitate, vel levitate materiæ. Deinde lex non ita pendet à Legiſlatoris voluntate, ut Legiſlator injuſta, & irrationabilia præcipere poſſit: At injuſtum foret atque irrationabile gravia leviter, & graviter levia præcipere.

Dices 2. Legiſlator obligationem legis in materia gravi penitus auferre, vel ad ſolam pœnam obligare poteſt: Ergo poteſt ad venialem tantum culpam obligare.

℞. Diſt. Poteſt obligationem legis auferre, legem ipſam auferendo, C. ſecus, N. Cùm enim tollit obligationem, tunc non eſt vera lex, ſed ſimplex ordinatio aut conſilium.

Dices 3. Qui poteſt majus, poteſt & minùs: Atqui poteſt Legiſlator gravem inducere obligationem, ergo & levem.

℞. Qui poteſt majus, poteſt & minus in materia, quæ majus vel minus ſuſcipit, C. ſecus, N. Levis autem materia gravis obligationis non eſt ſuſceptibilis, ſicut gravis materia, levis. Pari modo Diſt. Min. Legiſlator poteſt inducere gravem obligationem juxta gravitatem materiæ, C. independenter ab ipſa, N.

ADNOTATIO IX.

(*)

Secunda pars ſupradictæ Reſponſionis, in qua ſtatuitur non poſſe Legiſlatorem leviter obligare in materia gravi, a multis & bene multi rejicitur. Aſſerunt enim, quod licet Legiſlator non poſſit in re levi obligare ſub gravi, cum hoc recte rationi diſſonum totaliter videatur; poteſt tamen in re gravi obligare ſub levi, cum hoc a libera ejus verè dependeat voluntate. Hoc autem maxime, ſi juſta interveniat cauſa ſic propriam applicandi poteſtatem, puta ne nimium gravetur Subditorum conſcientia; ne graviter delinquendi debilibus, atque infirmis præbeatur occaſio &c.: cum aliunde obligatio etiam ſolummodo levis inducere debeat Subditos ad legem ſervandam, ut patet de Legibus quorumdam Religioſorum a Sede etiam Apoſtolica approbatis, quibus res graves; puta jejunia, abſtinentiæ &c. ſub levi præcipiuntur. Et hæc videtur communior Theologorum ſententia. In re tamen non multum diſcrepat Author, dum aſſerit, quod hujuſmodi

leges

leges, non veræ leges, ſed potius conſilia aut ordinationes vocari debent.

(*)

QUÆR. 4. Quid ſit agere ex contemptu legis, & quale ſit peccatum?

℞. Duplicem eſſe legis aut cujuſvis regulæ contemptum: Unum proprium ſeu poſitivum; & ſic eſt voluntas legem vel regulam infringendi, ex hac ſola cauſa, quod non vult ſubjici legi vel Superiori, hoc vel illud præcipienti aut ordinanti. Alterum improprium ſeu negativum; & ſic eſt voluntas tranſgrediendi legem vel regulam ex alia cauſa, puta ex concupiſcentia, vel ira, vel inertia, quomodo omnis peccator legem Dei cenſetur contemnere.

Primus dicitur formalis inobedientia; ſecundus inobedientia materialis: Et differunt inter ſe, quòd materialis inobedientia non ſit mortale peccatum, niſi dum materia legis de ſe vel ex circumſtantiis gravis eſt: & quod formalis inobedientia, inquit D. Bernard. l. de Præcepto, & diſp. c. 11. *in minimis quoque mandatis*; id eſt etiam in ſimplicibus regulis, & ordinationibus, *culpam faciat non minimam, & convertat in crimen gravis rebellionis nævum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis*. Ratio eſt, quia contemptus iſte in ipſum Deum refunditur, juxta illud Chriſti Domini; *Qui vos ſpernit, me ſpernit*. Deum autem contemnere ipſique nolle ſubjici, gravis eſt de ſe irreverentia, proindeque peccatum graviſſimum.

Dicet quis protervus, & inobediens: Superiorem meum non ſperno, quatenus Superior eſt, ſed quatenus injuſtus eſt, vel ſtolidus, vel nimis durus, &c.

℞. Vanam, & ſtolidam eſſe hanc diſtinctionem, ſi Superiori, qualiſcumque ſit, morem gerere detrectes, quia ipſi minimè vis ſubjici; non enim ipſi ſubjici contumaciter renuis, niſi quia tu ſpernis auctoritatem quam habet à Deo, cujus erga te vices gerit.

QUÆR. 5. Utrùm leges humanæ cum vitæ, aut alterius gravis detrimenti periculo obligent?

℞. Ordinariè non obligare. 1. Quia nemo tenetur ad id quod eſt moraliter impoſſibile: Obſervatio autem legis, ubi vita, fama, &c. periclitantur, eſt moraliter impoſſibilis. Deinde ipſamet lex naturalis divina cum tanto periculo non ſemper obligat; Ergo à fortiori nec lex humana. Siquidem excuſatur filius, qui parentem exteriùs non colit, ſi adſit vitæ periculum, modo tamen nihil faciat contra honorem ipſi debitum. Item depoſitarius excuſatur, qui ob ſimile periculum depoſitum non reddit. Item ab ipſo Domino excuſatur David, qui neceſſitate compulſus panes propoſitionis comedit, &c. Hinc.

Reſol. 1. Fideles ſecluſo ſcandalo non tenentur ad Jejunium Eccleſiaſticum, ad Horarum recitationem, ad Miſſam diebus Feſtis audiendam, &c. ſi leges iſtæ abſque vitæ periculo, imò & gravis valetudinis, aut bonorum detrimenti, ſervari non poſſint.

Reſol. 2. Propter gravem neceſſitatem cum excommunicato communicare licet, & ipſemet excommunicatus eadem neceſſitate compulſus communicare poteſt, & cætera hujuſmodi.

Dixi *ordinariè*; quia nonnulli ſunt caſus, ubi lex obligat, etiam cum vitæ periculo. 1. Dum id poſtulat bonum commune, quod bono privato utique prævalere debet; ſic miles cum evidenti vitæ diſcrimine in ſtatione ſua perſtare debet: Sic tempore peſtis Medicis, Magiſtratibus, Confeſſariis aufugere minimè licet, contra Superioris mandatum. 2. Dum legis violatio in contemptum cederet Fidei, Religionis, aut Poteſtatis Eccleſiaſticæ; quia tunc Deus ipſemet inhonoraretur, quod eſt intrinſecè malum, proindeque nulla ratione excuſabile. 3. Dum ex legis infractione graviſſimum, atque inevitabile ſcandalum infirmi ſuſciperent; tum quia ſcandalum iſtud communi bono Eccleſiæ plerumque noceret; tum quia plurimorum ruina ſpiritualis haud dubiè vitæ corporalis privatæ amiſſioni longè præponderat: Unde Eleazarus libenter mortem potiùs ſubiit & ſubire debuit, quàm ſimulare carnes porcinas manducaſſe, cum gravi adoleſcentum ſcandalo.

QUÆR. 6. Quale ſit diſcrimen inter legem præceptivam, & prohibitivam?

℞. Cùm in his duobus neceſſariis tota humanæ vitæ ratio pendeat; ut à malo declinemus, & bonum faciamus; duplicis generis ſunt præcepta, alia bonum præcipientia ſeu affirmativa, alia malum prohibentia ſeu negativa. Præcepta autem præcipientia ſeu affirmativa à prohibentibus, & negativis differunt, quòd illa vim obligandi ſemper habeant, ſed non pro ſemper; id eſt non pro omni tempore, ſed pro eo duntaxat, quo actio præcepta executioni eſt demandanda. Iſta verò, nimirum prohibentia ſeu negativa, ſemper & pro ſemper; id eſt pro omnibus cujuslibet temporis inſtantibus obligare dicuntur: ſic præ-

ceptum

Digitized by Google

ceptum de cultu parentum, quatenus poſitivum, & affirmativum eſt, ſemper ſed non pro ſemper obligat, quia non ſemper, & omni tempore parentes honorare tenemur. Præceptum verò non furaberis, utpotè prohibens, & negativum, ſemper, & pro ſemper obligat, quia nunquàm furari licet.

Porrò, ut dignoſcatur utrùm præceptum affirmativum ſit vel negativum, non ſola penſanda eſt verborum forma, cum idem præceptum negativè, & affirmativè proponi poſſit. Præceptum, v. gr. Eleemoſynæ affirmativè proponitur, dum dicitur: *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*; & negativè, dum dicitur: *Nè avertas faciem tuam ab ullo paupere*, vel *nè defraudes eleemoſynam pauperi*. Item ſextum Decalogi præceptum negativè proponi poteſt, dum dicitur: *Non mæchaberis*; & poſitivè, dum dicitur: *Abſtine & contine*. Igitur potiùs obſervandum eſt, utrùm actio quædam, aut potiùs omiſſio ejus intimetur. Ex quo patet præceptum eleemoſynæ affirmativum eſſe, caſtitatis verò negativum. Deindè cùm multa ſint præcepta, quæ actionem bonam præcipiunt, & malam prohibent; ut præceptum de cultu parentum, quo præcipitur ut parentes honorentur, & prohibetur nè injuria illis inferatur; dicendum eſt hæc, & ſimilia præcepta affirmativa ſimul eſſe, & negativa ſub diverſo reſpectu; ideoque pro ſemper, vel non pro ſemper obligare.

QUÆR. 7. Utrùm lex in falſa præſumptione fundata obliget in conſcientia?

Reſp. cum diſtinctione 1. Si Legiſlator aliquid præcipit quod præſumit licitum, dum à parte rei illicitum eſt, lex ejus non obligat in conſcientia; quia tunc non eſt vera lex, cùm de ſe ſit injuſta, & ad peccatum pertrahat. Unde ſi quis cum occulto impedimento dirimente Matrimonium inivit, conjugale debitum nec reddere poteſt, nec exigere juxta Matrimonii legem, etiamſi ad id ſub pœna excommunicationis compelleretur.

℞. 2. Si Legiſlator præſumens aliquid fieri in omnibus, & ſingulis actibus, quod tamen in aliquo deficit, legem generalem ſancivit, ea lex non obligat in conſcientia: Tunc enim lex nec juſta foret, nec rationabilis; quia æquum, & juſtum eſt, ut veritati præſumptio cedat, non veritas præſumptioni. Sic ante Trident. ſtatutum erat, quòd ſponſalia de futuro in Matrimonium tranſirent per carnalem copulam ſubſecutam, ſub hac præſumptione quòd hæc copula non ut plurimùm, ſed ſemper, & in quovis caſu particulari, fieret affectu maritali, ſeu cum animo perficiendi Matrimonium; quæ tamen ſi defuiſſet intentio in nonnullis, lex illa ad ſimul manendum, & conjugaliter vivendum non obligabat; cùm de ratione Matrimonii ſit mutuus contrahentium conſenſus, qui nulla poteſtate humana ſuppleri poteſt.

℞. 3. Lex ſancita ex præſumptione alicujus facti, quod factum non eſt, non obligat in conſcientia. Ratio eſt, quia lex non obligat cùm Legiſlator obligare non intendit, vis enim legis ex intentione Legiſlatoris deſumitur; Legiſlator autem obligare non intendit, dum factum propter quod legem ſancivit, non eſt verum. Unde ſi contra aliquem lata ſit ſententia ex falsò allegatis, & probatis, ut rem alienam reſtituat, ipſam reſtituere non tenetur, niſi ſubſit ſcandali periculum.

℞. 4. Quando Legiſlator fert legem ad tollendas fraudes, abuſus, &c. quæ ut plurimùm contingere præſumit, ipſa obligat in conſcientia, licèt præſumptio in quibuſdam caſibus particularibus falſa reperiatur, juxta illud effatum ab omnibus receptum: *Ceſſante fine legis in aliquo particulari, non ceſſat tamen legis obligatio*. Ideò lex irritans votum ſolemne Religionis ante annos pubertatis emiſſum, quia præſumitur quòd ante hanc ætatem ut plurimùm deſit maturum judicium, vim ſuam habet, etiam erga eos, qui in ætate juniori maturum adepti ſunt judicium.

QUÆR. 8. Utrùm teneamur obſervationi legis impedimenta tollere, aut non apponere?

℞. Cum D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. Impedimentorum legis obſervationem impedientium appoſitio, aut non ſublatio, peccatum eſt contra legem, quando fit contra Legiſlatoris intentionem, uti de fraude dictum eſt: Secus verò, quando non eſt contra ejus intentionem. Præſumitur autem, juxta Sanctum Doctorem, non fieri contra Legiſlatoris intentionem, dum aliqua vel corporalis ſalutis, vel ſtatus exterioris, vel vitæ ſpiritualis inſtat neceſſitas, cui commodè ſubveniri non poteſt, legem adimplendò. Quòd ſi verò nulla adſit neceſſitas, id fit profectò contra Legiſlatoris intentionem, & peccatur ponendo aut non auferendo impedimenta legis obſervationem impedientia. Hinc.

Reſol. 1. Qui ſimul jejunare & itinerari non poſſunt, peregrinationem aut differre,

aut

Digitized by Google

aut prætermittere tenentur, ſi id commodè abſque tum corporis, tum animæ, tum ſtatus ſui detrimento fieri poſſit. Si autem peregrinatio commodè differri, aut prætermitti non poſſit; vel quia tempus jejunii hominem in via præoccupat, vel quia dies Feſtus alicubi imminet, ad quem homo ex devotione pergere cupit, ut inde bonum aliquod ſpirituale comparare poſſit, itinerari & jejunium ſolvere poteſt cum Superioris ſui diſpenſatione, ſi eam facilè poſtulare & obtinere poſſit. Ita D. Thom. ſuprà citatus.

Reſol. 2. Operarii, qui jejunando poſſunt competenter victum pro perſona ſua habere & pro familia, cujus cura eis incumbit; ſive quia aliàs divites ſunt, ſive quia de eo quod minore labore fit, qui ſimul ſecum jejunium compatiatur, lucrari ſufficientia poſſunt, à jejunio non excuſantur. Si autem aliàs non poſſunt tantùm laborare, quòd victum ſufficienter acquirant, niſi jejunium frangendo, poſſunt ſecundùm diſpenſationem Sacerdotis ſui jejunium ſolvere & laborare: Ita ipſiſſimis verbis S. Doctor in 4. ſent. Diſt. 15. qu. 3. ad 2. quæſtiuncula 4. ad 1. Unde cum eodem Doctore.

Reſol. 3. Quòd intentio majoris lucri non neceſſarii eos à peccato non excuſat, ſi jejunium frangant. Nec iterum illi à peccato immunes ſunt, qui operarios conducere nolunt, niſi tali pacto ut jejunium ſolvant, niſi fortè ſit cauſa neceſſaria, quæ feſtinationem operis exigat.

Reſol. 4. Jejunii tranſgreſſor eſt, qui venationi, aut ludo pilæ abſque cauſa neceſſaria incumbit, prævidens ita ſe defatigatum iri, ut inhabilis fiat ad jejunium.

Reſol. 5. Contra legem peccant, qui lectum, ſtudium, aut quamvis aliam actionem minùs neceſſariam non omittunt, dum Miſſam audiendi aut Divinum Officium recitandi, &c. præceptum urget. Item qui die Sabbathi abſque neceſſitate pergunt ad loca, ubi Miſſam audiendi non aderit opportunitas. Item qui ſua culpa infirmitatem contrahunt, ex qua prævidere debeant, ad quodlibet præceptum adimplendum fore impediendos.

QUÆR. 9. Utrùm qui totam legem implere non poteſt, ad ipſius partem adimplendam, ſi poſſit, adſtringatur?

℞. Affirmativè, & ratio eſt; quia nullus à lege eximitur, niſi quatenus eam implere non poteſt: Ergo ſi partem legis poſſit implere, ad illam peragendam profectò adſtringitur. Hinc,

Reſol. 1. Qui amiſſo Breviario, Matutinum & Laudes recitare non poteſt, ad alias Horas recitandas tenetur, ut definivit Inn. XI. in damnatione propoſitionis contrariæ; ſicut qui omnia peccata ſua confiteri non poteſt, ea quæ poteſt confiteri tenetur.

Reſol. 2. Qui abſtinere non poteſt à carnibus, poteſt tamen à pluribus refectionibus, legem infringit Jejunii, duas integras ſumendo. Idem dicendum eſt de illo, qui abſque neceſſitate tres aut quatuor refectiones ſumit, dum ſibi duæ integræ ſufficiunt.

Reſol. 3. Si quis in loco, ubi unica Miſſa die Feſto celebratur, ad ipſam accedat, media parte jam celebrata, aliam partem ſequentem audire tenetur: Imò ſi ad Orationem Dominicam, aut ad Communionem excluſivè adveniret, ad cætera audienda teneretur, cùm Miſſam audire debeat quantùm poteſt, & à ſola impotentia legitimè poſſit excuſari.

§. 2. *Utrùm Leges pœnales obligent in conſcientia?*

DICO. Omnis omninò lex vera ac propriè dicta, ſive purè pœnalis, ſive mixta, in conſcientia obligat.

Prob. 1. Nulla eſt lex vera ac propriè dicta, quæ non prohibeat vel præcipiat aliquid; cùm prohibere, ac præcipere ſit legis proprietas eſſentialis: Atqui omnis lex prohibitiva, ſeu præceptiva ſub reatu culpæ obligat; Ergo nulla eſt lex vera ac propriè dicta, quæ in conſcientia non obliget. Minorem propoſitionem ſuperiùs probavimus. Major eſt evidens, cùm per pœnam appoſitam lex non deſinat eſſe vera lex, nec proinde per pœnam obligare deſinat.

Prob. 2. Si adjunctio pœnæ, legis obligationem tollat; vel id oritur ex ipſamet pœna inflicta, vel ex Legiſlatore pœnam infligente: Sed neutrum dici poteſt: Ergo. Non primum, cum pœna inflicta vim præcepti augeat potiùs & confirmet, quam minuat aut detrahat: Non ſecundùm, cùm Legiſlator pœnam non infligat, niſi quia vult ut lex ſua diligentiùs atque fideliùs obſervetur.

Prob. 3. Nulla eſt pœna juſta, quæ culpam non ſupponat, juxta D. Aug. 1. Retr. *Omnis pœna, inquit, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & peccatum nominatur.* Ergo lex pœnalis quæ juſtè, ut ſupponitur, pœnam infligit, ad culpam obligat, eamque ſupponit.

Dices.

Digitized by Google

Dices. Omnis pœna culpam quidem, aut Theologicam, aut Politicam ſupponit, non autem ſemper Theologicam, ſufficit enim culpa politica. ℞. Nulla eſt contumax veræ ac propriè dictæ legis transgreſſio, quæ vera non ſit inobedientia: Omnis autem inobedientia per ſe veram, ac propriam rationem habet peccati & culpæ Theologicæ. Ergo nulla ſolutio.

Obj. 1. Juxta D. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1. In quibuſdam Religionibus ſunt ſtatuta, quæ non obligant ad culpam neque mortalem, neque venialem, ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſubeundam: Atqui ideò illa ſtatuta ad culpam non obligant, quia ſunt merè pœnalia. Ergo.

℞. Hæc ſtatuta non eſſe leges veras & propriè dictas, ſed tantummodò directiones quaſdam, & ordinationes ſimplices, quibus Religioſa diſciplina promovetur, & conſervatur. Unde ad culpam non obligant, non quia ſunt merè pœnalia, ſed quia Legiſlatores mentem ſuam expreſſerunt ſe nolle in quibuſdam ſub reatu culpæ obligare, proindeque nec veram legem condere.

Obj. 2. Quædam ſunt leges, quæ ſub diſtinctione feruntur hoc modo: Nemo frumentum in terras exteras transferat, vel talem ſummam ſolvat: Atqui leges ſic latæ ſub reatu culpæ non obligant: Non ſecus ac ille, qui vovit ſe nunquam alea luſurum, aut ſi luſerit duplionem pauperibus erogaturum, à culpa eſt immunis etiamſi luſerit, modò duplionem ſolvat.

℞. Tales leges, ſi quæ ſint, ſemper in conſcientia obligare; cùm ſaltem ad pœnam ſubeundam obligent, adeò ut verè eſſet inobediens, contumax, & culpabilis, qui eam ſubire nollet juxta legis præceptum, eodem modo, quo ſupradictus vovens, ad duplionis ſolutionem teneretur in conſcientia, ſi contra votum emiſſum alea luſiſſet. Ex his.

Reſol. 1. Graviter peccant, & ad reſtitutionem tenentur, qui leges infringunt de non cœdendis lignis in proximi nemore, aut de non ducendis animalibus ad aliena paſcua, licèt paratos ſe dicant ad mulctam impoſitam ſubeundam; tum quia hæ leges verè in conſcientia obligent, tum quia harum transgreſſio in proximi detrimentum cedat, & juri naturali eſt contraria.

Reſol. 2. Qui juſta tributa & vectigalia defraudant, nec à culpa, nec à reſtitutione ſunt immunes, ſub eodem obtentu, quòd luendæ pœnæ periculum ſubire contentiant; cùm hæc lege divina & naturali Principibus ſint debita, nec adjuncta pœna obligationem tollat aut minuat, ſed potius augeat & aggravet.

Reſol. 3. Item a gravi peccato non excuſantur, qui ſeges infringunt de non evehendis extra, vel intra Regnum, aut Civitatem nonnullis mercibus ſub gravi pœna exilii, incarcerationis, &c. non ſolum quòd peccent contra charitatem ſibi debitam, tanto diſcrimini ſe committendo; ſed præciſè quia pœnæ gravis inflictio indicium eſt evidens gravis culpæ in tranſgreſſione.

QUÆR. 2. An leges pœnales tranſgreſſores obligent ad pœnam ſtatim ſubendam? Priuſquam reſpondeam.

Not. Duplicem eſſe pœnam aliam latæ, alteram ferendæ ſententiæ. Prima, quæ ipſo facto incurritur abſque ulteriori Judicis ſententia. Secunda, quæ non incurritur eo ipſo quo ponitur tranſgreſſio, ſed requirit inſuper ſententiam Judicis pœnam infligentis. Porrò utraque pœna, alia dicitur purè privativa, quæ in mera paſſione ſita eſt, ut ſuſpenſio, irregularitas, privatio Juriſdictionis, poteſtatis, &c. Altera poſitiva, quæ actionem aliquam requirit, vel Miniſtri juſtitiæ, vel ipſiuſmet Rei, ut reſtitutio fructuum, ſolutio pecuniæ, flagellatio, &c. Hoc notato.

℞. 1. Reum non teneri ad pœnam ſubeundam ante latam Judicis ſententiam, ſi pœna ſit non latæ, ſed ferendæ ſententiæ, quia per talem pœnam reus non eſt condemnatus, ſed condemnandus: Ideò quando pœna de facto non imponitur, pari modo ſe gerere poteſt, ac ſi crimen non commiſiſſet, Beneficium acceptare, facultatem exercere, fructus percipere, &c.

℞. 2. Si lex pœnalis contineat pœnam latæ ſententiæ merè privativam, reus eam ſtatim ſubire tenetur. Nec enim Legiſlatoris ſententia minore præſtat auctoritate, quàm ſententia Judicis, qui juxta ipſiuſmet legis ſententiam judicare tenetur; ſed ſententia Judicis ad pœnam ab ipſo latam reum obligat; ergo & Legiſlatoris. Unde.

Reſol. 1. Qui crimen commiſit, cui annexa eſt excommunicatio, ſuſpenſio, irregularitas, &c. tenetur ſe gerere ut talis (niſi tamen urgeret periculum mortis, infamiæ; aut alterius gravis mali) ante omnem Judicis ſententiam.

Reſol. 2. Idem cum proportione dicendum eſſe de impedimentis Matrimonii ex crimine contractis, & de inhabilitate acquirendi fructus Beneficii ob Officii Divini omiſſionem culpabilem; Ideò jure ac meri-

to ſequens damnata eſt propoſitio: *Reſtitutio a Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus Officium, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eò quòd ſit pœna.*

R. 3. Pœnam latam poſitivam, quæ perfectè ſaltem executioni mandari nequit abſque actione tum rei, tum Miniſtri, & ſine violentia, nimiaque acerbitate, reus non ſubire tenetur ante Judicis ſententiam, niſi fortè ad Canonicam, aut Religioſam diſciplinam pertineat, ut ſunt jejunium, propria flagellatio, &c. aut niſi ab ipſa lege intimetur ſententiam Judicis declaratoriam non eſſe expectandam. Ratio eſt, quia ab humanitate videtur alienum, ut quis ſic in ſe ipſum ſæviat; nec lex humana, utpotè ad naturam hominum accomodata, hoc imperare cenſetur, ut probat praxis communis & conſuetudo, quæ legum omnium optima eſt interpres. Unde.

Reſol. Reus minimè tenetur ante Judicis ſententiam pœnam mortis, mutilationis, incarcerationis, exilii, bonorum confiſcationis, privationis Beneficii & Officii, aliaſque pœnas rigoroſas per ſeipſum exequi. Sed ſufficit quòd paratus ſit Judici executionem imperanti morem gerere, ita ut non obſiſtat Miniſtro exequenti. Imò licet quis per latam ſententiam, Beneficii titulo ipſo facto excidendi, amiſerit jus & dominium ad illud, non tenetur tamen fructus ex eo perceptos reſtituere, modò officia & onera Beneficio annexa peragat.

QUÆSTIO VI.

An & quomodo ceſſare poſſit Lex humana?

Licèt ſtabilitas omnis legis proprietas ſit eſſentialis, uti jam dictum eſt; certum eſt tamen legem humanam mutari aut ceſſare poſſe, tum ab intrinſeco, tum ab extrinſeco. Ab intrinſeco ceſſat lex humana, dum ejus finis & ratio adæquata pro omnibus urgere deſinit v. gr. ſi ceſſet omninò graſſari peſtis, ob quam prohibita eſt mercium quarumdam evectio. Dixi *pro omnibus*. Si enim legis ratio pro quibuſdam tantummodò particularibus ceſſaret, vigeret ſemper pro omnibus & ſingulis ejus obligatio. Hinc licèt, v. g. per accidens nullum tibi ſit in librorum prohibitorum lectione ſubverſionis periculum, ab eorum tamen lectione teneris abſtinere: Idem dicito de ſimilibus caſibus.

Ab Extrinſeco autem lex humana mutari ac ceſſare poteſt. 1. Per Epikiiam. 2. Per diſpenſationem. 3. Per privilegium. 4. Per tolerantiam, derogationem, abrogationem, & irritationem. 5. Per conſuetudinem: De quibus ſequentibus articulis.

ARTICULUS I.

De Epikiia.

Not. 1. Epikiia, ut nomen ipſum ſonat, eſt legis interpretatio, quæ duplex eſſe poteſt. Prima, quæ ſimplex dicitur interpretatio, eſt expoſitio verborum legis, quæ obſcuritatem quandam aut ambiguitatem patiuntur. Secunda, quæ propriè *Epikiia* dicitur, eſt interpretatio, non quidem legis verborum quæ clara ſunt, & perſpicua, ſed mentis ac intentionis Legiſlatoris, qui in caſu à ſe non prævifo, noluiſſe obligare, rationabiliter præſumitur.

Not. 2. Simplex interpretatio, ſeu verborum legis expoſitio triplex eſt. 1. Dicitur *Authentica*, quæ fit ab ipſo Legiſlatore, vel ejus Succeſſoribus, veræque legis rationem obtinet, ſi debitè promulgetur. 2. Dicitur *Uſualis*, quæ habetur ab uſu, & conſuetudine recepta vim legis obtinente. 3. Dicitur *Doctrinalis*, quam præſtant viri docti ac legiſperiti, quæque nullam de ſe obligationem inducit, ſed obligationem probabiliùs exponit.

Not. 3. Vera ac propriè dicta Epikiia rectè definitur. *Benigna legis interpretatio, qua homo privatus judicat ſecundùm jus magis univerſale aliquod particulare, ob quaſdam circumſtantias, in lege communiter lata non eſſe comprehenſum, ex quo ſequitur illud particulare fieri, vel omitti poſſe ſine formali legis tranſgreſſione.* Dicitur 1. *Benigna* legis interpretatio, quia Epikiia quaſi emendat, quod in lege nimis durum, & vitioſum videtur erga nonnullos caſus à Legiſlatore non prævifos, ubi lex deficit. Dicitur. 2. *Qua homo privatus*, per quod differt a juridica legis interpretatione, quæ fit à poteſtate publica. Dicitur 3. *Secundùm jus magis univerſale*, quia legem interpretari minimè licet, niſi ad aliam legem ſuperiorem, cui cedere debet, eam conferendo. Sic lex, v. g. de non percutiendo Clerico, comparata ad legem de propriæ vitæ tuitione, iſti legi tanquam univerſaliori cedere debet. Unde qui ad propriam tuendam vitam Clericum percutit; legem per Epikiiam interpretatur; hoc eſt judicat non

fuiſſe mentem Legiſlatoris, ut lex ab eo lata de non percutiendo Clerico in hoc caſu obliget. His notatis.

Dico I. Nulla eſt lex in quam non cadat ſimplex interpretatio.

Prob. Simplex legis interpretatio eſt terminorum, ſenſuſque legis expoſitio: Atqui nulla eſt lex, cujus termini aliquandò non ſint ambigui, & cujus ſenſus expoſitione non indigeat. Sic præceptum legis naturalis *Non Mœchaberis*, ex nuda, & ſimplici terminorum notitia non ſtatim extendi videtur ad eos qui mulierem concupiſcunt: Unde Chriſtus Dominus illud interpretans dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum*, &c. Sic ſtando terminis legis poſitivæ divinæ, ſolis Sacerdotibus licebat panes propoſitionis comedere, quam tamen legem David non infregiſſe declaravit Chriſtus, dum neceſſitate compulſus de iis comedit.

Dico II. In legem tum naturalem, tum divinam, proprie non cadit Epikiia.

Prob. Epikiia eſt tacita quædam legis emendatio, quæ in Legiſlatore ſupponit errorem, qui legem univerſaliter condens non attendit ad omnes circumſtantias, propter quas colligitur legem in aliquo caſu non obligare: Sed hujuſmodi emendatio locum habere non poteſt in lege naturali, & divina, quarum Auctor eſt ipſamet ſumma Sapientia. Ergo, &c.

Dico III. Licita eſt, ſi debitè fiat, in lege humana verè ac propriè dicta Epikiia.

Prob. Epikiia eſt legis interpretatio juxta Legiſlatoris intentionem: Atqui licitum eſt Legiſlatoris intentionem interpretari; Imò certum eſt Reg. 88. Juris in 6. *Quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Deinde Legiſlator, utpotè in multis deficiens, in condenda lege omnes, & ſingulos caſus prævidere nequit, in quibus ſua lex moraliter eſt impoſſibilis, proindeque injuſta; Ergo quandoque voluntatem ejus interpretari neceſſum eſt.

Dixi, *modò debitè fiat*, nec enim Epikiia uti licitum eſt, niſi in ſequentibus caſibus.

1. Quando legis obſervatio legi naturali divinæ, aut alteri humanæ ſuperiori adverſatur; fieretque iniqua ob quamdam loci, perſonæ, aut temporis circumſtantiam. Sic per Epikiiam licitum eſt Sacrum non audire, ad interviendum ægroto graviter decumbenti.

2. Quando legis obſervatio bono communi fit perniciosa. Sic Cives per Epikiiam arma ſumere poſſunt adverſus hoſtes Civitatem invadentes, licèt omnibus armorum geſtatio à lege ſit prohibita.

3. Quando lex adeò gravis evadit, ut ab omnibus timoratis rationabiliter cenſeatur, Legiſlatorem noluiſſe cum tanto gravamine obligare. Sic à jejunio, & à Sacri audirione excuſatur, qui aut jejunare aut Sacro intereſſe nequit abſque bonorum amiſſionis aut ſanitatis, famæ, vitæ diſcrimine.

4. Quando ad ſuperiorem, cujus eſt legem exponere, difficilis eſt recurſus. Si enim ad ipſum facilè recurri poſſit, non licet omiſſa via certa, ex conjecturis etiam probabilioribus, operari.

5. Illicita eſt, & invalida Epikiia in legibus contractus, & actus irritantibus. Sic Teſtamentum, aut Matrimonium celebratum abſque teſtibus, eſt invalidum, licèt ratione peſtis, belli, aut alterius neceſſitatis, non potuerint adhiberi, quia bonum Reip. cujus intereſt ut talis forma ſervetur, bono particulari prævalere debet.

ARTICULUS II.

De diſpenſatione.

Not. Diſpenſatio eſt *exemptio à lege ad tempus facta, reſpectu alicujus particularis in his circumſtantiis, in quibus alioquin lex obligaret.* Dicitur, 1. *Exemptio*; per quod differt tum à *tolerantia*, quæ legis obligationem non relaxat, tum à *licentia* quæ eſt conditio per legem requiſita; dum cavetur, v. g. nè id fiat abſque Magiſtratus licentia. Dicitur 2. *Ad tempus*, per quod differt à *Privilegio*, quod conceditur in perpetuum. Dicitur 3. *Reſpectu particularis*, per quod diſtinguitur ab *abrogatione*, *derogatione*, & *irritatione*, quæ ſuo modo omnes à lege eximunt. Dicitur denique, *in his circumſtantiis*, &c. per quod differt ab Epikiia, quæ fit in caſu, ubi rationabiliter præſumitur legem non obligare.

QUÆR. 1. A quibus in lege humana diſpenſari poſſit.

R. 1. Legiſlator in lege ſua, Succeſſor in lege Prædeceſſoris, & Superior in lege inferioris diſpenſare valent. Siquidem hi omnes legem ferre poſſunt; ergo & ab illa eximere. Unde Sum. Pontifex diſpenſare poteſt in Jure Canonico, & generatim in legibus à Prædeceſſoribus ſuis, imò, & à Generalibus Conciliis, juxta eorumdem Canonum diſpoſitionem, regulas, & uſus Univerſalis Eccleſiæ. Item poteſt Epiſcopus

diſpenſare in Conſtitutionibus Synodalibus, & aliis Diœceſis ſuæ legibus, tum erga proprios ſubditos, tum erga Forenſes in ſua Diœceſi exiſtentes; licèt non poſſit iſtos in votis, juramentis, irregularitatibus, aliiſve ſingularibus impedimentis diſpenſare; cùm in exterorum perſonas juriſdictionem non habeat.

R. 2. Ordinariè inferior in lege Superioris diſpenſare nequit, niſi facultas ei concedatur. Nec enim juriſdictionem habet in Superiorem, aut ipſius legem. Unde Epiſcopi in legibus Sum. Pontificis diſpenſare non valent, nec Parochus in lege Epiſcopi, Provincialis Religioſus in lege Capituli Provincialis, nec Generalis in lege Capituli Generalis; cùm ipſorum reſpectu verè ſint inferiores.

Dixi *Ordinariè:* Extant quippe nonnulli caſus, ubi inferior à Superioris lege diſpenſare valet. 1. Dum in lege indefinitè facultas in ea diſpenſandi conceditur; hæc facultas Epiſcopis cenſetur conceſſa. 2. Dum conſuetudo obtinuit, ut in quibuſdam inferiores diſpenſent, ſcientibus ac permittentibus Superioribus majoribus. 3. Dum agitur de re non magni momenti, quæ frequenter accidit, & pro qua præſumitur Legislatorem non exigere, ut ad ipſum recurratur. Sic Epiſcopi, Prælati Regulares, imò & Parochi diſpenſant in Jejuniis, Horis Canonicis, & in operibus ſervilibus Diebus feſtivis exercendis. 5. Dum gravis occurrit neceſſitas, nec facilis eſt recurſus ad Pontificem aut ejus Delegatum: Sic Epiſcopi diſpenſare poſſunt propter gravem neceſſitatem in impedimentis occultis Matrimonii, quia præſumitur eam eſſe mentem Pontificis. 6. Dum caſus eſt dubius; quia Pontifex, niſi caſus certos, ſibi reſervaſſe præſumitur.

QUÆR. 2. Utrùm legislator diſpenſare valeat licitè ſimul, & validè abſque cauſa legitima?

R. Supremus Superior in lege ſua abſque cauſa legitima, & pro libitu diſpenſare quidem poteſt validè, non tamen licitè. Ratio primæ partis eſt, quia Legislator ſupremus pro libitu totam legem tollere poteſt, ergo & aliquem privatum ab illa eximere. Deinde Legislator legem inſtituendo aliquam perſonam ab illa eximere potuit, cur non in temporis decurſu? Ratio ſecundæ partis eſt, quia Superiori non data eſt poteſtas in deſtructionem, ſed in ædificationem. Diſpenſatio autem abſque cauſa legitima pertubationes cauſat, tranſgreſſionibus aditum aperit; Superiorum auctoritatem deſpectui exponit. Adde quod diſpenſatio abſque cauſa conceſſa, per quam unus præ alio à lege eximitur, eſt vera atque illicita perſonarum acceptio.

Dixi 1. *Supremus Legiſlator.* Siquidem inferior abſque cauſa legitima nequidem validè diſpenſat, quia Superior poteſtatem ſuam ſibi non delegaſſe cenſetur, ut ea irrationabiliter utatur. Dixi 2. *In ſua lege*, non in lege Superioris. Unde Epiſcopus in legibus Summi Pontificis, nec ipſemet Pontifex in his quæ ad jus naturale, & divinum ſpectant, voto, juramento, &c. abſque cauſa legitima validè, imò nec propriè, diſpenſare poteſt.

QUÆR. 3. Quæ ſint diſpenſandi cauſæ legitimæ?

R. Tres vulgò à Trident. aſſignantur: *Neceſſitas*; extremam non dico, ſed gravem tum animæ, & corporis illius qui diſpenſatur, tum boni communis, & proximi cujus intereſt. *Pietas*, dum diſpenſatio ad gloriam Dei non parum confert. *Utilitas* dum Bono, maximè communi, & ſpirituali proficit notabiliter.

QUÆR. 4. Utrùm peccet ſubditus abſque juxta cauſa petens diſpenſationem, eaque utens.

R. Affirmativè quoad utramque partem. Ratio 1. partis eſt, quia ad peccatum inducit Superiorem, qui, ut mox dictum eſt, abſque juſta cauſa licitè diſpenſare nequit. Ratio 2. partis eſt, quia licèt propter obtentam diſpenſationem, quæ valida ſupponitur, contra legem humanam nihil faciat, peccat non ſolùm contra legem naturalem, juxta quam turpis eſt pars quæ abſque juſta cauſa cœteris comparibus ſuis diſcordat; ſed & contra divinam; cùm ab ordinatione divina, quæ in legibus viger, abſque cauſa, & illegitimè ſeſe ſubtrahat.

QUÆR. 5. An ceſſante cauſa diſpenſationis ceſſet diſpenſatio? Priuſquam reſpondeam.

Obſerv. Cauſam diſpenſationis ceſſare poſſe. 1. Antequam Litteræ diſpenſatoriæ expediantur. 2. Poſt earum expeditionem, ſed ante executionem. 3. Poſt earumdem executionem: Quo notato.

R. 1. Si antequam Litteræ diſpenſatoriæ expediantur, deſinat cauſa allegata, non ſubſiſtit diſpenſatio: quia diſpenſans diſpenſare non intendit, *niſi quatenus preces veritate tunc nituntur.*

R. 2. Si cauſa allegata ceſſet poſt Litterarum

rarum expeditionem, ſed ante earum executionem, ordinariè ſubſiſtit obtenta diſpenſatio; quia licet conceſſa non fuerit diſpenſatio, niſi propter cauſam allegatam, ipſa tamen non pendet ab ipſius cauſæ diſpenſatione; nec enim in Litteris diſpenſatoriis dicitur, ſi durent allegata uſque ad diſpenſationis executionem; ſed *ſi preces veritate nitantur*. Sicque reſpectu diſpenſati tollitur obligatio, quæ reviviſcere nequit abſque novo actu Superioris de novo obligantis. Hinc.

Reſol. 1. Qui diſpenſatus foret ut Matrimonium iniret cum cognata ſua, ob prolem illegitimam ab ea ſuſceptam, poſſet ſemper cum ea Matrimoninm inire, licet poſt diſpenſationem moreretur proles, ob quam obtenta eſt diſpenſatio.

Reſol. 2. Qui in irregularitate diſpenſatus foret, ut ſacros Ordines ſuſciperet, ad Matri pauperi ſubveniendum, irregularis de novo non fieret, ſi Mater ante diſpenſationis executionem divitias compararet.

Dixi, *Ordinariè*. Nonnulli enim ſunt caſus, ubi diſpenſatio ceſſat ceſſante diſpenſationis motivo, in his nimirum, ubi prudenter creditur motivum non ſemper duraturum, quia tunc conceditur diſpenſatio ſub tacita conditione, quòd ceſſante motivo ceſſabit diſpenſatio, quatenus non præſumitur ſuperiorem velle concedere diſpenſationem perpetuam pro cauſa temporanea: Ex quo.

Reſol. Diſpenſatio carnes comedendi in Quadrageſima propter infirmitatem conceſſa, ceſſat ceſſante infirmitate. Item diſpenſatus in voto caſtitatis, ut Matrimonium iniret cùm Puella à ſe deflorata, ipſa mortua aliam ducere non poteſt; quia diſpenſatio, ut ſupponitur, ad illam perſonam ſolummodò fuit conceſſa.

℞. 3. Si cauſa allegata ceſſet poſt diſpenſationis executionem, pari modo ac ſuprà ratiocinandum eſt ob rationes allatas: In quo tamen, ſicut in cæteris, conſulendus eſt uſus communis, & praxis timoratorum.

QUÆR. 6. An valeat diſpenſatio per fraudem impetrata, dum ſcilicet vel tacetur verum ad rem pertinens, quo modo obtenta diſpenſatio ſubreptitia dicitur; vel allegatur falſum, & ſic dicitur obreptitia.

℞. 1. Non valet diſpenſatio ſubreptitiè obtenta, dum aliquid ſubtacetur, tum ſcienter, tum ignoranter, vel quod per ſe, & intrinſecè ad rem pertinet, vel quod jura aut ſtylus Curiæ ſpecialiter declarari poſtulant. Ratio eſt, quia Superior ſic diſpenſare non intendit, vel non diſpenſaſſet ſaltem tali modo aut forma, ſed cum adjuncta conditione, & ſuperaddito onere. Unde.

Reſol. Ex primo defectu diſpenſationem invalidam eſſe, ſi petatur pro affinitate, dum eſt conſanguinitas; ſi pro quarto gradu, dum eſt tertius, ſi pro una affinitate, ſi duæ ſunt.

Reſol. Ex ſecundo defectu non valere diſpenſationem, ſi cùm ſis dives, facis te pauperem, nè ſolvas mulctam divitibus impoſitam: ſi in diſpenſatione ad Matrimonium contrahendum, præcedentem copulam inceſtuoſam tacueris, vel quod Matrimonium fuit contractum, aut conſummatum ſub ſpe temeraria diſpenſationis impetrandæ: ſi erga irregularitatis diſpenſationem, non omnes, ſed unam duntaxat, irregularitatis cauſam confeſſus fueris.

℞. 2. Non valet diſpenſatio obreptitiè obtenta, dum falſitatis expreſſio eſt cauſa finalis diſpenſandi, ob quam Superior diſpenſare intendit, aliàs non. Unde communiter habetur in Litteris diſpenſatoriis: *S ita eſt*, *vel ſi preces veritate nitantur*, Dixi *dum falſitatis expreſſio eſt cauſa finalis diſpenſandi*; quia ſi ſit tantùm impulſiva, per quam ſcilicet diſpenſans fit tantùm facilior ad diſpenſationem concedendam, valet diſpenſatio, ſi tamen falſi expreſſio facta fuit ex ignorantia, & ſimplicitate; quitunc præſumitur quòd adhuc ſuperior diſpenſaſſet. Sed ſi ex malitia falſitas fuerit allegata, invalida eſt diſpenſatio, quia in jure ſtatutum eſt, in omni malitioſa ſubreptione vel obreptione, Reſcripta, & diſpenſationes prorsùs eſſe invalidas. Ita Inn. III. Cap. *Super literis* de Reſcriptis.

ARTICULUS III.

De Privilegio.

Not. PRivilegium, ſi vim nominis ſpectes, eſt quaſi lex privata ſpecialem alicui gratiam concedens. Definitur: *Exemptio à lege ſervanda in favorem quorumdam privatorum, per modum legis perpetuæ facta.* Dicitur 1. *Exemptio à lege ſervanda*, per quod cum diſpenſatione convenit. Dicitur 2. *Per modum legis facta*, per quod ab illa differt, quæ non in perpetuum, ſed ad tempus tantùm conceditur. Dicitur 3. *Specialem gratiam concedens*; quia ſi nullum favorem contineret

fru-

Digitized by Google

fruſtratorium eſſet atque inutile. Dicitur 4. *Quorumdam privatorum*; quia non ad omnes, ut lex communis, ſed ad privatos tantùm, certam perſonam, certum officium, collegium ſpectat.

QUÆR. 1. Quotuplex ſit Privilegium?

℟. 1. Aliud eſt odioſum, ſic dictum, vel quia eſt contra jus commune, vel quia alteri nocet, ut exemptio à communibus oneribus, qua fit ut magis graventur alii. Aliud favorabile, ſic dictum, quia eſt tantùm præter jus commune, nec ulli nocet niſi privileganti, qui concedit aliquid quod ſibi competit, ut facultas à Sum. Pontifice conceſsa à caſibus ſibi reſervatis abſolvendi; iſtud potiùs dicitur Beneficium quàm Privilegium, & in hoc ab odioſo diſtinguitur, quòd ejus interpretatio pleniſſimè ſit facienda; odioſi autem ſtrictè juxta iſtam juris Regulam. *Odia reſtringi, favores convenit ampliari.*

℟. 2. Aliud eſt perſonale quod alicui, vel aliquibus, & quidem propriis nominibus expreſſis, conceditur: Hujuſmodi privilegium perſonam ſequitur, & cùm perſona extinguitur: Aliud reale, quod directè & immediatè applicatur alicui rei; quæ vel eſt corporea, ut Templum, Monaſterium, Civitas, Collegium, &c. vel incorporea, ut Epiſcopatus, Provincialatus, Doctoratus, Status Religioſus, &c. Reale corporale Privilegium extinguitur re ipſa extincta, niſi tamen hoſtium incurſione destruatur; tunc enim ſemper ſubſiſtit Privilegium. Incorporeum autem per mortem aut depoſitionem ejus qui dignitatem poſſidet, non extinguitur, ſed ad Succeſsores tranſit; nec ceſsat niſi deſinente Statu, Officio, &c. cui conceſsum eſt.

℟. 3. Aliud eſt gratuitum, ſeu gratioſum, quod omninò gratis conceditur independenter à meritis Privilegiati, & aliorum ipſi communicatis. Aliud remuneratorium, quod datur e contrà in præmium reſpondens meritis Privilegiati, aut aliorum ipſi communicatis. Ad id refertur Privilegium, conventionale dictum, quod datur mediante pacto, vi cujus privilegiatus illud emit quodammodò à Principe: Gratia tamen dicitur, quia continet aliquam à jure exemptionem. Inter utrumque diſcrimen eſt, quòd merè gratioſum revocari poſſit à Principe ejuſque Succeſsoribus, quandocumque placuerit; hoc eſt ex levi cauſa, utpote in pura ejus liberalitate fundatum: non ita verò remuneratorium aut conventionale, propter rationem contrariam. Verumtamen quacumque ex cauſa ea revocari contigerit, pro revocatis ſunt habenda; cùm vim ſuam proximè obtineant à Superioris voluntate, & auctoritate.

℟. 4. Privilegium aliud dicitur ad inſtantiam Privilegiati: Aliud datum ex motu proprio, & ex certa ſcientia; id eſt ex ſpeciali cognitione, ac propria determinatione Privilegiantis: quorum diſcrimen eſt, quòd poſterius, licèt re ipſa fuerit contra jus commune, aut alteri nocivum, non tamen propterea odioſum reputandum eſt; ſed tanquam purè favorabile accipiendum; adeòque largè interpretandum, quatenus purum Principis Beneficium, juxta L. ult. D. geſt. de Conſtitut. Principum, ubi dicitur: *Beneficium Principis latè eſſe interpretandum.*

QUÆR. 2. Quot modis Privilegium irritum eſt, ac nullum evadat?

℟. Cùm D. Antonino, 1. part. tit. 19. c. 1. Irritum eſt Privilegium. 1. Si per ſubreptionem fuerit obtentum. 2. Si alicui Conſtitutioni, conſuetudini, aut ſententiæ; quarum mentionem expreſsam non fecerit, adverſetur. 3. Si lite pendente, cujus non meminerit, fuerit obtentum. 4. Ceſsante cauſa adæquata ceſsat Privilegium. 5. Excidit Privilegio, qui agit contra Privilegii tenorem, & ipſo abutitur, accedente tamen ſententia Judicis. 6. Ceſsat cùm alicui nocere incipit, vel etiam ei cui conceſsum eſt. 7. Ceſſat per non uſum, ſpatio ad præſcriptionem ſufficiente, 40. ſcilicet annorum. 8. Tollitur per ejus cui conceſſum eſt renuntiationem. 9. Deſinit per Superioris revocationem.

QUÆR. 3. Quomodò Privilegia per revocationem annullentur?

℟. Duplicem diſtingui revocationem, expreſſam nimirum, & tacitam. Expreſſa, vel fit per ſpecialem clauſulam, vel tantùm per generalem; ſcilicet *non obſtantibus quibuſcumque Privilegiis*. Evidens eſt, revocatione per ſpecialem clauſulam facta, Privilegia revocata remanere; ſecus autem dicendum eſt de revocatione, quæ fit per generalem clauſulam; per eam enim non revocantur Privilegia, quæ ſunt in Corpore Juris, niſi fiat de illis ſpecialis mentio; benè autem ea, quæ ſunt extra Corpus Juris; quia Princeps cenſetur ignorare, quæ ſunt extra Corpus Juris; ac proindè ſi ea ſciviſſet, haud dubiè revocaſſet: ſed cùm cenſeatur ſcire quæ ſunt in Corpore Juris, & tamen ea ſpecialiter non revocaverit; cenſendus eſt ea revocare noluiſſe. Porrò tacita privilegii re-

vocatio

vocatio fit per actum Superioris contrarium, qui abſque Privilegii derogatione ſubſiſtere nequit: v. g. Privilegium vel Reſcriptum poſterius priori contrarium, ſi præſumatur Superior ſcire, & recordari Privilegii ante conceſſi. Præſumitur autem ſcire, & recordari, ſi illud ſit in Corpore Juris, non autem ſi ſit extra, ut mox dictum eſt.

ARTICULUS IV.

De Tolerantia, Derogatione, Abrogatione, & Irritatione.

Not. *Tolerantiam* eſſe permiſſionem, non quidem poſitivam, ſed negativam rei à lege prohibitæ, ſeu impunitas infractionis legis adhuc vigentis; v. gr. ſcortorum impunitas, in quibuſdam Civitatibus. *Derogatio* nihil aliud eſt quàm legis quæ viget ſecundùm aliquam ſui partem imminutio: v. g. cùm permittitur ovorum, ac lacticiniorum uſus in Quadrageſima. *Abrogatio* eſt ſolutio legis jam acceptatæ ſecundùm omnes ſuas partes, ſic lex Evangelica Moſaycam penitus abrogavit. *Irritatio* tandem eſt latæ legis nullitas ante quàm recipiatur.

QUÆR. 1. An Superiori ſit licitum legum infractiones tolerare?

R. Id nonnunquam licitum, ſed & neceſſarium eſt, tum ut vitetur majus malum, tum nè Reip. pax perturbetur, juxta illud Cypriani, Epiſ. 55. *Remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio, & voto colligendæ fraternitatis.* Verumtamen ſine gravi neceſſitate, & notabilis detrimenti publici diſcrimine, legum infractiones abſque gravi peccato diſſimulari non poſſunt.

QUÆR. 2. Utrùm Legiſlator licitè, & validè legem abrogare poſſit.

R. Legiſlator ſupremus legem licitè abrogare nequit abſque juſta cauſa bonum commune reſpiciente; poteſt tamen validè. Ratio primæ partis eſt, quia ſic poteſtate ſua abuteretur, Populum legibus antiquis aſſuetum perturbaret, leges ac Legiſlatores deſpectui exponeret, &c. Ratio ſecundæ partis eſt, quia per quaſcumque cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur; ſed lex à voluntate Legiſlatoris oritur; Ergo, &c. Dixi, *Legiſlator ſupremus*: nam inferior legem Superioris, ut patet, nec validè, nec licitè poteſt abrogare. Imò inferior propriam ſuam legem abrogare nequit, ſi à ſuperiore confirmata fuerit in favorem Communitatis, quia Superior ſic eam confirmando fecit ipſam quaſi ſuam.

QUÆR. 3. Quotupliciter lex abrogari poſſit?

R. Tripliciter 1. Per conſuetudinem contrariam. 2. Per Legiſlatoris revocationem. 3. Per legem poſteriorem univerſalem priori item univerſali repugnantem. Dixi, priori *Univerſali*, non autem ſpeciali legi, conſuetudini, ſtatuto, aut Privilegio, etiamſi in lege univerſali ponatur clauſula derogatoria generalis; id eſt, *non obſtante quacumque conſuetudine*, &c. niſi legis ſpecialis fiat mentio; vel aliunde conſtet talem eſſe Legiſlatoris mentem; quia juxta Reg. 34. Juris in 6. *Generi per ſpeciem derogatur*, non autem ſpeciei per genus. Idem dicitur de lege juramento firmata, quia præſumitur Legiſlatorem cum perjurio legi derogare nolle.

QUÆR. 4. Quot modis legis irritatio fieri poſſit?

R. Legem humanam irritam eſſe ac nullam defectu omnium ſupradictorum, quæ ad ipſius validitatem ſunt neceſſaria, maximè cùm propter contrariam, & uſu receptam conſuetudinem à timoratis executioni non mandatur. Unde ſit.

ARTICULUS V.

De Conſuetudine.

Not. Dupliciter ſpectatur conſuetudo, vel ut eſt factum aliquod, vel ut eſt jus quoddam. Conſuetudo facti eſt uſus, & frequentia actuum externorum à majori parte Communitatis exercitorum. Conſuetudo juris eſt ipſummet jus, quod ex illa frequenti, & continua actuum repetitione oritur, quodque pro lege ſuſcipitur. Facti autem conſuetudo triplex diſtinguitur, nimirum ſecundùm legem; id eſt quæ eſt conformis legi, ut conſuetudo audiendi Miſſam diebus Feſtis, de qua hic non eſt quæſtio: Præter legem; id eſt quæ nec legi conformis eſt, nec difformis, ut piorum conſuetudo Miſſam quotidie audiendi; & contra legem, id eſt quæ difformis eſt legi, ut conſuetudo vigens in nonnullis Regionibus carnes comedendi diebus Sabbathis interjacentibus inter Feſtum Nativitatis Domini, & Purificationis.

QUÆR. 1. Utrùm conſuetudo vim legis obtinere poſſit, novumque jus conſtituere, & antiquam legem abrogare?

R. Aſ-

℞. Affirmativè, modò tamen omnes concurrant ſimul requiſitæ conditiones.

Prob. 1. Pars. Ex D. Aug. Epiſt. 86. ad Caſul. *In bis rebus, de quibus mihi certò ſtatuit Divina Scriptura, mos Populi Dei, & inſtituta Majorum pro lege tenenda ſunt; & ſicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum, coercendi ſunt.* Et L. 33. digeſt. de legibus: *Diuturna conſuetudo pro jure, & lege in bis, quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſervari ſolet* & leg. 35. Dicitur: *non minùs quàm ea, quæ ſcripta ſunt, jura ſervantur.*

Prob. 2. Pars. Ex utroque Jure, nimirum ex Cap. ultimo de Conſuet. & L. *de quibus* §. de legibus, ubi dicitur: *Rectiſſimè illud receptum eſt, ut leges non ſolùm ſuffragio Legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur.* Unde multa ſunt in Jure Canonico, & Civili per deſuetudinem abrogata, Decimæ, Feſta, Jejunia certis in locis ſublata.

QUÆR. 2. Quæ ſint conditiones requiſitæ, ut conſuetudo vim legis obtineat.

℞. Sex vulgò numerantur.

1. Quod rationi, & æquitati ſit conſentanea, & bono publico utilis. Siquidem nihil rationem legis obtinere poteſt, niſi ſit rationis ordinatio in bonum publicum. Ideò adversùs legem naturalem aut divinam, quæ ſuprema eſt ratio, ſummaque juſtitia, nulla conſuetudo præſcribere poteſt.

2. Quòd actus, per quos introducitur conſuetudo, ſint publici non occulti, ut promulgationis locum teneant.

3. Quòd actus ſint voluntarii, & liberi; quare ſi per vim, & errorem ad agendum populus inducatur, conſuetudo vim legis non obtinet, quia vera conſuetudo eſſentialiter pendet à Populi conſenſu.

4. Quòd actus exerceantur, non ex pura devotione, ſed cum animo obligationis; vel quaſi obligationis inducendæ: Unde conſuetudo ſalutandi B. V. ad pulſum campanæ, & ſimilia, vim legis non ſortiuntur; quia nulla eſt lex abſque obligandi intentione. In dubio autem utrùm cœperit conſuetudo cum tali animo, judicandum eſt non cœpiſſe; quia præſumptio ſtat pro non obligatione, quæ non ignoraretur, ſi adeſſet.

5. Quòd actus exerceantur à majori, & ſaniori parte Communitatis; tum quia mos unius aut alteriùs privati, aut cujuſdam familiæ, non facit niſi privatam conſuetudinem: Agitur autem hìc de conſuetudine Communitatis perfectæ, quæ vim legis ſortiatur; tum quia ſi à ſapientibus ac timoratis hæc conſuetudo rejiciatur, conſuetudo non eſt, ſed abuſus: Alioquin nulla lex vim obligandi obtineret; cùm legum transgreſſores numeroſiores ſint ubique quàm cæteri.

6. Ut tempore ſatis diuturno ad conſuetudinem inducendam duraverit. Si Legiſlatoris conſenſus vel expreſſus, vel tacitus accedat, eo ipſo conſuetudo vim legis obtinet, & legem contrariam abrogat. Quòd ſi verò Legiſlator conſuetudini nec aſſentiatur, nec contradicat, quia fortè illam ignorat, vel ad illam non attendit, ipſa vim legis non ſortitur, nec antecedentem legem abrogat, niſi poſt ſufficientem præſcriptionem; nimirum decem annorum ſi de Civilibus agatur, & quadraginta, ſi de Eccleſiaſticis legibus: quæ præſcriptio, ſicut & dominiorum præſcriptio, per Legiſlatoris aut Miniſtrorum ejus contradictionem interrumpitur; adeò ut verè rei efficiantur, qui juxta hanc conſuetudinem nondum præſcriptam contra legem operantur; licèt poſteriores non peccent, qui bona fide proſequuntur quod alii mala fide incœperunt.

DISSERTATIO II.

De Legibus in Particulari.

Legem æternam, naturalem, poſitivam tum divinam, veterem ſcilicet, & novam, tum humanam, Canonicam, & civilem, in hac Diſſertatione nobis incumbit exponere ſequentibus Capitibus.

CAPUT I.

De Lege æterna, & naturali.

Lex æterna rectè ab Auguſt. definitur l. 22. cont. Fauſt. c. 27. *Ratio divina vel voluntas ordinem naturalem ſervari jubens, & perturbari vetans.* Dicitur *Ratio divina*; id eſt in mente divina exiſtens; per quod differt, tum à lege naturali, quæ in ſingulis hominum animis eſt inſita, tum à lege divina poſitiva, quæ hominibus exteriùs eſt promulgata. Dicitur 2. *Voluntas*; per quod differt ab ideis divinis, quæ ad intellectum pertinent; lex verò æterna ſicut omnis alia lex magis propriè ad voluntatem ſpectat, quàm ad intellectum. Dicitur 3. *Ordinem naturalem ſervari jubens*, &c.

id

id eſt ordinem generalem ad quem res ſunt inſtitutæ: v. g. quòd corpus hominis ſubdatur animæ, anima rationi, ratio autem Deo; per quod differt à Providentia, quæ verſatur circa res ſingulares, ut quamlibet in particulari ad finem ſibi proprium ordinet. Lex verò æterna verſatur circa bonum univerſale, ipſaque eſt veluti Regula Providentiæ, quæ ad normam legis æternæ hoc, vel illud decernit.

Sic expoſita lex æterna legis nomen obtinet; cùm ſit ſummæ ac ſupremæ rationis ordinatio in bonum publicum, & pacificam rerum omnium gubernationem, à Deo omnipotente, cui res omnes ad fines ſuos regere incumbit; licèt in hoc à ratione veræ legis deficiat, quòd ab æterno creaturis, nondum exiſtentibus, non fuerit promulgata. Quatenus eſt ſuprema ratio, omnes leges ab ipſa tanquam à fonte ſuo, promanant, & *nihil juſtum eſt ac legitimum*, inquit Auguſtinus, *quod non ex hac æterna lege ſibi homines derivaverint*: Quatenus autem omnia ad fines ſuos dirigit, omnia ejus regimini ſubjiciuntur; *quia nihil*, inquit iterum Auguſt. l. 19. de Civit. c. 12. *à legibus ſummi Ordinatoris ſubtrahitur, à quo pax univerſitatis adminiſtratur*.

Quoad legem naturalem, ipſa rectè definitur. *Legis æternæ fulgor, & radius creaturæ rationali à Deo impreſſus, dictans, & præſcribens quid agendum ſit, vel fugiendum*.

Dicitur 1. *Legis æternæ fulgor, & radius*. Lex enim naturalis, inquit D. Th. 1. 2. q. 91. a. 2. *Nihil aliud eſt, quàm participatio legis æternæ in rationali creatura*. Et ſic lex naturalis à lege æterna non diſtinguitur; niſi ſecundùm modum habendi. Siquidem in Deo, inquit D. Th., eſt tanquam regulans, & menſurans, in homine verò tanquam in regulato, & menſurato. In Deo eſt ipſamet natura divina, & ſumma veritas: In homine verò eſt fulgor ejuſdem veritatis, ipſmet per participationem elucentis.

Dicitur 2. *Creaturæ rationali*; quia, licèt creaturæ irrationales legi æternæ ſubjiciantur, quatenus ab ipſa in proprios fines moventur, non tamen ipſi ſubjiciuntur per modum illuſtrationis, cujus non ſunt capaces ob rationis, & intellectionis defectum.

Dicitur 3. *A Deo impreſſus*. *Quis enim*, inquit Auguſt. l. 2. de Serm. Dom. in monte c. 9. *Legem naturalem in cordibus hominum ſcripſit, niſi Deus*. Per quod lex naturalis differt à legibus poſitivis, quæ mentibus noſtris non ſunt impreſſæ, ſed ſunt prorſus extrinſecæ, ut lex Miſſam audiendi, cujus veſtigium nullum in cordibus noſtris reperitur.

Dicitur 4. *Dictans, & præſcribens*, &c. quibus verbis duæ legis conditiones eſſentiales indicantur, promulgatio ſcilicet, & vis obligandi. Siquidem lex naturalis intimat quid ſit bonum, quidve malum, & intimando obligat.

Utrùm autem lex naturalis actus ſit, vel habitus, dubium eſt inter Theologos. Videtur non eſſe propriè habitum, tum quia verus habitus eſt id quo aliquis agit; homo verò per legem naturalem non agit, ſed juxta ipſam, dum bonum operatur; tum quia habitus propriè dictus non ſe habet per modum præcepti, & imperii, ſed per modum inclinationis: lex autem naturalis jubet, & imperat, non vero inclinat ad benè agendum. Videtur tamen eſſe habitum, ſaltem impropriè dictum, quatenus ſcilicet eſt in homine permanenter, remanetque in dormientibus, & non advertentibus.

Porrò lex naturalis à Syndereſi, & conſcientia differt; quòd ſyndereſis ſit habitualis cognitio primorum principiorum, qua homo inclinatur ad his aſſentiendum; & conſcientia judicium practicum intellectus dictantis hoc, & illud in particulari eſſe agendum: Lex verò naturalis eſt quaſi actus perſcribens bonum in genere eſſe faciendum, qui nullam ſecum voluntatis propenſionem importat.

Item lex naturalis à jure gentium differt, quòd illa omnibus hominibus ſit innata; iſtud autem ab omnibus conſtitutum uſu & conſenſu omnium. Ad cujus intelligentiam obſervandum eſt, naturam humanam ſub duplici ratione ſpectari poſſe; vel abſolutè, & ſimpliciter, ut in ſe eſt; vel relativè ad communem hominum ſocietatem. Juxta priorem rationem omnia, quæ naturam humanam ſpectant ſecundùm ſe ſpectatam, ut amor Dei, parentum cultus, &c. juris ſunt naturalis. Juxta poſteriorem, quæcumque eamdem naturam ſpectant in ſocietate conſtitutam, ad jus gentium pertinere dicuntur, ut dominiorum diſtinctiones, fœdera, bella, pacifica etiam inter hoſtes legatorum ſuſceptio, &c.

Cœterum, quidquid homo judicat eſſe de ſe conſentaneum, aut diſſentaneum rectæ rationi, ſecluſa quacumque lege poſitiva, id materia, atque objectum legis naturalis eſſe cenſetur. Ideò cùm, ſuppoſita

Digitized by Google

revelatione, ratio dictet; independenter à quovis alio præcepto, ut homo credat Deo revelanti, ut in ipſum ſperet, eumque colat, ac diligat; ad legem naturalem omninò pertinet, etiam ſecluſa qualibet ordinatione, ut Sacramenta v. g. reverenter ſuſcipiantur, ſpiritualia non vendantur, &c. quia licèt hæc, & ſimilia præcepta dicantur ſupernaturalia, juris tamen ſunt naturalis, quatenus naturæ humanæ, non quidem ſibimet relictæ, ſed ad finem ſupernaturalem ordinatæ, ſunt conſentanea, proindeque ab aliis quibuslibet præceptis poſitivis diſtincta. Circa legem naturalem exurgit hic diſcutienda:

QUÆSTIO UNICA:

An Lex naturalis mutationi ſit obnoxia?

Not. 1. MUltipliciter aliquam legem mutari poſſe. 1. Per additionem, cùm ei nova lex quædam additur. 2. Per materiæ ſubſtractionem, per quam efficitur, ut id quod in genere ſumptum erat materia legis, deſinat eſse ejuſdem legis materia ob quamdam circumſtantiam. 3. Per derogationem, abrogationem, & irritationem, dum lex tollitur vel in parte, vel in toto, vel impeditur nè vim ſuam obtineat. 4. Per interpretationem, cùm explicatur quo ſenſu intelligi debeant termini, quibus fertur iſta lex. 5. Demum per diſpenſationem, quando legis vinculum, ad tempus reſpectu alicujus privati relaxatur in aliquo caſu, ubi alioquin lex obligaret.

Not. 2. Quæ circa hanc quæſtionem ſunt indubitata. 1. Lex naturalis mutari poteſt per additionem; cùm reverà ipſi addita ſit lex poſitiva divina, & humana, quæ non alio fine videntur inſtitutæ, quàm ut reviviſcat, atque perficiatur lex naturalis. 2. Mutari poteſt per materiæ ſubſtractionem: ſic v. g. licèt ad legem naturalem pertineat alienum invito Domino retinere, attamen per legitimam præſcriptionem efficitur, ut alienum deſinat eſſe alienum, fiatque meum, proindèque ut invito Domino illud valeam retinere. 3. Mutari non poteſt per derogationem, abrogationem, & irritationem, quæ vera ac propriè dicta eſt mutatio; quæ enim lex naturalis jubet, nec abſolutè, nec pro quodam tempore non poſſunt non eſſe bona, aut quæ prohibet, non mala. Unde, inquit Auguſt. l. 14. de Trin. c. 15. *Lex naturalis non variatur tempore, ſed immutabilis ſemper permanet*, quatenus derivatur *ex illa luce, quæ veritas dicitur, undè omnis lex juſta deſcribitur*. 4. Quoad diſpenſationem, de qua principalis eſt quæſtio.

Not. 3. Ibi non quæritur utrùm poteſtas humana à præceptis legis naturalis diſpenſare poſſit: Siquidem ſatis perſpicuum eſt inferiorem ſolvere non poſſe quod à Superiore ligatum eſt: omnis autem poteſtas humana legi naturali eſt inferior; cùm legis æternæ ſit ordinatio, cui nullus ſuperior eſse poteſt: ſed quæritur an Deus, pro ſuo abſoluto in omnia dominio, aliquem ex his legis naturæ præceptis poſſit eximere; adeò ut quæ lex naturalis jubet ob factam ejuſmodi diſpenſationem deſinant eſse bona, quæ verò prohibet, deſinant eſse mala. Circa quod.

Dico. Nullatenus lex naturalis eſt diſpenſabilis, nequidem auctoritate divina.

Prob. Auctoritate & ratione D. Th. 1. 2. q. 100. a. 8. *Præcepta*, inquit, *primæ Tabulæ, quæ ordinant hominem ad Deum*, directè nimirum & immediate, *continent ipſum ordinem ad bonum commune & finale, quod Deus eſt. Præcepta autem ſecundæ Tabulæ continent ordinem juſtitiæ inter homines obſervandæ, ut ſcilicet nihil fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum*. Tum ad 2. relato Apoſt. loco 2. Timoth. 2. *Deus fidelis permanet, & ſe ipſum negare non poteſt*: *Negaret ſe ipſum*, inquit S. Doctor, *ſi ordinem ſuæ juſtitiæ auferret, cùm ipſe ſit ſua juſtitia, & ideò in hoc Deus diſpenſare non poteſt, ut homini liceat non ordinatè ſe habere ad Deum, vel non ſubdi ordini juſtitiæ ejus, etiam in his ſecundùm quæ homines ad invicem ordinantur*.

Confirm. Deus approbare nequit quod eſſentialiter & ſuaptè natura malum eſt: Atqui ſi Deus alicui concederet exemptionem à præceptis legis naturalis, tunc expreſsè & directè approbaret quod eſsentialiter, & ſuaptè natura malum eſt, facultatem, v. g. concederet hominibus mentiendi, furandi, &c. Ergo, &c.

Obj. 1. Deus in his præceptis juris naturalis diſpenſavit. 1. Diſpenſavit cum Abraham, ut filium ſuum occideret. 2. Cum Oſea, ut meretrici conjungeretur, & ex ea filios fornicationis procrearet. 3. Cum Iſraelitis, ut Ægyptiorum vaſa aurea, & argentea furarentur. 4. Cum iiſdem, ut cum alienis fœnerarentur. 5. Cum veteribus Patriarchis, ut plures haberent uxores. 6. Cum Judæis omnibus, ut ſuas dimitterent. 7. Cum

primis

primis hominibus, ut proprias ſorores in uxores ducerent.

R. Deum in præceptis juris naturalis diſpenſaſse diſpenſatione impropriè dicta, per mutationem ſcilicet, aut ſubſtractionem materiæ, C. diſpenſatione propriè dicta, manentibus iiſdem rebus, ac circumſtantiis, N. Nam.

1. Deus Abrahamum non juſſit, ut actionem exerceret legi naturali contrariam; cùm homicidium auctoritate Dei commiſſum, qui vitæ, ac necis eſt Dominus, eidem legi non adverſetur. Hoc enim juſsu Deus mutavit materiam præcepti, quo vetitum eſt homicidium, ſicque improprie tantùm ab illo diſpenſavit.

2. Nec adulterium eſt, nec ſimplex fornicatio, rem habere cum muliere, in cujus corpus habetur dominium. Oſeas autem dominium habuit in corpus meretricis, ad quam à Deo juſsus eſt accedere, ac proinde actus cum ea exercitus non fuit materia legis naturalis, injuſtam maris cum fœmina conjunctionem prohibentis. Quod autem additur: *Fac filios fornicationis*, id intelligitur eo ſenſu, quod filii ex illa meretrice naſcituri appellari poſsent fornicarii, quatenus ex matre, quæ fornicata fuerat, fuiſsent geniti.

3. Deus in furto proprie non diſpenſavit cum Iſraelitis, qui Ægyptiorum tulerunt ſpolia, tum quia ab ipſomet Deo bonorum omnium ſupremo Domino hæc ipſis fuerunt conceſsa, tum quia hæc eiſdem jure ac merito debebantur, titulo mercedis ipſis debitæ ab Ægyptiis, quibus laborioſiſſime ſervierant.

4. Permiſit Deus Judæis, ut cum alienis fœnerarentur, non permiſſione approbativa, ſed tantùm tolerativa, ad majus malum vitandum; vel dicendum id quod ab alienis ultra ſortem exigebant, alienum non eſset, ſed ſibi proprium, nedum titulo donationis à Deo ſibi factæ, ſed & titulo juſti belli; cùm omnes alienigenæ hoſtes eſſent populi Dei infenſiſſimi, quibus & vitam ſine crimine auferre poterant.

5. Nonnulli cenſent Theologi Polygamiam ſola lege Evangelica, non autem lege naturali, eſse prohibitam, proindeque Deum cum antiquis Patriarchis ad ſimul plures uxores habendas non diſpenſaſse. Sed poſito, quòd utique probabilius videtur, Polygamiam in ſe ſumptam, etiam lege naturali prohibitam eſse, ſpectata verò in his circumſtantiis, in quibus erat prorſus neceſsaria ad Populi Dei propagationem, accedente Dei mandato, deſinebat eſse legis naturalis materia.

6. Item plurimi arbitrantur Theologi legem, qua Deus divortium permiſit, Judæis non fuiſse approbativam permiſſionem, ſed tolerativam, ut gravius malum, id eſt uxoricidium vitaretur, proindeque per hujuſmodi repudium ſolutum non fuiſse Matrimonii vinculum; adeò ut nec repudians, nec repudiata, alteri nubere poſsent. Sed rectiùs dicendum eſt, quòd licèt *ad duritiam cordis* hæc primevæ legis, quæ connubii vinculum indiſsolubile ſanxerat, relaxatio Judæis fuerit conceſsa, nihil tamen obſtat quominùs, dato ſemel illo ſtatuto repudii libello, verè ſolutum fuerit Matrimonii vinculum, quo ſoluto non eſt contra legem naturæ alteri nubere.

7. Non deſunt Theologi qui docent connubium inter fratrem & ſororem, etiam extra caſum ſummæ neceſſitatis, lege naturali non eſse prohibitum. Ut ut ſit, certum eſt apud omnes in hoc caſu, qualis fuit hominum propagatio, tale connubium minimè fuiſse legi naturali contrarium.

Obj. 2. Auctoritatem D. Bernardi qui L. de Diſp. c. 3. triplex diſtinguit præceptum neceſsarium; nempe, *Stabile*, leges ſcilicet humanas, à quibus ſoli Eccleſiæ Prælati diſpenſare poſsunt: *Incommutabile*; quod ad primæ tabulæ præcepta refert, à quibus Deus ipſemet diſpenſare nequit: & *Inviolabile*; quod ſecundæ tabulæ præcepta complectitur, à quibus ſolus Deus, non autem homines diſpenſare poſsunt; quandoquidem revera Deus hæc præcepta: *non occides, non mœchaberis, non furtum facies*, quando voluit, ſolvit.

R. Diſt. ut ſuprà, hæc præcepta ſecundæ tabulæ: *Non occides*, &c. Deus, quando voluit, ſolvit diſpenſatione impropriè dicta, C. propriè dicta, N. Totum igitur diſcrimen, quod juxta D. Bernard. intercedit inter incommutabile, & inviolabile præceptum, in eo ſitum eſt, quòd tale ſit præceptum inviolabile, ut ejus materia à Deo ſubtrahi poſſit; id eſt efficere poſſit, ut facta externa, quæ priùs erant illius præcepti materia, deſinant, propter circumſtantiam quam Deus ei addidit, eſse ejuſdem præcepti materia; & quod incommutabile præceptum hujus mutationis, aut ſubſtractionis de ſe ſit incapax; nec Deus efficere poſſit, ut per ullam circumſtantiam hujuſce præcepti materia non ſit ampliùs ejuſdem materia, cujuſmodi ſunt præcepta dilectionis Dei, cultus divini, veracitatis, &c.

quorum materia, qualibet adjecta circumſtantia nulli mutationi, aut ſubſtractioni poteſt eſſe obnoxia.

Inſt. D. Bernard. citatus eſpreſsè ibidem docet, Deum poſſe diſpenſare in præfatis ea diſpenſatione, qua non poteſt homo: Atqui homo in his poteſt diſpenſare impropriè, materiam ſcilicet & circumſtantias mutando, v. g. dominium rei furtivæ in furem transferendo: Ergo mens eſt D. Bernardi, Deum propriè in his diſpenſare poſſe, quod homo facere non poteſt.

℟. Negando hominem impropriè diſpenſare poſſe in præceptis, in quibus Deus impropriè diſpenſavit; quia nimium ſufficientem non habet auctoritatem, ut materiam horum præceptorum mutare, aut ſubſtrahere valeat. Nam 1. Nulla auctoritate humana innocentem occidere licet. 2. Mulierem abſque legitimo Matrimonio ſuam efficere. 3. Solvere Matrimonium conſummatum. 4. Plures uxores habere, &c. Ergo verum eſt quod dicit Bernardus, in his Deum impropriè diſpenſare poſſe, quod homo facere non poteſt.

Obj. 3. Deus diſpenſare poteſt in his, in quibus legitimè diſpenſat poteſtas Eccleſiaſtica: Atqui hæc poteſtas quandoque legitimè diſpenſat circa actualem Paſtorum reſidentiam, circa obſervationem voti, & diei Dominicæ ſanctificationem, quæ omnia ad jus naturæ ſpectant; Ergo.

℟. In his nullatenus poteſtatem Eccleſiaſticam propriè loquendo diſpenſare, ſed tantùm impropriè. Nec enim pronuntiat Eccleſia quòd, ſtante obligatione reſidentiæ, voti, &c. ab ipſa aliquis ſit immunis; ſed tantummodò reſidentiam, votum, &c. non eſſe in quibuſdam particularibus materiam legis; quia videlicet ſecundùm legem naturalem nec Paſtor ad reſidentiam tenetur, cùm aliò eum vocat neceſſitas publica, nec vovens ad voti redditionem, cùm hæc nocet vel communi Reip. bono, vel ipſius voventis ſaluti, &c.

CAPUT II.

De Lege veteri.

DUplici modo lex vetus accipitur. Primò latè pro omnibus præceptis poſitivis, quæ Deus Populo ſuo tradidit verbo aut ſcripto ab initio mundi uſque ad Chriſti Domini adventum. Certum eſt enim primis parentibus noſtris ante Legem Moſaicam data fuiſſe nonnulla præcepta, quæ apud Hæbræos vim legis habebant; ut leges Sacrificiorum, abſtinentiæ à ſuffocatis, & lex de ſemine fratris ſuſcitando, quæ poſthàc cum legis Moſaicæ præceptis immixta fuere. Sed lex vetus ſtrictè ac propriè ſumitur pro lege ſcripta, per Moyſem promulgata.

Hujuſce legis præcepta triplicis ſunt generis, moralia, cæremonialia, & judicialia juxta illud Deut. 5. *Loquar tibi omnia mandata mea, cæremonias atque judicia.* Præcepta moralia ea ſunt, quæ ad mores ad rectæ rationis normam componendos conferunt, quæque licèt ad legem naturalem pertineant, veteri tamen legi tribuuntur, eo quod in ea fuerint renovata. Cæremonialia ea ſunt, quibus certi ritus ad Dei cultum præſcribuntur; hujuſmodi ſunt Sacrificia, Levitæ, Purificationes, &c. Judicialia ea ſunt, quæ modum Rempublicam adminiſtrandi deſignabant.

Porrò præceptorum moralium ſummam complexus eſt Deus in Decalogo, ſic dicto à decem verbis, ſeu præceptis in duabus Tabulis deſcriptis, quarum prima tria continet præcepta, quæ Deum ipſum ſpectant. Primum, quo præcipitur ut Deus colatur, nec fiant idola. Secundum, quo prohibetur nè nomen Dei in vanum ſumatur. Tertium, quo præcipitur Diei ſeptimæ ſanctificatio. Secunda verò tabula ſeptem alia præcepta complectitur. De veteri lege nonnullæ ſunt quæſtiones hìc breviter exponendæ.

Quæſtionum circa Legem veterem brevis expoſitio.

QUÆR. 1. Utrùm lex vetus bona fuerit atque perfecta.

℟. Ipſam in ſe, & abſolutè bonam fuiſſe atque perfectam, ſed comparativè ad legem novam imperfectam, ſeu minùs perfectam. Prima pars patet ex variis, quibus lex vetus extollitur in Scriptura, encomiis. Ut Pſal. 18. *Lex domini immaculata, convertens animas:* & Rom. 7. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum.* Deinde Deus ipſemet eam condidit, cujus opera bona ſunt, & perfecta, & Chriſtus Dominus eam adimplevit, & huic ſe ſubjecit, quod utique non feciſſet, ſi de ſe mala fuiſſet, & imperfecta. Secnnda pars probatur ex variis prærogativis, quibus lex nova ſuper veterem eminet, quas inferiùs enumerabimus.

Dices. Lex vetus in Scripturis mala dicitur atque imperfecta. 1. Ezechielis 20. *Ego dedi eis præcepta non bona*, 2. Rom. 5.

Lex

Lex ſubintravit, ut abundaret delictum. 3. Hæbr. 8. *Si illud*, vetus Teſtamentum, *culpa vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.*

℞. Ad 1. Cum D.D. Aug. & Thom. Legem veterem dici non bonam, quia gratiam non conferebat, per quam homines à peccatis mundarentur. Ad 2. Per legem non abundavit peccatum poſitivè, & effectivè, ſed tantùm conſecutivè ſeu occaſionaliter, ob corruptam mentem hominis; tum quia, lege data, peccatum factum eſt gravius; tum quia per occaſionem ipſius concupiſcentia crevit vehementiùs, quatenus homo naturaliter nititur in vetitum. Unde ſubdit Apoſt. *Occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Ad 3. Per culpam non intelligitur peccatum formale, & propriè dictum, ſed defectus, & infirmitas; eo quod lex vetus per ſe homines purificare non poterat, nec eos ad vitam æternam perducere.

QUÆR. 2. Utrùm lex vetus data fuerit immediatè Moyſi per Deum ipſum, aut Verbum divinum, vel per Angelos.

℞. Datam fuiſſe immediatè Angelorum miniſterio. *Accepiſtis legem*, inquit D. Stephanus, Act. 7. *in diſpoſitione Angelorum*; id eſt, quæ in certo ordine diſpoſita eſt ab Angelis & tradita Moyſi, ut eam Populo Dei promulgaret. Idem annuit Apoſt. Hæb. 2. dum legem novam ſupra veterem extollit, quòd hæc per ipſummet Filium Dei data ſit, illa verò per Angelos; quia nimirum juxta D. Thom. conveniens fuit, ut lex minùs perfecta daretur per eum qui longe inferior eſſet eo, per quem data eſt perfectior.

Dices. Ex Scriptura conſtat Exod. 20. ipſum *Dominum locutum fuiſſe cunctos ſermones hos*, dicens: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, non habebis Deo alienos*. ℞. Diſting. Dominus locutus eſt immediatè per Angelum, qui vices ejus gerebat, C. mediate per ſe, N. Cùm igitur Angelus qui Moyſem alloquebatur, Perſonam Dei referret, non mirum eſt ſi ejus nomine dicebat: *Ego ſum Dominus Deus tuus*. Nec enim, inquit Aug. l. 3. de Trin. c. 1. *cùm verba Judicis Præco pronuntiat, in geſtis ſcribitur: ille Præco dixit, ſed iſte Judex.*

QUÆR. 3. An ſolis Judæis data fuerit lex Moſaica?

℞. Affirmativè. *Non fecit taliter omni nationi*, inquit Propheta, Pſal. 147. *& judicia ſua non manifeſtavit eis*. Quòd ſi autem ex Scriptura ſolis Judæis lex vetus fuerit data, apertè ſequitur cæteros Populos hac lege non teneri, cùm nemo lege teneatur, cui non eſt impoſita.

Dices. Si Gentiles abſque legis veteris obſervantia ſalvari potuiſſent, non autem Judæi, pejor fuiſſet iſtorum conditio quàm illorum. Deinde lex vetus diſponebat ad ſalutem, quæ per Chriſtum futura erat; ſed ſalus per Chriſtum omnes Gentes reſpiciebat; Ergo lex vetus omnes ſpectabat.

℞. Pejorem haud dubie conditionem eſſe eorum, qui magis à ſalute, & ab ipſo Deo ſunt remoti, quàm eorum qui propiùs Deo conjunguntur, quique faciliùs atque tutiùs ſalutem conſequi poſsunt: Sed Judæi per legem veterem propiùs Deo & Chriſto Domino conjuncti erant, & faciliùs atque tutiùs per ipſam, ſalutem poterant conſequi quàm Gentiles, qui lumine legis erant deſtituti: Ergo, &c. Deinde lex vetus quatenus ad ſalutem diſponebat, quæ per Chriſtum futura erat, omnes Gentes ſpectabat, quoad promiſſiones quas continebat, C. quoad cæremoniarum ſuarum obſervantiam, N. Siquidem conveniens erat, inquit D. Thom. Populum electum, à quo Chriſtus naſciturus erat, his cæremoniis Deo ſpecialiter conjunctum eſse, & variis ac diſtinctivis prærogativis donatum eſse.

QUÆR. 4. Utrùm lex vetus fuerit prorſus abrogata.

℞. Legem veterem penitus abrogatam fuiſse non ſolùm quoad præcepta cæremonialia, & judicialia, ſed quoad moralia: Ad hoc probandum refert Apoſt. Hæbr. 8. iſtud. Jerem. 31. *Ecce dies venient, & conſummabo ſuper domum Iſrael Teſtamentum novum, non ſecundùm Teſtamentum quod feci Patribus eorum. Dicendo autem novum*, inquit Apoſtolus, *veteravit prius*. Atqui Teſtamentum quod fecit Deus Patribus Judæorum, præcepta moralia maximè complectitur. Siquidem Deus eos alloquens dicit: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: Non habebis Deos alienos*, &c. quæ certè moralia ſunt. Deinde Apoſt. dicit legem, *Pædagogum noſtrum fuiſſe in Chriſto*: Pædagogi autem proprium eſt Adoleſcentem inſtruere, & docere, quæ à malis actibus ipſum deterreant, peccata oſtendere, &c. quæ præſtant maximè præcepta legis veteris moralia. Huc accedit auctoritas D. Th. *Quantùm ad alia præcepta*, inquit S. Doct. q. 98. a. 5. *quæ lex vetus continebat, de lege naturali*,

rali, *omnes tenentur ad obligationem legis veteris*, *non quia erant de veteri lege*, *ſed quia erant de lege naturæ*.

Dices 1. Lex vetus dicitur in Scriptura *pactum ſempiternum*. 2. Chriſtus Dominus *non venit legem ſolvere*, *ſed adimplere*. 3. Apoſt. teſtatur legem potiùs per fidem fuiſſe ſtatutam, quàm deſtructam. 4. Scribit idem Apoſt. eum qui diligit proximum, legem adimplere.

R. 1. Lex vetus dicitur pactum ſempiternum, non quoad præcepta quæ continet, ſed quoad vitam æternam quam præfigurabat, quam per Chriſtum venturum annuntiabat. 2. Chriſtus non venit ſolvere; id eſt violare, ſed venit eam abrogare, ſuam legem ei ſubſtituendo. 3. Per fidem lex etiam moralis ſtatuta eſt, quatenus per ipſam fidem præcepta moralia fuerunt de novo instituta, atque inſtaurata. 4. Qui diligit proximum, legem adimplevit; quatenus quod à lege olim erat præceptum obſervavit, non autem quatenus adimplevit quod à Moyſe promulgatum fuit; quia ex hac parte nulla ſupereſt obligatio; ſed tota ſe tenet tum ex parte legis naturæ, tum ex parte legis Evangelicæ, quæ hoc præceptum expreſsè inſtauravit.

QUÆR. 5. Utrùm lex abrogata fuerit ante mortem Chriſti?

R. Negativè, quia Chriſtus ipſemet omnia veteris legis adimplevit præcepta & adimplenda mandavit, dicens; *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi*, *quæcumque dixerint vobis*, *facite*. Deinde vetus Teſtamentum non fuit, niſi cùm in illius locum novum ſucceſſit: Non ſucceſſit autem novum ante mortem hujus Teſtamenti Auctoris, Apoſt. dicente Hæb. 9. *Ubi Teſtamentum*, *mors neceſſe eſt intercedat Teſtatoris*.

Dices 1. Secundùm Apoſt. *Lex poſita eſt*, *donec veniret ſemen*; id eſt, Chriſtus, & Luc. 16. dicitur: *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*. R. Lex poſita eſt, poſtquàm omnia quæ de Chriſto ſcripta erant, conſummata ſunt, non autem antequàm conſummarentur. Item Lex, & Prophetæ prophetare ceſſaverunt uſque ad Joannem, qui Chriſtum præſentem demonſtrabat, nec tamen ad Joannem uſque obligare ceſſaverunt.

Dices 2. Ceſſavit lex, quando ceſſavit figura: Atqui adveniente Chriſto, & ipſo prædicante, ceſſaverunt figuræ, quæ ejus Nativitatem, & miracula præfigurabant; Ergo ſaltem quoad illa ante mortem ceſſaverat. R. Ceſſavit lex, quando ceſſavit figura completè, non autem quando ceſſavit incompletè. Unde non ceſſavit obligatio legis, niſi quando omnia quæ de Chriſto ſcripta erant, fuere conſummata.

Dices 3. Circumciſio ceſſavit per Baptiſmi inſtitutionem ante Chriſti mortem; Ergo & lex ipſa, cujus erat quaſi fundamentum; cùm ipſa legitimè obſervari non poſſit, niſi à Circumciſis. R. Circumciſio ceſſavit per inſtitutionem Baptiſmi; id eſt neceſſaria non fuit neceſſitate medii, C. neceſſitate præcepti, N. Quamvis enim Circumciſio non eſſet tunc neceſſaria ad delendum peccatum originale, qui a Baptiſmo jam inſtituto deleri poterat, tenebantur tamen Iſraelitæ ad eam ſuſcipiendam, aut pueris ſuis adminiſtrandam, quatenus ſignum erat diſtinctivum Populi Dei.

QUÆR. 6. An lex vetus abrogata fuit in morte Chriſti, & ipſo expirante?

R. Affirmativè; quia tunc lex fuit abrogata, cùm Sacerdotium Araonis fuit translatum, & novum conditum, juxta illud Apoſt. *Tranſlato Sacerdotio neceſſe eſt, ut & legis tranſlatio fiat*, & cap. 10. *Aufert primum*, *ut ſequens ſtatuat*: Atqui Sacerdotium Araonis fuit translatum, & novum conditum, cum Chriſtus novus Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe ipſum Patri victimam obtulit: *Teſtamentum enim*, inquit Apoſt. *in mortuis confirmatum eſt*. Huc accedit auctoritas Patrum, qui hanc vocem Chriſti mox Spiritum emiſſuri, *conſummatum eſt*, de legis veteris abrogatione interpretantur. *Ideò* inquit D. Th. q. 103. a. 3. ad 2. *Totaliter debuerunt ceſſare legalia*, *quaſi jam veritate eorum conſummata*. Idem colligunt Patres, ex eo quòd velum templi in morte Chriſti ſciſſum eſt, nempe quòd tunc temporis lex vetus reſciſſa fuerit. *Velum templi ſcinditur*, inquit Aug. Serm. 114. de tempore, *quia Synagoga honore nudatur*, *obſervatio antiqua diſſolvitur*, *Eccleſiæ unitas præmonſtratur*.

Dices. Ex D. Bern. Epiſt. 77. Si lex vetus in morte Chriſti fuiſſet abrogata, Populus Dei ſine lege poſitiva divina, ſaltem uſque ad Pentecoſtem, qua die nova promulgata eſt, permanſiſſet, defuiſſetque per id tempus remedium contra originale peccatum. R. Sicut in civilibus lex antiqua, licèt ſit abrogata in conſilio Principis, vim tamen habet obligandi, eoſdemque parit effectus, donec abrogatio fuerit promulgata; idem de lege veteri dicendum venit, cùm ejus abrogatio promulgata non fuerit,

niſi

Digitized by Google

niſi die Pentecoſtes, proindeque viguit remedium contra originale peccatum uſque ad id tempus.

QUÆR. 7. Quam ob cauſam, legis veteris abrogationem & novæ inſtitutionem, die Pentecoſtes dicitur promulgatam fuiſſe.

℟. Plurimæ adducuntur rationes. 1. Quia conveniens erat, ut eo ipſo Die, quo Judæi recolebant memoriam ſibi traditæ legis in monte Sinai inter tonitrua & fulgura, nova lex promulgaretur, ut figuræ veritas reſponderet. 2. Quia hac Die cum apparatu & ſolemnitate novæ legis publicatio facta fuit, dum ſcilicet Spiritus ſanctus cum ingenti ſtrepitu & in flamma ignis deſcendit in montem Sion, & novam hanc legem proprio digito ſcripſit, non in tabulis lapideis ſicut priùs, ſed in cordibus Fidelium. 3. Quia hac Die Apoſtoli, qui à Paſſione Chriſti latuerant, Evangelii Præcones ſunt deſignati, & jam Spiritu ſancto repleti locuti ſunt variis linguis, Deo ſermonem eorum confirmante ſtupentibus ſignis.

Dices: Poſt Pentecoſtem legem veterem ſaltem in quibuſdam capitibus Apoſtoli obſervaverunt, & obſervandam mandarunt, ut cùm Paulus Timotheum circumcidit, & Apoſt. in Concilio Hieroſolymitano præceperunt, ut Gentiles ad Fidem converſi abſtinerent ſeſe ab Idolothytis, ſanguine & ſuffocato. ℟. Apoſtoli legem veterem in quibuſdam obſervaverunt, & obſervandam mandarunt ad vitandum Judæorum ſcandalum, C. tanquàm ad ſalutem neceſſariam, N. Ex quo deducitur, quòd licèt lex vetus de ſe fuerit inutilis poſt Pentecoſtem, non fuit tamen ex parte eorum, qui ob charitatis motivum eam obſervabant, non quia à Moyſe erat promulgata, ſed quia ab Apoſtolis in quibuſdam præcepta.

QUÆR. 8. Quando legis veteris obſervatio, quæ aliquandiu poſt Pentecoſtem licita fuit, evaſit mortifera, atque ſuperſtitioſa?

℟. Fuiſſe mortiferam quadraginta circiter annis poſt mortem Chriſti, deſtructo videlicet templo ſub Veſpaſiano, & Tito; quod probatur ex diverſis rationibus, propter quas Apoſtoli veteris legis cæremonias aliquandiu obſervarunt, & nonnullas obſervari mandarunt, quæ tunc temporis non ſtabant ampliùs. 1. Ut cum honore Synagoga ſepeliretur. 2. Nè darent locum Hæreticis exiſtimandi ſe legis veteris cæremonias, tamquàm ſacrilegas, deteſtari. 3. Nè exacerbarent, & ab Evangelio deterrerent Judæos, qui his cæremoniis mirum in modum erant addicti, & paulatim eos ab ipſarum obſervatione avellerent: Atqui hæ rationes ſupra dicto tempore non ſtabant. Siquidem 1. deſtructo Templo Hieroſolymitano, in quo uno licitum erat offerre ſacrificia, planè lex antiqua ſepulta fuit. 2. Per præcedentem praxim Apoſtolorum, & ipſorum Diſcipulorum, qui legalia obſervarunt, ſatis fuerat demonſtratum ipſam de ſe nec eſse malam, nec ſacrilegam. 3. Opus non erat diuturniori œconomia cum Judæis, jam longè lateque promulgato Evangelio: Imò periculum erat, nè diuturnior legalium obſervatio faveret errori aliorum Hæreticorum contendentium, ea eſſe ad ſalutem neceſsaria, proindeque gratis Chriſtum eſse mortuum.

Porrò fundamentalis ratio, propter quam legis obſervatio à deſtructione Templi Jeroſolymitani mortifera fuit, non autem Apoſtolorum tempore, in eo præcisè ſita eſt: quòd, qui eam exinde obſervaſset, cum abſque ulla juſta cauſa id faceret, videretur ſperare cum Judæis Chriſtum venturum, & ea impleturum, quæ à lege promiſsa ſunt. Nec etiam Apoſtolorum tempore, ante templi Jeroſolymitani everſionem, legalia obſervare minimè licitum fuit ea mente, ut ſpes ſalutis in his collocaretur: quo ſenſu ipſemet D. Paulus, qui longè ante hanc everſionem Timotheum circumcidit, proteſtatur ſcribens ad Gal. c. 5. *Quia ſi circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit*; id eſt ſi legalia obſervatis, tanquàm ad ſalutem neceſſaria. Unde Petro jure ac merito in faciem reſtitit, non quidem quòd præcepta legalia ſervaret, ſed quòd minus cautè id faceret, animo ſcilicet Judaiſmum ſimulandi, quod in his circumſtantiis malum erat, & ſcandalum pariebat inter Gentiles, qui inde putabant legalium obſervationem omninò eſse neceſſariam.

Dices. Abſtinentia ab Idolothytis, ſanguine & ſuffocato, diutiſſime poſt Templi Jeroſolymitani everſionem in multis Eccleſiis obſervata fuit, & à multis Conciliis & Patribus commendata: Imò & nunc viget apud Græcos; Ergo ſtatim poſt hanc everſionem nociva, & mortifera non fuit.

℟. Nonnulla de lege leviora præcepta Eccleſiam admittere potuiſse, non quatenus à lege Moſayca erant præcepta, ſed quatenus ab Apoſtolis commendata: quo ſenſu hæ leviores cœremoniæ potiùs ad legem novam, quàm ad veterem pertinebant.

bant. Deinde in nonnullis Eccleſiis hæc abſtinentia retenta eſt, vel ut ſuam erga Apoſtolos reverentiam reſtarentur, vel ut ſingularis temperantiæ exemplum exhiberent, vel demum, quod ſpectat ad Idolothyta, propter ſcandali periculum; nè ſcilicet, ſi Fideles hujuſmodi cibos manducaſsent, falſorum numinum, quibus conſecrati erant, cultores haberentur.

QUÆR. 9. Quale fuerit Auguſtinum inter & Hieronymum circa legalium obſervationem celebre diſſidium?

℞. Sanctos Doctores cum aliquo æſtatu inter ſe pugnaſse. 1. Quod Hieronymus contenderet legalia ſtatim poſt Chriſti mortem, non ſolùm mortua fuiſse, ſed & mortifera; his nempè ſolummodò, qui ea ad cultum Dei exhibendum obſervabant; proindeque Apoſtolos ea ad Dei cultum uſurpaſse tantùm ſimulatoriè, ſimulando nempè per hæc legalia Deum colere velle, nè Judæos ſcandalizarent. Auguſtinus verò fatebatur quidem legalia mortua fuiſse, ſed negabat etiam ad Dei cultum exhibita tunc fuiſse mortifera; affirmabatque ex animo pio, ac ſincero Apoſtolos poſt mortem Chriſti iiſdem uſos fuiſse. 2. Docebat Hieronymus D. Petrum nè levioris quidem culpæ reum fuiſse, cùm Antiochiæ Gentes coegit judaizare; & ſimulatoriè tantummodo, non ſincerè à D. Paulo correptum fuiſse. Auguſtinus è contrà affirmabat, ipſum ſincerè D. Petrum arguiſse, utpotè verè reprehenſibilem; quia debitam non adhibuit diligentiam, nè facto ſuo ſcandalum inter Gentes exoriretur.

QUÆR. 10. Quid de hac controverſia ſit ſentiendum?

℞. Divi Auguſtini mentem amplectuntur communiter Theologi. Ratio eſt quoad priorem quæſtionem, quòd hac ſimulatione uti non potuiſsent Apoſtoli abſque vero mendacio, & graviſſimo ſcandalo. Mendacio, inquam, quia ſigna externa adhibuiſsent, ad ingerendam in Judæorum animos falſam opinionem hujuſmodi cœremoniis ſe Deum religioſè colere, quod tamen longe ab eorum mente aberat. Scandalo verò, quia hoc ſuo exemplo docuiſsent Judæos ſervare legalia, quæ cùm in ſententia D. Hieronymi mortifera eſſent, ad peccatum eos protraxiſsent. Ratio quoad poſteriorem quæſtionem in eo ſita eſt, quòd, ſi D. Petrus in hoc facto ab omni culpa etiam levi fuiſset immunis, & ſimulatè tantummodò D. Paulus eum reprehendiſſet, non ſolùm eum ſic increpando imprudenter meritus fuiſset, ſed hanc reprehenſionem Fidelibus in Epiſ. ſua ad Galat. 2. enarrando, maxima injuria, & calumnia D. Petrum affeciſset; cùm D. Paulus in hac Epiſtola expreſse dicat, D. Petrum peccaſse atque reprehenſibilem fuiſse, quia in his circumſtantiis cœteros exemplo ſuo ad judaizandum provocabat, dum è Gentilium menſa recedebat; quæ omnia vel ne cogitari quidem poſsunt de tantis viris.

CAPUT III.

De Lege nova, ſeu Evangelica.

PEr legem novam & Evangelicam intelligimus eam, quæ à Chriſto Domino eſt condita, & à Spiritu ſancto die Pentecoſtes promulgata. Ipſa verò duobus conſtat, gratia nimirum Spiritus ſancti, quæ datur per Fidem Chriſti, & præceptis quæ ipſemet Chriſtus obſervari mandavit; cum hoc diſcrimine, quòd gratia Spiritus ſancti ſit velut anima & forma legis Evangelicæ; præcepta autem à Chriſto impoſita ſint veluti ipſius corpus, & materia. De lege nova ſub utraque ratione uſurpata nonnulla quæruntur, hic breviter diſcutienda.

Quæſtiuncula de Lege nova.

QUÆR. 1. Utrùm lex nova, pro gratia interiore uſurpata, ſit lex verè ac propriè dicta?

℞. Affirmativè; quia vera eſt rationis ordinatio ab ipſo Deo, qui eſt ſuprema ratio, facta in bonum publicum, & à Spiritu ſancto promulgata, dum eam magno apparatu, ac ſtrepitu die Pentecoſtes in Fidelium cordibus indidit, cum intentione obligandi; adeò ut quiſquis ab ipſa deficit, & excidit, prævaricationis reus conſtituatur. Deinde lex nova, quatenus Spiritus ſancti gratia, mentem irradiat, voluntatem accendit, dictat & ſuo modo intimat, atque imperat, quid agendum nobis ſit, quidve fugiendum; Ergo lex eſt vera ac proprie dicta.

QUÆR. 2. Utrùm lex nova ſit lex ſcripta?

℞. Legem novam proprie non dici ſcriptam; cùm ſecundùm principaliorem ſui partem à Spiritu ſancto nobis ſit indita. Scripta tamen dici & poteſt, & debet; tum quia illud impropriè in cordibus ſcribitur, quòd in ipſis diffunditur, juxta illud Jerem. 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum,*

& in

Digitized by Google

& in cordibus eorum ſcribam eam; tum quia, ſecundario ſumpta lex nova, verè ac propriè exteriùs ſcripta eſt, tum in libris novi Teſtamenti, tum in Sanctorum Patrum monumentis.

QUÆR. 3. Utrùm lex nova alia ſit à veteri?

℟. Cum D. Thom. Si lex nova ſpectetur quoad finem, certum eſt à veteri nullatenus differre; cùm utriuſque legis unus, & idem ſit finis, nimirum ut homines ſubdantur Deo: *Unus enim Deus eſt*, inquit Apoſt. Rom. 3. *qui Juſtificat circumciſionem in Fide, & præputium per fidem*. Si verò lex nova ſpectetur quoad modum, quo ad finem perducit, evidens eſt aliam eſſe a veteri, quod in ſequenti quæſtione patebit.

QUÆR. 4. In quibus lex nova à veteri differat?

℟. In his maximè inter ſe differre. 1. Quòd lex vetus eſſet lex ſervilis, quæ non conſiliis, ſed tantùm præceptis regebat Judæos, tanquam ſervos, præcipuè pœnarum metu: Lex verò nova, lex filialis, & libertatis, quæ præceptis ſuis ſuperaddit conſilia, obſervatu libera, non pœnarum metu extorta. 2. Quòd lex vetus fuit umbra, & figura novæ; nova autem veteris perfectio, & complementum, proindeque nunquàm abroganda. 3. Quod lex vetus ex ſe ad juſtificationem non valeret, quatenus gratiam non habebat, ſed illam per Fidem in Chriſtum venturum ex lege nova veluti mendicabat. 4. Quòd jugum veteris legis durum erat, & importabile, quia continebat 613. præcepta, nimirum 248. affirmativa; quot numerantur oſſa in homine, & 365. negativa, quot dies in anno. Legis vero novæ jugum ſuave eſt, & leve; quia longè pauciora præcepta continet, & gratiam ac charitatem inſtillat, quibus præcepta obſervatu evadunt longe faciliora: Ex ſupradictis aliæ diſſimilitudines facilè colliguntur.

QUÆR. 5. Quam ob cauſam lex nova data non fuit à principio mundi?

℟. D. Thomas hujuſce Providentiæ diſpoſitionis triplicem affert cauſam. 1. Quia lex nova principaliter eſt gratia Spiritus ſancti, quæ *abundanter* dari non debuit, antequàm impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, conſummata redemptione per Chriſtum. 2. Quia aliquid ad perfectum non adducitur ſtatim à principio, ſed imperfectum præcedere conveniens eſt. 3. Quia oportuit primùm ut homo ſibi relinqueretur per aliquod tempus, ut gratia ſe indigere agnoſceret. Non quòd hominibus ſub lege veteri defuerit gratia ſufficiens, qua ſalvari potuerint, hoc enim longe alienum eſt à mente S. Doctoris; ſed quòd ſub hac lege minùs *abundanter* minuſve efficaciter miniſtrabatur, quàm nunc in lege nova.

QUÆR. 6. Quotuplicis generis ſint Præcepta legis novæ?

℟. Triplicis Moralia, ſcilicet, Sacramentalia, & Fidei. De Moralibus ſermonem facit Chriſtus, Matth. 5. 6. & 7. ubi proponit Præcepta Decalogi, quæ propriè ad mores pertinent. De Sacramentalibus, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis*, &c. de Præceptis Fidei, Matth. 16. *Qui crediderit, & Baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*.

Porrò moralia Præcepta à Chriſto Domino non fuere de novo inſtituta; ſed explicata, & auctoritate ſua confirmata. Ideò lex naturalis ſic per Chriſtum explicata & confirmata, eſt verè Divina, & Evangelica, & qui poſt promulgatum Evangelium in legem naturalem peccat, is nedùm jus naturæ, ſed etiam Chriſti, & ejus gratiæ ſolvit. Sacramentalia verò Præcepta à Chriſto Domino fuere de novo inſtituta, ut eſſent loco veterum, quæ ab ipſo ſunt abrogata. Quoad Fidei Præcepta ſubſtantialiter de novo inſtituta non fuerunt; cum ſubſtantialiter eadem ſit Fides novi ac veteris Teſtamenti; & veri Iſraelitæ omnia crederent futura, quæ Chriſtiani credunt impleta; nec ullus Judæorum abſque Fide in Chriſtum venturum, ſalvus fieri potuerit, non ſecus ac, & nos ſalvi eſſe non poſſumus abſque eadem Fide in Chriſtum jam natum, & hunc crucifixum. Idcircò Præcepta Fidei accidentaliter tantummodò de novo fuerunt inſtituta; quatenus clariùs fuere explicata, apertiùs revelata, & in nova lege credenda diſtinctè propoſita; Myſteria, ſcilicet, Trinitaris, Incarnationis, Redemptionis, &c. quæ in lege veteri obſcurè tantum fuere cognita, & imperfectè credita.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Lege poſitiva humana.

DUæ ſunt, uti jam dictum eſt, legis humanæ ſpecies, Civilis, nimirum, quæ in terrena Civitate ad pacem terrenam fertur à Principibus ſæcularibus, & Canonica quam in Chriſtiana Religione ad promovendam Fidelium ſalutem, Eccleſiæ Prælati condiderunt. Utraque dividitur. 1. In ſcriptam, ubi eſt Corpus Juris Canonici, & Civilis, & in non ſcriptam, quæ nimirum praxi, & communi uſu recepta eſt. 2. In communem, quæ univerſam Eccleſiam totumque obligat Imperium; & municipalem, quæ alicui vel Provinciæ, vel Civitati, vel Diœceſi eſt propria. Quid ſit utrumque Jus commune ſcriptum hìc nobis diſquirendum ſupereſt.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Jus Civile.

Not. DUplex Jus in Gallia diſtinguitur, Romanum nempè, & Gallicum; Galli quippe Judices duplicis illius Juris auctoritate pendentes lites dirimunt. Unde.

QUÆR. 1. Quid ſit Jus Gallicum?

℟. Jus Gallicum conſuetudine magis quàm ſcriptis legibus contineri; ſed, præter conſuetudines in diverſis Provinciis receptas, ipſum varia Regum Edicta complectitur, quorum nonnulla uſu ſunt recepta, alia non obſervantur, de quibus Juriſconſulti conſulendi ſunt.

QUÆR. 2. Quid ſit Jus Romanum?

℟. Jus Romanum in quinque partes dividitur; nimirum in *Codicem*, qui duos libros complectitur: *Digeſtum* ſeu *Pandectas*, quæ quinquaginta libros continent: *Inſtitutiones* ſeu *Inſtituta*, quæ quatuor libris conſtant; Authenticam ſeu Novellam, cujus unicus extat liber; & demum in librum unicum *Feudorum*: qui omnes libri juſſu Juſtiniani Imperatoris fuerunt collecti. Extabant quippe priùs tres *Codices*, complectentes Leges, & Conſtitutiones anteriorum Imperatorum, quos in unum librum congeſſit, quemque nomine ſuo appellari voluit, *Codex Juſtiniani*. Deinde idem Imperator veterum Juriſconſultorum volumina in duo millia librorum diſperſa in 50 libros collegit, & digeſſit, ac ideò *Digeſtum* ſeu *Pandectas*, à verbo Græco *totum capio*, vocavit. Prætereà Juſtinianus, faciliorem ac breviorem viam ad Juriſprudentiam addiſcendam tradere volens, conſcribi mandavit univerſi Juris elementa, quæ *Inſtitutiones* ſeu *Inſtituta* dicuntur, quoniam autem prior Codex non erat ſatis accuratè ſcriptus, alium emendatiorem edidit duodecim libris concluſum, & *Codicem repetitæ lectionis* vocavit. His omnibus addidit inſuper varias Conſtitutiones, quas Imperii ſui tempore promulgavit, & *Authenticas* ſeu *Novellas* appellari Juſſit. Demum ejus juſſu liber *Feudorum*, quo jura *Feudalia* exponuntur, prodiit.

QUÆR. 3. Quomodo citetur Jus Civile?

℟. 1. Digeſta ſeu Pandectæ hoc modo citantur L. *Si aliena* D. vel ff. *de uſucapione*: Ubi L. ſignificet legem, *Si aliena* primum verbum legis. D. vel Digeſtis, *de uſucapione* titulum. 2. Eodem modo citatur Codex, excepto quòd loco D. vel ff. ponatur, C. & legatur Codice loco Digeſtis. 3. Inſtitutiones hoc modo citantur: *Inſt. de Rer. Div. §. Item ea*; id eſt, in Inſtitutionibus Juſtiniani, titulum de Rerum diviſione, ſ. qui incipit *item ea*. 4. Authenticarum ſic fit citatio. *Authet.* vel *Novel. 66. §. igitur etiam*; vel ſic ſcribitur *Authent. de Len. ſ. Sancimus*; id eſt, in authentica, de Lenonibus, ſ. *Sancimus*. 5. Liber Feudorum ſic allegatur: *Feud. de probib. Feud. alien.* C. vel L. *Quoniam*; id eſt, in libro Feudorum in titulo de prohibita Feudi alienatione, in capite, vel lege, quæ incipit *Quoniam*.

QUÆSTIO II.

Quid ſit Jus Canonicum.

Not. JUs Canonicum, ſi vim nominis ſpectes, Canon ſeu Regulam ſignificat; ideò quidquid mores Fidelium ad ſalutem æternam conſequendam regulare poteſt, ad Juris Canonici rationem pertinet; nempè Scriptura ſacra, Apoſtolorum Traditiones, Conciliorum Generalium Decreta & particularium ab ipſo capite confirmatorum, denique Sum. Pontificum Epiſtolæ decretales. Horum omnium collectio univerſum Corpus Juris Canonici in varias partes diſtributi complectitur. Quocirca.

QUÆR. 1. Quibus partibus integratur Jus Canonicum?

℟. Quin-

℟. Quinque partibus. 1. Ex Decreto. 2. Ex Decretalibus. 3. Ex ſexto Decretalium. 4. Ex Clementinis. 5. Ex Extravagantibus.

Decretum Gratianus S. Benedicti Religioſus Bononienſis an. circiter 1150. compilavit ex S. Scripturæ ſententiis, Conciliorum & Sum. Pontificum Decretis ac reſponſis, Imperatorum legibus, & SS. Patrum, &c. Eccleſiaſticorum Hiſtoricorum dictis, ipſiuſque Gratiani, ejuſque Diſcipuli Paleæ Commentariis. Opus ſuum inſcripſit, *Concordantia diſcordantium Canonum*, & in tres partes diviſit.

Prima Diſtinctiones unam ſupra centum continet, in quibus agit de Jure humano, de iis quæ pertinent ad mores componendos, & ad Eccleſiaſticam diſciplinam. Loca autem ex hac parte excerpta, hoc modo citantur. Can. vel C. *Jus Generale*, vel *Conſuetudo*, vel *ſi mulier*, prout incipit primum verbum Capitis vel Canonis, Diſt. 1. vel 2.

Secundas pars complectitur Cauſas 36. Quæſtionibus ſeu Capitulis diſtinctas, inter quas cauſas 33. quæſt. 3. ſeptem habet diſtinctiones de pœnitentia. Quæ ex hac parte deſumuntur, hoc modo citantur: Can. vel C. *Gratia* 1. q. 1. Id eſt, Canone qui incipit *Gratia*, cauſa 1. quæſt. 1. itaut numerus ante q. denotet quota ſit cauſa, & poſt q. quota ſit quæſtio.

Tertia pars inſcribitur de *Conſecratione*, & diſtinctiones quinque complectitur, & hoc modo citatur: *De Conſecr.* Diſt. 1. C. *vaſa*; id eſt, in titulo de Conſecratione, diſtinctione prima, Capitulo quod incipit *Vaſa*.

Decretales ſic dictæ, quia magis ex Sum. Pontificum Conſtitutionibus coaleſcunt, quam ex Conciliorum Decretis, compilatæ fuerunt juſſu Greg. IX. à S. Raymundo de Pennafort, & in 5. libros ſunt diviſæ, quorum materia hoc verſiculo exprimitur.

Judex, Judicium, Clerus, Sponſalia, Crimen.

Solent ſic citari Decretales ſimpliciter ſine ullo adjecto. Cap. *Cæterum* de Judiciis; id eſt, Capitulum quod incipit, *Cæterum*, in titulo de Judiciis.

Sextus Decretalium ſic dictus, quia prædictos quinque Decretalium libros ſequitur, à Bonifacio VIII. ex diverſorum Pontificum reſponſis compilatus eſt. Eodem modo citatur ac Decretales, excepto quod addatur in 6. cap. *Cum in tua* de conſuetudine; id eſt, in ſexto capite quod incipit, *Cùm in tua*, &c.

Clementinæ, à Clement. V. ſic dictæ, complectuntur Conſtitutiones tum ejuſdem Pontificis, tum Concilii Viennenſis, cui ipſe præfuit. Has abſolvit & publicavit Joannes XXII. & hoc modo allegantur: Clem. *Exivi* de verb. ſignificatione, & aliquando additur *ſ*.

Extravagantes ſic appellatæ, quia extra Corpus Juris Canonici antea quaſi vagabantur, & poſthac in ordinem Juris redactæ ſunt, partim à Joan. XXII. partim ab aliis Pontificibus; & ideò nonnullæ Extravagantes Joannis nuncupantur, aliæ communes vocitantur. Sic allegantur: *Extrav. ambitioſæ* de Reb. Eccl. non alien, id eſt Extravagans, quæ incipit *ambitioſæ*, & quæ eſt de rebus Eccleſiaſticis non alienandis; cui additur *int. comm.* ſeu inter Extravagantes communes, cùm de his agitur.

QUÆR. 2. Qua auctoritate in Eccleſia hoc corpus vigeat?

℟. Cum Gratiani Decretum à nullo hactenus Pontifice ſolemniter & authenticè ſit confirmatum, non omnes Canones & Capita ejus juris obtinent auctoritatem, niſi alias ab aliquo Concilio vel Pontifice canonizata ſunt, vel inveniantur inter Decretales Clementinas, & Extravagantes, quæ in plurimis Regionibus legis vigorem ſunt aſſecutæ. Quoad nos Gallos, nec Decretum, nec Decretales, nec Clementinæ, nec Extravagantes vim legis aut juris auctoritatem habent, niſi in his rebus, in quibus cum antiquis noſtris moribus, & receptis in Regno uſibus, concordant.

Adnotatio 13.

(*)

Varium Decretalium pondus refert Benedict. XIV. in Epiſtola ad Archiepiſcopum S. Dominici in Inſula Hiſpaniola, *cujus verba hic juvat exponere ad hoc, ut earum authoritates in citationibus quiſque dignoſcere valeat.* " *Non hic agi-*
„ *tur*, ait ipſe, *de Gratiani Decreto, quod ut-*
„ *pote privata auctoritate confectum tantam vim*
„ *habet, quantam Textus in eodem adducti ex*
„ *ſe ipſis habere noſcuntur. Non agitur de ali-*
„ *qua ex aliis quinque Decretalium Compilatio-*
„ *nibus, quæ Greg. IX. opus præceſſerant, &*
„ *quorum nonnullæ a privatis Auctoribus concin-*
„ *natæ fuerunt. Res eſt de ſexta illa compila-*
„ *tione, quam Gregorius Pontifex a S. Raymun-*
„ *do de Pennafort adornari juſſit, quamque ap-*
„ *probatione Pontificia munivit, mandans, ut*
„ *ea ſola deinceps in Tribunalibus, & Scholis*
„ *deberet uſurpari. En illius verba in Præfa-*
„ *tione Decretalium:* Volentes igitur ut hac

„ tantum Compilatione univerſi utantur in
„ Judiciis, & in Scholis diſtrictius prohibemus,
„ ut quis præſumat aliam facere abſque au-
„ ctoritate Sedis Apoſtolicæ. *Non latuit Gre-*
„ *gorium multa in Decretalibus reſecata fuiſſe*
„ *ab earum Compilatore, quum idem Pontifex*
„ *in dicta Præfatione hoc ipſum innuat iis ver-*
„ *bis*; reſecatis ſuperfluis: *Voluit tamen ſingu-*
„ *lis Conſtitutionibus præfixum manere nomen*
„ *earum Auctoris. Idem quoque deinceps præſti-*
„ *tit Bonifacius VIII. in ſua Compilatione Li-*
„ *bri VI. ſimilium Decretalium a Romanis Pon-*
„ *tificibus conditarum, quibus licèt multimodè,*
„ *ubi opus fuit, a ſe immutatis, atque trunca-*
„ *tis, nihilominus præfixum reliquit Auctorum*
„ *nomen; ſiquidem ipſe Bonifacius ſic loquitur*
„ *in Proæmio:* Pluribus plane reſecatis, reli-
„ quis quibuſdam ex eis abbreviatis, aliqui-
„ bus in toto, vel in parte mutatis, multiſ-
„ que correctionibus, detractionibus, & addi-
„ tionibus, prout expedire vidimus factis in
„ ipſis. *Conſtat etiam Clementem Papam V. pa-*
„ *ri modo ſe geſſiſſe, dum ſuo Clementinarum*
„ *Libro inſeruit Concilii Viennenſis Conſtitutiones*
„ *tamquam a ſeipſo factas in eodem Concilio,*
„ *quamvis Synodo peracta, eas reſecaſſet, atque*
„ *mutaſſet, uti teſtatur Jo: Andrea in Gloſſa ad*
„ *Præfationem earumdem Clementinarum . . . .*
„ *Sic igitur Prædeceſſor noſter Gregor. IX. ſuam*
„ *confici juſſit Decretalium Compilationem, qua*
„ *hodie in Scholis, & in Foro utimur, eamque*
„ *abrogatis aliis prioribus, publica auctoritate,*
„ *& Pontificia confirmatione munivit.* „ *Hic clarius adhuc habemus quid ſit de Decretalibus ſentiendum; quali uſi fuerint methodo earum Compilatores, & quales ſint, quæ publica authoritate fruuntur.*

(*)

QUÆR. 3. Quid ſint Litteræ Apoſtolicæ?

℟. Litteræ Apoſtolicæ dicuntur eæ, quæ expediuntur in Curia Romana per Papam vel ejus nomine. Dividi ſolent in Privilegia, Mandata & Reſcripta. Reſcripta ſub dividuntur in Reſcripta gratiæ & Reſcripta juſtitiæ: Utraque pro formarum, in quibus expediuntur, diverſitate, dicuntur Signaturæ, Brevia, Bullæ ſeu Conſtitutiones.

Privilegium jam ſupra expoſuimus. *Mandatum* eſt illud, quo Papa mandat Ordinario, ut certæ alicui Perſonæ de Beneficio vacante provideat. Quòd ſi de Beneficio vacaturo agatur, illud Mandatum *Gratia Expectativa* dicitur, quæ apud nos locum non habet. *Reſcripta Juſtitiæ* ea ſunt, quæ debitum auxilium petentibus concedunt, & ad lites ut plurimùm, ac juſtitiæ adminiſtrationem pertinent, cujuſmodi ſunt Evocationes, Delegationes, &c. E contra *Reſcripta gratiæ* ex mera liberalitate Pontificis impetrantur, ut Diſpenſationes, Indulgentiæ, Rehabilitationes, Proviſiones Beneficiorum tam in forma *gratiæ vel pauperum*, quàm in forma *dignum*. *Signaturæ* in Papyro conſcribuntur, neque muniuntur ullo Sigillo. *Breve* eſt brevis ſcriptura quæ in negotiis parvi momenti vel in Papyro, vel in membrana conſcribitur, muniturque Sigillo in cera, vel rubea, vel viridi, ſub annulo Piſcatoris, ac præterea Secretarii ſubſcriptione. *Bullæ* ſunt conceſſiones aut ordinationes in rebus gravioribus; nec niſi in membranis deſcribuntur, & cum Bulla plumbea pendente à Datario, id eſt Eccleſiæ Notario, expediuntur.

Porrò hæ omnes Litteræ in foro interno parem auctoritatem obtinent; ſed in foro externo prævalet Jus commune Conciliis, Concilia Bullis, Bullæ Brevibus, Brevia Signaturis, Signaturæ verò vivæ vocis oraculis. De his omnibus conſulendi ſunt Auctores, & hic ſermonem continebimus, nè Theologiæ Tyronum mentem ac memoriam nimia prolixitate obruamus.

APPENDIX PRIMA.

De Præcipuis ac communioribus Eccleſiæ præceptis.

(*)

Propoſitiones damnatæ quoad Eccleſiæ Præcepta.

1. “ Præceptum ſervandi feſta non obligat “ ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit “ contemptus. Damnata fuit ab Innocentio XI. an. 1697. in ordine 52.
2. “ Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo “ Sacro qui duas ejus partes, imò quatuor “ ſimul a diverſis Celebrantibus audit. Ab “ eodem. Eſt 53.
3. “ Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod “ tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex “ contemptu, vel inobedientia hoc facit; “ puta quia non vult ſe ſubjicere præcepto. “ Damnata fuit ab Alexandro VII. an. “ 1666. Eſt 28.
4. “ In die jejunii qui ſæpius modicum quid “ comedit, etſi notabilem quantitatem in fi- “ ne comederit, non frangit jejunium. Ab “ eodem. Eſt 29.
5. “ Omnes Officiales, qui in Republica cor- “ poraliter laborant, ſunt excuſati ab obli- “ gatione jejunii; nec debent ſe certificare “ an labor ſit compatibilis cum jejunio. “ Eſt 30.

6. „ Ex-

6. " Excuſantur abſolutè a præcepto jejunii " omnes illi, qui iter agunt equitando, " utcumque iter agant, etiamſi iter neceſ- " ſarium non ſit, & etiam ſi iter unius diei " conficiant. Eſt 31.

7. " Non eſt evidens quod conſuetudo non " comedendi ova, & lacticinia in Quadra- " geſima obliget. Eſt 32.

8. " Qui facit Confeſſionem voluntarie nul- " lam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. Da- " mnata fuit ab Alexandro VII. an. 1665. " Eſt in ordine 14.

9. " Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, " qui confitetur Regulari, Epiſcopo præ- " ſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato. " Eſt 13.

(*)

Præcipua ac communiora Eccleſiæ præcepta, quæ omnes cujuslibet conditionis ligant Fideles, ſex vulgò annumerantur, prout in Catechiſmo rudiori plebi proponi conſueverunt. 1. *Sacrum Miſſæ Officium diebus Dominicis Feſtiſque præceptis reverenter audito.* 2. *Peccata tua ſingulis ſaltem annis confitetur.* 3. *S. Euchariſtiam ad minimum ſemel in anno; id eſt, circa Feſtum Paſchæ, ſumito.* 4. *Statutos ab Eccleſia Feſtivos dies celebrato.* 5. *Quatuor Temporum, Vigiliarum, & Quadrageſimæ indicta Jejunia obſervato.* 6. *Feria ſexta, & Sabbatho ab eſu carnium abſtineto.* De quibus ſingulis, quæſtiones varias breviter proponemus & explanabimus.

De Primo Eccleſiæ Præcepto.

QUÆR. 1. An præceptum iſtud ſub mortali obliget?

R. Affirmativè: Quod probatur tum ex Can. 10. Apoſtolorum: *Omnes Fideles*, & capit. *Miſſas* de Conſecratione. Diſt. 1. tum ex communi ſenſu Fidelium, qui hoc Eccleſiæ præceptum, tanquam gravem inducens obligationem, ſemper & ubique obſervarunt. Excuſat tamen à mortali, ſicut & in aliis præceptis, materiæ levitas, quæ communiter eſſe cenſetur ab initio uſque ad Evangelium excluſivè, & à Communione excluſivè uſque ad finem. Miſſam autem ab uno Sacerdote integram audire quiſque tenetur, ideoque præcepto minimè ſatisfaceret, qui partem Miſſæ mediam ab uno Sacerdote, & alteram ab alio celebratæ audiret; quia partes illæ nullam inter ſe, tum realem, tum moralem connexionem habent; & neutra ex illis ad unum Sacrificium conficiendum coaleſcit. Porro nulla extat obligatio Miſſam audiendi Feria quinta, & ſexta, Sabbatho majoris Hebdomadæ, neque Diebus Rogationum: Et in Die Nativitatis Domini unam tantummodo Miſſam audire tenemur.

QUÆR. 2. Quomodo Miſſa ſit audienda?

R. Tria neceſſariò requiruntur ad Miſſam audiendam, quorum, ſi vel unum deſit, præcepto non ſatisfit.

1. Requiritur *Moralis & humana præſentia corporis*; ita ut ſaltem aliquo ſenſu percipi poſſit, quòd Miſſa celebratur. Dixi, *ſaltem aliquo ſenſu*. Si quidem non eſt neceſſe auribus audire, aut oculis videre Sacerdotem celebrantem; cùm ſurdus, & cæcus huic præcepto ſatisfacere poſſint. Imò & hi, qui in magnis Eccleſiis & magno Populorum concurſu, poſt oſtium, vel columnam, aut in feneſtra, vel extra Eccleſiam ita ſunt præſentes, ut ex aliorum geſtibus percipere valeant quid à celebrante agatur, præcepto ſatisfaciunt. Item & ſatisfaciunt Miſſæ inſervientes, qui neceſſaria ad Miſſam celebrandam allaturi: v. gr. vinum, hoſtiam, thus, &c. ab Eccleſia recedunt, modo non longiùs recedant; quia, cum hæc ad Sacrificium ordinentur, non cenſentur abeſſe.

2. Requiritur *intentio*, generalis ſaltem, confuſa, & interpretativa, ut jam dictum eſt, Miſſam audiendi, imo & virtualis ſaltem intentio Deum colendi, & orandi, &c.

3. Requiritur *intentio*, nedum externa & materialis, qua advertatur quid fiat; ſed & attentio interna, & formalis, qua virtualiter ſaltem ſimus attenti ad Deum colendum, orandum, &c. Unde; qui Miſſam audiens dormit, pingit, ſcribit, profana legit, confabulatur, & voluntariè per notabile tempus mente eſt diſtractus, præcepto non ſatisfacit.

QUÆR. 3. Utrùm ad Miſſam audiendam ſtatus gratiæ ſit neceſſarius?

R. Negativè, quia Eccleſia omnibus, & ſingulis indiſcriminatim Fidelibus diſtrictè præcipit, ut ſtatutis diebus Sacro interſint; nec extat ulla lex Divina, aut Eccleſiaſtica, quæ ab hoc Sacrificio criminoſos, niſi ad ſummum notorios, & publicos; arceat; ut videre eſt in Trid. ſſ. 22. *de obſerv. & vit. in celeb. Miſſæ*. Unde jure merito in Conſtitutione *Unigenitus*, damnatur propoſitio 89. Queſnelli, decimum quartum converſionis gradum effingentis, quo peccator Sacrificio Miſſæ aſſiſtendi jus tandem obtinet. *Parochus* tamen, juxta Conc. Mediol. III. *Populum ſæpè admoneat, quò ex propitiatorio*

Digitized by Google

tiatorio illo Sacrificio uberiorem fructum capere poſſit, ut Campanæ ſigno dato, quo Fideles ad Miſſæ Sacrum vocantur, ſeſe quiſque colligens, ſi ſibi alicujus mortiferi peccati conſcius eſt, ſummo ex dolore affectus, vitæque emendandæ certo ſtabilique propoſito ſuſcepto, ſupplex à Deo veniam petat. Ubi notanda ſunt hæc verba, *quo ex propitiatorio illo*, &c. quæ manifeſtè indicant ſtatum gratiæ neceſſariò non requiri; ſed ut inde *fructus uberior percipi poſſit*.

QUÆR. 4. Quæ ſint cauſæ ab auditione Sacri excuſantes?

℞. Nedum impotentia phyſica, & abſoluta excuſat, ut patet; ſed, & impotentia moralis; id eſt difficultas ex notabili incommodo proprio, vel proximi corporis, vel bonorum, vel etiam famæ; quia hæc eſt mens Eccleſiæ, quæ, utpotè prudens, & benevola Mater, cum tanto incommodo obligare non intendit. Utrùm autem, qui Sacro intereſſe nequit, teneatur per aliquod bonum opus, vel per preces, illud ſupplere, & aliquem cultum Deo exhibere; certum eſt ad id teneri diebus ſaltem Dominicis; quia juris naturalis ac divini præceptum eſt, aliquem Hebdomadæ diem cultui divino conſecrare. Dixi *Diebus ſaltem Dominicis*. Cenſent enim Auctores plurimi, eamdem diebus Feſtis non eſſe obligationem; quia nimirum, cum Feſtorum inſtitutio de jure ſit merè humano, ea obligatione per impedimentum legitimum ceſſante, nulla remanet alia obligatio. Sed hoc minùs aptè dictum videtur; cùm diſtrictè ab Eccleſia præcipiatur, ut ſtatutus ab ipſa dies Feſtus aliquo modo, quantùm moraliter fieri poteſt, ſanctificetur; non ſecus ac jure naturali divino jubemur, aliquem Hebdomadæ diem cultui divino dedicare: Ergo, ſi dies Feſtus per indictam Miſſæ auditionem nequeat ſanctificari, per aliam piam actionem fieri debet, ſi abſque gravi incommodo fieri poſſit. Nec ulla lex allegari poteſt, aut Eccleſiæ authentica declaratio, quæ ab aliquali ſaltem Feſtorum ſanctificatione diſpenſet Fideles, qui aliunde ab auditione Sacri legitimo impedimento præpediuntur.

QUÆR. 5. Utrùm Fideles Dominicis Feſtiſque diebus Miſſam in Regularium Eccleſiis audientes, Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant.

℞. Affirmativè, prout definitum eſt atque declaratum à Leone X. an. 1517. & Pio V. 1567. *Chriſti Fideles*, inquit, *audiendo Miſſas, & alia Divina Officia in Eccleſia Fratrum hujuſmodi, diebus Dominicis aut Feſtivis præcepto Eccleſiæ de illis audiendis ſatisfeciſſe cenſeantur.* Monendi ſunt tamen Populi, juxta mentem Concil. Tridentini ſeſſ. 24. de Reformat. c. 4. & aliorum Conciliorum, ut frequenter ad Parochias ſuas, præſertim diebus Dominicis, & Feſtis majoribus, *ubi commodè id fieri poteſt*, accedant. Licèt enim ad id diſtrictè non teneantur; ut conſtat, tum ex conſuetudine univerſaliter tunc temporis recepta, tum ex praxi timoratorum, etiam ipſorummet Parochorum, pietate, & doctrina præſtantium, qui ea de re pœnitentes interrogare nequidem cogitant, tum etiam ex Decreto à Clem. VIII. edito an. 1592. 22. Decembris, ad hanc controverſiam Duaci excitatam dirimendam; piiſſimum tamen eſt atque convenientiſſimum, ut quiſque, frequentiùs quàm fieri poteſt, Miſſæ Parochiali interſit. Imò, & qui ad eam accedere negligeret, peccare poſſet, etiam lethaliter. 1. Si ex proprii Parochi contemptu id faceret. 2. Si Parochus inter Miſſarum ſolemnia nonnulla ad Populi ſui inſtitutionem haberet exponenda, quæ Parochiani ſcire tenentur, ut plerumque in Pagis, & ruralibus Parochiis contingere conſuevit. 3. Si Epiſcopus ſub aliqua Cenſura, etiam comminatoria, id præciperet. Unde jure ac merito damnata eſt hæc propoſitio à Facultate Pariſienſi an. 1665. & à Clero Gallicano an. 1700. *Populus Chriſtianus, vi Tridentini Concilii, cogi non poteſt per Cenſuram, & pœnam Eccleſiaſticam, ut Dominicis diebus Miſſam Parochialem audiant*, tanquàm falſa, temeraria, ſcandaloſa, & Decreto Concilii Trid. contraria.

De ſecundo Præcepto.

QUÆR. 1. Ad quod teneantur Fideles per iſtud præceptum?

℞. Ex Conc. Later. ſub Inn. III. tenetur *omnis utriuſque ſexus Fidelis, poſtquàm ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteri proprio Sacerdoti.*

Dicitur. 1. *Omnis Fidelis*, quibus verbis non intelligitur tantammodò verus Catholicus, ſed & omnis qui per Baptiſmum Fidem ſuſcepit, ſive ipſam per Hæreſim amiſerit, ſive non; quia Hæretici, utpote per hoc Sacramentum Eccleſiæ ſubjecti, legibus ejus adſtringuntur.

Dicitur 2. *Poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit*; id eſt circiter ad ſeptennium,

ubi

Digitized by Google

ubi Pueri communiter ſufficientem adepti ſunt rationis uſum, quo bonum à malo diſcernere, proindeque peccatum mortale committere poſſunt.

Dicitur. 3. *Omnia peccata ſua*, intelligo mortalia. Nam qui peccata tantùm venialia commiſiſſet, ad ea confitenda minimè teneretur; ſed teneretur tantummodò ſiſtere ſe Sacerdoti, ad ipſi delarandum ſe non habere niſi venialia. Ratio eſt; quia, cùm hoc præceptum, quoad ſubſtantiam, ſit Divinum, nemo ad illud tenetur, niſi qui lapſus eſt in mortalia, quæ nos à Regno Dei excludunt, & Confeſſionis neceſſitatem conſtituunt. Ideò, ſi quis per totum anni curriculum, non niſi venialia fuiſſet confeſſus, adhuc illo anno confiteri teneretur, ſi circa finem illius anni in aliquod mortale incurriſſet; cùm ſola mortalium, non autem venialium, confeſſio cadat ſub præcepto.

Dicitur 4. *Saltem ſemel in anno*; ita ut intra ſaltem unius anni curriculum, nullo certo tempore determinato, quis peccata deponat, & ultra annum Confeſſionem non differat. Qui annus computandus eſt moraliter, non mathematicè; ab una circiter Confeſſione ad alteram, vel à prima circiter die Januarii ad ultimam Decembris; aut potiùs, prout conſuetudo obtinuiſſe videtur à tota Paſchatis quindena, ad alteram ejuſdem quindenam. Dixi *nullo certo tempore determinato*. Nam ſi quis mortalia intra annum confeſſus fuiſſet, non teneretur vi hujus præcepti alia mortalia de novo commiſſa in Paſchate confiteri, niſi per accidens ratione Communionis. Et qui prævidet ſe Confeſſarii opportunitatem in fine anni non habiturum, tempus Confeſſionis præfixum prævenire tenetur. Dixi iterum; *ita ut ultra annum Confeſſionem non differat*; ſi enim ultra Paſchatis quindenam moram traxerit, peccat mortaliter, & confiteri tenetur, quamprimùm poterit anno ſequente, quia terminus ab Eccleſia non apponitur ad finiendam, ſed ad non differendam obligationem; ideò toties mortaliter peccat, quoties oblatam confitendi opportunitatem cum advertentia negligit.

Dicitur 5. *Fideliter confiteri*: Per quod non ſolùm eſt intelligenda integra Confeſſio, ſed & devota, & ex ſufficienti contritione elicita; cùm per Confeſſionem voluntariè nullam, & ſacrilegam præcepto Eccleſiæ ſatisfieri minimè poſſit, ut definivit Alex. VII. Dicitur denique *proprio Sacerdoti*, quod paulò fuſiùs diſcutiendum eſt.

QUÆR. 2. Quid proprii Sacerdotis nomine intelligatur?

℞. Cum D. Thom. l. 4. ad Hannib. Diſt. 17. q. 3. art. 2. & Opuſc. 19. contr. impug. c. 4. *Proprius Sacerdos duplex eſt; vel ex Juriſdictione ordinaria, ſicut Parochialis Sacerdos, vel Epiſcopus, vel Papa; vel ex Juriſdictione delegata, ſicut ille cui committit poteſtatem* Papa, vel Epiſcopus ... *Unde qui confeſſus eſt Epiſcopo ſuo, vel alicui habenti vices ejus, confeſſus eſt proprio Sacerdoti*. Idque conſtat ex multis Summ. Pontificum Conſtitutionibus in favorem Religioſorum ſæpiùs editis, maximè ex Conſtitutione Clem. XI. 21. Junij an. 1676. quæ incipit, *Superna magni Patrifamilias*. Ubi declarat Sum. Pontifex, *ſemel ſimpliciter approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paſchali, Confeſſiones audire ... & eos qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis, tempore Paſchali, confeſſi fuerint, Conſtitutioni quæ incipit*, OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, *quoad Confeſſionem duntaxat ſatisfeciſſe cenſendos*.

Hoc tamen intelligendum eſt, modò approbatio in terminis generalibus fuerit conceſſa, nec ab Epiſcopo revocata aut limitata; cùm juxta eamdem mox citatam Conſtitutionem, §. 4. Epiſcopi approbationem ſuam revocare, & limitare pro libitu poſſint. Ideò Canoni, *Omnis utriuſque ſexus*, non ſatisfaceret, qui abſque Parochi licentia confiteretur Sacerdotibus Sæcularibus, aut Regularibus approbatis ab Epiſcopo, cum hac clauſula, *excepta quindena Paſchali*, aut *de Parochorum conſenſu*; ſi hæc clauſula ab Epiſcopo, tanquam conditio ſine qua non, ſit appoſita, ipſaque præſumatur intelligi de conſenſu expreſſo non tacito, ut plurimum accidit intelligi de tacito, maximè in majoribus, ac populatiſſimis Civitatibus. Circa quod cujuslibet Diœceſis uſui ac conſuetudini receptæ ſtandum eſſe cenſemus.

De tertio Præcepto.

QUÆR. 5. Utrùm præceptum iſtud à præcedenti ſit diverſum?

℞. Affirmativè, quia duo omnino diſtincta per hæc ab Eccleſia præcipiuntur; Confeſſio, ſcilicet, & Communio. Ideò qui utramque uno, & eodem anno culpabiliter prætermitteret, duplex peccatum in Confeſſione declarandum perpetraret. Deinde

inde licèt in quibuſdam conveniant inter ſe, in multis tamen differunt.

1. Conveniunt inter ſe, quod utrumque præceptum Baptizatos, & Adultos obligat, cùm ad annum diſcretionis pervenerint. Sed differunt, quòd Communionis præceptum maturiorem ætatem, quàm præceptum Confeſſionis exigat: Videlicet: nonum circiter, vel decimum annum; ut Pueri, omni remoto joco, ſeveriùs ſeipſos probare poſſint, ſufficientique devotionis ſenſu erga tantum Sacramentum affici valeant.

2. Conveniunt inter ſe, quòd quilibet Fidelis, ſaltem ſemel in anno, teneatur ad utrumque Sacramentum accedere, ita ut, qui tempore ſuo non communicavit, adhuc ad communicandum illo anno ſit obſtrictus, & qui prævidet ſibi futurum, tempore ſuo, Communionis impedimentum, tempus prævenire debeat, prout dictum eſt de Confeſſione. Differunt autem inter ſe, quòd tempus Communionis fixum ſit, & determinatum in Paſcha; id eſt a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè, ut declaravit Eugenius IV. Et qui pluries per anni curriculum communicaſſet, nihilo tamen minùs vi hujus præcepti ad iterùm tempore Paſchatis communicandum obſtrictus eſſet.

QUÆR. 2. Ubi, & à quo, Paſchalis Communio ſit ſuſcipienda?

R. Paſchalis Communionis præceptum non impletur extra propriam Parochiam, aut ſi Communio non ſuſcipiatur à proprio Sacerdote, vel ab eo cui vices ſuas commiſerit. Ita ſtatutum eſt in Canonè, *Omnis utriuſque ſexus*, nec non in aliis plurimis Conciliis, quæ hìc referre longius eſſet: Inter quæ Concilium Aquenſe celebratum an. 1585. Titul. de his quæ ad Sacramentum Euchar. pertinent, monet *Religioſos, qui illud abſque Parochi conſenſu adminiſtrarint, juxta Clementinam primam de Privilegiis, Excommunicationis pœna eſſe innodatos*. Nec ibi fas eſt Privilegia prætexere; cum his, ſi quæ ſint aut fuerint, omninò ſit derogatum, ut ipſimet Doctores Religioſi communiter docent.

Eximuntur tamen ab hac lege, 1. Qui facultate obtinuerunt extra Parochiam communicandi, vel à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo, aut ejus Generali Vicario, cùm hi omnes ſub nomine proprii Sacerdotis intelligantur. 2. Qui id faciunt ex conſenſu, etiam tacito, ipſiuſmet Parochi; imò, ut placet nonnullis, ex conſenſu interpretativo, qui tamen facilè non eſt præſumendus. 3. Eximuntur Sacerdotes, qui ubivis celebrent, præcepto ſatisfaciunt. 4. Peregrini, & Vagi, qui Parochiam non habent, aut ab ea abſunt. 5. Famuli Religioſorum, qui ſunt de ipſorum familia, & habitant in Monaſteriis aliiſque locis a cura Parochorum exemptis.

De quarto Præcepto.

QUÆR. 1. Quid per Diei ſanctificationem intelligatur?

R. Per hanc intelligitur religioſa cujuſdam Diei determinatæ ad colendum Deum obſervatio. In lege veteri Sabbathum ab ipſomet Deo fuit determinatum in honorem Diei ſeptimæ qua veluti requieſcens ab omni actione creativa ceſſavit. In lege autem nova Dies iſta mutata eſt ab Apoſtolis in Diem Solis, ſeu in Diem quæ Dominica dicitur, in honorem Reſurrectionis Chriſti Domini, qui hac Die à laboribus Vitæ ſuæ, Paſſionis, ac Mortis glorioſus requievit: Cui Eccleſia adjecit alios dies Feſtos, quos ad Dei cultum, in honorem ipſiuſmet Chriſti Domini, & Sanctorum ejus, conſecrari mandavit; & hoc quidem ſub peccati mortalis reatu, ut ex communi Fidelium conſenſu praxique perenni apertè conſtat: Unde jure merito damnata eſt hæc propoſitio ab Inn. XI. *Præceptum ſervandi Feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.*

QUÆR. 2. Quale ſit præceptum iſtud?

R. Præceptum de quadam die ſanctificanda quoad ſubſtantiam; id eſt quatenus præcipit, ut relictis curis ſæcularibus, & corporis laboribus cultui Divino curam, & operam impendamus, morale ſemper fuit atque naturale. Quatenus verò certam diem ad cultum Divinum determinat, in lege Moſaica cæremoniale fuit, & cum ipſa abrogatum, & in nova lege humanum atque Eccleſiaſticum; cum hoc tamen diſcrimine, quòd obligatio de ſanctificanda die Dominica, utpotè quæ ad jus naturale divinum quoad ſubſtantiam pertineat, longè gravior ſit, quam obligatio de ſanctificanda quantumvis ſolemni feſtivitate Eccleſiaſtica. Porrò præceptum iſtud affirmativum eſt ſimul, & negativum. Affirmativum, quatenus cultum Divinum poſitivè præcipit: Negativum autem, quatenus ſervilia opera prohibet.

QUÆR. 3. Utrum ad diei Dominicæ, aut Feſti ſanctificationem Miſſam audire ſufficiat?

R. Præ-

℞. Præcepto minimè ſatisfacit, qui audita Miſſa privata, reliquum diei tempus abſumit in ſtudiis profanis, negotiis ſæcularibus, ludis, etiam honeſtis, &c. ſed majorem, vel ſaltem notabilem diei partem, divino Cultui impendere quiſque tenetur. Id patet ex innumeris propemodùm Patrum, & Conciliorum oraculis, quæ hanc obligationem fidelibus Populis ſæpiùs inculcare omni cura ſtuderunt. *Quam excuſationem adferre poteſt Deo*, inquit Clemens I. lib. 2. Conſt. Apoſt. c. 63. *qui hac die non convenit ad audiendum ſalutarem de Reſurrectione ſermonem, in quo Prophetarum lectio habetur, & Evangelii prædicatio, & Sacrificii oblatio*, &c. Et Nicol. 1. ad conſulta Bulgarorum reſpondens cap. 10. & 11. docet eos nedum *à labore terreno ceſſandum*, ſed & *omni modo orationibus*, aut piis operibus, *hac die inſiſtendum*. Et Conc. Turon. Can 4. declarat, quòd *die Dominico oportet omnes Chriſtianos in laude Dei, & gratiarum actione uſque ad Veſperam perſeverare*. Ubi notanda ſunt hæc verba: *Quam excuſationem adferre poteſt*, & *omni modo*, & *oportet*: quæ manifeſtè indicant piorum operum exercitationem, non ſecus præceptam eſſe, ac ipſammet ab opere terreno ceſſationem.

Ratio eſt; quia non ſolùm præcipitur diei Feſtivæ, aut Dominicæ ſanctificatio negativa, quæ in operis ſervilis ceſſatione ſita eſt, ſed & poſitiva ſanctificatio, qua diem hanc Cultui divino poſitivè conſecramus: ſed qui tota hac die otio, nugis, ludis, &c vacat, excepta ſemihora, quam ad Miſſam audiendam curſim impendit, ſeriò dici minimè poteſt à quovis cordato viro, hanc diem Cultui divino conſecraſſe; Ergo, &c.

QUÆR. 4 Utrùm ſolemni Miſſæ, Concioni, & Veſperis intereſſe neceſſe ſit?

℞. Qui his intereſſe negligit venialiter tantùm, non mortaliter, peccare videtur. Imò ſi ob honeſtam, licet non gravem, cauſam his non interſit, nullatenus peccat, modò tempus his Officiis circiter proportionatum devotis orationibus, lectionibus, aut colloquiis ſpiritualibus, aut quibuſvis aliis bonis operibus impendat. Ratio 1. eſt quia hæc aſſiſtentia ſæpiùs ab Eccleſia commendatur, tanquàm medium Cultui divino magis proportionatum, quòd abſque culpa ſaltem levi negligi non poteſt. Ratio 2. eſt quia licet ipſa ſit ab Eccleſia ſæpiùs commendata, nullibi videtur diſtrictè præcepta. Utrumque patet ex communi ſenſu Fidelium timoratorum, qui levem quidem in hoc, ſed non gravem obligationem apprehendere conſueverunt.

Dixi: *Modò tempus his Officiis circiter proportionatum*, &c. Tempus enim iſtud videtur ſufficiens ad diei Feſtivæ ſanctificationem, nec lethali culpa damnare auderemus eum, qui hac die duas circiter horas, diverſis temporibus, Cultui divino aliquo modo impendere ſtuderet.

QUÆR. 5. Utrùm grave ſit peccatum conviviis publicis, & comeſſationibus, choreis, ludis ſcenicis, vel theatralibus, & cujuſvis generis ſpectaculis, intereſſe Dominicis Feſtiviſve diebus?

℞. Affirmativè, juxta D. Aug. Conc. 1. in Pſ. 32. *Melius enim*, inquit, *tota die foderent, quàm tota die ſaltarent*: Id manifeſtè evincunt quamplurimæ Conciliorum prohibitiones ſub Excommunicationis pœna, quæ nonniſi in gravem culpam contorqueri poteſt. Ita, inter cætera, Concil. Carth. IV. Can. 88. ubi ſtatuitur, *ut qui Die ſolemni, prætermiſſo ſolemni Eccleſiæ conventu ad ſpectacula vadit, excommunicetur*. Ita Concil. Turon. habitum ann. 1583. *Diebus Dominicis præſertim, & aliis Feſtis, comeſſationes, convivia publica, tripudia, ſaltationes, ſtrepitus, & choreas fieri, venatu, & aucupatu tempus terere . . . ſub Anathematis pœna prohibet hæc ſancta Synodus*. Dixi in aſſertione *convivia publica*, &c. Nam convivia privata, & ſobria, choreas item privatas in paternis ædibus, ſeu apud conſanguineos, & amicos, ruſticarum etiam fœminarum ſaltationes honeſtas, modo tempore Divinorum Officiorum non fiant: nec adſit ullum, vel laſciviæ, vel ſcandali periculum, mortalis peccati non damnamus, nec imo venialis.

ADNOTATIO 14.
(*)

Hæc minus opportune dicta videntur, cum abuſibus, & laxitatibus viam aperire facilè poſſint. Licet enim choreæ, & ſaltationes, &c. privatæ, modo non fiant tempore divinorum Officiorum, nec in eis ullum laſciviæ, vel ſcandali periculum adſit, peccati mortalis, immo, nec venialis, *ut ait Author, damnandæ non eſſent; attamen, cum tale periculum, & ſcandali, & laſciviæ plerumque, imo fere ordinariò inſurgat, hinc eſt, quod eas ab omni peccato eximere, minime tutum ſit. In choreis autem, & ſaltationibus ruſticarum, &c. Fæminarum, ex mutuo familiari aſpectu, & colloquio, ex manuum contrectationibus, & ſibi invicem placendi deſiderio, aliiſque hujuſmodi periculo-*

ſis familiaritatibus, & tandem ex dulcedine muſicorum inſtrumentorum, animi vigorem debilitantium, concupiſcentiæ motus facillimè exoriuntur, & ad turpia paulatim inclinant, & etiam conducunt. Authoris igitur aſſertum de choreis, & ſaltationibus, ſpeculativè potius, quam practicè ſumptis, eſt intelligendum.

(*)

QUÆR. 6. Utrùm, qui die Dominico aut Feſto peccatum mortale committit, non ſolum graviùs peccet (quod omnes Theologi voce concordi fatentur) ſed duplicis peccati in Confeſſione aperiendi reus efficiatur, v. gr. fornicationis ſimul, & tranſgreſſionis præcepti de Feſtorum ſanctificatione?

℞. Affirmativè ex D. Auguſt. lib. de decem Chordis: *Meliùs faceret Judæus in agro ſuo aliquid utile, quàm ſi in theatro ſeditioſus exiſteret: & melius fœminæ eorum die Sabbathi lanam facerent, quam toto die in manianis ſuis impudicè clamarent.* Item ex D Thom. 2. 2. q. 122. *Magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die feſto, quàm qui aliud corporale opus licitum facit.* Item ex D. Bonav. Opuſc. confeſſionale de circumſtantiis, cap. 2. partic. 20. *Interrogandus eſt pœnitens de tempore, quo peccatum perpetravit; utrùm videlicet in tempore Feſtivo, vel non Feſtivo.* Quia nimitum peccatum die Feſtivo commiſſum, quamdam, juxta S. Doctorem, ſacrilegii ſpeciem induit in Confeſſione aperiendam.

His accedit D. Antoninus 2. part. Tit. 9. cap. 7. §. 2. *Feſtum*, inquit, *violatur, & malè celebratur ex triplici negligentia, ſeu defectu. 1. Quia non cavetur à defectibus criminalibus. 2. Quia non inhæretur actibus ſpiritualibus*, quod obiter notandum eſt ad probationem tertiæ aſſertionis noſtræ. *Quia non abſtinetur ab operibus manualibus. Quantum ad primum, debet quis abſtinere à peccatis, maximè diebus Feſtivis, quia plus habent impedire mentem, ſi mortalia ſunt à vacando Deo, quàm opera manualia. Unde dicitur* Levit. 23, *de Sabbatho, cui ſuccedunt Feſta Eccleſiæ*: Omne opus ſervile non facietis in eo; *ſed opus ſervile eſt peccatum . . . . . Peccatum ergo mortale commiſſum die Feſto eſt multò gravius, quàm alia die. Nam ultra propriam deformitatem, habet ſpecialem deformitatem ex illa circumſtantia temporis ſacri, qua Feſtum violatur. Unde talis, ut dicit* Nicolaus de Lyra, *non ſolùm agit contra unum præceptum; ſcilicet*, Non mœchaberis: *aut illud*, Non furtum facies; *ſed etiam contra illud de ſanctificatione Sabbathi.* Hæc eſt vera SS. Patrum Doctrina, & qui illam, tanquàm nimis rigoroſam, ſugillare præſumunt, doctiores quærant Caſuiſtas, ſed caveant nè præſumptiores inveniant.

ADNOTATIO 15.

(*)

Hìc Author ex parte tutioris ſententiæ ſe tenere videtur. Quamvis enim verum ſit quod Authores communiter affirment, quod peccatum diebus Feſtis commiſſum gravius evadat: multi tamen, & quidem non inferioris notæ, ſuſtinent, quod non induat ſemper novam malitiam a primaria diſtinctam, quæ neceſſariò aperiri debeat in Confeſſione, utpote duplex peccatum in ſe continentem. Diſtinguunt igitur peccata, quæ includunt oppoſitionem ſpecialem, vel impedimentum ſpeciale afferunt ſanctificationi Feſtorum, ut ſunt ebrietas, quæ diu hominem ad Spirituales exercitationes inhabilem reddit, tumultus ſeditioſus &c.; ab illis, quæ talem oppoſitionem, & impedimentum tale non afferunt. Peccata primi generis, ajunt ipſi, ſunt neceſſario in Confeſſione exprimenda tamquam diebus Feſtis patrata, utpote contrahentia malitiam mortalem contra Religionem: contrarium autem aſſerunt de peccatis ſecundi generis. Quidquid ſit de hac media ſententia, quam fundamentis non deſtitutam cenſemus, jure merito quæſtionem concludit Author noſter iis verbis. Hæc eſt vera S.S. Patrum doctrina. *Taliter enim vere ſentiunt Patres, atque Scholarum Principes fere omnes, qui nulla adhibita dictione Authoris ſententiam una voce confirmant.*

(*)

QUÆR. 7. Quæ opera corporalia diebus Dominicis, & Feſtis ſint prohibita?

℞. Opera tantummodò ſervilia; id eſt, quæ propriè ad ſervientes pertinent; licet à liberis, vel recreationis cauſa, vel aliam ob cauſam, nonnunquàm fiant.

Servilia ſunt *Arare, Fodere, Seminare, Suere, Nere, Conflare, Imprimere*, imò *& Typographorum Characteres ordinare, Sculpere, & Pingere*, cum artefactum reſpiciant: *Barbas, & crines tondere, vecturas laborioſas* cum jumentis, & curribus de loco in locum *exercere, fructus, ligna*, &c. *colligere, piſcari venarique*; cum id à multis Canonibus ſit prohibitum, & animum multum à Cultu divino avertant.

ADNOTATIO 16.

(*)

Spectacula publica, & quoſcumque publicos ludos, Dominicis aliiſque Feſtis diebus, nedum per Eccleſiaſticas ſanctiones, verum, & per Leges Civiles in obſervantiam talium dierum e Pi[illegible]

Pris.

Principibus latas, vetita ſemper fuiſſe, utriuſque Poteſtatis tabulæ clarè nos docent, Benedictus *XIV. lib. 11. cap. 1. n. 5.* De ſyn. *refert: Patres Africanos in quadam Synodo Congregatos ab Imperatore* Adriano *petendum decreviſſe, ut Dominicis, aliiſque Deo ſacratis diebus ſpectacula, & ludos amoveri juberet, his verbis*: nec non & illud petendum, ut ſpectacula theatrorum, cæterorumque ludorum, die Dominica, vel cæteris Religionis Chriſtianæ diebus celeberrimis amoveantur. "*Mirum autem non*
" *eſt, ſubdit ipſe, Eccleſiarum Antiſtites tanto-*
" *pere exoptaſſe, ut ſaltem diebus Dei cultui*
" *ſpecialiter deſtinatis, illa removerentur pro-*
" *phana oblectamenta quibus ullo umquam tem-*
" *pore adeſſe, a Chriſtiana profeſſione perquam*
" *alienum reputarunt?* "

Inter ſpectacula computari poteſt agitatio illa Taurorum, quæ ſolemniter olim, & magno apparatu fiebat; & nunc quoque aliquibus in locis ejus veſtigia perdurant. Iſtam, gravioribus indictis pœnis, ob vitæ præſertim diſtrimen, cui ſe exponebant dimicantes in ipſa, a S. Pio V. vetitam fuiſſe, conſtat ex ejus Conſtitut. 48. incip. De ſalute. *Tam providæ Pontificis curæ diu quidem caruerunt effectu; ſed temporis progreſſu venationes iſtæ, ſi non totaliter de medio ſublatæ, ſaltem ita, regulis, atque propugnaculis prudenter appoſitis reductæ, & temperatæ fuerunt, ut qui ſe nunc in ipſis exercent, non pariter ut antea vitæ periculo expoſiti inveniantur. De iſtis clamoroſis venationibus loquens laudatus Pontifex* Benedictus *lib. 13. cap. 17. n. 7. cit. oper. inculcat, ne eaſdem diebus feſtis inſtitui permittatur; quo vero ad alias privatas venatiunculas volatilium, Theologi non pauci aſſerunt, quod ſi moderatæ ſint, nec tempore divinorum Officiorum exerceantur, non ita rigide interdictæ videntur. Idem aſſerunt de moderata piſcatione, quæ abſolutis divinis Officiis, honeſtæ &c. recreationis, non autem turpis lucri gratia exerceretur.*

Quod vero objicitur de Aleciis, quas expiſcari conceſſit Alexander *III. etiam diebus feſtis, uti legitur in cap.* Licet de fer. *his verbis:* Indulgemus, ut liceat Parochianis veſtris diebus Dominicis, & aliis feſtis, ſi Aleciæ terræ ſe inclinaverint, earum captioni, ingruente neceſſitate intendere: *jam patet hic loqui Pontificem de* neceſſitate ingruente; *qua ſtante, ſervilibus illis quoque diebus intendere, non illicitum declaratur. Neceſſitas autem in caſu verè ſubſiſtit, quo ad Incolas illos, qui ad Littora Maris, vel in Inſulis habitant, quique ex unica piſcatione, & lucro proveniente ab ipſa univerſam trahere ſubſtantiam, & totum fere victum conſequi valent. Præterquam quod, tam rationabilem diſpenſationem Pontifex concedens, voluit nihilominus, quod incolæ illi, partem lucri diebus illis acquiſiti ad pias cauſas Piſcatoris applicarent, his verbis*: Poſt factam capturam Eccleſiis circumpoſitis, & Chriſti Pauperibus congruam faciant portionem. *Ex quo ſequitur, quod* neceſſitate, *& neceſſitate tali non* ingruente *piſcationi lucroſæ vacare non licet. Stante autem neceſſitate, Eccleſiis, aut Pauperibus portionem lucri deberi.*

Similiter dicendum de conceſſione, quam Navarrus, Rodericus, Sporer, *&* Portellus, *referunt ab* Engenio *IV. factam fuiſſe* Minoritanis, *conducendi, ſcilicet, Operarios ad laborandum in eorum cænobiis quatuor anni Diebus feſtis, videlicet*: S. Cruc*is*, S. *Michaelis Septembr.* S.S. Innocentium, *& S.* Silveſtri. *In hoc quoque caſu, ſuppoſita neceſſitate in pauperibus Religioſis, propriis indigentiis intra clauſtra ſubveniendi, labor a ſecularibus ibi exercitus, ad Pias cauſas reputatur impenſus.*

(*)

Servilia non ſunt opera animi merè interna; nec opera naturalia, ut itinerari, & omnia ad iter commodè peragendum tranſvehere; nec opera externa ad artes verè liberales pertinentia, in quibus magis animus quam corpus exercetur; ut *legere*, *ſcribere*, *docere*, *cantare*, &c. Tranſcriptio tamen ſervilis videtur, ſi fiat ab eo, qui hanc artem ex officio exercet; non quidem, quòd tranſcribat propter lucrum; ſic enim nec Advocatis conſilium dare, nec Muſicis Muſicam docere liceret; ſed quia ſervorum videtur tale officium exercere, cùm non ſint domini, ſed famuli qui hoc tranſcribendi officium exercent.

Præter opera ſervilia prohibentur a Conciliis Opera, quæ *Forenſia* nuncupantur; quia videlicet notabiliter a Cultu divino animum avertunt. Ut *Mercatus*; Nundinæ, ſcilicet, tum annuæ, tum eæ, quæ qualibet hebdomada, aut quolibet menſe, recurrunt. Imò, & actus mercandi, ut Emptio, Venditio, Locatio, &c. quæ fiunt maximè cum inſtrumento publico. Unde *Placitum* ab Eccleſia eſt prohibitum; id eſt ſententia Civilis, & quilibet Judicialis ſtrepitus, id eſt opera Judicum, Notariorum, Actorum, Reorum, Teſtium, Procuratorum, & Advocatorum ad hoc concurrentium.

Adnotatio 17.

(*)

Circa mercatus, & nundinas, duplicem evulgavit Conſtitutionem Benedictus *XIV., quarum prima incipit:* Paternæ Charitatis, *ſecunda autem*: Ab eo tempore, *quas integras dabimus in Appen. mercatus a nundinis ſic ipſe diſtinguit*: Nundinas intelligimus, quæ ſunt de rebus majoribus, & ſemel in anno fiunt, vel raro in eodem loco, & de longinquo ibidem conveniunt homines: mercatus verè, qui fiunt in rebus minoribus ad quotidianas neceſſitates

pertinentibus; & fiunt ſingulis ſeptimanis, & ab hominibus de vicino ibidem convenientibus. *Tam nundinatum, quam mercatuum diebus feſtis, ait ipſe, antiquos fuiſſe abuſus; ſed antiquas fuiſſe pariter Eccleſiaſticas Leges, quibus prohibentur atque vetantur; licèt plerumque effectu ſuo caruerint. Admonet igitur, & hortatur Eccleſiarum Paſtores, ut tam pernicioſum abuſum, & tam ſanctificationi debitæ diebus Sacris contrarium de medio tollere omni conatu ſatagant. Et ut promptiùs, & efficaciùs manum operi admoveant, exemplum adfert de nundinis* Sennogallienſibus *a ſe interdictis, ſic loquens*: Inter nundinas, quæ in Provinciis noſtris aguntur, illuſtriores . . . ſunt Senogallienſes, protractæ multis diebus. Cum Anconitanam Eccleſiam, Senogallienſi finitimam regeremus, non ſine mærore intelleximus, tempore nundinarum ea omnia fieri feſto &c. die, quæ aliis hebdomadæ diebus Divino cultui non conſecratis peragebantur. Huic malo occurrere ſatagentes, die 24. Auguſti ſuperioris anni Conſtitutionem noſtram de nundinis Senogallienſibus publicavimus; qua, præter cætera, juſſimus, ut diebus feſtis Apothecæ clauderentur, neque matutinis horis, aut veſpertino tempore, quibus Divina Officia in Eccleſiis celebrantur, vel Dei Verbum populo nuntiatur contractus fierent. *Providiſſimi Pontificis zelo cooperari igitur debent, nedum animarum Paſtores, verum etiam Confeſſarii, hortando, ſcilicet, & abſterrendo Fideles a concurſu ad nundinas illas, ſive mercatus, ubi Piorum ſcandalo adhuc viget, & integer perſeverat damnatus abuſus.*

(*)

QUÆR. 8. Quæ cauſæ permittant opera prohibita exercere?

℟. 1. Quinque vulgo numerantur.

1. *Conſuetudo* legitimè introducta (non autem corruptela) id eſt videntibus, & tacitè annuentibus Prælatis. Ut Nundinæ in nonnullis Feſtis diebus haberi ſolitæ, præparationes ciborum quorumdam artificioſorum, licèt non omnino neceſſariorum, ut cupediarum, placentarum, & ſimilium; necnon emptiones, & venditiones eorum quæ in familia uſu quotidiano conſumuntur.

2. *Pietas* erga Deum permittit opera, quæ Cultum divinum proximè reſpiciunt; ut pulſare Campanas, miniſtrare in Organis, &c. Ornare verò, & everrere Templum, & cætera, quæ ad Officium non pertinent, in die Feſto, non licet efficere abſque rationabili cauſa. Longè minùs licitum eſt dare operam his, quæ remotè Cultum divinum reſpiciunt: v. g. deferre lapides, aut ligna pro ædificanda Eccleſia, nere, aut opus textile facere, &c.

3. Charitas erga proximum. Sic liciti ſunt actus judiciales in favorem pauperum, orphanorum, & miſerabilium perſonarum. Similiter licet operam impendere ad ſubveniendum infirmo, ad ſepeliendos mortuos, ad extinguendum ignem, &c.

4. *Neceſſitas* propria, vel aliena, corporis, vel animæ, dum ſcilicet ſine gravi incommodo opus omitti non poteſt. Sic excuſantur. 1. *Pauperes*, qui ſe ſuoſque alere non poſſunt abſque labore, dummodò privatim laborent, & ſine ſcandalo. 2. *Ruſtici*, qui tempore Meſſis fœnum, aut ſegetes colligunt ob ſupervenientis pluviæ metum. 3. *Vitriarii*, *Coctores* laterum, *Vectores* onerum, &c. perſiſtentes in opere inchoato, quod abſque notabili damno interrumpere non poſſunt. 4. *Piſcatores* Halecum, aut Thunnorum, & ſimilium piſcium, qui certis tantùm temporibus capi poſſunt. 5. *Molitores*, & *Naucleri* à ventis pendentes. 6. *Laniones*, & *Piſtores*, qui carnes, aut panes alio tempore præparare, aut coquere non poſſunt. 7. *Sartores* in operibus neceſſariis, funeribus, nuptiis, &c. ſi aliter fieri non poſſit. 8. *Barbi tonſores*, qui aliunde familiæ ſuæ ſuſtentationi ſubvenire non poſſunt, maximè ſi tondeant Ruſticos, aut Opifices qui Profeſtis ipſos adire nequeunt. 9. *Inſtauratores* fontium, pontium, viarum publicarum, & ſimilium, quæ moram non patiuntur. 10. *Servi*, & ancillæ, qui una alterave vice juſto metu laborare coguntur: Quòd ſi tamen ſæpiùs contingat, Dominos illos deſerere tenentur.

ADNOTATIO 18.

(*)

Quo ad Ruſticos, quibus tempore Meſſis ob ſupervenientis pluviæ, vel grandinis metum, fœnum, aut ſegetes colligere indulgetur; obſervandum eſt quod in his caſibus, & aliis ſimilibus licentia a proprio Parocho, ſemper, quoad fieri poteſt, petenda eſt; cum non ſufficiat interpretativa, quando expreſſa haberi poteſt, tum quia æquum eſt Eccleſiam adire in iis, quæ ad ipſam pertinent pro declaratione, vel diſpenſatione legum tàm Divinarum, quam Eccleſiaſticarum; tùm etiam quia, Idiotæ maximè, & Ruſtici facilè decipiuntur in rebus ad propriam utilitatem ſpectantibus, in quibus multoties apparet urgens neceſſitas, etiam ſi talis revera non ſit. Hæc quo ad licentiam neceſſario exquirendam: quo vero ad Opus ipſum ſervile diebus feſtis exercendum, diſtinguendæ ſunt Regiones a Regionibus, aduſtæ, ſcilicet, a temperatis; illæ quæ frequentiùs, ab aliis, quæ rariùs aeris revolutiones, & intemperies experiuntur, & di-

verſi-

diverſimodè de omnibus ratiocinandum, ad hoc ut opus licitum evadat. Generaliter loquendo, damnum, quod imminet atque timetur, debet eſſe verè, & realiter grave; metus autem, & periculum, prudens, evidens, atque fundatum. Ad grandines, quod attinet; non ita accipias velim aſſertum, ut quocumque aerei turbinis aſpectu, Mercenarios conducere liceat, & ad ſegetes colligendas diebus feſtis illos applicare. Non ita quidem; ſed in aliquo tantum particulari caſu, in quo de imminenti ruina timeatur prudenter. Uvæ, v. g. die Sabbathi collectæ, & in unum redactæ, ſuperveniente jam nocte, ſub dio in agro, neceſſitate cogente relictæ fuerunt. Sequenti autem Dominica Die turbine graviori exorto, de grandine jam jam imminenti rationabiliter, & prudenter timetur. In tali caſu, collectas Uvas ſuper plauſtra feſtinanter imponere, eaſque domum vehere licebit. Hæc omnia, & his ſimilia a Parocho prudenti ponderari debent, antequam ſervilia diebus feſtis exercendi licentiam concedat.

(*)

5. *Utilitas* publica, licèt ſimpliciter non neceſſaria. Sic operari licet ad communem lætitiam, in adventu, vel ortu Principis, theatra erigere, ignes machinoſos extruere, aulæa ordinare, &c.

QUÆR. 8. Quæ ſit materia gravis in opere diebus Feſtis prohibito ad peccatum mortale ſufficiens?

℞. Una hora gravis materia cenſetur, ſi labor ſit omninò ſervilis, graviterque ex eo corpus fatigetur. Quòd ſi labor non multum ſit ſervilis, una hora fortè non ſufficit ad peccatum mortale. In Forenſibus autem, & Judicialibus, materiæ gravitas, non ex quantitate temporis, ſed ex qualitate operis, deſumitur. Porrò gravitas materiæ ex unione morali deſumi poteſt. Sic Herus tres habens ſervos, qui ſingulis ſemihoræ laborem aſſignaret, graviter peccaret; tum quia id in fraudem legis foret, tum quia hæ tres ſemi-horæ, inter ſe ſic moraliter unitæ, Hero mandanti ac præcipienti merito imputari deberent.

De quinto, & ſexto Præcepto.

QUÆR. 1. Quid ſit Jejunium?

℞. Jejunium aliud eſt Metaphoricum, & ſpirituale, quod in vitiorum abſtinentia conſiſtit: aliud Morale, quod in recto, & moderato uſu cibi, & potus ſitum eſt: aliud Naturale, quod eſt abſtinentia ab omni cibo, & potu poſt mediam noctem, qualis requiritur ad Euchariſtiæ ſumptionem: aliud tandem eſt Eccleſiaſticum ab Eccleſia ſub mortali præceptum; & definitur. *Abſtinentia à quibuſdam cibis, cum unica refectione, ſemel in die, hora competenti ſumenda.*

Dicitur 1. *Abſtinentia à quibuſdam cibis*; id eſt à carnibus, non quidem omnium animalium; ſed eorum dumtaxat, quæ à piſcibus verè diſtinguuntur, qualia non ſunt lutræ, & nonnullæ gallinæ aquaticæ, quæ à Fidelibus, etiam timoratis, inter piſces reputantur; non quòd ſanguinem frigidum habeant; ſed potius quòd diu extra aquam vivere non poſſint. Ad veram carnem reducuntur animalium inteſtina, ſagimen, adeps, & juſcula ex eorum carnibus, aut adipe confecta. Licèt autem ova, & lacticinia ex carne prodeant, ad eam tamen, juxta omnium exiſtimationem, non reducuntur; iiſque veſci licet die Jejunii, juxta cujuslibet Eccleſiæ praxim, & conſuetudinem, cui praxi, & conſuetudini ſe conformare quiſque, & poteſt, & debet. Unde qui contra Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ova, aut lacticinia comederet, mortaliter peccaret, niſi excuſaret parvitas materiæ, quæ ad ſummum ultra mediam unciam extendi non poteſt.

Dicitur 2. *Cum unica refectione*, &c. Adjuncta tamen, ex conſuetudine nunc temporis ubique recepta, veſpertina collatiuncula. Ideò duplicem in die jejunii ſumens refectionem, jejunium violat & peccat mortaliter; prout definivit Alex. VII. in damnatione propoſitionis contrariæ. Imò qui, ſumpta ſecunda refectione, tertiam, & quartam aſſumit, tot numero peccata committit in Confeſſione aperienda, quatenus pluribus actibus diſtinctis legem infringit jejunii. Et vanum eſt prorſus jejunium illius, *qui ſæpius modicum quid comedit, ſi notabilem quantitatem in fine comederit*, juxta prædicti Pontificis definitionem, qui contrariam adhuc damnavit propoſitionem. Cenſetur autem quantitas notabilis, ſi unam, & dimidiam, vel duas ad ſummum, excedat uncias. Porrò non eſt neceſſe, ut refectio una ſit phyſicè, modo non ſit moraliter interrupta, prout unam dumtaxat moraliter refectionem feciſſe dicitur, qui propter neceſſitatem per duarum circiter horarum ſpatium prandium ſuum interrupit. Quod ſi verò nulla adſit neceſſitas, unius horæ intervallo moralis ſit interruptio, & frangitur jejunium.

Dicitur 3. *Hora competenti ſumenda*. Siquidem refectionis dilatio ad rationem eſ-

ſentia-

ſentialem jejunii Eccleſiaſtici pertinet. Antiquitus determinata erat hora nona, quæ horæ noſtræ tertiæ pomeridianæ correſpondet; ſed nunc ex uſu ab Eccleſia recepto determinata videtur hora undecima, quam qui abſque legitima cauſa notabiliter, ſpatio nimirum unius horæ, præveniret, à peccato mortali immunis non eſſet; cum refectionis dilatio plurimùm conferat ad corporis mortificationem ab Eccleſia propoſitam. Gravitatem autem cauſæ, quæ horam refectionis permittere poteſt, prudentis viri ac timorati relinquimus judicio: Hanc tamen adeò gravem eſſe non dicimus, quàm ea quæ ad jejunii ſolutionem neceſſaria eſt, cùm longè minus ſit prandium prævenire, quam jejunium ſolvere.

QUÆR. 2. An potus ſumptio frangat jejunium?

℟. Cum D. Th. 2.2. qu. 147. a. 6. ad 2. *Inſtituendo jejunium non intendit Eccleſia interdicere ſumptionem potus, qui magis ſumitur ad alterationem corporis, & digeſtionem ciborum aſſumptorum, quàm ad nutritionem, licèt aliquo modo nutriat, & ideò licet pluries Jejunantibus bibere*. Ex qua deciſione patet, abſolutè non eſſe verum iſtud commune effatum, ſæpius à viris ſæcularibus decantatum: *Liquidum non frangit jejunium*; Sed diſtinguendum eſt: Liquidum purum, de ſe non nutritivum, & pro mero potu ſumptum, C. Liquidum de ſe nutritivum, & pro alimento ſumptum, Negatur. Talia ſunt omnia quæcumque Electuaria ex rebus comeſtibilibus, ac nutritivis confecta, ut vinum, & aqua ex ſaccaro, & aliis aromatibus condita, Thæum, & Caffetum, quæ ultra ſaccarum, herbarum, & fabarum ſubſtantiam ſpirituoſam continent; Chocolatum præſertim, quod ex pluribus rebus maximè ſubſtantioſis, & nutritivis conficitur. Hæc, & ſimilia lege Jejunii cenſentur prohibita. Imò, qui vinum purum *in fraudem, & per modum cibi*; id eſt ut faciliùs jejunaret, *in magna quantitate* aſſumeret, peccaret juxta D. Thom. doctrinam, non ſolùm contra virtutem temperantiæ, ſed etiam contra præceptum Jejunii.

Ratio eſt evidentiſſima; quia minimè refert an alimentum ſumatur potu, vel cibo, modò revera ſumatur; quoquomodò id fiat, ſemper Eccleſia fruſtratur fine à ſe intento, maceratione nimirum corporis, & purificatione ſpiritus, ob quas indixit Jejunium. Inde tamen non ſequitur, quod ab unius Thæi, aut Caffeti poculo pœnitus violetur Jejunium; cum parvitas materiæ à mortali excuſet: imò, & à veniali, ſi adſit juſta cauſa. Secus dicendum videtur de Chocolato, quod ſæpius magis nutritivum eſt, & ſubſtantioſum, quàm ipſummet juſculum carnium.

QUÆR. 3. An licita ſit collatiuncula, quando, de quibus cibis, & quantis, ipſam fieri ſit licitum.

℟. 1. Ab eo ſæculo, quo refectionis tempus, ex Eccleſiæ indulgentia, ab hora tertia in horam circiter meridianam, translatum eſt, uſus inter Fideles invaluit, Veſperi potum aſſumere, ad ſitim extinguendam, & nè potus noceret, modicum quid aſſumere; quod à multis jam ſæculis ex conſuetudine ubique recepta, vidente, & non contradicente Eccleſia, non ampliùs per modum medicinæ, ſed per modum alimenti, ſumitur: Et cùm legitima conſuetudo optima ſit legum interpres, nullus eſt etiam timoratiſſimus, qui de hac collatiuncula ſcrupulum habeat, aut habere debeat.

℟. 2. Collatiuncula, ex uſu Eccleſiæ ubique recepto, ſumi non debet ante quintam, aut ſextam horam veſpertinam; & qui eam abſque cauſa legitima notabiliter anticipat, transferendo, ſcilicet collationem in prandii tempus, & prandium in tempus collationis, veniale ſaltem peccatum committit; cùm uſum communem in jejunando ubique à Fidelibus receptum, pro libitu invertere minimè liceat: Et hoc quidem ſub peccati mortalis reatu, dum de re gravi agitur. Unde non videmus qua ratione à gravi culpa excuſari valeant, qui abſque notabili cauſa horis etiam matutinis jentaculum, aut collationem adhibent, & poſthac hora veſpertina comeſtioni ampliſſimæ indulgent.

℟. 3. Quoad ciborum qualitatem in collatiuncula licitam, ſervandam cenſemus praxim, & conſuetudinem à viris timoratis, in qualibet regione receptam, videntibus, & annuentibus Eccleſiæ Prælatis. In his Regionibus, nec caſeus, nec butyrum, nec piſces, abſque legitima cauſa, communiter à viris Religioſis, ac timoratis admittuntur; ſed tantummodò panis cum nonnullis terræ fructibus.

℟. 4. Ciborum quantitas modica eſſe debet; ita ut eam non excedat, quæ pro levi jentaculo aſſumi ſolet. Unde communiter admittitur ſexta, aut ad ſummum quarta pars refectionis, quàm quiſque juxta

tem-

Digitized by Google

temperamentum ſuum ordinariè ſumit; habita tamen ratione ad qualitatem ciborum magis minuſve nutritivorum, quæ communiter in prandio adhibentur.

Adnotatio 19.

(*)

Doctrina, quam tradit Author circa ſerotinam collatiunculam tempore jejunii ſanior eſt, & in praxi amplectenda. Ipſe enim inter alia hanc ſtatuit regulam, quod ſcilicet in refectiuncula iſta, praxis, & conſuetudo ſervanda ſit, quæ a viris timoratis in quilibet regione ſervatur. *Idem adamuſſim declaravit* Benedictus XIV. *in Reſponſione ad Poſtulata ab* Archiepiſcopo Compoſtellæ *ſibi facta* (*de qua paulo infra*). *Cum enim* Archiepiſcopus *inter cætera poſtulaſſet an diſpenſati a Carnibus in die jejunii, poſſent in* veſpertina refectiuncula, ea quantitate carnis veſci, quæ jejunantibus permittitur: *Reſpondit Pontifex: non licere*; ſed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur Homines jejunantes rectæ Meticuloſæ conſcientiæ. *Reſponſio iſta, Authoris noſtri doctrinam undequaque confirmat. Sed qui, & quot ſunt Cibi, quibus homines iſti* Rectæ Meticuloſæ, *non autem inaniter ſcrupuloſæ* Conſcientiæ *utuntur? Forſitan Caſeus, Ova, Piſces grandiores licet, atque pretioſiores, aut his ſimilia? Minime quidem: ſed panis, herbæ, fructus, & alii, non diſſimilis qualitatis leviores Cibi: & hæc omnia in modica quidem, & moderata quantitate. Falluntur igitur, qui putant in veſpertinis Collatiunculis licere ea uti qualitate Ciborum, quibus uti licet in matutino prandio; cum non ſolum quantitas, ſed qualitas etiam ciborum per ipſos quoque Probabiliſtas non paucos, in refectiunculis iſtis ſervari debeat.*

(*)

QUÆR. 4. Quæ cauſæ excuſent à Jejunio?

℞. Tres vulgò numerantur.

1. *Impotentia*, propter quam excuſantur. 1. Infirmi convaleſcentes juxta Medici, non qualiſcumque, ſed timorati, judicium. 2. Mulieres gravidæ, & nutritiæ, quæ tamen à cibis vetitis abſtineant, ſicut & pueri à tempore ſaltem uſus rationis. 3 Senes ſeptuagenarii, non quidem præcisè ob ætatem grandævam, ſed ob debilitatem huic ætati communiter annexam: Senes enim etiam octogenarii, qui tam vegeti ſunt temperamento, ut abſque gravi incommodo jejunium exercere poſſunt, ab eo non excuſantur. 4. Adoleſcentes; qui 21. ætatis ſuæ annum nondum expleverunt. 5. Pauperes, qui ſimul habere nequeunt, quod eis ad unam refectionem ſufficiat; ſecus verò ſi poſſint habere, cùm ſola paupertas à Jejunio non excuſet.

2. Labor, non quilibet, ſed gravis, & ad vitam Familiamque ſuam, aut ſtatus ſui mediocris conditionem ſuſtentandam neceſſarius. Nec alia ratione intelligendus eſt Eugen. IV. quem ferunt omnes Operarios à Jejunii lege diſpenſaſſe. Hinc 1. *Pictores, Sartores, Barbi tonſores*, Typi *Compoſitores*; Uno verbo *omnes Officiales qui in Republica laborant, non ſunt excuſati ab obligatione Jejunii, ſed debent ſe certificare an labor ſit compatibilis cum Jejunio*; prout in damnatione prop. 3. Alex. VII. definivit. Non excuſantur Operarii qui abſque vel Familiæ gravi incommodo, vel ſtatus ſui detrimento laborem ſuum ita minuere poſſunt ut jejunare valeant, ut jam in ſuperiori Tractatu cum D. Th. notavimus. Nec obſtat quòd ſupradictus Pontifex Eugenius Operarios *etiam Divites* a Jejunio diſpenſet: Siquidem Pontifex, utpotè doctrinæ Angelicæ minimè contrarius, eos ſolummodò Divites operarios à Jejunio diſpenſare intendit, qui abſque gravi labore Familiam ſtatuſque ſui modeſtam conditionem ſuſtentare non valent, à qua conditione modeſta Operarii, etiam Divites dicti, facilè decidere poſſunt. 3. Ex eodem D. Thom. non excuſantur pedeſtrem itinerationem aggredientes, aut quemvis alium laborem, vel recreationis, vel majoris lucri faciendi gratia, utpotè nullatenus neceſſarium; multò minus excuſantur qui ex labore illicito ita ſeſe defatigant, ut jejunare non valeant. Non excuſantur Conjuges, uti inſulsè nonnulli Caſuiſtæ fabulantur, nè dicam, nugantur, dum ex Jejunio minùs potentes evadunt ad reddendum debitum. Nullus enim Chriſtianus Matrimonium inivit, niſi cum tacita conditione, quòd Conjux uterque mandata Dei, & Eccleſiæ in Matrimonio fideliter ſervare poſſit.

3. *Pietas*, vel majus bonum excuſat a jejunio. Sic excuſantur qui inter jejunandum præſtantioribus pietatis operibus vacare non valent, ut Concionatores, Confeſſarii, & quotquot opera charitatis, & miſericordiæ tam corporalia, quam ſpiritualia, ſive ex officio, ſive ex pietate exercent. His tribus cauſis a Jejunio excuſantibus, quartam nonnulli Caſuiſtæ ſuperaddunt *Urbanitas*, nimirum, qua quis rogatus ab amico in die Jejunii modicum quid aſſumeret. Sed quanta ſit inurbanitas, aut potius ruſticitas, ſub inurbanitatis obtentu,

præ-

præcepta Eccleſiæ infringere, & quaſi pro nihilo habere, nullus pius non videt.

ADNOTATIO 20.

[*]

Acerrima fuit noſtris hiſce temporibus inter Theologos Italos Controverſia, utrum, ſcilicet, qui juſtis de cauſis Quadrageſimali tempore diſpenſatus erat ab eſu carnium, diſpenſatus pariter cenſendus eſſet a lege jejunii. Aliqui pro negativa pugnabant, ſed longè plures, magno Caſuiſtarum cœtu ſtipati, ſtabant pro affirmativa, incompoſſibile reputantes jejunium cum eſu carnium. Ex utraque parte volumina prodierunt non pauca pro propria modis omnibus tuenda ſententia, ſed cum Inſtituti noſtri non ſit Litterariæ iſtius celeberrimæ pugnæ integram texere narrationem, principaliora tantum ad Opus noſtrum ſpectantia ſubiiciemus. Benedict. *XIV. diſſidia inter Theologos, atque abuſus, & corruptelas circa jejuniorum obſervantiam tollere, & eradicare penitus volens primo ſui Pontificatus anno* Breve *eaidit incip.* Non ambigimus, *in quo duo ſtatuit.* 1. *A diſpeaſatis, juſta interveniente cauſa ab eſu carnium* ſervandam eſſe unicam Comeſtionem. 2. *Ab ipſis minime in prandiis*, licitas atque interdictas Epulas promiſcuè apponendas eſſe. *Lege a Pontifice lata, non ideo cauſa, uti par erat, finita fuit; exigentibus ſcilicet, contrariæ ſententiæ Patronis, Conſtitutionem iſtam Populos integrès tantum, atque Communitates afficere, quando juxta temporum anguſtias, atque Canonum præſcripta tali fruuntur indulto, non autem particulares illas Perſonas, quæ ob legitimam cauſam de utriuſque Medici conſilio diſpenſantur. Ad hanc erroneam explicationem, ſeu interpretationem eliminandam, aliam paulo poſt evulgavit Epiſtolam omnibus Patriarchis, Primatibus &c. directam incip.* In ſuprema, *in qua antedictam interpretationem ab hominibus* a Chriſtiana pænitentia abhorrentibus *invectam, ab ejus ſententia alienam eſſe, decesnens ab omnibus omninò, ſive Communitates ſint, ſive particulares Perſonæ tali indulto gaudentes* unicam Comeſtionem ſervandam, & licitas, atque iterdictas epulas minime eſſe apponendas *declarat, & edicit.*

Re ſic ineluctabiliter firmata, atque compoſita, Archiepiſcopus Compoſtellæ, *pro integra Apoſtolicarum Litterarum intelligentia, atque obſervantia, quæſtiones quaſdam jejunii legem ſpectantes an.* 1744 *ipſi Pontificis propoſuit, quarum tenorem, atque reſponſiones ab ipſo factas, Pontificiis verbis exponimus.* I. Utrum quæ in antedictis noſtis Litteris in forma Brevis de unica comeſtione, & de epulis non permittendis præſcribuntur, ſub gravi etiam præcepto prohibeantur?

“ *Reſpondemus; concedentes facultatem ve-*
“ *ſcendi carnibus tempore vetito, ſub gravi te-*
“ *neri eaſdem facultates non aliter dare, quam*
“ *geminis hiſce adiectis conditionibus, videli-*
“ *cet, unicæ in diem comeſtionis, & non per-*
“ *miſcendarum epularum. Eos vero, qui hujuſ-*
“ *modi facultatibus utuntur, ſub gravi ad bi-*
“ *nas ipſas conditiones implenaas obligari.* ”

II. An ii. quibus conceſſumeſt veſci carnibus, poſſint in veſpertina refectiuncula ea quantitate carnis veſci, quæ jejunantibus permittitur?

“ *Reſpondemus: non licere; ſed opus habere*
“ *eo cibo, eaque uti potione, quibus utuntur*
“ *homines jejunantes rectæ Meticuloſæ conſcien-*
“ *tiæ.* ”

III. An qui jejunii tempore veſci carnibus permittuntur, & unica commeſſatione uti debent, horam jejunantibus præſcriptam ſervare opus habeant?

“ *Edicimus obſervandam iis eſſe.* ”

IV. Quænam ſint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?

“ *Reſpondemus: Epulas licitas pro iis, qui-*
“ *bus permiſſum eſt carnes comedere, eſſe carnes*
“ *ipſas. Epulas interdictas eſſe piſces, adeoque*
“ *utrumque ſimul adhiberi non poſſe. Piſcibus*
“ *tamen edendis, non interdicuntur ii, quibus*
“ *datur tantum facultas adhibendi ova, & la-*
“ *cticinia.* ”

V. An præceptum de utroque epularum genere non miſcendo, dies quoque Dominicos Quadrageſimales complectatur?

“ *Affirmatur Complecti.* ”

VI. Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere poſſunt Ova, & lacticinia?

“ *Reſcribimus: Nihil in prænuntiatis noſtris*
“ *Apoſtolicis Litteris ſtatutum eſſe, quod reſpiciat*
“ *gratioſum Cruciatæ Diploma. Qui eo gau-*
“ *dent, illius tenorem ſtrictè, & conſideratè*
“ *perpendant, ex ejuſque Sententia ſe gerant.*
“ *Caveant autem ne inani quapiam excuſatione*
“ *ſe ſe ſolutos eſſe arbitrentur præſcriptis ibi*
“ *legibus.* ”

VII. Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadrageſimam?

“ *Reſpondetur: urgere extra Quadrageſimam*
“ *utrumque præceptum; illud ſcilicet, unicæ*
“ *Comeſtionis. cum reliquis legibus, in ſecundo,*
“ *& tertio ad hæc poſtulata reſponſo expreſſis;*
“ *& alterum non permiſcendi epulas licitas cum*
“ *interdictis, ut in quarto poſtulato definitum eſt.* ”

Ex ſuperius enunciatis Apoſtolicis Litteris Controverſiam inſtruere non pauci tentarunt, an ſcilicet lex de unica ſervanda in diſpenſationibus comeſtione, & de promiſcuis non apponendis epulis, novum, ut ajunt, præceptum a Pontifice datum, an potius ſimplex declaratio jam præexiſtentis obligationis conſiderari debeat? Sed non eſt cur diutius in hac ultima Controverſia a partium ſtudio excitata immoremur, cum pro praxi certiſſimum ſit eſum carnium cum jejunio compoſſibilem eſſe; & diſpenſatos a cibis vetitis teneri ſub gravi jejunium ſervare.

[*]

AP-

Digitized by Google

APPENDIX SECUNDA.

De Cenſuris, Irregularitate, Degradatione, &c.

CUm Cenſuræ, Irregularitates, & cæteræ pœnæ leges ſint Eccleſiæ; ad Tractatum de legibus congruè adjicitur Appendix altera; ubi quæſtiones omnes, quæ ad earum pœnarum notitiam ſpectant, ſolita brevitate diſcutiemus.

De Cenſuris in communi.

QUÆR. 1. Quid ſit Cenſura?

℞. Rectè definitur: *Pœna ſpiritualis, & medicinalis, fori exterioris, ab Eccleſiaſtica poteſtate inflicta, privans hominem viatorem, baptizatum, adultum, delinquentem, & contumacem, uſu quorumdam bonorum ſpiritualium, juxta leges, & formas Juris, donec à contumacia reſipiſcat.*

Dicitur 1. Pœna *ſpiritualis*, quia animæ non corpori infligitur.

Dicitur 2. Pœna *medicinalis*; quia non infligitur, niſi ut morbos, quibus laborat anima, depellat; per quod cenſura differt, tum ab *Irregularitate*, quæ ſimplex dicitur impedimentum canonicum; tum à *degradatione, depoſitione, & ceſſatione a Divinis*, quæ ſunt pœnæ punitivæ, non medicinales.

Dicitur 3. *Fori exterioris*, in diſcrimen pœnarum, quæ in foro conſcientiæ à Confeſſariis imponuntur.

Dicitur 4. Privans *uſu quorumdam bonorum ſpiritualium*: Nullatenus enim privat bonis temporalibus directè, & per ſe, nec etiam merè internis; caractere ſcilicet, virtutibus, gratiæ donis, &c. ſed tantùm bonis quibuſdam internis ſpiritualem aliquem effectum, & fructum habentibus.

Dicitur 5. *Ab Eccleſiaſtica poteſtate*: Non autem à quolibet fideli, aut à ſimplici Populo; ut præſumebat Richerus, & Queſnellus inſinuabat in propoſitione ſua 90. à Conſt. *Unigenitus* profligata; ſed ab Eccleſiæ Prælatis majoribus, poteſtate Juriſdictionis, vel ordinaria, vel delegata gaudentibus. Poteſtatem ordinariam habent. 1. Sum. Pontifex reſpectu omnium Fidelium. 2. Archiepiſcopi, & Epiſcopi reſpectu ſibi ſubditorum, vel alienorum ob delictum in ſua Diœceſi perpetratum. 3. Legati Pontificis in Legationis ſuæ Provincia. 4. Vicarii Generales, quia idem Tribunal cum Epiſcopis ſuis habent. 5. Capitulum Cathedrale, ſede vacante, quia ſuccedit in Juriſdictione. 6. Prælati Regulares, ſcilicet Generales Ordinum, Abbates exempti habentes Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, Provinciales: Imò & Priores, Guardiani, & Monaſterium, aut Conventuum Præpoſiti, quovis vocentur nomine; niſi tamen aliter ſit reſtrictum. Parochi autem hanc non habent poteſtatem.

Porrò ferendi cenſuras delegatam poteſtatem habent omnes, qui eam ab habente ordinariam ex commiſſione ſuſceperunt. Hujus tamen commiſſionis ex jure capax eſt ſolus Clericus, clericali gaudens privilegio, etſi prima tantùm tonſura ſit inſignitus; non autem Clerici Conjugati, nec Laici Religioſi, nec Mulieres Moniales. Quòd ſi quandoque dicatur Abbatiſſas, vel ſimplices Confeſſarios ab Officio, & Beneficio Clericos ſuſpendiſſe; id de ſimplici intelligitur prohibitione, cujus violator ſit inobediens, & non irregularis, qualis aliàs fieret.

Dicitur 6. *Privans hominem viatorem*, non autem homines mortuos, vel in Purgatorio, vel in Inferno exiſtentes; cum ſint extra forum Eccleſiæ, nec delictum emendare valeant. Quando autem dicitur, nonnullos excommunicari mortuos; ſenſus eſt excommunicationis ſententiam, quàm ante mortem contraxerunt, declarari; qua quidem, licet mortui, ligati manent, indigentque ab ea abſolvi, tum ut ſepultura Eccleſiaſtica corpus eorum donetur, tum ut eorum anima piorum Communione fruatur.

Dicitur 7. *Hominem baptizatum*; quia cenſura eſt actus poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ exerceri nequit, niſi in eos qui ſunt intra Eccleſiam, quò intratur per Baptiſmum, juxta illud Apoſt. 1. Cor. 5. *Quid ad nos de iis, qui foris ſunt judicare.* Unde nulla cenſura affici poſſunt Pagani, Judæi, Mahometani, imò nec Cathecumeni, qui Baptiſmum nondum ſuſceperunt.

Dicitur 8. *Hominem adultum*. Nec enim infantes ante rationis uſum ligari poſſunt cenſuris. Quoad impuberes, & doli & maliriæ capaces, ligari quidem poſſunt, juxta communiorem ſententiam, ante pubertatis annos, cenſuris a Jure latis, non autem ab homine, quia ante hanc ætatem ſufficientem maturitatem non cenſentur habere, ad intelligendum Ordinem judiciarium; Ideò nec citari poſſunt, nec ad agendum, vel ad ſe defendendum in Judicio admitti. Nec

Nec refert, quòd in generali interdicto comprehendantur & impuberes; ſiquidem in eo non comprehenduntur, niſi quia localis eſt cenſura, non quatenus perſonalis.

Dicitur 9. *Hominem delinquentem*. Nullus quippe cenſura notari poteſt, niſi propter peccatum; & hoc debet eſſe. 1. Formale, & non materiale peccatum; id eſt cognitum, & indirectè ſaltem voluntarium. 2. Debet eſſe grave, vel in ſe, vel ex circumſtantiis; quia omnis cenſura de ſe gravis eſt pœna, excepta tamen Excommunicatione minori, quæ ideò ex culpa levi infligi poteſt. 3. Debet eſſe externum, vel ſaltem actui externo adjunctum; cùm Eccleſia de internis non judicet. 4. Debet eſſe perfectum, & conſummatum; ita ut ſubſequatur effectus: Unde ſi quis, v. g. ex voluntate Clericum occidendi catapultam explodat, ſi eum non attingat, excommunicationem non incurrit. 5. Debet eſſe de futuro committendum, non de præterito commiſſum; niſi præceſſiſſet contumacia, aut niſi eſſet ejuſdem peccati continuatio, ut in concubinatu perſeverante, vel in furto non reſtituto.

Dicitur 10. *Delinquentem contumacem*. Solus enim, qui Eccleſiam non vult audire, habendus eſt ſicut Ethnicus, aut Publicanus; ideo ſi ipſi morem gerere ſit paratus, nulla cenſura propriè dicta affici poteſt.

Dicitur 11. *Juxta leges, & formas Juris*; ſine quibus invalida foret, imò & injuſta, legali ſaltem injuſtitia. Ex triplici autem defectu cenſura eſt invalida. 1. Ex defectu Juriſdictionis in eo à quo fertur. 2. Ex defectu cauſæ legitimæ, propter quam fertur. 3. Ex defectu ordinis ad Judicium ſubſtantialiter requiſiti: Dico, *ſubſtantialiter*; nam ſi deficiat cenſura accidentaliter ab hoc ordine, licèt injuſta ſit legali injuſtitia, non eſt tamen invalida.

Defectu *Juriſdictionis* invalida eſt cenſura, dum Superior ad poteſtatem exercendam non eſt expeditus, vel quia eſt notoriè excommunicatus, vel quia ab alio Superiore poteſtas ejus, ſi delegata ſit, coarctatur, vel quia per legitimam appellationem ſententia ejus ſuſpenditur.

Defectu *cauſæ legitimæ* eſt invalida. 1. Si iniquam cauſam exprimat; v. g. ſi prohiberet, nè Corona B. V. quotidie recitaretur; & præciperet, ut Hæreticorum Eccleſiæ frequentarentur; vel aliquid mandaret juri naturali divino, & poſitivo contrarium: tunc enim ſententia diceretur *errorem continere intolerabilem*. 2. Si ob nullam, vel ob leviſſimam culpam, lata eſſet. In quo tamen nihil temerè præſumendum eſt, nec ſtandum judicio noſtro. *Qui enim ſub manu Paſtoris eſt*, inquit D. Greg. Hom. 26. in Evang. *ligari timeat, vel injuſtè; nec Paſtoris ſui judicium temerè reprehendat*. Imò licet conſtaret omnino de injuſtitia cenſuræ ob cauſæ legitimæ defectum, non eſſet contemnenda, ſed ad Superiorem pro ejus reſciſſione obtinenda recurrendum. Ideò jure merito damnata eſt Propoſitio 92. Queſnelli dicentis; *Excommunicationis injuſtæ metum nunquam debere nos impedire ab implendo debito noſtro*. Nam excommunicatus, v. g. licèt injuſtè, quia innocens, à Communione Paſchatis, ſaltem publica, ſeſe abſtinere tenetur: *Nè*, inquit S. Greg. citatus, *etſi injuſtè ligatus, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia, culpa, quæ non erat, fiat*.

Defectu *ordinis ad judicium ſubſtantialiter requiſiti*, invalida eſt cenſura. 1. Si lata ſit à Superiore in propria cauſa per modum Judicii. 2. Si determinatè non proferatur ſpecies cenſuræ. 3. Si non cadat in perſonam determinatam, vel nomine, vel facto, expreſſam. 4. Si motivum cenſuræ non aſſignetur, ut ſciat Reus à quo ſeſe emendare debet, & cœteri à quo præcavere debeant. 5. Si abſque ulla prævia citatione, aut monitione in Reum lata ſit. 6. Si Reus non fuit juridicè convictus, &c. Accidentalia verò ſunt judicio. 1. Quòd ſententia ſcripto proferatur. 2. Quod ab ipſo judice pronuncietur. 3. Quod non una ſolùm, ſed trina, præcedat monitio. 4. Quòd cum tali cœremonia Reo declaretur, & intimetur: Circa quæ conſulendi ſunt Auctores.

Dicitur tandem; *Donec à contumacia reſipiſcat*. *Medicinalis* quippe cenſura *non mortalis eſt*, inquit Innoc. IV. *diſciplinans, non eradicans*. Ideò ſi Reus ab inobedientia reſipiſcat, laxari debet cenſura. Non tamen ſufficit, quòd apud Deum reſipiſcat; ſed ſemper ligatus manet, donec Superiori ſe ſiſtens, obedientiam ſufficientem ei exhibuerit.

QUÆR. 2. Quæ cauſæ à Cenſuris excuſent?

R. 1. Excuſat *ignorantia*, modo non ſit craſſa, & ſupina, tàm juris; id eſt quòd talis lata ſit cenſura, quàm facti; id eſt quòd hìc homo, v. g. ſit Clericus. Ratio eſt quia ad cenſuram incurrendam requiritur neceſſariò contumacia; ſed juris, &

facti

facti ignarus non eſt contumax, cùm id quod ignorat deſpicere non eſt cenſendus; Ergo, &c. Dixi, *modò non ſit craſſa*, *ſeu ſupina*. Hæc enim non excuſat, niſi fortè pœna lata ſit ſub his tantùm clauſulis, *qui ſcienter auſu temerario*, vel *dolosè contrafecerit*: Excipe tamen, ſi ignorantia eſſet affectata, & adeò craſſa, ut ſcientiæ æquivaleret; quia tunc dolus, proindeque vera contumacia, intercederet. Idem de dubio dicendum eſt; qui enim operatur dubitans utrùm exſtet cenſura prohibens, contumaciter ſpernit Eccleſiam, cujus diſtrictam in hibitionem violandi voluntariè periculo ſe committit.

2. *Violentia* excuſat, imò & *moralis impotentia*: Sic excuſaretur is, cui per cenſuram injuncta eſſet debiti ſolutio, ſi intra præfixum tempus abſque graviſſimo incommodo illud ſolvere non valeret.

3. Excuſat *metus cadens in virum conſtantem*; quia benigna Mater Eccleſia non cenſetur cum tanto rigore obligare velle: adde quòd, qui ex metu gravi ejus infringit præceptum, contumax non ſit cenſendus. Excuſat igitur metus mortis, gravis damni, infamiæ, aut veri ſcandali: Dico veri ſcandali, nempè ſi ex aliquo facto, vel ex ejus omiſſione, alii ſumerent occaſionem peccandi.

QUÆR. 3. Quis à Cenſuris abſolvere poſſit?

Not. Cenſuram alia eſſe à jure, quæ fertur ſcilicet per Canones, Conſtitutiones, vel ſtatuta Eccleſiaſtica, ſtabili, & permanente lege: aliam ab homine, quæ a Judice, vel Prælato fertur per modum mandati, aut ſententiæ, in cauſâ, & facto particulari, vel in perſonas determinatas. Prima non ceſſat per depoſitionem, nec mortem Conditoris, benè autem ſecunda, quoad vim obligandi in poſterum; licèt qui ea jam ligatus eſt ante mortem, vel depoſitionem Conditoris, indigeat a legitimo Superiore abſolvi. Item alia eſt cenſura reſervata, alia non reſervata, alia reſervata Sum. Pontifici, alia cæteris legislatoribus Epiſcopis, aliiſque Prælatis. Hoc notato.

℞. 1 Quilibet Sacerdos, legitimè approbatus, abſolvere poteſt ab omnibus cenſuris, quæ ſunt à jure ſimpliciter, nec ſunt reſervatæ: Hæc eſt enim Eccleſiæ praxis univerſalis.

2. A cenſuris in jure reſervatis; item à cenſuris ab homine latis, ſive reſervatæ ſint, ſive non, abſolvere nullus poteſt, niſi is, cui ſunt reſervatæ, aut ejus Succeſſor, vel ejus Superior in hoc genere juriſdictionis, & cauſæ; vel is, cui hæc poteſtas ſpecialiter eſt conceſſa, vel tandem, quoad cenſuram ab homine, Judex appellationis.

3. Archiepiſcopus ligare non poteſt cenſuris Suffraganeorum ſuorum ſubditos, neque illos abſolvere, niſi tempore viſitationis, vel niſi cauſa per appellationem, aut ſimili modo, ſit ad eum devoluta.

4. Epiſcopi poſſunt à cenſuris Papæ reſervatis abſolvere in caſibus occultis, aut quando Rei ſunt vel impuberes, vel ſenes, vel debiles, vel pauperes, vel non ſui juris, ut mulieres, & filiifamilias, vel tandem legitimè impediti, nec Papam adire poſſunt.

5. A quibuſvis cenſuris, quovi ſmodo latis, aut reſervatis, poteſt abſolvere in mortis articulo quilibet Sacerdos, modò non Hæreticus, ut ſuo loco videbitur. Ubi obſervandum eſt, quòd ſic periclitantes abſoluti teneantur, quamprimùm poterint, Superiori ſe ſiſtere, non quidem ut ab eo abſolvantur, ſed ut mandatum ejus accipiant; alioquin ipſo facto in eam reincidunt cenſuram ob inobedientiam.

6. Diœceſanus ab Epiſcopo ſuo ſpecialiter excommunicatus, vel ſuſpenſus, abſolvi non poteſt ab Epiſcopo alterius Diœceſis, ad quàm tranſmigravit; imò ſi fuerit ſpecialiter excommunicatus in aliena Diœceſi, ob crimen inibi commiſſum, à ſuo proprio Epiſcopo abſolvi nequit, dum in ſuam Diœceſim revertitur.

Porrò, vel abſolutio in foro externo conceditur, vel in foro conſcientiæ. In primo ſervetur Rituale, in ſecundo ſufficit forma communis: *Ego te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, quàm ob tale crimen incurriſti, vel in quantum poſſum, & indiges*, &c. cùm nulla ſit forma neceſſariò præſcripta; imò ſufficeret talis forma, quæ ore, vel ſcripto expreſſa, voluntatem abſolvendi denotet; & Sum. Pontifex nutibus, & ſignis, à cenſuris poteſt abſolvere.

QUÆR. 4. Quotuplex ſit Cenſura?

℞. Triplicem eſſe cenſuræ ſpeciem; Excommunicatio, ſcilicet; Suſpenſio, & Interdictum. Irregularitas enim, nec ceſſatio à Divinis, nec depoſitio, nec degradatio, cenſuræ dicuntur, ut jam notavimus.

Porrò cenſura, alia eſt, uti jam dictum eſt a jure, alia ab homine; & utraque di-

Digitized by Google

citur latæ, vel ferendæ ſententiæ. Prima eſt ea, quam Jus, aut Judex ſtatuit ipſo facto, ſine alia ſententia, incurrendam; his verbis, aut ſimilibus; *Excommunicamus, volumus eſſe excommunicatum, incidat in excommunicationem*; maximè ſi addatur, *ipſo jure, ipſo facto, absque alia ſententia*. Secunda eſt ea, quam Jus, aut Judex non vult ipſo facto incurri, ſed per ſententiam infligi; ut ſi dicat: *Excommunicabitur, excommunicetur, volumus excommunicari*, vel *ſub pœna excommunicationis*, vel *ſub interminatione Anathematis*, &c. In dubio autem utrùm cenſura ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, benignior interpretatio fiat juxta 49. regulam Juris in 6.

ADNOTATIO 21.

(*)

De cenſuris dignè ſapienterque multa diſſeruit Benedictus *XIV. in aureo Opere* de Syn. Diœceſ. *lib. 10. cap. 1. 2. & 3. Improbat ibi immoderatum cenſurarum uſum, epiſcopos admonens, ut in eis ferendis ſobriè ſe gerant ne earum frequentia ſpretum potius, quam formidinem; & proinde perniciem magis, quàm ſalutem in populis ingerat, ut ait Trident. ſeſſ. 25. cap. 3. de Reform., his verbis*: Quamvis excommunicationis gladius, nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris . ., ſobriè tamen, magnaque circumſpectione exercendus eſt: cum experientia doceat, ſi temerè, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parere, quàm ſalutem. *Nimium rejicit Epiſcoporum rigorem, qui vel propter leves culpas, vel, ſi lethales, non tamen ex gravioribus, cenſuras infligunt*. Quamvis, *ait cap. 1. n. 3.* Epiſcopus ordinariam poteſtatem habeat ferendi cenſuras, eaſque in ſuarum Conſtitutionum tranſgreſſores decernendi; non tamen expedit, ut nunc ſuæ poteſtatis gladium exerat, niſi ad coercenda graviora crimina. *His firmatis, ſic proſequitur n. 5.* Quod ſi omnium Doctorum conſenſu, grave, & enorme crimen requiritur ad irrogandam cenſuram, etiam quam vocant comminatoriam, & ferendæ ſententiæ; multo ſanè gravius, & execrabilius eſſe oportet delictum, ob quod infligatur cenſura latæ ſententiæ, qua nimirum homo per ſolam legis tranſgreſſionem, nulla prævia monitione, ejuſdem legis miniſterio ſtatim perſtringitur, &c. *Non negat tamen, quod interdum cenſura etiam* latæ ſententiæ *infligi poſſit ad cohibendam culpam, quæ, licèt in ſe ſpectata levis videatur, gravis tamen ob circumſtantias evadit; ut videre eſt in cap. 3. per totum, ubi plura adferuntur exempla ex Eccleſiaſticis Archiviis deſumpta*.

(*)

De Excommunicatione.

QUÆR. 3. Quid, & quotuplex ſit Excommunicatio?

R. Excommunicatio in genere eſt *cenſura Eccleſiaſtica, qua homo baptizatus privatur bonis ſpiritualibus, quæ toti Eccleſiæ corpori ſunt communia*. Alia dicitur major, alia minor excommunicatio. Illa privat omnibus omnino bonis ſpiritualibus, ab Eccleſiæ diſpenſatione pendentibus; iſta verò à nonnullis tantummodò. Rursùs major excommunicatio; vel lata eſt in *toleratum*, quem Fideles vitare non tenentur; vel in *non toleratum*, quem vitare tenentur, cujuſmodi ſunt. 1. Quilibet nominatim excommunicatus, ac ſpecialiter, & publicè denuntiatus. 2. Notorius Clerici percuſſor, juxta Bullam Martini V. *ad evitanda*, quæ quidem in Gallia viget, quoad primam exceptionem, non autem quoad ſecundam; nempè, quoad Clericorum percuſſores notorios, qui apud nos vitandi non ſunt, niſi expreſſe fuerint denuntiati; quia ſic in Gallia conſuetudo obtinuit.

QUÆR. 2. Quibus bonis privat major Excommunicatio?

R. Septem vulgò numerantur.

1. Privat communibus Eccleſiæ ſuffragiis; ita ut qui publicè oraret pro excommunicato, ſaltem non tolerato, peccaret mortaliter: dico *publicè*; nihil enim vetat, quominùs pro eo privatim, & occultè preces fieri poſſint.

2. Privat adminiſtratione, & receptione Sacramentorum. Ideò nullus excommunicatus, etiam toleratus, & occultus, ullum Sacramentum abſque peccato ſuſcipere, aut adminiſtrare poteſt, niſi gravis, propria, vel aliena urgeat neceſſitas; id eſt periculum mortis, mutilationis, jacturæ bonorum, ſcandali, infamiæ, & ſimilium, ubi notandum eſt, excommunicatum à peccatis abſolvi non poſſe, niſi priùs ab excommunicatione fuerit abſolutus.

3 Privat facultate Miſſam audiendi, & publicis Officiis aſſiſtendi; quo fit, ut omnis excommunicatus, ſi iis interſit, mortaliter peccet, niſi gravis urgeat neceſſitas; ſicut & Miniſter Eccleſiæ, qui coram excommunicatio vitando ſcienter celebrat, & alii qui cum eo eamdem Miſſam audiunt, & eidem Officio Divino interſunt. Unde ſi excommunicatus non toleratus ad Miſſam, & Officium venerit, jubendus eſt ut exeat. Quod ſi noluerit, vi extrudendus

eſt

eſt licèt ſit Sacerdos, niſi adſit gravioris mali periculum; quo caſu Officium, imo, & Miſsa, etiam die Feſto, eſt omittenda, ſi nondum ad conſecrationem celebrans per venerit: Si autem jam conſecraverit, om nes alii exire debent ab Eccleſia, & ipſe celebrans pergere uſque ad Communionem incluſive, reliqua perfecturus in alio loco decenti. Ubi obſerva, quòd ſi excommunicatus ad Horas Canonicas teneatur, licèt eas publicè perſolvere non poſſit, ab his tamen privatim perſolvendis non excuſatur; & *Dominus vobiſcum*, quod Communionem indicat, dicere non debet, ſed tantummodò, *Domine exaudi orationem meam*.

4. Privat Juriſdictione Eccleſiaſtica; ita ut excommunicatus non toleratus, in foro, vel interiori, vel exteriori, nec ſolvere poſſit; imò nec validè eligere, nec beneficia conferre, nec præſentare, nec legem, aut ſententiam ullam ferre.

5. Privat facultate obtinendi ac poſſidendi quævis Beneficia Eccleſiaſtica, Dignitates, aut Officia, proindeque eorum fructus percipiendi. Beneficium tamen ante excommunicationem obtentum ipſo facto non tollit, nec fructus ab eo legitimè perceptos.

6. Privat excommunicatum non toleratum Sepultura Eccleſiaſtica, etiamſi ante mortem pœnitentiæ ſigna exhibuerit; & mortaliter peccant, qui eum ſepeliunt, aut ſepeliendum curant. Si fuerit ſepultus, & nulla pœnitentiæ ſigna dederit, exhumari debet, ſi à cæteris dignoſci poſſit; nec poſſunt in loco ejus ſepulturæ Sacra, & Divina peragi ante reconciliationem debitam: Dico, ſi nulla pœnitentiæ ſigna dederit; ſi enim dederit, non eſt exhumandus, ſed à poteſtate Eccleſiaſtica ab excommunicatione eſt abſolvendus.

7. Privat eumdem excommunicatum non toleratum omni civili communicatione cum aliis Fidelibus juxta illum verſiculum.

Os Orare, Val, Communio, Menſa negatur:

Os denotat allocutionem, ſive per verba, ſive per Epiſtolam, ſive nutibus fiat; oſculum, amplexus, & quodlibet ſpecialis amicitiæ ſignum. *Orare* omnem in Divinis communicationem. *Vale* ſalutationem honorificam, *Communio* ſocietatem, ſive in habitatione, ſive in contractibus, ſive in commercio, &c. *Menſa* omnem in cibo, & potu participationem.

QUÆR. 3. Quibus bonis privat Excommunicatio minor.

R. Privat 1. Sacramentorum tantummodò receptione, non adminiſtratione. Unde tali excommunicatione innodatus, qui Sacramenta ſuſcipit, ſicut & ille qui illa ipſi adminiſtrat, graviter peccat; licet neuter ob hoc irregularitatem contrahat. Privat electione tantùm paſſiva, non autem activa, ad Beneficia; ideò ſic excommunicatus eligere tantùm, non eligi poteſt. Electio tamen ejus non eſt ipſo facto irrita, ſed irritanda. Excommunicatio autem illa non incurritur, niſi per ſolam communicationem cum excommunicato vitando, quæ vel in Divinis eſt, vel in Civilibus. Communicatio *in Divinis* mortalis eſt ex genere ſuo; id eſt, niſi excuſet à mortali levitas materiæ. Imò qui celebrat coram excommunicato vitando, aut qui ipſi Sacramenta adminiſtrat, præter peccatum mortale quod committit, & excommunicationem minorem quam incurrit, privatur ingreſsu Eccleſiæ; quo interdicto innodatus, ſi Sacris det operam, irregularitatem contrahit, ob hujus interdicti violationem. Item qui excommunicatum non toleratum mortuum ſepelit in Cœmeteriis, aut Locis ſacris, non ſolùm minorem, ſed & majorem incurrit excommunicationem; ex Clement. l. de Sepulturis.

Communicatio verò in *Civilibus*, modo non ſit in crimine cum excommunicato vitando, eſt tantùm venialis, licet veram inducat minorem excommunicationem: Dico, modò *non ſit in crimine*; per hanc enim etiam major incurritur excommunicatio. Porrò ab hac minori excommunicatione abſolvere poteſt quilibet Sacerdos, qui poteſt à mortalibus; & qui hac eſt innodatus, priùs ab ea debet abſolvi, quàm ab aliis peccatis abſolvatur.

QUÆR. 4. Quas ob cauſas liceat ſine peccato communicare in Civilibus cum excommunicato non tolerato?

R. Sex vulgò numerantur hoc verſiculo: *Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Neceſſe*, comprehenſæ. *Utile*; id eſt utilitas ſpiritualis aut corporalis tam propria quàm ipſius excommunicati; ſi tamen ſit notabilis. Ideò licet ab excommunicato conſilium petere, debitum exigere, & ipſum ad reſipiſcentiam adhortari, &c. *Lex*; id eſt matrimonialis, qua Conjuges inter ſe communicare debent. *Humile*, id eſt ſubjectio debita Filiorum erga Parentes, Famulorum, & Subditorum erga Dominos ſuos. *Neceſſe*: ſeu neceſſitas ſpiritualis, vel temporalis

excom-

excommunicati, vel illius qui cum eo communicat; ſic licet pauperi ab excommunicato eleemoſynam petere, ad vitam neceſſaria emere, remedia adminiſtrare, &c.

QUÆR. 5. Quid ſit Monitorium?

℞. Monitorium eſt: *Mandatum, quo ſub excommunicationis interminatione ſolus Epiſcopus jubet factum aliquod revelari, aut damnum reparari, utrumque ad rem gravem pertinens*. Dicitur: *Mandatum*; id eſt præceptum Eccleſiæ affirmativum, verè obligans Fideles ſub mortali, & poſt trinam monitionem ſub pœna excommunicationis, à qua non revelantes, aut damnum non reparantes, niſi à Superiore abſolvi non poſſunt; imò poſt initam excommunicationem, etiam elapſo revelationi, aut reparationi tempore præfixo, ad reparationem, aut revelationem, ſi adhuc ſit utilis, ſemper adſtringuntur. Dicitur. 2. *Ab Epiſcopo*, cui ſoli juxta Trident. ſeſſ. 25. cap. 3. de Reform. poteſtas hæc competit. Dicitur. 3. *Ad rem gravem*; nec enim ex eodem Concilio ob levem rationem excommunicationis fulgur contorqueri poteſt.

Ab hoc præcepto, proindeque ab excommunicatione ſunt immunes non revelantes. 1. Qui cum fundamento timent nè ob revelationem grave incommodum, vel in perſona, vel in familia, vel in fortunæ bonis, patiantur. 2. Clerici dum eorum denuntiatione mortis ſupplicio aliquis plecti poſſet, niſi tamen bonum commune Reipublicæ id poſtulat. 3. Conſanguinei uſque ad 4. gradum incluſivè, & affines in primo, & ſecundo gradu, dum de morte, aut gravi infamia agitur. 4. Hi quibus factum ſub ſecreto fuit concreditum, vel qui ratione Officii ſui ſecreto tenentur; ut ſunt Confeſſarii, Medici, Chirurgi, Advocati, &c. 5. Rei, & in eorum crimine ſocii, qui nec ſe ipſos, nec ſuos complices tradere tenentur, licèt, ſi poſſint, ad reparationem damni ſemper obſtricti maneant.

De Suſpenſione.

QUÆR. 1. Quid, & quotuplex ſit Suſpenſio?

℞. 1. Suſpenſio *eſt cenſura, qua perſona Eccleſiaſtica in gravis delicti pœnam privatur uſu poteſtatis, quæ ratione aut ordinis, aut beneficii, aut officii clericalis, ipſi competit*. Dicitur. 1. *Qua perſona Eccleſiaſtica*, ut diſtinguatur ab excommunicatione, & interdicto, quæ in Laicos infligi poſſunt. Dicitur. 2. *In gravis delicti pœnam*; quia gravis cenſura, uti de ſe eſt ſuſpenſio, niſi in grave peccatum infligi poteſt. Nonnulli tamen cenſent Auctores, levem; id eſt partialem, ſuſpenſionem pro levi culpa ferri poſſe, ſed minùs probabiliter. Dicitur. 3. *Uſu poteſtatis clericalis*; quia Clericum non dejicit ab Ordine, Beneficio, aut Officio, ſed tantùm eorum uſum interdicit; per quod differt à degradatione, & depoſitione. Dicitur. 4. *Poteſtatis clericalis*, per quod differt iterum ab interdicto; tum quia interdictum quibuſdam rebus ſacris privat, quatenus ſacræ ſunt, non autem quatenus poteſtatem Eccleſiaſticam reſpiciunt. Dicitur denique; *quæ ratione, aut ordinis, aut beneficii, &c.* ut inſinuetur ſuſpenſionis diviſio: Unde.

℞. 2. Triplex eſt ſuſpenſio: Alia ab Officio tantùm, ſive ſit Ordinis, ſive Juriſdictionis: Alia à Beneficio tantùm, ſive Canonicatus, ſive Epiſcopatus: Alia demùm, ab utroque ſimul, Officio, ſcilicet, & Beneficio. Hæ autem ſuſpenſiones; vel ſunt totales, dùm quis omnium Ordinum, & totius Juriſdictionis uſu privatur; vel partiales, dùm quis ab uſu tantùm alicujus Ordinis, vel Juriſdictionis in certo quodam caſu privatur.

QUÆR. 2. Quænam ſint circa ſuſpenſionem obſervanda?

℞. Obſerv. 1. Suſpenſio, quæ abſolutè fertur abſque ulla determinatione ad hoc, vel aliud cenſetur totalis, tam ab Officio, quàm à Beneficio. 2. Suſpenſus illimitatus ab Officio cenſetur ſuſpenſus ab Ordine, & Juriſdictione, nec ſacramentaliter abſolvere poteſt. 3. Suſpenſio, quæ aliquid determinat, litteraliter ſumi debet, nec extendi poteſt ultra id quod neceſſariò in illo expreſſo includitur. Ideò ſuſpenſus ab Officio tantùm, à Beneficio ſuſpenſus non eſt; nec vice verſa. Item ſuſpenſus ab Ordine ſuperiori, ab inferiori non ſuſpenditur; nec ab inferiori ſuſpenſus, à ſuperiori ſuſpenſus eſt; niſi quoad ea, quæ cum hoc inferiori connexa ſunt. Unde Sacerdos tantùm ſuſpenſus ab Officio Diaconatus, Miſſam quidem celebrare non poteſt; quia Miſſa ſine Evangelio non celebratur; ſed omnia poteſt peragere, quæ Sacerdoti propriè competunt, nempè ſolemniter baptizare, Confeſſiones audire; &c. 4. Qui ab Ordine tantùm ſuſpenſus eſt, non cenſetur ſuſpenſus à Juriſdictione; niſi ergo eos Juriſdictionis actus, qui Ordinis uſum actualem requirunt. Ideò Prælatus ab Ordine ſuſpenſus, beneficia conferre poteſt, excommunicationem

nem ferre, aliaſque cenſuras, & ab illis abſolvere, niſi id præſtet tanquàm Sacerdos, aut cum ſolemnitate. Idem dicendum de ſuſpenſo à Beneficio, qui ideò non privatur jure conferendi, vel eligendi, quod ſibi ratione Beneficii competit. 5. Suſpenſus à Beneficio, ex jure communi ipſo facto fructuum perceptione privatur; ſed in Gallia, ex uſu recepto, ab ea non privatur, niſi accedat Judicis laici ſententia.

QUÆR. 3. Utrùm omnis ſuſpenſio cenſura ſit propriè dicta?

℞. Affirmativè. Nam præter cenſuram, quæ fertur per modum medicinæ, alia eſt quæ fertur per modum pœnæ, in vindictam delicti merè præteriti, quæ in jure frequentiſſima eſt. Differunt inter ſe. 1. Quòd ſuſpenſio medicinalis nullum tempus præfixum habere poſſit; pœnalis autem ad tempus determinatum imponitur, ſive ſit ad breve tempus, ſive in perpetuum, independenter à Rei emendatione. 2. Quòd pœnalis ſuſpenſio non requirat præviam monitionem, quia fertur propter culpam præteritam, etiamſi nullam durationem moralem habeat; Medicinalis autem ſemper requirat præviam monitionem, ſaltem eam quæ includitur in his verbis, *ſi hoc feceris*, vel *niſi ſatisfeceris*, 3. Quod pœnalis, quæ ad certum tempus imponitur, eo elapſo, per ſe ceſſat abſque alia abſolutione: Medicinalis autem non tollitur niſi per abſolutionem. 4. Quòd medicinalis non feratur, niſi propter propriam culpam illius cui infligitur. Pænalis autem culpæ infligi poſſit in univerſam Communitatem propter unius hujus Communitatis defectum. 5. Quòd à pœnali quæ fertur in jure, nullus cum ordinaria poteſtate abſolvere poſſit, licèt in jure non expreſsè addatur, quòd ſit reſervata: Medicinalis è contrà; Ratio eſt quia ſuſpenſio pœnalis propriè, & ſtrictè non tollitur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem, quæ ex natura ſua cenſetur reſervata, niſi explicitè facultas diſpenſandi concedatur.

De Interdicto.

QUÆR. 1. Quid, & quotuplex ſit Interdictum?

℞. Interdictum eſt *Cenſura privans, vel hominem, vel locum, vel utrumque ſimul, publica Divinorum Officiorum celebratione, & aſſiſtentia, Sacramentorum non neceſſariorum adminiſtratione, & ſuſcepione, nec non uſu ſepulturæ Eccleſiaſticæ*.

Dicitur 1. *Cenſura*; per quod diſtinguitur à *ceſſatione à Divinis*, quæ quidem eoſdem parit effectus, non per modum pœnæ; ſed per modum ſimplicis prohibitionis.

Dicitur 2. *Privans, vel hominem, &c.* Triplex eſt enim Interdictum. *Locale*, quod locum ipſum immediatè afficit, & interdicit nè in eo Divina Officia celebrentur, vel Sacramenta adminiſtrentur. *Perſonale*, quod perſonam aliquam, vel plures immediate afficit, ne Divinis Officiis interſint, aut Sacramenta ſuſcipiant. *Mixtum*, quo æqualiter & locus, & perſonæ interdicuntur. Quo ad Primum, Perſonæ in aliis locis non interdictis Sacramenta ſuſcipere, & Divinis Officiis intereſſe poſſunt. Quoad ſecundum, & tertium, Perſonæ id præſtare nequeunt in aliis locis non interdictis.

Dicitur 3. *Publica Divinorum Officiorum*; &c. quia non prohibetur privatus Divinorum Officiorum uſus, ſaltem in Eccleſiis ſpecialiter non interdictis. Imò in locis etiam ſpecialiter interdictis, poteſt privatim celebrari, ut Euchariſtia pro infirmis renovetur, clauſis tamen januis, uno vel altero miniſtrante.

Dicitur 4. *Sacramentorum non neceſſariorum*, &c. id eſt Ordinis, Extremæ Unctionis, Euchariſtiæ (non tamen reſpectu morientium) & Matrimonii ſolemnis, id eſt quod ſolemni Benedictione conſecretur.

Dicitur 5. *Eccleſiaſtica ſepultura*, ea nimirum, quæ fit in loco ſacro, aut adhibitis conſuetis ritibus Eccleſiaſticis. Excipiuntur tamen Clerici, qui in interdicto locali poſſunt in Locis ſacris, etiam interdictis, ſepeliri, modo nominatim non ſint interdicti, nec interdictum violaverint. Imò Laici perſonaliter non interdicti, quique culpa ſua locum interdicto non dederunt, ſepeliri poſſunt in Loco ſacro non interdicto.

QUÆR. 2. Quænam circa interdictum ſunt obſervanda.

℞. Obſerv. 1. Dum interdicitur Civitas, interdicuntur quoque ſuburbia, & ædificia adjacentia Civitati. Item dum interdicitur Templum, interdicuntur quoque Cœmeteria, & Capellæ contiguæ, at non viciſſim. 2. Si Civitas interdicatur generali interdicto, cenſentur etiam interdictæ Eccleſiæ Religioſorum aliàs exemptæ. 3. Si interdicatur Populus, non ob id interdicuntur Clerici; ſi Clerus non Religioſi, niſi

forſan

forſan interdictum latum fuiſſet in omnes perſonas Eccleſiaſticas. 4. Cives communitatis interdictæ interdicto perſonali ſubjacent, licèt fuerint abſentes, dum latum fuit interdictum; quia ſunt pars Communitatis. Quod ſi deſinant eſſe Cives, poſſunt alibi Divinis intereſſe, modo interdicto cauſam non dederint. 5. Vagi, Peregrini, Forenſes, qui verſantur in loco, ubi populus eſt interdictus, interdicto perſonali non ſubjaceant, cùm non ſint partes populi.

QUÆR. 3. Quam pœnam incurrant, qui Interdictum violant?

℞. Omnes Interdicti violatores peccant mortaliter, niſi à mortali excuſet parvitas materiæ, aut quidpiam ſimile; cum hoc diſcrimine, quod erga Laicos nulla ſit pœna ſtatuta, niſi violentiam adhibuerint, quo caſu percelluntur excommunicatione. Quoad Eccleſiaſticos, non ſolùm irregularitatem incurrunt, ſed etiam ſuſpenſionem ab Officio; imo qui Interdictum locale generale violant, incurrunt Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & electione activa, & paſſiva privantur. Religioſi autem Interdictum locale generale non ſervantes, ipſo facto excommunicationem incurrunt. Ubi obſervandum eſt obiter, Clericum non interdictum, qui perſonæ interdictæ Sacramenta confert, non incurrere irregularitatem, licet mortaliter peccet. Idem dicendum eſt de Clerico interdicto, qui more Laicorum Sacris intereſſet, Sacramenta reciperet, privatum baptizaret, &c. circa quæ, ſi occurrat neceſſitas Auctores ſunt conſulendi.

De ceſſatione à Divinis, Depoſitione, & Degradatione.

QUÆR. 1. Quid ſit ceſſatio à Divinis?

℞. Eſt *præceptum Eccleſiaſticum, quo Miniſtri Eccleſiæ ceſſare tenentur à Divinorum Officiorum celebratione, Sacramentorum adminiſtratione, & Laicorum Eccleſiaſtica ſepultura*. Servata tamen modificatione facta pro Interdicto, & Suſpenſione; & hoc in ſignum mœroris Eccleſiæ ob graviſſimum ſibi, vel honori Dei illatam injuriam, donec ei ſatisfiat. Unde moneri debet is, ob cujus culpam eſt ferenda; cùm finis ejus ſit Reorum emendatio. Porro licèt ceſſatio à Divinis ab Interdicto differre non videatur, non tamen irregularitatem inducit Clerico eam violanti, licet gravis ejus violatio grave ſit peccatum, & excommunicationem incurrant Regulares, etiam exempti, eam non ſervantes, quæ in Cathedrali, vel Parochiali Eccleſia ſervatur.

QUÆR. 2. Quid ſit Degradatio?

℞. Degradatio eſt *pœna Eccleſiaſtica Clericum privans omnimodè, & in perpetuum Beneficio, & officio, ſervato tamen charactere, & Ordine*; ita ut Sacerdos, v. gr. degradatus adhuc validè conſecraret. Degradatio, alia eſt verbalis, realis altera. Prima quæ depoſitio dicitur, eſt ſententia Eccleſiaſtica, qua perſona Eccleſiaſtica privatur omni Officio & Beneficio in perpetuum; ſi agatur de totali depoſitione; nihil enim vetat decerni partialem depoſitionem, quæ privet Officio non Beneficio, & vice verſa; aut quæ altero horum privet in parte, non in toto. Secunda autem, quæ vera degradatio dicitur, non fit niſi cum externa ſolemnitate, capillorum tonſione, ornamentorum Ordini Competentium ſpoliatione, &c. Et hoc quidem, juxta jus antiquum, à proprio Epiſcopo cum ſex aliis Epiſcopis, dum de Sacerdotis degradatione agebatur, & tribus dum de Diaconi. Sed Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. ſtatuit degradationem fieri poſſe à proprio Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali, aſſiſtentibus ad Sacerdotis degradationem, ſex perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ad Diaconi, vel Subdiaconi degradationem tribus tantummodò.

QUÆR. 3. In quo differunt inter ſe degradatio, & depoſitio?

℞. In hoc differre. 1. Quòd juxta Canones degradatio excludat, ſi ſit legitima, omnem ſpem reſtitutionis, nec degradatus in priſtinum gradum reſtitui poſſit, niſi ex Summi Pontificis diſpenſatione. Depoſitio autem, etiam totalis, licèt de ſe ſit in perpetuum, ſi tamen depoſitus ſigna dederit emendationis, & pœnitentiæ, ab Epiſcopo reſtitui poteſt. 2. Quòd degradatio excludat omninò degradatum à privilegio, & Canonis, & fori Eccleſiaſtici, transferatque Clericum in ſtatum laicum; adeò ut qui eum percuſſerit, non alias pœnas incurrat quàm ſi laicum percuſſiſſet. Non ſic autem dicendum eſt de depoſitione, quæ ſolummodo privat Clericum Officio, & Beneficio, non amiſſo tamen clericali privilegio.

De Irregularitate.

QUÆR. 1. Quid ſit Irregularitas?

℞. Irregularitas eſt *impedimentum Canonicum Ordines ſuſcipiendi, & ſuſceptos exercendi.*

Dicitur 1. *Impedimentum*, non pœna propriè, & ſtrictè dicta, ſed inhabilitas. Unde

non

non eſt cenſura; & qui à cenſuris tempore Jubilæi abſolvendi poteſtatem habet, ob hoc ab irregularitate diſpenſare nequit, niſi de ea expreſſa fiat mentio.

Dicitur 1. *Canonicum*; id eſt à ſolo jure canonico ſtatutum, & non ab hominis ſententia editum. Ideò non eſt aliqua irregularitas aſſerenda, niſi ſit in jure expreſſa.

Dicitur 3. Impedire *ſuſceptionem* Ordinum, non quidem validam, ſed tantùm licitam; ita ut graviter peccet, qui non obſtante irregularitate Ordines ſuſciperet, vel in Ordinibus jam ſuſceptis miniſtraret. Poteſt tamen irregularis, etiam in Eccleſia, vel Choro, ſine ſolemnitate clericali, eoſdem actus exercere, quos Laici exercent, cantare, recipere Sacramenta, &c.

Dicitur 4. *Ordines*; per quod non ſolum intelliguntur Ordines ſtrictè ſumpti, ſed & latè; ſcilicet ipſamet prima tonſura, imò & Beneficia, ad quæ ſuſcipienda parit incapacitatem, ſicut pariunt Cenſuræ; licèt ſubſequens irregularitas, ſicut de Cenſuris dictum eſt, non inducat Beneficii anteà adepti vacationem, ſed tantummodò det locum Judici, ut vacationem decernat.

QUÆR. 2. Quotuplex ſit Irregularitas?

℞. Alia eſt Irregularitas ex delicto, ſive quæ immediatè orta eſt ex aliquo peccato illius qui irregularis efficitur: Alia irregularitas ex defectu, quæ immediatè non eſt orta à peccatis illius qui ſit irregularis, ſed ex aliquo illius defectu; ut Natalium defectus proveniens mediatè à parentibus Filii irregularis. Rurſùs alia eſt Irregularitas totalis, quæ omni Ordine, vel ſuſcipiendo, vel exercendo privat, ut Homicidii, Bigamiæ, &c. Alia partialis, quæ aliquo tantùm Ordinis miniſterio privat, vel ſolo ad ſuperiorem Ordinem aſcenſu; v. gr. Sacerdos oculis orbatus, inhabilis eſt ad Miſſam celebrandam, non ad Confeſſiones audiendas, & Diaconus ſiniſtro carens oculo, inhabilis eſt ad Sacerdotium, non ad muneris ſui executionem.

QUÆR. 3. Quot ſint Irregularitates ex delicto?

℞. Quinque recenſentur his verſiculis contentæ.

Baptizans iterum, Cenſuræ Violator, Abuſus. Ordinis, Hæreticus, Perimens, Mutilator, Abortus.

Baptizans iterum; id eſt qui ſcienter, & abſolutè rebaptizat, aut rebaptizatur; vel qui ex Officio rebaptizanti miniſtrat. Dico *abſolutè*, non enim irregularis efficitur, qui in dubio ſub conditione rebaptizat, nec qui Ordinem, aut Confirmationem iteratò ſuſcipit.

Cenſuræ violator; ſcilicet excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, qui actus Ordinum ſuorum exercet, aut qui ſcienter celebrat in loco interdicto, non autem in Eccleſia polluta; licèt is graviter peccet. Ignorantia autem non craſſa, & gravis urgens neceſſitas, ſecundùm communiorem ſententiam, ab hac irregularitate excuſant.

Abuſus Ordinis, ſub qua voce comprehenduntur. 1. Qui ſuſcipiunt Ordines ab Epiſcopo non habente Juriſdictionem, non ſervatis interſtitiis, vel ſine dimiſſoriis Litteris. 2. Furtivè ordinati, prout ſunt non examinati, nec admiſſi. 3. Suſcipientes Ordines in excommunicatione, & ſuſpenſione. 4. Suſcipientes Ordines per ſaltum; id eſt, ſi ſuſcipiant ſuperiorem ante inferiorem. 5. Suſcipientes Ordines durante Matrimonio, etiam non conſummato, niſi in Religione approbata. 6. Ordinem non ſuſceptum ſolemniter exercentes: excipiuntur tamen Laici, qui cum Dalmatica, ſed ſine Manipulo, Subdiaconi vices gerunt.

Hæreticus, & Apoſtata non ſolùm à Fide, ſed à Religione approbata. Imò extra Galliam, Fautores, Defenſores, ac Receptatores Hæreticorum, etiam occulti, & eorum Filii ex linea paterna uſque ad ſecundum gradum incluſivè, & ex linea materna in primo gradu; niſi conſtet Parentes ante mortem fuiſſe converſos. Dixi, extra Galliam, Conſtitutiones ſiquidem Hæreticos etiam converſos ab Ordine, & Beneficio arcentes, in eo Regno uſu non ſunt receptæ.

Perimens, *Mutilator*, *Abortus*. Per mutilationem, quæ Irregularitatem inducit, non intelligitur ſola effuſio ſanguinis, aut avulſio carnis, vel cutis, ſed abſciſſio alicujus membri principalis, per ſe completum, & diſtinctum officium habentis in corpore; ſcilicet, manus, digiti ad conſecrationem neceſſarii, pedis, oculi, &c. Imò, & auricularum, & narium, quarum, abſciſſio magnam deformitatem parit. Per abortum verò intelligitur, ſi fœtus eſt animatus, non aliter; In dubio autem utrùm ſit animatus, incurritur Irregularitas. Hoc poſito; non ſolùm injuſti Homicidæ, mutilatores, & abortum procurantes, fiunt irregulares, ſed &

1. Fautores eorum, & cooperatores, mandantes, & conſulentes; cum hoc diſcrimine, quod mandans, ſi mandatum ſuum ante executionem revocet, ab Irregularitate ſit immunis, non autem conſulens. Ratio diſparitatis eſt, quia mandatum revo-

catum non ampliùs influit in actionem mandatarii, qui tunc cenſetur motu proprio agere. Conſilium autem, licèt revocatum, in actionem ſemper influit; cùm ille qui conſilium accepit, ex vi ſuaſionis ſibi datæ ſemper agere cenſeatur.

2. Qui operam dantes rei illicitæ, fortuitò hominem occidunt, aut mutilant, aut abortum cauſant. Unde Clericus ludis, venationibus, choreis, comeſsationibus, & cæteris Clericis interdictis, incumbens; ſi inde mors, mutilatio, abortus, vel indirectè, ſubſequantur, irregularis eſt, etiamſi omnem debitam in his operationibus diligentiam adhibuerit, nè quid mali contingat.

3. Qui operam dantes rei quidem licitæ, ſed qui culpa ſua lata, debitam diligentiam non adhibuerunt, hominem interfecerunt, &c. ſunt irregulares. Unde arborem incidens incautè, ex quo ſequitur mors, aut mutilatio hominis; præceptor puerum intuitu diſciplinæ ita graviter percutiens, ut hinc moriatur: Saltans immoderatè cum muliere prægnante, quæ ob hoc abortum patitur: Medicus qui, relicto certo remedio, dubium ægroto miniſtrat, ex quo mors ſequitur: Qui contra Medici præceptum aliquid ægroto tradit, vel tradi mandat, vel conſulit, ſi mors acceleretur, &c. ſunt irregulares; Ubi obiter obſervandum eſt in irregularitate ex delicto requiri neceſsariò ut peccatum ſit mortale, & actus ſit externus, & conſummatus.

QUÆR. 4. Quot ſint Irregularitates ex defectu?

℟. Novem numerantur, his verſiculis comprehenſæ.

Ortus, *Libertas*, *Sexus*, *Mens*, *Corpus* & *Ætas*,

Non Bigamus; *Lenis*, *nec mala Fama notet*.

Ortus: cujus defectu Irregulares ſunt quicumque ex fornicatione, adulterio, aliove illicito concubitu procreati ſunt, etſi occulti; niſi vel profeſſione Religioſa, vel ſubſequenti Matrimonio ſint legitimati; & hoc dummodò conceptionis eorum tempore, parentes nullum inter ſe Matrimonium contrahendi impedimentum haberent.

Libertas: Cujus defectu irregulares ſunt ſervi propriè dicti, donec libertatem ſint adepti, item obligati ad publica ratiocinia, ut tutores, quæſtores, curatores, publici adminiſtratores.

Sexus, nempè fœmineus, imò & duplex Hermaphroditæ ſexus, licèt virilis ſexus prævaleret, irregularitatem inducit.

Mens: Cujus defectu irregulares ſunt. 1. Arreptitii, Amentes, Lunatici, & Epileptici; qui omnes, ſi anteà non fuerunt ordinati, excluduntur in perpetuum ab Ordinibus, quamvis conſtet poſteà liberatos fuiſse, niſi tamen nonnullos tantummodò affectus epilepticos ante decimum quartum ætatis ſuæ annum paſſi fuiſsent. Si verò legitimè Sacris initiato Epilepſia ſupervenerit, hic poteſt ſuſceptos Ordines exercere; dummodò integro anno epilepticum ſymptoma non reccurit; Idem dicendum eſt de ſtultitia, & de infeſtatione dæmonica. Quòd ſi non conſtet de caſu epileptico, ſufficit triginta dierum exploratio. 2. Illiterati ſunt irregulares: hi nimirum, in quibus nulla, vel levis, apparet aptitudo ad acquirendam ſcientiam neceſsariam. 3. Neophyti ab Idololatria, vel Judaiſmo recenter converſi, donec ſufficienter inſtructi ſint.

Corpus: Cujus defectu irregularitatem contrahunt. 1. Qui adeò deformes ſunt, ut ſine horrore, & ſcandalo actus Ordinis exercere non poſſint. 2. Qui carent manu, pollice, & indice, non autem qui carent ungula pollicis, vel indicis. 3. Non ſolùm cœcus, ſed qui alterutro oculo eſt orbatus; id eſt ipſo membro; non autem qui utrumque habens oculum, dextri tantum oculi lumine privatus eſt. 4. Qui carent naſo, pedibus, & qui labia adeò habent corroſa, vel linguam ſic impeditam, ut ſufficienter verba pronuntiare nequeant. 5. Claudi, qui ſine baculo incedere non poſsunt, monſtruosè Gibboſi, Gigantes, Pigmæi, Æthiopes in iſtis regionibus. 6. Planè ſurdi, ſi in ſurditate fuerint ordinati: quòd ſi ſurditas advenerit poſt ordinationem, poterunt celebrare. 7. Eunuchi, qui ſibi virilia amputari permiſerunt abſque juſta cauſa, ut cauſas cantus, caſtitatis, vel in pœnam delicti, non autem hi qui ſic nati ſunt, vel per vim, aut propter infirmitatem hoc paſſi ſunt. 8. Tremuli, Abſtemii, qui abſque periculo Sanguinem Chriſti effundendi, aut ſine horrore, aut vomitu, celebrare non poſsunt.

Ætas: Cujus defectu ad tempus irregulares ſunt, qui ætatem requiſitam nondùm adepti ſunt.

Non Bigamus. Triplex eſt autem Bigamia irregularitatem inducens. *Vera*, dum quis Matrimonium ſucceſſivè contraxit, & conſummavit cum duabus, ſive ante, ſive poſt Baptiſmum. *Interpretativa*, dum quis unicam quidem duxit, ſed viduam, aut ab altero corruptam, vel propriam uxo-

Digitized by Google

uxorem cognoſcit poſt ejus adulterium. Et *Similitudinaria*, dum quis poſt votum ſolemne caſtitatis, in profeſſione Religioſa aut ſuſceptione ſacri Ordinis, emiſſum, conſummat Matrimonium. Non ſufficiunt igitur Sponſalia cum pluribus, nec Matrimonium ratum, nec ipſamet fornicatio, ut quis ex hoc defectu irregularitatem contrahat.

Lenis: Ex defectu lenitatis irregulares ſunt quicumque, etiam abſque culpa ad homicidium, aut membri mutilationem, tanquam cauſæ vel phyſicæ, vel morales voluntariè concurrunt. 1. Qui in Bello etiam juſto occidunt vel mutilant, vel occidentibus, & mutilantibus efficaciter concurrunt. 2. Judices Reum morti vel mutilationi adjudicantes; Apparitores, Carnifices, Accuſatores, Tabelliones ſententiam ſcribentes, & Teſtes in cauſa ſanguinis. 3. Qui alios conſilio vel ſuaſionibus inducunt ad accuſandum, & litem criminalem intentandam. 4. Qui lictorem ad mortem Reo accelerandam urgent, vel ipſum Reum ad ſcalas aſcendendum, vel caput ſecuri præbendum impellunt.

Circa quæ obſerv. 1. Irregulares non eſſe, qui occidunt vel mutilant in ſua inculpata defenſione. 2. Nec hi, qui Reorum ſuppliciis interſunt, licet illud ſit Clericis prohibitum, Inn. IV. in C. Sentent. Tit. *ne Clerici vel Monachi*, utpotè omninò ipſis indecens. 3. Nec hi qui bona intentione ægroto juſculum propinant aut ipsum movent, unde fiat ut citiùs moriatur, etiamſi aliqua levis culpa intervenerit; quia hujuſmodi officia per ſe, & directè non tendunt ad mortem, aut ad ejus accelerationem. 4. Nec qui de injuria ſibi illata Reum accuſant, dummodo ſincerè proteſtentur ſe nullam mortis aut mutilationis pœnam intendere. 5. Nec qui, omni alia deficiente probatione, teſtimonium ferunt pro innocente grave aliquod damnum patiente, etiamſi alterius mors, aut mutilatio unde ſequatur. Demum obſervandum eſt; differre inter ſe Laicos, aut etiam Clericos neque ſacros, neque Eccleſiaſticis Præbendis addictos à Clerico ſacro vel Beneficiario in cauſa mortis, & mutilationis ex jure licitæ, quòd primi non peccent, licet incurrant Irregularitatem, iſti vero præter Irregularitatem mortali etiam peccato ſe implicent.

Nec mala fama notet, cujus defectu irregulares ſunt, infames ſive facto; id eſt, ex publico, & famoſo delicto, proditione, ſacrilegio, & ſimilibus; ſive jure, quales ſunt Circulatores, Hiſtriones, Mimi, Comœdi, artes hujuſmodi, aut officia infamia exercentes.

QUÆR. 5. Quotupliciter tollatur Irregularitas?

℟. Quintupliciter. 1. Per ſuſceptionem Baptiſmatis, quo tolluntur irregularitates ex delicto commiſſo, aut canonica infamia, aut defectu lenitatis, quæ Baptiſmum præceſſerunt, non autem ex defectu corporis natalium, aut Bigamiæ, &c. 2. Per ceſſationem defectus ex quo oriebatur Irregularitas. 3. Per profeſſionem in Religione approbata tollitur ex defectu natalium orta Irregularitas, ad ſuſcipiendos, & exercendos Ordines, non autem ad Prælaturas quaslibet. 4. Per diſpenſationem tolluntur Irregularitates; exceptis tamen his, quæ naſcuntur ex defectu corporis ita notabili, ut ſubjectum ſit incapax præcipui miniſterii alicujus Ordinis; ut qui manibus eſſet orbatus, aut mentis impos eſſet, &c.

QUÆR. 6. Quis poſſit in Irregularitatibus diſpenſare?

℟. Solum Sum. Pontificem diſpenſare poſſe in Irregularitatibus, quæ ex mero defectu naſcuntur. Prælati tamen Religioſi, vi privilegiorum ſuorum, diſpenſare poſſunt cum omnibus ſubditis ſuis in omni irregularitate juris humani, exceptis Bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione. Quoad Irregularitates ex delicto ortas, Epiſcopi in Gallia diſpenſant, ſi delictum ſit occultum, non autem ſi ſit publicum, & ad forum contentioſum deductum, excepto tamen homicidio voluntario, etiam occulto.

QUÆR. 7. An qui dubitat ſe aliquid feciſſe, ex quo naſcitur Irregularitas, cenſeatur irregularis?

℟. Negativè, excepto ſolo homicidio voluntario, ſive ex delicto, ſive ex defectu ortum fuerit. Ratio eſt quia odia ſunt reſtringenda potiùs quàm extendenda, & quia cùm ſint partium jura obſcura, reo potiùs favendum eſt quàm actori. Ratio autem exceptionis erga homicidium eſt, quia ſic à jure expreſsè ſtatutum eſt; hujus tamen dubiæ Irregularitatis effectus non longiùs extenditur, quàm ad ceſſationem à ſacro miniſterio, non autem ad propriorum Beneficiorum ſpoliationem; in Clerico ſcilicet, qui dubitat, utrùm occiderit, mutilaverit, aut abortum cauſaverit.

Digitized by Google

TRACTATUS TERTIUS.

De variis humanæ vitæ Statibus.

QUONIAM Fidelibus non ſatis ſit, leges omnibus communes dignoſcere, ſed quilibet diſtrictè teneatur, leges etiam conditioni ſuæ proprias perfectè callere: adeò ut ipſa earum inſcitia de ſe ſit peccatum mortale, etiamſi nulla hinc ſequeretur tranſgreſſio; operæ pretium duximus de variis humanæ vitæ Statibus peculiarem Tractatum inſtituere, in cujus prima Diſſertatione de Statibus Deo dicatis, in ſecunda de Sæcularibus ſermonem faciemus.

DISSERTATIO I.

De Statibus Deo dicatis.

STatum Deo dicatum duplicem agnoſcimus, Clericalem nimirùm ac Religioſum, de quibus ſingulis agemus Capitibus.

CAPUT I.

De Statu Clericali.

CLerici nomen à verbo Græco, *Cleros*, quod hæreditatem, & portionem Domini ſignificat, deſumitur; vel quatenùs homo per ſtatum clericalem ſit hæreditas Domini Dei ſui; id eſt ab ipſo Deo poſſidetur; vel quatenus ipſemet Dominus ſit hæreditas ejus, & portio, ipſumque Deum jure quodam ſpeciali poſſidet. Hi cenſentur Clerici, qui ſacris Ordinibus, vel prima ſaltem tonſura ſunt initiati; inter quos nonnulli ſunt ſimplices abſque alio titulo Eccleſiæ Miniſtri: Alii verò aliquo Eccleſiaſtico Beneficio ſunt donati. Horum omnium præcipuas obligationes ſequentibus expendemus Quæſtionibus.

QUÆSTIO I.

Quænam ſint Eccleſiaſticorum generales obligationes?

GEnerales Clericorum obligationes ad ſex capita reducimus. 1. Intentionis puritas in ſuſcipiendis Ordinibus, ac Beneficiis Eccleſiaſticis. 2. Sollicitudo in comparanda ſcientia gradui cuilibet neceſſaria. 3. Excellentioris pietatis juge atque indeſeſſum ſtudium. 4. Habitus exterioris modeſtia. 5. Abſtinentia à quibuſdam prohibitis actionibus. 6. Demum Orationis aſſiduitas, de quibus ſinguli inſtituendi ſunt Articuli.

ARTICULUS I.

De puritate intentionis in ſuſcipiendis Ordinibus, &c.

Not. AD licitè ſtatum Clericalem amplectendum, ſacros Ordines ſuſcipiendos, & Beneficium Eccleſiaſticum poſſidendum, vocationem Dei omninò neceſſariam eſſe de fide certum eſt, ex unanimi tum Scripturæ Sacræ, tum SS. Patrum conſenſu. Sic Deus in lege naturæ ſoli primogenituræ, quæ ab ejus Providentia, non autem ab hominum electione pendet, Sacerdotium conjunxerat. Sic in lege ſcripta Tribum Levi, & Aaron cum filiis ejus motu proprio elegit, ut Sacerdotio fungerentur ſibi. Sic Dominus noſter Jeſus Chriſtus, dum ſuam fundavit Eccleſiam, ad ejus regimen, & miniſterium, quos ipſe voluit, vocavit atque elegit: Unde,

QUÆR. 1. Quale ſit peccatum inconſulta Dei vocatione Statum Clericalem amplecti, Ordines ſuſcipere, aut Beneficium comparare.

℟. Grave procul dubio peccatum eſſe, quod..

Prob. Ex Scriptura, Hebr. 5. *Nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret; ſed qui locutus eſt ad eum .... Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*. Et ipſemet Chriſtus dicit: *Amen, amen, dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro ... Ego ſum oſtium.*

Prob. Ex SS. Patribus. D. Bernard. de vit. & mor. Cler. c. 5. *Videte*, inquit, *vocationem veſtram, ait vocatus Apoſtolus; Conſideremus & nos, an vocati venerimus, & vocati a Deo, cujus nimirum hæc vocatio*

Digitized by Google

tio eſt nec communem modò vocationem dixerim . . . . ſed qua vocaverit nos in honorem Cleri. Et addit Serm. in Cant. c. *Ad regimen animarum ſe ſe ingerere impudentiam eſſe maximam*. Imò D. Cypr. Epiſt. 55. ad Concilium dicit: *Sacrilegæ temeritatis eſſe, atque perditæ mentis putare ſine Dei judicio fieri Sacerdotem.*

Prob. Ratione multiplici. 1. Quia qui ad ſtatum Clericalem, & ſacrum Miniſterium motu proprio ſeſe ingerit, in re graviſſima Dei ordinationem infringit. 2. Nequiſſimæ præſumptionis auſuſque temerarii convincitur. 3. Graviſſimo periculo ſe committit in ſtatu tam arduo pereundi, defectu gratiarum ſpecialium, quæ a ſola vocationis gratia promanant, & eam conſequuntur.

Petes: Qua ratione dignoſci poſſit ad ſtatum clericalem, & ſacrum Miniſterium divina vocatio?

℞. Multipliciter. 1. Aſſidua ad Deum oratione. 2. Piorum virorum, maximè Superiorum ſuorum conſilio. 3. Genii ſui talentorum, & inclinationum ſuorum diligenti obſervatione. 4. Denique intentione, quam in hujuſce ſtatus electione quiſque ſibi proponit; nempè ſalus propria, cultus divinus, & Eccleſiæ famulatus; non autem vana gloria, quæſtus temporalis, aut proprium commodum. Unde.

QUÆR. 2. Utrùm à mortali excuſari poſſit, qui ſacros Ordines ſuſcipit, aut Beneficium Eccleſiaſticum ambit, principaliter rerum temporalium appetitu?

℞. Ab eo excuſari non poſſe, prout SS. PP. auctoritates, & rationes clariſſimè evincunt. 1. Accedit Div. Bernar. de vita, & morib. Cleric. c. 5. *Nam ſi illud eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ habeat neceſſaria, evangelizat ut manducet, & perverſo nimis ordine cæleſtibus terrena mereatur*; quod proculdubiò peccatum eſt mortale.

2. Dioniſ. Cart. in lib. cont. plur. Benef. c. 15. *Qui Eccleſiaſtica Beneficia optant, quærunt, impetrant, ſuſcipiunt non intuitu ſpiritualis boni, puta Divini Officii, ut ſcilicet competentia habentes, Deo devotiùs quietiuſque miniſtrent; ſed intuitu commodi temporalis; iſti ſunt ſubverſores rectiſſimi Ordinis; atque in temporalibus finem ſibi conſtituunt: idcircò mortaliter peccant . . . . Tales omnes qui amore temporalium, aut carnalium deliciarum, ſeu tranſitoriorum bonorum Eccleſiaſtica Beneficia quærunt, procurant ſeu habent.*

3. D. Anton. part. 3. c. 5. §. 4. *Quærere, & appetere hujuſmodi curata principaliter propter honorem, & divitias, quæ inde ſequuntur hominibus, videtur eſſe mortale, & ratio eſt quia eſt contra ordinem charitatis, eſt enim de ordine dilectionis, ut diligatur priùs ſalus animarum quàm corporum.*

4. Concil. Bituric. an. 1548. titul. de Benef. §. 1. *Cùm Beneficium Eccleſiaſticum non otioſis, ſed officium ſuum exequentibus ſit conſtitutum, & propter officium detur Beneficium; denuntiat hæc Synodus omnibus cujuſcumque gradus, & conditionis, qui Beneficia Eccleſiaſtica ſolius temporalis proventus gratia ſuſcipiunt, eos non facere fructus ſuos, ſed ad reſtitutionem teneri.*

Dixi *principaliter*; ita ut quis ſtatum clericalem non ſectaretur, aut Beneficium Eccleſiaſticum non expeteret, niſi inde aliquod temporale emolumentum ſperaret. Nec enim in his quidpiam commodi aliquo modo quærere videtur mortale; modò ſalus propria, vel aliena gloria Dei, & Eccleſiæ utilitas principaliter intendatur; cùm ibi non appareat notabilis inordinatio, & perverſitas. Imò ſuppoſita hac principali intentione, Deo & Eccleſiæ inſerviendi, non videtur illicitum Beneficium Eccleſiaſticum, ſaltem ſimplex, ad honeſtam ſuſtentationem neceſſarium expetere, non attendendo an pingue ſit vel nobile, exiguum vel infimum. Circa quod.

QUÆR. 3. Utrùm illicitum ſit Dignitates Eccleſiaſticas curam animarum habentes, efficaciter expetere, & ambire?

℞. Cum D. Thom. Quodl. 2. art. 11. in corp. id ut plurimùm eſſe mortale: *Qui enim appetit Prælationem*, inquit D. Doctor, *aut ſuperbus eſt aut injuſtus. Injuſtitia enim eſt quòd aliquid velit ſibi plus de honore accipere, aut de poteſtate, aut aliis bonis, niſi ſit majoribus dignus . . . . Quòd autem aliquis æſtimet ſe eſſe magis dignum Prælatione omnibus illis, ſuper quos Prælationem accipit, ſuperbiæ & præſumptionis eſt.* Et 2. 2. q. 100. art. 5. ad 4. *Si aliquis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus, & ſic preces ſunt pro indigno.* Ita iiſdem fermè verbis S. Raimund. in Sum. l. 1. tit. 1. §. 7. & D. Anton. part. 3. tit. 1. c. 5. §. 4. Unde inquit D. Greg. l. 6. Epiſt. 5. *Sicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugientibus offerendus.*

Dixi ut *plurimùm*, non ſemper. Si enim ſemper eſſet illicitum Dignitates Eccleſiaſticas exoptare, damnandum foret jus Graduato-

duatorum à S. Sede, & auctoritate Regia inſtitutum; Secundùm quod Graduati Beneficia omnia, etiam curata in quibuſdam menſibus vacantia legitimè poſtulare poſſunt. Imò ipſemet Sum. Pontifex, qui Beneficiorum curatorum proviſiones poſtulantibus quotidiè elargitur, peccato mortali foret damnandus, quod utique perabſurdum eſt. Dicendum eſt igitur cum gravioribus Auctoribus, Beneficium, non ſolùm ſimplex, ſed & curatum licitè expeti poſſe; modo ſimul concurrant ſequentes conditiones. 1. Si Petitor talis Beneficii verè dignus appareat, non quidem proprio judicio, quòd præſumptionem maximam argueret, ſed judicio Superioris, Directoris, aut cujuslibet viri probi, quem conſulere tenetur. 2. Si voluntatem firmam ac ſinceram habeat hujus Beneficii omnia munia fideliter obeundi. 3 Si hoc Beneficio ad honeſtam ſuſtentationem opus habeat, nec aliud ſimplex occurrat. 4. Si nullo ambitionis, aut avaritiæ ſtimulo moveatur ad illud expetendum; ita ut finis ejus principalis ſit propria, vel aliena ſalus, gloria Dei, & Eccleſiæ utilitas. Sed cùm rariſſimè hæ omnes ſimul concurrant conditiones; ideò diximus in concluſione, ut plurimum illicitum eſſe Dignitates Eccleſiaſticas curam animarum habentes expetere. Ex dictis.

Reſol. 1. Qui primam tonſuram ſuſcipit abſque intentione ſuperiores Ordines ſuſcipiendi, mortaliter peccat; tum quia ſtatum clericalem non amplectitur ad ſerviendum Deo, & Eccleſiæ, ſed potiùs ambitioni, & avaritiæ, mediante Beneficio, quod ſibi proponit obtinere; tum quia in re gravi Deo, & Eccleſiæ mentitur, dum primam tonſuram ſuſcipiens, Chriſtum Dominum in portionem ſibi, & hæreditatem ſe eligere ſolemniter proteſtatur; tum quia tandem myſterioſas Tonſuræ cæremonias vanas, & inutiles reddit, & ſacrilega temeritate ludibrio afficit.

Reſol. 2. Qui Ordines ſuſcipit eo duntaxat animo, ut Beneficium obtineat, mortaliter peccat; ſi nempè in hoc temporale commodum, non gloriam Dei, & Eccleſiæ utilitatem principaliter quærat. Item qui Beneficia ſuſcipiunt aut poſſident, ut eorum fructibus alantur, donec ſtudia abſolverint, aut uxorem ſibi convenientem invenerint, poſteà dimiſſuri, mortaliter peccant; & tenentur, vel ea ſtatim deferere, vel propoſitum ſuſcipere more Clericorum vivendi. Imò durante hac prava intentione fructus non fecerunt ſuos, & ad eorum reſtitutionem tenentur; cùm Eccleſiæ redditus Dei ordinatione non ſint deſtinati, niſi his qui ipſi inſerviendi firmum ac ſincerum habent propoſitum.

Reſol. 3. Qui Beneficium ſuſcipit, cum intentione vel illud reſignandi, vel cum alio permutandi, mortaliter peccavit, canonicè coram Deo non eſt promotus, teneturque illud Collatori dimittere, nec ipſum in conſcientia vel reſignare, vel permutare poteſt, multo minùs ex ipſo penſionem ſuſcipere. Ratio eſt quia juxta leges, & ſtatuta Eccleſiæ non conferuntur Beneficia, niſi his qui Deo & Eccleſiis volunt, & valent debitum impendere famulatum. Ideò qui abſque ſincera intentione illum impendendi, Beneficia ſuſcipiunt, non cenſentur legitimè promoti, ſimulque infidelitatis, & injuſtitiæ efficiuntur Rei, Eccleſiam decipiendo; & ejus bona contra expreſſam ipſius intentionem fraudulenter uſurpando.

Reſol. 4. Graviſſimo peccato conſcius eſt qui Beneficium ſuſcipit abſque propoſito ordinem huic Beneficio annexum, ſtatuto tempore, ſuſcipiendi; quia in re gravi, quæ magnoperè ad bonum Eccleſiæ refert, Jus naturale, Divinum, & humanum infringit: quo Jure quilibet munus ſuſcipiens, omnia ad illud ritè exequendum neceſſaria habere tenentur. Imò qui Parœciam ſuſcepit abſque intentione Sacerdotium intra annum ſuſcipiendi, ad reſtitutionem fructuum inde ſuſceptorum, juxta Cap. *Commiſſa* tenetur, niſi intra idem temporis ſpatium propoſitum mutaverit, & ſupradictum ordinem ſuſcepetit. Ad hanc autem non tenetur quoad alia Beneficia, de quibus in Jure Canonico nihil ſtatutum videtur; exceptis tamen Beneficiis, quæ in Cathedralibus, aut Collegiatis Eccleſiis Ordinem ſacrum requirunt; quem ſi intra annum non ſuſcipiant Beneficiatii, juxta Clement. *Vitiis de ætate*, & *qualitate*, & Trid. ſſ. 12. c. 4. de Reform ipſo facto privantur ſuffragio in Capitulis, & media parte diſtributionum.

ARTICULUS II.

De ſollicitudine in comparanda ſcientia neceſſaria.

Not. Viro Eccleſiaſtico ſcientiam omninò neceſſariam eſſe, teſtantur innumera propemodùm Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Patrum Oracula, & ipſa ſuadet

ſuadet ratio fide illuſtrata. Si enim Viri Eccleſiaſtici in Domo Dei poſiti ſint, ut omnibus luceant habitantibus in ea, nihil ſanè eorum ſtatui magis videtur contrarium, quàm ut ignorantiæ tenebris obvoluti, in imperitia ſua ignaviter torpeſcant. Igitur.

QUÆR. 1. Quàm grave ſit peccatum Clerico ſacram Doctrinam negligere?

℟. Sub mortali tenetur Clericus ſtudio eam operam conferre, qua ſcientiam functionibus ſuis competentem comparare ac conſervare poſſit?

Prob. Iiſdem Scripturæ Sacræ & SS. Patrum Textibus, quibus conſtat ſcientiam Viris Eccleſiaſticis, maximè Sacerdotibus, eſſe neceſſariam. Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt:* & D. Paul. Epiſt. ad Titul. 1. *Oportet, ut Epiſcopus potens ſit exhortari in Doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.* S. Leo Epiſt. 22. ait: *Si vix in Laicis tolerabilis videtur inſcitia, quantò magis in his præſunt, nec excuſatione digna eſt nec venia.* Et Gelaſ. apud Grat. Diſtinct. 36. c. 1. *Nemo illiteratos ad Clericatus Ordinem promovere præſumat, quia Literis carens, non poteſt aptus eſſe Officiis.*

Confirm. Ex innumeris malis, quæ ab Eccleſiaſticorum ignorantia in Eccleſia dimanant. *Quid enim periculi ſit*, inquit D. Bern. Declam. in hæc verb. Ecce nos reliquimus omnia, *ubi non invenit Paſtor paſcua, ubi ignorat Dux itineris viam, ubi Vicarius neſcit Domini voluntatem; Eccleſia quotidie multipliciter, & miſerabiliter experitur.* Hinc.

Reſol. 1. In malo ſtatu verſantur, & abſolutionis videntur incapaces Eccleſiaſtici, maximè animarum regimini dediti, qui nunquam, vel perraò ſacræ Doctrinæ ſtudio vacant; tum quia nullus abſque præſumptione gloriari poteſt ſcientiam, ad tam arduum Miniſterium neceſſariam, ſe perfectè jam comparaſſe; tum quia jam comparata ſcientia facilè amittitur, ſi ſtudium intermittatur.

Reſol. 2. Qui Beneficium ſuſcipit Graduatis ex jure deſtinatum, non comparata competenti ſcientia, vel quia rudioris eſt ingenii, vel quia ſacræ Doctrinæ ſtudio ſufficientem non navavit operam, peccat mortaliter, non eſt canonicè promotus, Beneficium dimittere tenetur, & fructus ſuos non facit, licèt gradum fuerit adeptus. Ratio eſt quia fraudulenter promotus eſt, & contra expreſſam intentionem Eccleſiæ, quæ ſimilia Beneficia conferre non intendit, niſi Clericis Doctrina præſtantibus; cujus doctrinæ gradus authenticum eſt teſtimonium; quod quidem, ſi falſum reperiatur, falſus erit, proindeque nullus promoti non docti titulus.

Reſol. 3. Idem dicendum eſt de Clerico, licèt aliunde doctiſſimo, qui Gradum in facultate obtinuiſſet, in qua per integrum *quinquennium* Sacrarum Litterarum Studio ſedulò non vacaſſet; quia ſimilia Beneficia legitimè poſſideri non poſſunt, niſi à Clericis, non ſolùm doctis, ſed & verè Graduatis. Supradictus autem Clericus non eſt Graduatus, cùm litteræ ejus falſæ ſint, & prorſus nullæ.

ARTICULUS III.

De excellentioris pietatis Studio.

Not. QUanquam, juxta D. Thom. 2. 2. q. 184. art. 8. *Religioſorum ſtatus, qui totam vitam ſuam Deo conſecrant, ſecundùm bonitatem excellentior ſit, quàm ſtatus* cujuſlibet Eccleſiaſtici, imò & *Presbyteri curati, at Archidiaconi*, quatenus ſcilicet *ſæcularis eſt:* Certum eſt tamen, juxta eumdem S. Doctorem, ſtatum Eccleſiaſticorum in Ordinibus ſacris conſtitutorum, & curam animarum habentium, quantùm ad dignitatem Ordinis, & difficultatem Officii curati, longè præſtantiorem eſſe quàm ſtatus ſimplici Religioſi; quo fit juxta D. Thomam, ut in ſupradicto ſtatu Eccleſiaſtico *requiratur major ſanctitas interior, quàm requirat etiam Religionis ſtatus.* Unde.

QUÆR. 1. Utrùm Clerici ad perfectionis ſtudium teneantur?

℟. Clericos ſacris Ordinibus initiatos, & curam Animarum habentes, præſtantiori pietati quàm cæteri Fideles jugiter ſtudere ſtrictiſſimè tenentur.

Prob. Ex Scriptura Levit. c. 21. *Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus Sint ergo Sancti, quia ego Sanctus ſum.* Quæ ſi dicta ſint de Sacerdotibus, & Levitis veteris Teſtamenti, quantò magis de Miniſtris novæ legis. Unde Apoſt. 1. Tim. 3. *Oportet*, inquit, *Epiſcopum*, idem dicit infrà de Diaconis, & de aliis Clericis cum proportione dicendum docent SS. Patres, *irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, Doctorem, non vinolentum*, &c.

Prob.

Digitized by Google

Prob. Ex SS. Patribus. S. Iſidor. lib. 1. Epiſt. 105. *Tantum inter Sacerdotem, & quemlibet probum intereſſe debet, quantum inter Cœlum, & terram diſcriminis eſt*. Petr. Bleſenſ. ſerm. 59. *Erubeſcant Sacerdotes, ſi ſacratioris vitæ inveniantur Laici, qui hujus mundi fluctibus ſunt immerſi*. Salvian. lib. 2. ad Eccl. Cathol. *Cunctor, qui ſacri Ordinis ſuggeſtu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu*.

Prob. Ratione. Nam qui ſolemniter Deum ſuſceperunt in ſpecialem portionem ſibi; ad præſtantioris ſanctitatis profeſſionem, & ſtudium ſtrictiſſime tenentur, At qui omnes Clerici ſolemniter Deum ſuſceperunt in ſpecialem portionem ſibi. Ergo. Unde ſi Religioſus omnis, vi profeſſionis ſuæ ſolemniter emiſſæ, ſecundùm omnes Theologos perfectioni ſtudere ſtrictiſſimè teneatur; Quantò magis Clericus, cujus Ordo, & Officium longè majorem ſanctitatem requirunt. Ex quo.

Reſol. 1. Cum D. Thom. citato, *graviùs peccat, cæteris paribus, Clericus in ſacris Ordinibus conſtitutus, ſi aliquid ſanctitati contrarium agat, quàm aliquis*, nedùm Laicus, ſed & *Religioſus, qui non habet Ordinem ſacrum*.

Reſol. 2. Supradictus Clericus, qui orationi, lectioni ſpirituali, aliiſque pietatis exercitiis ad ſanctitatem conducentibus, nunquam aut raro vacare ſtudet, ob hanc ſolummodo voluntariam, & habitualem negligentiam, in malo ſtatu verſatur, & abſolutionis ſacramentalis eſt incapax, donec pœniteat, & propoſitum mutet.

QUÆR. 2. Utrùm Clerici ad Obedientiam Prælatis ſuis præſtandam, ad Paupertatis ſpiritum ſectandum, & continentiam ſervandam ſpecialibus titulis, non ſecus, ac Religioſi teneantur.

℞. Ad hæc ſtrictiſſimè tenentur, maximè, qui Sacris ſunt initiati.

Prob. 1. Pars. Quia ſpecialiter dictum eſt Clericis, Hebr. 3. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*. Si enim ex fide conſtat, dari in Eccleſia Hierarchiam Divina Auctoritate conſtitutam, quæ conſtat Epiſcopis, Presbyteris, ac Miniſtris, eadem fide certum eſt, inferiores Ordines Supremo Hierarchæ, nimirum Epiſcopo, obedientiam præſtare teneri; ſicut inferiores Angeli, juxta D. Dionyſium ad ſuperiores accedunt, ut ab eis inſtruantur circa Divinas revelationes, & res novas, quas Deus præſcribit. Tres autem ſunt Epiſcopi, quibus Clericus morem gerere tenetur. Unus originis; hoc eſt loci in quo natus eſt: Alter Domicilii, in quo habitat: Tertius Beneficii; id eſt illius Diœceſis, in qua Beneficium poſſidet. Clericus autem, qui omninò Domicilium mutat, non deinceps reverſurus; non ampliùs originis, ſed Domicilii Epiſcopo ſubeſt.

Porrò Sacerdotes ad hanc obedientiam præſtandam, longè gravius quàm cæteri Clerici adſtringuntur, ob promiſſionem in facie Eccleſiæ ab ipſis emiſſam, quæ juxta pleroſque Doctores, veram habet rationem voti; cùm ſit de meliori bono, & à Prælato, tanquàm vices Dei gerente, ſit acceptata: Ex quo.

Reſol. Quàm turpiter ſeipſos ſeducant; & quanto facinore obſtringantur Clerici, præſertim Sacerdotes, qui Dominationem ſpernentes, Poteſtatem blaſphemantes, arbitratui ſuo vivere affectant, Prælatorum ſuorum mandatis parère detrectant; & de ipſorum juſtis ſtatutis, ſub vano gravaminis prætextu, ad ſæcularia Tribunalia, non ſine gravi Populorum ſcandalo, temerariè provocant.

Prob. 2. Pars. Ad ſpiritus paupertatem; quæ in rerum omnium temporalium contemptu ſita eſt, titulo multiplici adſtringuntur Clerici. 1. Ex præcepto Apoſtoli ſæpiùs prohibentis, nè Epiſcopi, Diaconi, cæterique Eccleſiæ Miniſtri ſint *cupidi, & turpe lucrum ſectentur*, quod præceptum haud dubiè ſpecialem erga eos inducit obligationem. 2. Ex ſtatus Eccleſiaſtici eminentia; ſecundùm quam Clerici ſoli Deo vacare tenentur, quod utique præſtare nequeunt, ſi rerum temporalium cupiditate ſint implicati. 3. Ex ſua ipſorum ſolemni profeſſione, qua ſolum Deum in ſpecialem ſibi hæreditatem elegerunt, quamque ſine graviſſima culpa infringere minimè poſſunt. Ex quo.

Reſol. Graviter peccare Clericos, qui pecunias, ac poſſeſſiones avidè captant, & abſque neceſſitate congerunt, etiamſi mediis aliunde licitis eas ſibi comparaverint.

Prob. 3. Pars iiſdem rationibus, quibus præcedentem partem mox probavimus; quibus addi poteſt puritas angelica ad dignam Sacrorum adminiſtrationem requiſita, quam Eccleſia adeò neceſſariam ex perenni traditione cenſuit; ut continentiæ votum ſolemne ſacro Ordinis annexum eſſe voluerit: ut qui Sacris initiantur hujuſcemodi votum eo ipſo emittere cenſeantur, etiamſi nihil voti meminerint, nec illud obſervare intenderent: Et hoc, non quidem

piæ.

præciſè ratione voti, cùm votum ſit lex privata, quam ſibi quiſque voluntariè imponit, ſed ratione legis Eccleſiaſticæ, Ordine ſacro initiatum ad caſtitatem obligantis, ſive velit, ſive nolit obligari; quia cenſetur, qui vult ſtatum, etiam ea velle quæ huic ſtatui ſunt annexa, qualiter votum ſolemne Caſtitatis ſacris Ordinibus eſt annexum. C. *Quod votum*, &c. Ex quo.

Reſol. 1. Peccata luxuriæ rationem Sacrilegii, in Clericis Sacris initiatis induere in Confeſſione exponendam.

Reſol. 2. Supradictos Clericos ſingulari caſtimonia in Populo prælucere debere; proindeque graviſſimè peccare, qui verbis obſcœnis, & ambiguis, aut frequenti, ac familiari mulierum colloquio, aut ancillarum juniorum convictu domeſtico, incontinentiæ periculo ſe committunt, Fidelibus ſimplicibus ſunt ſcandalo, & de ſe malam ſuſpicionem ingerunt: Et hoc independenter à quibuſvis Prælatorum ſuorum Statutis Synodalibus, hæc, & ſimilia prohibentibus.

ARTICULUS IV.

De habitus exterioris modeſtia.

Not. MOdeſtia, & hominis exterioris honeſta compoſitio, tam graviter à SS. Patribus, & Conciliis Clericis commendata, duas præcipuas comprehendit obligationes. 1. Quòd veſte nigra, & talari induantur. 2. Quòd Tonſuram Ordini ſuo congruentem deferant. De quibus.

QUÆR. 1. Utrùm omnes Clerici nigram, & talarem veſtem deferre teneantur?

℞. Saltem Sacris initiatos, vel Beneficiarios, ſub gravi peccato ad id teneri, niſi aliquando cauſa itinerationis excuſentur.

Prob. Ex Trident. ſeſſ. 14. c. 6. de Reformat. ex Clement. *Quoniam* de vita, & honeſtate Clericorum in Conc. Vien. Ex Conſtitut. Sixti V. an. 1589., & Urbani VIII. 1624., & plurimorum aliorum Conciliorum, & Pontificum Decretis, quæ hic referre longius eſſet, & quibus id præcipitur ſupradictis Clericis ſub pœna excommunicationis, ſuſpenſionis ab Officio, & Beneficio, privationis fructuum Beneficii, imò & tituli ipſius Beneficii, & Privilegiorum Clericalium amiſſionis, quæ haud dubiè graviſſimum arguunt peccatum; cùm Eccleſia ſimiles pœnas non decernat, aut decernere poſſit, niſi in graviſſimum peccatum.

Confirm. Auctoritate D. Caroli, qui in Conc. Med. habito an. 1588. hujus peccati, veluti graviſſimi, abſolutionem ſibi reſervat.

Dixi 1. In Reſponſione: *Clerici ſaltem Sacris initiati*, &c. Qui enim nec Sacris ſunt initiati, nec Beneficium poſſident, juxta communiorem ſententiam, non quidem à veniali, cùm illud Eccleſiæ præceptum omnes omninò Clericos ſpectet, ſed à mortali excuſantur; quia ſupradictæ pœnæ ſimplicibus Clericis non infliguntur; modò tamen abſit contemptus, qui ut plurimùm in hac tranſgreſſione reperitur.

Dixi 2. *Niſi aliquando cauſa itineris*; quia ex ſupradicto Concilio Mediol. *Clericis iter habentibus quovis veſtitu contractiori uti licebit; & decentem tamen illum atque hujuſmodi eſſe oportet, ex quo eos eſſe Eccleſiaſtici Ordinis homines agnoſci facilè poſſit. Cùm verò eò venerint quò pervenire contendunt, talarem togam induant.* Per veſtem, autem contractiorem non intelligitur Saguſum, aut Epitogium, quod Laici ferre conſueverunt, ſed veſtis quæ pertingat ſaltem ad mediam tibiæ partem.

QUÆR. 2. Quæ, & quanta ſit Tonſuræ Clericalis obligatio?

℞. Clericos Sacris initiatos, aut Beneficiarios Coronam Ordini ſuo congruentem, attonſis crinibus, & auribus patentibus, ſub gravi peccato deferre tenentur.

Prob. Ex Can. *Prohibete* 21. Diſt. 23. & Can. *Non liceat* 32. eadem Diſt. & Greg. IX. in ſua Decretali: *Si quis ex Clericis*, inquit, *comam relaxaverit, anathema ſit.* Nullus autem excommunicari poteſt, niſi ob mortale peccatum; *Anathema* enim, inquit Melden. Concilium an. 845. *eſt æternæ mortis damnatio, & non niſi pro mortali debet imponi crimine.* Quoad Clericalem coronam; cùm antiqui Canones eam deferre præcipiant, non ſecus ac attonſos capillos; ſi grave peccatum ſit iſtos non deferre, ergo & illam; par enim eſt utrobique præceptum: quæ tamen ſunt intelligenda, ſi per notabile tempus habitus, corona, & tonſura clericalis non deferantur, juxta viri docti, prudentis, & timorati judicium.

Digitized by Google

ARTICULUS V.

De nonnullis actionibus Clericis prohibitis.

Not. CUm D. Thom. 2. 2. q. 7. art. 4. *Clericos non ſolùm abſtinere debere ab his quæ ſunt ſecundùm ſe mala, ſed etiam ab his quæ habent ſpeciem mali.* Ideò.

QUÆR. Quæ ſint actiones Clericis prohibitæ?

R. 1. Illicita eſt Clericis omnibus quælibet negotiatio.

Prob. Ex variis Canonibus à Tridentino renovatis, ſeſſ. 22. c. 1. de Ref. nimirùm. C. *Ejicient*, & C. *Negotiationem*, Diſt. 88 Clem. 1. de vita. & honeſtate Clericorum, cap. *Secundùm* tit. *ne Clerici, vel Monachi.* Et cum his juribus Clerici hujuſmodi negotiationem exercentibus, excommunicationis, ſuſpenſionis, & depoſitionis pœna imponatur, ideò ex communi Doctorum conſenſu colligitur ſub pœna peccati mortalis id ipſis eſſe interdictum. Imò ex Conſtit. Pii V. *Romani Pontificis providentia*, ſtatutum eſt quidquid contra Canones ex negotiatione fuerit acquiſitum à Clericis, ad Fiſcum Apoſtolicum pertinere. Quæ Conſtitutio licèt in Gallia, quoad Fiſcum, locum non habeat, oſtendit tamen quàm graviter negotiatio Clericis ab Eccleſia prohibeatur.

Obſerva tamen eum non cenſeri negotiatorem, qui proprios agros colit, vel animalia in ſuis prædiis alit, ut ea ſaginata vendat, aut fructum ex eis percipiat: Agros tamen, vel prædia aliena in iſtum finem conducere omninò Clericis illicitum eſt, licèt in rigore id non ſit negotiari: Unde.

R. 2. Negotiorum alienorum, imò & publicorum adminiſtratio; Item omnes actiones forenſes Judicum, Advocatorum, Procuratorum, Tabellionum, Notariorum in Foro ſæculari, ſtrictiſſimè Clericis inhibentur.

Prob. Ex Can. 6. Apoſt à Grat. citato, Can. *Epiſcopus* 3. Diſt. 88. *Epiſcopus, nec Presbyter, vel Diaconus ſæculares curas non ſuſcipiat, alioquin deponatur.* Idem habet Conc. Calced. part. 2. art. 15. Can. 3. *Decrevit ſanctum hoc Concilium nullum deinceps non Epiſcopum, non Clericum, aut Monachum, aut poſſeſſiones conducere, aut negotiis ſæcularibus ſe immiſcere*; & plurima alia Concilia, quorum Statuta ab ipſiſmet legibus Civilibus ſunt firmata: Ut *Leg.* generaliter 6. Cod. *de Epiſcopis, & Clericis*, & Novel. 123. c. 5. & 6.

ADNOTATIO 22.

[*]

Benedictus XIV. Conſtitutionem edidit incip. Apoſtolicæ ſervitutis (*quam dabimus in Appendice*) *in qua pœnas omnes a Sacris Canonibus, & a Summis Pontificibus contra Clericos* Negotiatores *olim inflictas denuo roborat, atque confirmat; illaſque inſuper expreſsè extendit ad eos etiam, qui* illicitè ſub alieno nomine negotiantur perinde ac ſi per ſeipſos, ac proprio eorum nomine negotia illa exercerent. *Decernit inſuper, quod omnia lucra ſic ab eis alieno nomine illicitè reportata* ſub inevitabili ſpolii pœna *ſubiiciantur: inhærens per hoc Conſtitut. Pii V. incip.* Romani Pontificis Providentia, *in qua ſtatuitur quod ſimilia bona ſic acquiſita ad Fiſcum Apoſtolicum pertinere debeant. Supradictæ Conſtitutionis* Apoſtolicæ *&c. mentionem facit in Opere de* Synodo *L. IX. c. 6., ubi poſt longam Canonum, aliorumque Decretorum omnem Negotiationem Clericis interdicentium enarrationem, ſic tandem concludit n. V.* " *Sed ſupervacaneum eſt pluribus de hac quæſtione diſſerere, quam nos ſtatim, ac ad Supremum Eccleſiæ Pontificatum erecti ſumus, definivimus: neceſſarium quippe reputantes novæ legis fræno cohibere inſatiabilem Clericorum Cupiditatem divitias accumulandi, noſtris Apoſtolicis Literis, datis die 25. Februarii 1741. quæ habentur tom. 1. noſtri Bullarii Conſtitut. 13. declaravimus, & ediximus, nullam negotiationem alias Clericis prohibitam, poſſe ab iiſdem, ſub alieni nominis velamine exerceri; eique etiam per alios operam dantes, obnoxios fecimus pœnis, quæ a Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis ſtatutæ ſunt contra Clericos negotiatores.* "

[*]

R. Venatio ſaltuoſa, & clamoſa, vagando nimirum cum armis, aut canibus, aut avibus, Clericis omninò eſt illicita.

Prob. Ex innumeris propemodùm Conciliorum Decretis; ita ut in ſola Binii collectione plus quàm triginta reperiantur, ubi Eccleſiaſticis Venatio ſtrictiſſimè interdicitur, ſub gravibus Communionis privationis, & Officii ſuſpenſionis pœnis, quæ hujus culpæ gravitatem evidenter arguunt; quibus addi poſſunt aliæ graviſſimæ pœnæ, quæ in diverſis Conciliis latæ ſunt, adversùs Clericos arma deferentes abſque gravi neceſſitate. *Si poſt hanc definitionem*, inquit Conc. Matiſc. an. 581. *Clericus cum armis inventus fuerit, à ſeniore ita coerceatur;*

ceatur; ut in triginta dierum incluſione detentus, aqua tantum, & modico pane ſuſtentetur. Et Conc. Pictav. an. 1078. Can. 10. præcipit.; ut *Clerici arma portantes excommunicentur*. Item in Conc. Mediolan. Melden. an. 954. Can. 37. Statuitur *ut Clerici qui armati incedunt, proprii gradus amiſſione mulctentur, quia non poſſunt Deo ſimul, & ſæculo militare*.

Dixi. Venatio *ſaltuoſa*, & *clamoſa*; nam quieta, & ſine clamore, ut ponere laqueum, vel rete, ubi nec eſt clamor, nec canes ducuntur, nec arma feruntur, licita eſt Clericis, cauſa neceſſitatis, vel recreationis gratia.

R. Mimicis jocis, Comœdiis, Choreis, aut publicis Saltationibus intereſſe graviter inhibetur Clericis.

Prob. Tum ex Conc. Laodic. Can. 24. Lateran. ſub Inn. I. c. 16. & Bituric. habito an. 1684. c. 6. id ſtrictiſſimè Clericis prohibentibus, tum ex graviſſimo Fidelium ſcandalo, & ſtatus Clericalis dedecore, quod inde oriretur; ut ipſa dictat ratio.

R. 5. Grave peccatum eſt Clericis Cauponas frequentare, independenter à Statutis Prælatorum ſuorum Synodalibus.

Prob. Ex traditione Eccleſiæ, quæ id ipſis ſemper graviterque prohibuit, ut videre eſt in Conciliis Laodic. Can. 24. Carthag. III. Can. 27. Trull. Can. *Nulli* Francoford. Can. 19. Later. IV. Can. 16. habito an. 1215. Londin. an. 1175. ubi ſic legitur: *Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, edendi, vel bibendi cauſa, tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi. Si verò tale quid fecerint, aut ceſſent, aut deponantur*. Quæ depoſitio gravem haud dubiè culpam innuit.

R. 6. Alearum, Teſſerarum, & Chartarum ludus, & quilibet alius qui ſola fortuna regitur, ſub gravi culpa Clericis eſt interdictus; etiam recreationis cauſa, nulla appoſita pecunia.

Prob. Ex Can. 41. & 42. Apoſt. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui vel aleæ, vel ebrietatibus indulget, vel deſinito, vel deponitor. Subdiaconus, aut Cantor, aut Lector qui conſimilia facit, vel deſinito, vel à Communione ſejungitor*. Ubi obſervandum eſt quòd ludus alearum ipſimet ebrietati, quæ haud dubiè peccatum eſt mortale, æquiparatur. Similia videri poſſunt in multis Conciliis in Gallia celebratis, *Ab alea, teſſeris, chartis*, inquit Conc. Burdigal. an. 1588. tit. 22. de vita, & moribus Cleric. *& quovis alio vetito, & indecoro ludo, cùm privatim, tum publicè penitus abſtineant*. Et Conc. Senonen. an. 1528. Can. 25. *A ludo alearum, aliiſque, quæ a ſorte pendent, abſtineant, neque ludentium fautores, ſpectatores, aut teſtes exiſtant*. Quòd ſi autem ſimilibus ludis intereſſe Clericis prohibeatur, quantò magis ipſis indulgere.

Dixi 1. *Quilbet alius ludus, qui fortuna ſola regitur*. Non enim videtur ludos, ubi intercedit induſtria, ut Piquetum, Ombra, & ſcruporum ſimul, & teſſerarum ludus, id eſt *Trictrac*, adeò graviter Clericis eſſe prohibitos; licèt nonnulli cenſeant auctores præſertim D. Antoninus Sum. Theol. part. 2. tit. 1. c. 23. § 2. ſimiles ludos non minùs ipſis eſſe prohibitos. *Item videtur dicendum de chartis*, inquit S. Doctor, *quamvis ſit ibi aliquid induſtriæ, principaliter tamen eſt fortunæ*.

Dixi 2. *Etiamſi recreationis gratia*; quia ſub recreationis prætextu, leges Eccleſiæ, & formales ejus inhibitiones infringere omninò nefas eſſe videtur.

R. 7. Graviter Clericis in Ordinibus ſacris conſtitutis prohibetur Chirurgiam cum aduſtione, aut inciſione, & longè graviùs Pharmacopæam exercere.

Prob. 1. Pars. Ex Concil. Later. IV. ſub Innoc. III. Cap. Sententiam 9. *Nè Clerici, vel Monachi*, &c. ubi id expreſſis verbis prohibetur. 2. Pars patet ex ſupradictis; omnis enim negotiatio ſub gravi peccato Clericis eſt interdicta. Pharmacopæa autem ſine negotiatione; id eſt ſine Pharmacorum emptione, & venditione communiter non exercetur; ergo ſub gravi peccato Clericis eſt prohibita.

Quoad Medicinam; hæc quidem Clericis non prohibetur. Si tamen defectu, vel ſufficientis in hac arte peritiæ, vel diligentiæ, mortem ægroti promoveant; mortale peccatum, & irregularitatem incurrunt. Idem potiori ratione dicendum eſt de Clericis, qui cùm nec Chirurgi ſint, nec Medici, nec Pharmacopolæ remedia præſcribere, conficere, & miniſtrare præſumunt.

ARTICULUS VI.

De Oratione vocali; id eſt de Horis Canonicis.

✠

(*)

Propoſitiones damnatæ circa Horas Canonicas.

1. „ In die Palmarum recitans Officium paſchale ſatisfacit præcepto. Damnata fuit ab Alexandro VII. an. 1666. in ordine 34.
2. „ Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino. Ab eodem; in ordine 35.
3. „ Reſtitutio a Pio V. impoſita Beneficiatis non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna. Ab eodem. Eſt 20.
4. „ Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio Litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet. Ab eodem; ordine 21.
5. „ Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit. Ab eodem; ordine 33.
6. „ Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur: quia pars major trahit ad ſe minorem. Damnata fuit ab Innocentio XI. an. 1679. ordine 14.

(*)

Not. INter Clericorum obligationes gravior nulla videtur, quàm orandi aſſiduitas; tum ex debito quo tenentur erga proximum; cùm vi ſtatus ſui inter Deum, & homines quaſi mediatores ſint inſtituti; tum ex propria ſua utilitate, cùm ſanctitatem in ſacris Functionibus dignè obeundis neceſſariam, abſque aſſidua oratione comparare, atque conſervare non valeant. De oratione vocali, ſeu de Horis Canonicis ex præcepto Eccleſiæ à Clericis perſolvendis, hic nobis agendum incumbit.

QUÆR. 1. Quid ſint Horæ Canonicæ?

℞. Horæ Canonicæ ſunt Preces vocales determinatæ ex præcepto Eccleſiæ, ejus nomine perſolvendæ à perſonis ad id muneris ſpecialiter deputatis. Dicuntur *Horæ*, quia ſtatutis horis tum diurnis, tum nocturnis, ſunt recitandæ; & ſeptem communiter recenſentur. *Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, &* *Completorium*, juxta illud Pſal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Dicuntur *Canonicæ*, quia à Canonibus, ſive Eccleſiaſticis legibus præſcriptæ, atque determinatæ ſunt. Dicuntur etiam *Breviarium*, eo quòd ſint velutí Compendium veteris, & novi Teſtamenti, Patrum ſententiarum, & vitæ Sanctorum.

QUÆR. 2. Quinam ad Horas Canonicas teneantur?

℞. 1. Omnes Clerici in Sacris, ſeu Majoribus Ordinibus conſtituti, etiam degradati, excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti, aut ad Triremes damnati, & a Barbaris capti, ad Horas Canonicas perſolvendas ſub mortali tenentur. Quod probatur ex Cap. *Presbyter*, & Cap. *Dolentes* de celebratione Miſſarum, & ex generali Eccleſiæ conſuetudine. Dixi *in Sacris conſtituti*; quia cæteri Clerici minores, nullum Beneficium Eccleſiaſticum poſſidentes, nulla lege, aut conſuetudine ad eas perſolvendas adſtringuntur.

℞. 2. Omnes Clerici, ſive Sacris ſint initiati, ſive non, Beneficium Eccleſiaſticum poſſidentes, ſive pingue, ſive tenue ſit, ad Horas perſolvendas ſub peccati mortalis reatu, atque reſtitutionis obligatione ſtrictiſſimè tenentur, ut patet ex Bulla Leonis X. quæ incipit, *Supremæ diſpoſitionis*, Edita in Concil. Later. ſeſſ. 9. quam ſua auctoritate confirmavit Pius V. in Bulla quæ incipit, *Ex proximo*.

Dixi 1. *Beneficium poſſidentes*. Nam qui ſolum habet Beneficii titulum, ad Horas recitandas ante ejus adeptionem non tenetur: Sicut nec ille, qui penſionem tantummodò ab ipſo ſuſcipit; cum neceſſe ſit ut Beneficium poſſideatur, ſive in Commendam, ſive quovis alio, ſed vero, ac reali modo. Imò neceſſe eſt ut fructus ejus percipiat, aut ſe tandem recepturum moraliter certus ſit. Si enim abſque culpa ſua, nec ullum percipit, nec unquàm ſe recepturum ſperet; ad Officium ordinariè non tenetur; niſi tamen ſit Canonicus, qui hoc particulari titulo ad illud perſolvendum adſtringitur. Ubi tamen obſervandum eſt. 1. Nonnulla Beneficia ex ſua inſtitutione duntaxat ad Officium B. M. V., vel quinque *Pater noſter*, & *Ave*, *Miſerere*, &c. obligare; & ad aliud non teneri Clericos ſimilia poſſidentes Beneficia. 2. Eos, qui ex Beneficio quodam penſionem ſuſcipiunt, ex ſupracitata Pii V. Conſtitutione, ad parvum B. M. V. Officium recitandum teneri.

Di-

Digitized by Google

Dixi 2. *Sive Beneficium pingue ſit, vel tenue*. Quod probatur ex ſupracitatis Pontificibus, qui de hoc onere ſermonem facientes, nuſquam exceperunt Clericos tenue Beneficium poſſidentes; imò qui eos terminis generalibus, *Quilibet*, *omnes* comprehenderunt. *Quiſque Beneficium aliquod adeptus eſt*, inquit Concilium Remenſe an. 1483. *ſciat ſe ad preces quotidianas, quæ in Breviario continentur obligari*. Ratio eſt quia Beneficium tenue acceptantes, acceptant etiam onus illi annexum; prout qui accipiunt ſacros Ordines, ſimul etiam acceptant onera Ordinibus annexa, etiamſi nullum ex ordinatione ſperent emolumentum; non ſecus ac Milites, qui eo ipſo quo ſe voluntariè ſinunt inſcribi Militiæ, onera Militiæ implere tenentur; licèt modicum, imò & nullum, ſubinde ſuſcipiant ſtipendium.

Dixi 3. *Sub reatu peccati mortalis*; quia gravis eſt obligatio. Unde ſi quis ratione tum Ordinis ſacri, tum Beneficii, ad Horas obligatus, eas abſque juſta cauſa omittat, duplex peccatum committit in Confeſſione exponendum; quia duplicem virtutem violat, Religionis ſcilicet, ratione Ordinis ſacri, & juſtitiæ, ratione Beneficii.

Dixi 4. *Sub reſtitutionis obligatione*; ut definierunt ſupradicti Pontifices. Igitur ſi Beneficiarii per diem integrum Horas omiſerint, amittunt fructus diei correſpondentes: ſi Matutinum, medietatem: ſi aliquam ex cæteris Horis, ſextam partem, juxta Pii V. determinationem. Qui tamen ratione Beneficii ad alia Officia præſtanda, præter Horas Canonicas tenentur, ut Epiſcopi, & Parochi, non tenentur omnes fructus reſtituere, ſed partem duntaxat Horis Canonicis correſpondentem.

Porrò ab onere reſtitutionis non eximuntur, qui omiſſo Officio per aliquot dies, defectum ſupplent aliis diebus, ter vel quater illud recitando; quia obligatio diei eſt affixa. Nec etiam hæc reſtitutio ſuppleri poteſt, *per quaſdam eleemoſynas, quas antea Beneficiatus de fructibus Beneficii ſui fecerit*, prout definivit Alex. VII. in damnatione prop. 33. *Nec habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium, etſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet*. Idem dicendum eſt de eo, qui *in die Palmarum Officium Paſchale recitat*, aut qui ſub Veſperam Officium recitat *pro die præcedenti, & craſtino*. Hi omnes peccant mortaliter, & ad reſtitutionem faciendam tenentur, etiam ante quamlibet *ſententiam Judicis declaratoriam*, juxta ejuſdem Summi Pontificis definitionem, contrarias propoſitiones damnantis.

℟. 3. Omnes Religioſæ perſonæ, tum viri, tum mulieres, ad Chorum deputata; Horas Canonicas ſub peccato mortali perſolvere tenentur, juxta Religionis ſuæ Conſtitutiones, aut Regulas. De quibus ſuo loco ſermonem faciemus.

QUÆR. 3. Quomodò Horæ Canonicæ ſint recitandæ?

℟. Horæ Canonicæ *integrè*, *diſtinctè devotè*, *ordinatè*, *continuè*, *tempore debito*, *& ſtatuto ritu*, ſunt perſolvendæ.

Integrè; ita ut qui partem Divini Officii notabilem omittit, mortaliter peccat. Cenſetur autem pars notabilis Hora parva, vel pars alterius Horæ illi correſpondens: v. gr. unum integrum Nocturnum; ſive ex omnibus Horis aliquid ſeparatim non recitet; ita ut omnia ſimul ſumpta ſint pars notabilis. Porrò qui abſque juxta cauſa integrum omittit Officium, vel tot formalia peccata committit, quot ſunt Horæ omiſſæ, vel unum valdè grave peccatum; multis æquivalens in Confeſſione exponendum.

Diſtinctè, & articulatè, ad quod requiritur. 1. Nè verba mutilentur, abſorptis quibuſdam ſyllabis; ita ut ſi exceſſus ſit enormis, & voluntarius, peccatum erit mortale. Quapropter obligationi ſuæ non faciunt ſatis, qui ita cum Sociis feſtinanter recitant, ut nondum à Sociis expletis verſiculis verſiculos recitare incipiant. Requiritur. 2. Ut Officium recitetur voce per ſe audibili; id eſt taliter articulata, ut ſecluſo medii impedimento, aut ſenſus læſione poſſit ab ipſomet recitante percipi; quia Divini Officii recitatio debet eſſe Oratio vocalis; non eſt autem vocalis, ſi lingua, labia, & dentes ita leviter moveantur, ut nulla vox audibilis efformetur.

Devotè, id eſt cum intentione Deum orandi, nec non & interna ad orationem attentione. Non eſt autem neceſſe, ut intentio formalis ſit, & expreſſa; ſed ſufficit, & requiritur ſaltem, ut ſit virtualis, implicita, & interpretativa; quam cenſetur habere, qui obligationi ſuæ ſatisfacturus Breviarium aſſumit, aut debito tempore ad Chorum convenit, ibique legendo, aut canendo per modum orantis ſe gerit.

Quoad attentionem; habitualis minimè ſufficit; nec requiritur abſolutè actualis; ſed

ſuffi-

ſufficit, atque neceſſariò requiritur, virtualis; ea ſcilicet, quæ virtute actualis præſuppoſitæ moraliter remanere cenſetur. Unde qui tota oratione, vel notabili ejus tempore, præſertim initio, actualem intentionem non habuit, nec mentem ad Deum, aut ad cœleſtia nullatenus convertit, obligationi ſuæ ſatisfeciſſe non videtur; cùm is virtualem ſaltem attentionem habere nequaquam poſſit, qui actualem non habuit.

Nec ſatisfaciunt hi qui voluntariè diſtractiones admittunt, vel ſubortas, dum advertunt, non repellunt; nec illi qui, etſi inadvertenter diſtracti ſint, diſtractioni voluntariam cauſam dederunt, oculis hinc inde divagantes, Sociis corridentes, aut annuentes, & ſimilia facientes, quæ cum interna attentione ſunt incompatibilia. Hi omnes peccant, & quidem mortaliter, ſi notabilem Officii partem ſic diſtracti perſolvant; & Beneficiarii ſic eam perſolventes ad fructuum reſtitutionem perinde tenentur, ac ſi nullatenus Officium perſolviſſent, quia hujuſmodi recitatio, vera dici nequit oratio.

Ordinatè juxta ordinem ab Eccleſia præſcriptum: Matutinum ſcilicet, ante Laudes, Laudes ante Primam, &c. quem ordinem abſque juſta cauſa invertere, peccatum eſt veniale, & mortale, ſi habitualiter id fiat. Quòd ſi ex juſta cauſa, aut per oblivionem, & inconſiderantiam id fiat, nullum erit peccatum, nec Horam jam recitatam repetere eſt neceſſe. Imò qui ad Chorum convenit, Hora præcedenti, aut aliqua parte illius, quæ in Choro tunc perſolvitur, non recitata; ſive id culpabiliter, ſive inculpabiliter factum fuerit, non debet durante in Choro Officio eam recitare, ſed poſt expletum Officium. Culpa enim, ſi qua fuerit commiſſa, ſic non eluitur, ſed potiùs augetur; tum quia dum in Choro adeſt, ipſum vocis ſuæ ſubſidio juvare tenetur; tum quia ſic ſeparatim recitando, alios Pſallentes diſturbat, ac diſtrahit; tum quia tandem non niſi curſim, tumultuosè atque indevotè, quod omiſit, perſolvere poteſt.

Continuè, & abſque interruptione: quæ ſi eſſet longa, & notabilis, abſque juſta cauſa, inter partes ejuſdem Horæ, mortaliter eſſet culpabilis, niſi quæ dicta ſunt repeterentur. Cauſa autem juſta eſt: v. gr. ſi Superioris præceptum, vel charitas urgeat, ad aliquid faciendum, quod commodè differri nequeat.

Tempore debito; quod incipit à duodecima nocturna diei præcedentis, uſque ad duodecimam nocturnam diei ſequentis; ita ut qui uſque ad mediam noctem incluſivè Officium, vel notabilem ejus partem omiſerit, mortaliter peccaverit, à quo excuſari non poſſet qui die ſequenti bis Officium recitare proponeret. Qui verò abſque juſta cauſa vel nimium differt, vel nimium anticipat, venialiter peccat, licèt minus ſit anticipare quàm differre. Porrò tempus Officii abſolvendi aſſignatur pro Matutino, & Laudibus uſque ad decimam Matutinam, pro parvis Horis uſque ad meridiem, pro Veſperis à meridie uſque ad Solis occaſum, extra Quadrageſimam; quia tunc recitari debent ante refectionem; pro Completorio ad finem diei. Matutinum autem diei ſequentis, ſive vel cum Laudibus, recitari poteſt pridie, hora circiter quarta in Æſtate, & hora tertia in Hieme.

Ritu ſtatuto; ita ut mortaliter peccet, qui ſcienter, & abſque ſufficienti cauſa Officium præſcriptum mutat in aliud; licèt æquivalens, imò & longius; quia Eccleſia non præcipit Officium in genere; ſed tale Officium. Dixi *ſcienter*: quia qui ex inadvertentia inculpabili mutavit Officium, non tenetur ad alterius Officii recitationem; cùm non ſit credibile benignam Matrem Eccleſiam velle alicui citra culpam duplicis Officii onus imponere. Conſultum tamen eſt, ut qui ex inadvertentia inculpabili fecit Officium de Martyre: v.g. cùm eſſet faciendum de Confeſſore, repetat id quod tali Feſto peculiare fuit: *puta*, Lectiones, Reſponſoria, Orationes, Capitula, &c. Quòd ſi ex culpabili inadvertentia id fecerit, ad hæc peculiaria repetenda omninò tenetur. Dixi 2. *Abſque ſufficienti cauſa*. Nam qui propter aliquod grave impedimentum non poſſet de Feria Officium recitare, poſſet de Sancto legere. Imò obligatus Choro intereſſe, poteſt aliis ſe conformare, licet celebretur Officium quod jam perſolvit.

QUÆR. 4. Quæ ſint cauſæ à recitatione Officii excuſantes?

℟. Quatuor vulgò numerantur. 1. Legitima Superioris diſpenſatio, quæ abſque juſta cauſa nec validè, nec licitè concedi poteſt. Gravis occupatio honeſta, & neceſſaria, quæ abſque gravi ſui, aut proximi incommodo, tum ſpirituali, tum corporali, differri non poteſt, ſitque majus bonum quàm Officii recitatio. Sic quandoque excuſari poſſunt Confeſſarii, & Concionatores; qui tamen hoc munus ſuſcipere

Digitized by Google

re non debent, ſi ejus executio cum recitatione Officii eſſet ordinariè incompoſſibilis; quia neceſſitas excuſans, hic, & nunc urgere neceſſe eſt. 3. Gravis infirmitas, quam cenſetur habere, qui abſque gravi ſanitatis damno, aut magno incommodo, Officium legere non poteſt; circa quod timoratus Medicus, & Superior ſunt conſulendi. 4. Impotentia Phyſica, qualis eſt cœcitas, vel Breviarii carentia. Ubi.

Obſerv. 1. Qui non poteſt integrum Officium recitare, tenetur ad partem quam poteſt: Unde jure merito damnata eſt hæc propoſitio ab Innoc. XI. *Qui non poteſt Matutinum, & Laudes recitare, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur.* 2. Qui ab Horis recitandis legitimè ob ſupradictas rationes excuſatur, non tenetur earum loco certas Preces recitare, quia nullibi tale præceptum videtur impoſitum. Si tamen Clericus eſſet Beneficiatus, ratio juſtitiæ poſtularet, ut qui per notabile tempus Officium perſolvere non poſſet, quandoque alias Preces pro Benefactoribus funderet. 3. Qui ob naturalem, & inculpabilem oblivionem omittit Horas perſolvere, non peccat; ſed perrara eſt hujuſmodi oblivio, tum quia ſæpiùs oritur ex culpabili in functionibus ſuis ritè obeundis negligentia; tum quia quiſque perpendere tenetur in ſerotino examine antequàm cubitum eat, utrùm omnia munia ſua debitè expleverit, quorum præcipuum eſt in Clero Divini Officii recitatio.

QUÆSTIO II.

Quænam ſint Beneficiatorum obligationes?

CUm Beneficiatorum obligationes generales pendeant maximè ab ipſorum Beneficiorum materia; hanc diſcutere hic nobis incumbit. Ipſam autem, licèt latiſſimam, in ſeptem Articulis comprehendemus. 1. Erit de natura, & diviſione Beneficiorum. 2. De variis modis, ſeu titulis, quibus acquiri poteſt Beneficium. 3. De his quibus Beneficia ſunt conferenda. 4. De dominio, & uſu Bonorum Eccleſiaſticorum. 5. De Beneficiorum pluralitate. 6. De obligatione reſidentiæ in Beneficiariis. 7. De Simonia in iis acquirendis.

ARTICULUS I.

De Beneficiorum natura, & diviſione.

Not. IN prioribus Eccleſiæ ſeculis, *ubi multitudo credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*, inauditum erat Beneficii nomen; quia ſingulis menſibus congruæ portiones ſingulis Clericis ab Epiſcopo diſtribuebantur. Creſcente verò Fidelium numero, refrigeſcente Œconomorum charitate, certi Eccleſiarum redditus ſingulis Clericis aſſignari cœperunt, ſicut olim militibus, ex qua redditum aſſignatione jus Beneficiatorum originem ducit. Igitur.

QUÆR. 1. Quid ſit Beneficium Eccleſiaſticum?

R. Rectè definiri Jus perpetuum, Clerico competens, percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ, propter Officium ſpirituale Eccleſiæ auctoritate inſtitutum.

Explicatur definitio. Dicitur 1. *Jus perpetuum*; tum quia cum perſona Beneficiati non extinguitur, ſicut extinguuntur Penſiones, quæ ideò non ſunt Beneficia; tum quia ſemel legitimè collatum de ſe eſt irrevocabile, nec eo Beneficiatus privari poteſt, niſi ob quædam crimina à Judice legitimo. Unde Vicaria, aut Commenda temporalis, ad Superioris nutum revocabilis, non eſt propriè dictum Beneficium.

Dicitur 2. *Clerico competens*; ſoli enim Clerici Juris, ac Officii, pro quo datur Beneficium, ſunt capaces. Hinc ſi quandoque nonnulla Eccleſiæ bona Laicis conferantur, propter aliquam ab ipſis præſtitam operam, id beneficium non dicitur, ſed merum ſtipendium.

Dicitur 3. Propter *Officium ſpirituale*; nec enim Beneficium datur, niſi propter Officium inſtitutum. Ideò non unum duntaxat, ſed Jus duplex in Beneficio ſpectandum eſt. Primum atque præcipuum eſt Jus aliquod munus ſpirituale exercendi. Secundarium autem eſt Jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ propter illud; quod jus licèt de ſe ſit temporale, quia tamen priori juri merè ſpirituali ex ſua inſtitutione eſſentialiter eſt annexum, ſpirituale etiam dicitur, quaſi per concomitantiam: Ex quo patet Penſiones, ſeu ut vulgò dicitur, Burſas collegiales, inter Beneficia propriè non recenſeri, non ſolùm quia non dantur in perpetuum, ſed maximè quia non dantur

tur

Digitized by Google

tur propter aliquod ſpirituale Officium, ſed velut eleemoſyna, aut ſubſidium.

Dicitur 4. *Eccleſiæ auctoritate inſtitutum*. Quia juxta Gloſſam in C. Si Beneficiorum *de Decimis*, ſolius Papæ in univerſa Eccleſia; & Epiſcopi in ſua Diœceſi auctoritas facere poteſt, ut bona, propter quoddam ſpirituale Officium collata, ſpiritualia fiant, & inter Eccleſiæ bona ſint comprehenſa. Id ò Exſequiales preces, aut Capellæ, licèt perpetuæ, non ſunt propriè Beneficia; ſed tantummodò ſtipendia, niſi à quodam Prælato reperiantur approbatæ, aut confirmatæ: quo caſu Canonica inſtitutione conferuntur, vocanturque a jure Capellaniæ *collatitiæ*.

QUÆR. 2. Quotuplex ſit Beneficium?

R. 1. Beneficium aliud eſt ſæculare, quod ſolis Clericis ſæcularibus non Regularibus cedit; aliud Regulare, quod ſolis Regularibus non ſæcularibus competit, nec ipſis dari poteſt niſi in Commendam, dum ſci licet cura, & adminiſtratio Abbatiæ, v. g. cum fructibus ejus, vel aliqua eorum parte, ſine titulo eis committitur. Contingere tamen poteſt ut Beneficia ſæcularia, Regularia fiant, & vice verſa, per quadraginta annorum continuam, & imperturbatam poſſeſſionem, quæ legitimam ſtatuit præſcriptionem. Ut conſtat ex *Cap.* cùm de Beneficio, *de Præbendis* in 6.

R. 2. Aliud eſt Beneficium ſimplex, quod nullam habet annexam adminiſtrationem, nullamque obligationem regendi Populum, vel Clerum, ſed tantummodò preces Deo perſolvendi, aliaque Divina Officia obeundi, ut Canonicatus, aut ſimplex Sacellanus, diciturque Beneficium non curatum: Aliud duplex quod inſuper annexam habet Eccleſiaſticam adminiſtrationem, aut Juriſdictionem in foro interno, vel externo, ut Epiſcopatus, aut Paſtoratus; diciturque Beneficium curatum.

R. 3. Dividuntur Beneficia in Dignitates, Perſonatus, & Officia. Dignitates annexam habent præeminentiam cum Juriſdictione in foro externo, Epiſcopatus, Abbatiæ, Præpoſituræ, &c. Perſonatus habent quidem quandam præeminentiam, ſed abſque Juriſdictione, ut Primarius, Præcentor, &c. Officium adminiſtrationem quamdam habet, ſed abſque juriſdictione, & præeminentia, ut Theſaurarius, Cantor, Œconomus, &c.

R. 4. Beneficia alia ſunt titularia, quæ cum plenitudine juris conferuntur juxta eorum fundationem, & Commendata quæ ſolius adminiſtrationis, aut cuſtodiæ gratia traduntur.

ARTICULUS II.

De variis modis, ſeu titulis Beneficium acquirendi.

Not. BEneficium abſque titulo obtineri, aut retineri non poſſe, probatione non indiget. Satis eſt evidens eos, qui Beneficium mala fide abſque legitimo titulo invadunt, ſacrilegos, fures eſſe, & latrones, utpotè per Oſtium non intrantes, ſed aliunde aſcendentes. Unde ad illud in poſterum obtinendum fiunt inhabiles abſque Summi Pontificis diſpenſatione, ut conſtat ex cap. *Ad aures* de exceſſibus Prælatorum. Dixi *mala fide*; ſi enim quis bona fide abſque legitimo titulo Beneficium obtinuit, poteſt illud retinere in utroque foro interno, & externo, concurrentibus ſimul his quatuor conditionibus. 1. Quòd Beneficium pacificè per triennium poſſederit. 2. Quòd illud poſſederit cum titulo colorato, ſi enim nullus ſit titulus, nulla erit poſſeſſio. 3. Quòd per Simoniam, ſive ſcienter, ſive ignoranter, illud non comparaverit. 4. Quòd aliunde ad illud ipſo jure non ſit inhabilis, v. g. propter cenſuram aliquam, quam ante Beneficii adeptionem incurrerit. Hoc notato, ſciendum eſt ſeptem recenſeri titulos, quibus comparari poteſt Beneficium. Electione nimirum, Poſtulatione, Præſentatione, libera Collatione, Reſignatione, Permutatione, & Subrogatione; De quibus multa quæruntur hic breviter exponenda.

QUÆR. 1. Quid ſit Electio?

R. Electio eſt perſonæ alicujus de gremio eligibilium ad Beneficium vacans Canonica vocatio à ſuffragio eorum, qui jus eligendi habent, facta. Dicitur de *gremio eligibilium*, per quod à poſtulatione differt, ut mox videbitur.

Fit autem Electio triplici modo: Per ſcrutinium; quando ſinguli Electores ſuffragium ſuum ſecretò tradunt: Per compromiſſum, quando ex communi omnium conſenſu eligendi facultatem uni, vel pluribus transferunt. Per inſpirationem, quando repentino quodam motu in unum communiter concurrunt.

Ad legitimam Electionem quinque requiruntur conditiones. 1. Ut omnes qui jus eligendi habent, ritè vocentur. 2. Ut intra Trimeſtre à die vacationis Beneficii fiat

Digitized by Google

fiat Electio, niſi ad ſit legitimum impedimentum. 3. Ut Electores in Ordinibus ſacris ſint conſtituti, niſi ſpeciali Privilegio aliud conceſſum ſit. 4. Ut Electorum pars major conſentiat. 5. Ut intra Trimeſtre Superioris confirmatio, regulariter neceſſaria, petatur.

QUÆR. 2. Quid ſit Poſtulatio?

℟. Poſtulatio eſt petitio ad vacans Beneficium alicujus perſonæ non idoneæ ob defectum aliquem, vel ſtatus, vel ætatis, & à quo defectu rogatur Superior, ut cum poſtulato diſpenſet, Beneficii obtinendi gratia, ad quod Electores ipſum alioquin eligere non poſſent. Sic illegitimè natus, Bigamus, Junior, &c. poſtulari quidem poteſt, non eligi: Cap. *Cum cunctis* de Electione.

QUÆR. 3. Quid ſit Præſentatio, ſeu Nominatio?

℟. Præſentatio, ſeu Nominatio eſt exhibitio perſonæ idoneæ à legitimo Patrono facta Prælato, ut ipſi Beneficium vacans conferat. Sunt plurima Beneficia, quæ à Patronorum præſentatione ſic pendent, ut ſine ea obtineri non poſſint, & cum ipſa neceſſariò obtineantur; quia Collator, id eſt Prælatus, cui ſoli Beneficium conferre competit, legitimè præſentato illa conferre tenetur, ſi reperiatur idoneus.

Patroni alii ſunt Eccleſiaſtici, alii Laici, quorum jus duplici modo comparari poteſt. 1. Per gratificationem factam, dum nempe Beneficium creatur, aut Eccleſia extruitur. 2. Præſcriptione, dum tres Proviſiones continuæ abſque interruptione, & pacificè fuerunt conceſſæ. Jus autem Patronatus Eccleſiaſticus dicitur, quod à perſona Eccleſiaſtica de bonis Eccleſiæ fundatum eſt; Laicus vero, quod à perſona Laica, vel ab Eccleſiaſtica, ſed de bonis Patrimonialibus, non Eccleſiaſticis eſt fundatum.

Porrò illud intercedit diſcriminis inter Patronum Eccleſiaſticum, & Laicum. 1. Quod Eccleſiaſticus variare non poteſt, nec primam ſuam nominationem retractare; ſed ſi indignum præſentavit, Collator Beneficium pleno jure conferre poteſt cuilibet digno. Laicus autem alterum idoneum nominare poteſt, ſi primum tanquàm indignum Collator repulerit, vel ſi ipſi ſponte alium præſentare voluerit, modò primus nominatus nondùm ſit inſtitutus. 2. Quòd Laicis quatuor tantùm menſes à die vacationis Beneficii concedantur: Eccleſiaſticis verò ſex, intra quos, ſi nullus Collatori præſentetur, is pleno jure cuilibet illud conferre poteſt. 3. Quod Beneficium Laici Patronatus non eſt obnoxium præventioni Summi Pontificis, nec juri Indultariorum, aut Graduatorum, aut quarumlibet gratiarum expectativarum; ſecùs autem dicendum eſt de Beneficiis Eccleſiaſtici Patronatus. 4. Quòd Beneficium Patronatus Laici reſignari, aut permutari non poſſit, nec penſione onerari abſque Patroni conſenſu; benè quidem Beneficium Patronatus Eccleſiaſtici.

Cæterum id commune habent Beneficia omnia tum Eccleſiaſtici, tum Laici Patronatus. 1. Quòd præſentatio à Patrono facta, jus ad Beneficium conferat, ſtatim ac ad aures Collatoris pervenit. 2. Quod nullus Patronus ſive Eccleſiaſticus, ſive Laicus, ſe ipſum præſentare poſſit. 3. Quòd ſi duo ſint ejuſdem Beneficii Patroni, qui de præſentatione inter ſe non conveniunt, Epiſcopus cuilibet voluerit ex duobus nominatis illud conferre poſſit. Cætera videantur apud Juriſperitos.

QUÆR. 4. Quid ſit libera Collatio?

℟. Libera collatio ea eſt, quæ fit jure pleno atque independenti, & propria ſponte Superioris; ut ſunt Beneficiorum collationes, quæ nec Graduatorum, nec Patronorum, nec Reſignatorum juribus ſunt obnoxiæ.

Collatio autem (idem dicendum eſt de qualibet Præſentatione, aut Electione) Beneficii hominis adhuc viventis adeò invalida eſt ac nulla, ut deinceps validari nequeat, etiamſi Beneficiarium obire contingat; & qui fraudulenter hominis adhuc viventis Beneficium obtinuit, ad illud denuò obtinendum quovis titulo, fit in poſterum inhabilis: Imò ſtatutum eſt in Cancellariæ Regulis, quæ ſtudioſe ſervantur in Gallia, ut Collationes Beneficiorum per obitum vacantium, nec non quælibet præſentationes, & electiones prorsùs invalidæ ſint ac nullæ, niſi à morte Beneficiarii tantùm temporis effluxerit, ut ſaltem per Curſorem extraordinarium Vacatio Beneficii ad aures Collatoris pervenire potuerit.

QUÆR. 5. Quid ſit Reſignatio?

℟. Reſignatio eſt Beneficii libera dimiſſio à Beneficiario facta in manus Papæ, vel alterius Collatoris ordinarii; & id vel ſimpliciter, & abſolutè abſque ulla conditione, vel conditione, & *in favorem*; id eſt ea conditione, ut cuidam perſonæ conferatur Beneficium, vel cum penſionis reſervatione. Simplex Reſignatio ab ordinario

rio Collatore admittitur. Conditionatam autem nullus niſi ſolus Papa communiter admittere poteſt. Inter hanc, & illam diſcrimen eſt. 1. Quòd Papa alteri conferre non poteſt Beneficium, niſi ei in cujus favorem reſignatum fuit; Ordinarius autem conferre poteſt cui libuerit. 2 Quod ſimpliciter Reſignans omni jure Beneficii ſpolietur; ſed reſignans conditionatè, Beneficii poſſeſſionem retineat, donec impleta ſit conditio. 3. Quòd in Reſignatione ſimplici, ſi Reſignatarius Beneficium ab Ordinario non acceptet, liber eſt Ordinarius ad conferendum alteri: in Reſignatione verò facta io favorem, ſi proviſus à Papa non acceptetur, Reſignans manet in libera Beneficii ſui poſſeſſione, nec Papa alteri conferre poteſt.

Prætereà multæ ſunt conditiones ad Reſignationis validitatem. 1. Quòd facta ſit omninò liberè, abſque dolo, metu, & violentia. 2. Quòd admittatur à Superiore juriſdictionem habente. 3. Quod non fuerit revocata ante admiſſionem ejus. 4. Quòd acceptetur à Reſignatario, & acceptatio ejus appareat. 5. Quòd fiat per actum publicum, & authenticum, cum debitis inſinuationibus in hoc Regno ſtatutis. 6. Quòd ſtatuto tempore à Regulis Cancellariæ Reſignatarius poſſeſſionem ineat.

ADNOTATIO 23.

(*)

Cum per Reſignationes, ac etiam permutationes Beneficiorum multa quondam irrepere cœpiſſent abſurda Pius *V. de his certior factus, ſecundo Pontificatus ſui anno Conſtitutionem evulgavit incip.* Officium, *qua Ordinariis facultatem omnem ad tempus ſuſpendit, Beneficiorum Reſignationes, & permutationes admittendi, donec aliter ea de re ab ipſo ſtatueretur. Anno vero ſequenti, alteram edidit Conſtitutionem incip.* Quanta, *in qua quibuſdam ſtatutis regulis, & conditionibus, circa modum, & tempus, quibus deinceps ab Ordinariis tales permutationes, & Reſignationes admitti poſſent, & deberent; inter alia vetat* Epiſcopis, *atque* Collatoribus *aliis, in quorum manibus Beneficia reſignari contigerit, ne ea conferant aut ſuis, aut* Reſignantis *Conſanguineis, affinibus, aut familiaribus his verbis:* Cæterum præcipimus, atque interdicimus, ne ipſi Epiſcopi, aut alii Collatores, de Beneficiis, & Officiis reſignandis, prædictis aut ſuis, aut Admittentium (*typographi error*: Dimittentium) Conſanguineis, affinibus, vel familiaribus, &c. per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, audeant providere.

Hujus Apoſtolici mandati occaſione, dubium quondam ab Epiſcopo Cremonenſi Congregationi Concil. propoſitum fuit, an ſcilicet, vacante parœcia per Parochi renuntiationem in manu Epiſcopi factam, & ab ipſo Epiſcopo, ut par eſt indicto concurſu, poſſit ad concurſum admittere ſuos, vel Reſignantis Conſanguineos, affines, aut familiares, & uni ex ipſis, ut pote digniori in examine invento, beneficium illud conferre? S. vero Congregatio, annuente Gregorio XIII. *negativè reſpondit. En verba quæſiti, ejuſque reſolutio, prout a* Benedicto *XIV. lib.* 13. *cap.* 24. *n.* 3. *de* Syn. *referuntur.* Quærit a S. Congregatione S. Concil. Trident. Epiſcopus Cremonenſis, an Conſtitutio SS. D. N. Pii Papæ V. fel. rec. data Romæ ſub die primo Aprilis 1568. ſuper relaxatione prohibitionis de non admittendis reſignationibus per Ordinarios, dum prohibet, ne Beneficia per reſignationem, per Epiſcopum, vel alium Collatorem, &c. ex juxta cauſa admiſſam, vacantia, conferantur conſanguineis, vel familiaribus Epiſcopi, vel Reſignantis, habeat locum in Eccleſiis Parochialibus, & Beneficiis curam animarum habentibus, quæ per concurſum magis idoneis conferri debent, ex Decreto Concil. Trident. cap. 18. ſeſſ. 24., ita ut, ſi familiaris aliquis Epiſcopi, vel Conſanguineus Reſignantis comparuerit, & in concurſu ad hujuſmodi Beneficium Curatum, ut ſupra vacans, cum aliis ſe examinari petierit, admitti non poſſit; & ſi admiſſus ad examen, & uti idoneus ab Examinatoribus relatus fuerit, ei Beneficium conferri non poſſit. SS. D. N. &c. ex ſententia S. Congregationis Concil. declaravit, locum habere; & ideo monendum Epiſcopum, ne hujuſmodi familiares, vel Conſanguineos admittat ad concurſum.

Circa Reſignationes vero cum reſervatione penſionis, obſervandum eſt, Benedictum *XIV. ſup. cit., in Conſtitut. incip.* In ſublimi B. Petri Cathedra *improbare eas, quæ eo pacto fiunt, ut per anticipatas, ſeu anticipandas ſolutiones, poſitæ penſiones extinctæ remaneant. Reſignationes, inquam, iſtæ damnantur, & annullantur; adjecta inſuper pœna privationis Beneficii, & inhabilitationis ad alia adſequenda; & reſtitutionis pecuniæ pro ceſſatione penſionis accepta vid. dict. Conſtitut. in Append.*

(*)

QUÆR. 6. Quid ſit permutatio?

℞. Permutatio eſt unius Beneficii in aliud mutatio ob rationabilem cauſam ab Epiſcopo approbandam. Solius eſt enim Epiſcopi, aut ejus Generalis Vicarii, ex Epiſcopi commiſſione, permutationem admittere, & qui propria auctoritate Beneficia permutarent, eadem ipſo jure amitterent, & ſtatim tanquàm vacantia ab aliis impetrari poſſent.

Variæ autem ſunt conditiones ad permu-

tatio-

tationem requiſitæ. 1. Si compermutanda Beneficia in diverſis Diœceſibus ſita ſint, neceſſe eſt intervenire utriuſque Epiſcopi auctoritatem. 2. Si Beneficium permutandum à Patrono pendeat, requiritur ejus conſenſus, qui tamen ſi abſque cauſa conſenſum deneget, permutationem nihilominus Ordinarius poterit admittere: quod de Patrono Eccleſiaſtico intelligitur, non de Laico, cujus conſenſus neceſſariò requiritur, ut valida ſit permutatio. 3. Requiritur, ut permutatio fiat rerum ejuſdem generis, ſpiritualium cum ſpiritualibus, juris in re cum jure in re, non jure ad rem. Sic enim mutare non licet nominationem ad Beneficium cum præſenti Beneficio, nec certum pro incerto, & litigioſo, nec Beneficium ipſum pro penſione. Validè tamen, ac licitè permutari poſſunt plura Beneficia pro uno, & Beneficium duplex, aut Dignitas, pro ſimplici, aut non curato. 4. Requiritur quòd permutatio ſine fraude fiat, ad jus alterius defraudandum, Patroni ſcilicet, Graduati, aut Indultarii; prout fit, dum quis Beneficium tenuiſſimum pro pinguiſſimo cum moribundo permutat.

QUÆR. 7. Quid ſit Subrogatio?

℟. Subrogationem ſolummodò locum habere inter duos de Beneficio litigantes, quorum ſi unus lite pendente è vivis excedat, ſuperſtes in jus, & locum ipſius ſufficitur. Quòd ſic ſtatutum eſt, ut lites inter Clericos tandem finiantur. Hæc autem Subrogatio in Gallia obtinetur, juxta jus novum à Ludovico XIV. inſtitutum, per ſolam ſimplicem petitionem, cum exhibitione atteſtationis de obitu collitigantis; & vi hujuſce Subrogationis, Subrogatus ita loco, & juri collitigantis ſui ſubſtituitur, ut licèt mortuus collitigans jus ſuum tertio ceſſiſſet, & poſt mortem ejus iſte tertius Beneficium impetraſſet, proviſio iſtius tertii ipſo jure irrita foret.

QUÆR. 8. Quid ſit jus regreſſus, an ſit licitum?

℟. Jus regreſſus eſt jus reſumendi Beneficium reſignatum, aut permutatum, etiam poſt admiſſam à Prælato reſignationem, aut permutationem. Licèt autem jus iſtud Sacris Canonibus, ac Summorum Pontificum Decretis a Tridentino confirmatis ſit contrarium, vim tamen, & robur habet in Gallia ſequentibus caſibus. 1. In mutua compermutatione, ſi contingat unum ex compermutatis Beneficiis evinci, etiam citra novam proviſionem, non tamen citra Judicis Regii declarationem. 2. Si contingat unum ex permutatis Beneficiis, vel nova penſione onerari, vel etiam veteri penſione; modò permutans, quando permutavit, id ignoravit. 3. Si Reſignatarius conventam, & à Papa approbatam penſionem, non ſolvat. 4. Si quis in gravi infirmitate conſtitutus reſignavit, datur regreſſus poſt valetudinem recuperatam. 5. Si propter criminis capitalis accuſationem, cujus ſucceſſus erat incertus, abdicavit, aut reſignavit Beneficium, illud repetendi jus habet, poſtquam condemnationis evaſit ſententiam. 6. Si in reſignatione, aut permutatione intercedit vis, metus, fraus, & dolus, &c.

QUÆR. 9. Quot modis Papa Beneficia conferat?

℟. Summum Pontificem jure triplici conferre Beneficia. 1. Jure *præventionis*, ſi nempè Patronos Eccleſiaſticos prævenit, antequàm nominaverint; tunc enim Proviſiones ejus prævalent. Dixi, *Eccleſiaſticos*, quia laicos Patronos prævenire non poteſt. 2. Jure *Devoluti*; dum ſcilicet quis à Summo Pontifice impetrat ſibi Beneficium transferri ob poſſidentis Canonicam inhabilitatem. 3. Jure Reſervationis, dum quædam Beneficia nondum vacantia, quibuſdam, poſt mortem titularium conferenda per gratiam expectativam reſervat.

Quoad jus *Devoluti*, ſciendum eſt Beneficia per devolutum eſſe impetrabilia, tum propter quædam crimina à Beneficiario perpetrata: ut Hæreſis, & Schiſma, Simonia, & Confidentia, Homicidium voluntarium, Litterarum Apoſtolicarum falſificatio, Sodomia, crimen læſæ Majeſtatis, &c. tum propter nonnullos vel naturales, vel civiles defectus: ſi quis nempè in Regno ſit alienigena, ſi laicus, ſi conjugatus, ſi duo habens Beneficia incompatibilia, ſi irregularis, ſi ætatem legitimam in Regulis Cancellariæ ſtatutam non fuerit adeptus, &c. Deinde inter has, & alias inhabilitates, quædam reddunt Beneficium ipſo tum jure, tum facto impetrabile; ita ut Beneficiarius illud nec licitè, nec validè poſſidere, aut reſignare poſſit. Quædam autem ſunt, quæ ipſum reddunt impetrabile tantummodò ipſo jure; circa quæ conſulendi ſunt Auctores, nè longiùs quàm patitur brevitas propoſita, ſermonem protrahamus.

Quoad jus *Reſervationis*, triplici modo hoc jure utitur Sum. Pontifex. 1. Per *Mandatum*, ſeu reſcriptum, quo Patronis Eccleſiaſticis mandat, ut de primo vacante Beneficio quemdam provideant; ſed hujuſ-

Digitized by Google

modi mandata in Gallia nullum robur obtinent. 2. Per *Indultum*, quo Pontifex quibuſdam indulget majoribus Magiſtratibus, Cancellario ſcilicet, ſupremi Senatus Præſidenti, libellorum Magiſtro, & cæteris Privilegiatis, ut ſemel quem voluerint ad primum vacans Beneficium nominent, ac præſentent. 3. In favorem Graduatorum, qui vi Concordati habiti inter Leonem X., & Franciſcum I. jus habent obtinendi quælibet Beneficia vacantia quatuor anni menſibus: videlicet, Januario, Aprili, Julio, & Octobri. Januarius, & Julius ſunt menſes *de rigore*, quia Beneficia in his vacantia ſpectant ad Graduatos antiquiores, & nominatos; eos ſcilicet, qui ab Univerſitatibus ſuis Litteras nominationis ſuſceperunt. Aprilis, & October ſunt menſes *de favore*, quia Patronis liberum eſt Beneficia in his menſibus vacantia cuilibet Graduato, quem voluerint conferre, etiam ſimplici; id eſt qui has Litteras nominationis non obtinuit, ſed tantummodò gradus ſui atque doctrinæ authenticum teſtimonium.

QUÆR. 10 Quot modis Rex Chriſtianiſſimus Beneficia conferat?

℞. 1. Omnibus Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus, atque Abbatiis nominat. 2. Jure Regaliæ ſtatim ac Epiſcopus obiit, pleno jure confert Beneficia omnia, exceptis tamen Parœciis, quæ ex ejuſdem Epiſcopi collatione pendent, donec novus Prælatus fidelitatis juramentum præſtiterit, & ipſum in tabulas præſcriptum fuerit. 3. Clauſa Regalia, & juramento præſcripto, Rex nominat ad primum Canonicatum, aut primam Dignitatem vacantem, quæ ab ejuſdem Epiſcopi collatione pendet. 4. Poſt ſuam Rhemis ſuſceptam conſecrationem, ad primam vacantem in qualibet Regni Cathedrali Eccleſia Præbendam nominat. Denique pleno jure confert omnia Beneficia, quæ ipſe, aut Prædeceſſores ejus fundaverunt.

QUÆR. 11. Quid ſit penſio ſupra Beneficium, an ſit licita?

℞. Penſio eſt jus ſuſcipiendi quamdam partem fructuum Beneficii, licèt à Penſionario non poſſeſſi. Quo jure, utpotè odioſo, & jure communi contrario, nullus uti poteſt abſque Summi Pontificis auctoritate, & inſtitutione, quæ niſi ob tres ſequentes cauſas conceditur. 1. Ut tollatur Beneficiorum magna inæqualitas in permutatione facienda. 2. Ut lis inter duos de Beneficio collitigantes componatur. 3. Ut indigenti Sacerdoti, qui Beneficio inſervivit, ſubveniatur. Porrò ut legitimè penſio inſtituatur, & eam quis licitè ſuſcipere poſſit, ſex requiruntur ſimul concurrentes conditiones. 1. Quod Penſionarius Clericali ſaltem tonſura ſit initiatus, niſi peculiare à Summo Pontifice obtinuerit privilegium. 2. Quod ex thoro legitimo ſit natus, niſi ſit diſpenſatus. 3. Quòd Patroni accedat conſenſus, ſi ſit Laicus. 4 Quod ſi agatur de Beneficio quod reſidentiam poſtulat, Penſionarius per quindecim annos ipſi inſervierit, ipſique ob gravem infirmitatem ampliùs inſervire non poſſit. Quod Penſionarius egeat, nec aliunde ad ſuam honeſtam ſuſtentationem neceſſaria habere poſſit. 6. Quòd penſio ita ſit moderata, ut adhuc Titulario ſuperſint ad victum, & veſtitum frugalem ſufficientia.

ARTICULUS III.

De his quibus Beneficia ſunt conferenda.

Not. 1. Digniras eorum, quibus Beneficia ſunt conferenda, ex duplici capite deſumitur. 1. Ex morum probitate irreprehenſibili. 2. Ex dotibus ad ritè functiones ſacras obeundas neceſſariis: ſicque indigni ſunt cenſendi non ſolùm, qui vitiis quibuſdam ſunt dediti, ſed & qui dotibus neceſſariis minùs videntur præditi. Ex quo concludendum eſt cum S. Th. 2. 2. q. 185. art. 3. *per digniorem eum præcisè non intelligi, qui melior eſt ſecundum ſanctitatem*, licèt ſanctitas in aliquo gradu omninò neceſſaria ſit, nè quis abſolutè indignus ſit; *ſed qui melior eſt ad Regimen Eccleſiæ, qui ſcilicet poſſit Eccleſiam inſtituere, defendere, & pacificè gubernare*, aut functiones Beneficio ſuo competentes digniùs explere.

Not. 2. Nulli dubium eſt graviter peccare eos, qui Beneficia conferunt, aut conferri ſtudent ſimpliciter indignis; ſed controvertitur utrùm ad quodlibet Beneficium ſimplex, aut duplex, curatum vel non curatum, digniores neceſſariò ſint promovendi, prætermiſſis minùs dignis. Circa quod.

Dico. Collatores, Electores, Patroni, Reſignantes, Permutantes, & omnes quilibet graviter peccant, qui ad Beneficia omnia, quæcumque ſint, etiam ſimplicia, minùs dignos aliqua ratione promovent, aut promoveri curant.

Prob. Quoad curata Beneficia. 1. Ex multis Canonibus, & Summorum Pontifi-

Digitized by Google

cum, & Conciliorum Oraculis, maximè Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformatione. *Omnes vero*, inquit, *& ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus, quacumque ratione, à Sede Apoſtolica habent, aut operam ſuam præſtant, hortatur, & monet S. Synodus, ut in primis meminerint, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint*. Nec refert quod Concilium ibi loquatur tantum de Epiſcopatibus: Idem quippè ſtatuit, cap. 18. de Parochiis; nempè quòd *bis, maturo examine præcedente, digniores ab Epiſcopo præficiantur*. Nec comparativum *Digniores*, quo utitur Tridentinum pro poſitivo ſumi poteſt, ſicut nonnulli inſulsè putaverunt, cùm hæc interpretatio rejecta ſit ab Innoc. XI. in damnatione prop. 47.

Prob. 2. Ex SS. Patribus, inter quos unus ſufficiat Auguſtinus, Epiſt. 29. *Nec ſanè*, inquit, *quantùm arbitror, putandum eſt leve eſſe peccatum in perſonarum acceptione, ſi illam diſtantiam ſedendi, ac ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, ac ſanctiore?*

Prob. 3. Certiſſimum eſt atque indubitatum, ſine peccato mortali ad ulla Beneficia indignos promoveri non poſſe; ſed qui dignus putatur ad Beneficium curatum, indignus cenſendus eſt in concurſu dignioris; Ergo grave peccatum eſt quem digniorem putamus, ſimpliciter digno poſtponere. Prob. Min. Ille Prælatione eſt indignus, juxta D. Th. Quodlib. 2. art. 11. in corp. *qui omnibus aliis ſuper quos Prælationem accipit, melior non eſt*: ſed ſimpliciter dignus in concurſu dignioris, omnibus non eſt melior, ergo indignus eſt. Deinde Regimen animarum eſt ars artium, ad quam debitè exercendam vix idonei ſunt digniſſimi; ergo longè minùs idonei ſunt minùs digni.

Adnotatio 24.

(*)

Ad Patronorum obligationes digniorem ſemper Epiſcopo præſentandi magis, magiſque oſtendendas atque firmandas, binas reſolutiones addere juvat Benedicti *XIV. pro totidem dubiis ab Archiepiſcopo an.* 1746. *ipſi propoſitis. Dubium primum*: An Patronus Eccleſiaſticus teneatur in foro externo præſentare ad Beneficium Curatum eum, qui inter approbatos ab Examinatoribus magis idoneus, vel magis dignus eſt. *Reſolutio Pontificis.* „ *Reſpondemus teneri. Nam antiquis omnibus diſputationibus omiſſis, cum juxta Concilii Trident. præſcriptum in Beneficiis Curatis, coram Examinatoribus Synodalibus concurſus haberi debeat, deinde Examinatores Synodales approbare eos, qui magis idonei ſunt, quorum deinde unum debet Patronus Eccleſiaſticus Epiſcopo præſentare, ut ei inſtitutionem præbeat, hæc agendi ratio, ac methodus neceſſario fert, ut Patronus Eccleſiaſticus teneatur præſentare eum, quem digniorem inter probatos ab Examinatoribus exiſtimat, &c.* „

Dubium ſecundum Archiepiſcopi. An Epiſcopus, ad quem ſpectat dare inſtitutionem, debeat ſequi judicium Patroni, de magis idoneo, magiſque digno, an potius inquirere rectum ne ſit Patroni judicium, an ſecus? *Reſponſio Pontificis.* “ *Quod ad hanc quæſtionem attinet, cenſemus neceſſe eſſe unum ab altero caſum diſtinguere. Nam aut inter probatos ab Examinatoribus nemo eſt, qui de Patroni judicio queratur, a quo, puta, Titius magis idoneus, magiſque dignus æſtimatus eſt, iſque Epiſcopo præſentatus, & tum Epiſcopus ſequi debet judicium Patroni, neutiquam vero in ejus judicium inquirere. Nam a S. Concilio non præſcribitur uti digniorem inſtituat, ſed quem Patronus inter approbatos ab Examinatoribus digniorem judicaverit*: Quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit . . . . . *Aut inter ab Examinatoribus idoneos probatos aliquis eſt, qui judicio Patroni minimè acquieſcens, coram Epiſcopo, cujus eſt dare inſtitutionem, queritur ſe poſthabitum fuiſſe, licèt magis dignus, & idoneus altero ſit, quem Patronus tamquam digniorem, & magis idoneum Epiſcopo præſentavit; & hoc ſecundo caſu, cum Epiſcopus judicis perſonam ſumere cogatur, ſequi non debet Patroni judicium circa magis idoneum, magiſque dignum, ſed priuſquam inſtitutionem concedat, in Patroni judicium inquirere &c.* „ *Vide dictam Epiſt. per extenſum in Append.*

(*)

Prob. Concluſio quoad Beneficia non curata. 1. Auctoritate, & ratione D. Thom. & D. Antonini, à quorum doctrina in moralibus deviare omninò periculoſum eſt. S. Thom. de omnibus Beneficiis, nullo excepto, ſermonem faciens 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. *Quantum*, inquit, *ad conſcientiam eligentis neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune*. Cujus rationem affert Quodlib. 6. art. 9. *Non enim poteſt eſſe quòd eligens unum alteri præferat, niſi propter aliquam cauſam, quæ ſi quidem pertineat ad honorem Dei, & utilitatem Eccleſiæ, jam quantùm ad hoc iſte melior eſt. Si autem illa*

cauſa

Digitized by Google

cauſa ad hoc non pertineat, erit acceptio perſonarum, quæ tanto gravior eſt, quantò in rebus divinis committitur.

Sententiæ D. Thom. adſtipulatur D. Antonin. 3. part. tit. 15. c. 1. §. 3. ubi diſſerens de puero, cui ſimplex Beneficium fuit collatum, notat *ſecundùm Petrum de Palude, quòd ad hoc, ut quis valeat habere ſimplex Beneficium, vel Præbendam ſufficit quòd major ſit ſeptimo. Tamen quamvis jure humano non irritetur talis collatio, jure tamen divino illicitum eſt dare talia Beneficia talibus, niſi quando alii non inveniuntur; quia contra juſtitiam diſtributivam eſt, ſi detur minùs digno. Quamvis autem iſte puer non ſit indignus poſitivè propter defectum, quia eſt innocens; reſpectu tamen illius eſt indignus, quia alius eſt dignior: Unde contempto meliore, ſanctiore, juſtiore, dare alteri eſt grave peccatum.*

Prob. Ulteriori ratione: Quia Eccleſia Prælatis, aliiſque Superioribus quælibet Beneficia conferendi poteſtatem non contulit, niſi ut ea uterentur ad majorem Dei gloriam, ipſiuſque Eccleſiæ utilitatem: Unde qui ſpretis dignioribus, minùs dignis ea conferunt, non minorem, imò & majorem infidelitatem committunt, quàm qui pecuniam ab amico ſuſcipiens, ut ipſi bonum Œconomum quærat, ſcienter, & voluntariè ſpreto magis idoneo minùs idoneum ſeligit. Deinde ſicut nullus abſque gravi peccato Beneficium, etiam ſimplex expetere poteſt principaliter propter temporale commodum, non propter Eccleſiæ utilitatem, ita nec illud cuilibet conferre. Sed qui in conferendo Beneficio ſimplici minùs dignum digniori præfert, principaliter ut patet, Eccleſiæ utilitatem non intendit; Ergo graviter peccat.

Adnotatio 25.

(*)

Supradicta omnia ſerio perpendere debent omnes illi, quibus Eccleſiaſtica Beneficia conferre convenit, vel præſentare ad ipſa, cum facillimum ſit in his caſibus Carni, & Sanguini indulgere. Multoties enim ad Conſanguineorum favorem, vel Amicorum preces Indigni, vel ſaltem minus Digni Dignioribus præferuntur; & ſic graviter contra Canones peccatur. En Propoſitionem damnatam ab Authore citatam. Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint ab Eccleſias promovent, Concilium vel primò, videtur per hoc *Digniores* non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto Comparativo pro Poſitivo: vel ſecundò, locutione minus propria ponit digniores ut excludat indignos, non vero Dignos: vel tandem loquitur tertio, quando ſit concurſus.

(*)

Dixi in concluſione eos etiam læthaliter peccare, qui ad Beneficia minùs dignos promoveri curant; quia ut per ſe patet, Collatores ad peccatum inducunt, eorumque peccatis directè communicant, carni, & ſanguini, & amicitiæ mundanæ in grave Eccleſiæ detrimentum iniquè indulgent, magiſque parentes, & amicos, quàm ipſammet Chriſti Domini Sponſam, cujus profectò in re magni momenti utilitatem non quærunt, diligere convincuntur; cùm Eccleſiæ utilitati plurimùm interſit, ut digniores, qui in ea majorem fructum facere poſſunt, ad Beneficia ejus, etiam ſimplicia, promoveantur.

Adnotatio 26.

(*)

De iis, quibus conferenda ſunt Beneficia, ad eos, quibus conferri nec debent, nec poſſunt gradum, occaſione arrepta, facientes, nonnulla Poſtulata, eorumque reſolutiones ſubnectimus, quæ rem, de qua agimus, illuſtrare valebunt. Notæ ſunt ſacrorum canonum ſanctiones, quibus ab Eccleſiæ Ordinibus, & ab Eccleſiaſticis Beneficiis arcentur quicumque illegitimos natales ſortiti ſunt Inter illegitimos, contra quos canonicas leges primitus ſancitas invenimus, illi recenſentur, qui ſacrilege ab Eccleſiaſticis fuerunt progeniti, a quibus poſtea ad quoſcumque de illegitimo concubitu natos temporis progreſſu extenſæ fuerunt. Tridentini Patres ad Eccleſiaſticæ diciplinæ reformationem ſpecialiter intenti, ſic ſtatuerunt de primis ſeſſ. 25. Cap. 15. de Reform. Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo conſecratis, quos maxime puritas, ſanctiraſque decet, longiſſime arceatur, non liceat Filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio, in Eccleſiis, ubi eorum Patres Beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam diſſimile Beneficium obtinere, nec in dictis Eccleſiis quoquomodo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus Beneficiorum, quæ Parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. *Ex hoc Concilii Decreto plura variis temporibus dubia inſurrexerunt, quæ in cauſa fuerunt Epiſcopis, ut pro reſolutionibus ad S. Concilii Congreg. recurſum haberent. Unus ex iſtis fuit Epiſcopus* Oritanus, *qui quæſivit num Filius illegitimus Parochi jam defuncti, Confeſſarii munus obire poſſet in ea Eccleſia, quæ a Patre adminiſtrata fuit? cui negativa reddita fuit reſponſio. Poſtulatum, atque reſcriptum datum 4. Julii 1648. invenitur in Lib. 18. Decret. pag. 492. atergo his verbis:*

Quæ-

Quæritur an Filius illegitimus Parochi jam
defuncti poſſit audire Confeſſiones in Eccleſia,
in qua Pater fuit Parochus, vel ſaltem ſit lo-
cus diſpenſationi? S. Congreg. &c. reſpondit,
non poſſe. *Epiſcopus* Calaguritanus an. 1585.
*petiit an illegitimus Filius poſſet obtinere Cap-
pellaniam amovibilem in ea Eccleſia, in qua ejus
Pater Capellanus pariter amovibilis fuiſſet? &
affirmative reſcriptum fuit:* S. Congreg. &c. cen-
ſuit, Oratorem non prohiberi per Decretum
Concilii ſeſſ. 25. cap. 15. quominus tamquam
Cappellauus ad nutum pariter amovibilis poſ-
ſit inſervire eidem Eccleſiæ, cui itidem ut
Cappellanus Pater olim ſuus inſervierit *lib.* 4.
Decret. p. 40. *Aſt ſingulare fuit reſcriptum datum
Epiſcopo Oſtunenſi, ſic exponitur a* Benedicto XIV.
Lib. 13. *cap.* 25. *n.* 14. *de Syn.* " *Quidam di-*
„ *gnitatem obtinens in Oſtunenſi Eccleſia ſuſce-*
„ *perat Filium illegitimum, qui cum Apoſtolico*
„ *indulto ad ſacros, etiam Presbiteratus, Ordines*
„ *ſuſcipiendos, & ad Sacrificium celebrandum,*
„ *tam ſuperſtite Patre, quam eo defuncto, habi-*
„ *litatus fuiſſet ſemper in Cathedrali Eccleſia*
„ *Sacrum fecerat, ideoque ex quadam inibi vigen-*
„ *te conſuetudine contendebat ſe fieri debere par-*
„ *ticipem nonnullorum proventuum, & emolu-*
„ *mentorum, quæ Sacerdotibus eidem Eccleſiæ*
„ *inſervientibus, poſt certum ſervitii tempus præ-*
„ *ſtari conſueverant. Propoſito itaque, ac diſcuſ-*
„ *ſo dubio, reſponſum fuit prætenſum jus ne-*
„ *quaquam competere Filio illegitimo, nec poſſe*
„ *hunc ad ejuſmodi participationem admitti* „
Sed cur, dicet aliquis, excludere Clericum Oſtu-
nenſem *a participatione proventuum, qui alio-
quin ipſi ex longo præſtito ſervitio debebantur, cum*
Calaguritanus *a proventu Cappellaniæ excluſus
non fuiſſet?* " *Hoc, ait Benedict. loc. cit. inter-*
„ *cedit diſcriminis inter ſuperiorem facti ſpeciem*
„ *a Calaguritano Epiſcopo propoſitam, & hanc,*
„ *de qua loquimur, quod juxta illa, Pater Be-*
„ *neficium proprie dictum in ea Eccleſia, non ob-*
„ *tinuerat; Concilium autem de caſu loquitur,*
„ *quo Pater Filii illegitimi Eccleſiaſticum Bene-*
„ *ficium in eadem Eccleſia poſſederit:* ubi eo-
„ rum Patres Beneficium aliquod Eccleſiaſti-
„ cum habent, vel habuerunt: *in caſu vero*
„ *Oſtunenſis Presbiteri, pater verum in Eccleſia*
„ *obtinuerat Beneficium, quo poſito vetat S. Sy-*
„ *nodus quoquomodo miniſtrare in Eccleſia ubi*
„ *Pater Beneficium Eccleſiaſticum habet, habuit-*
„ *ve:* „ *Reſcriptum iſtud legitur in Regeſtis Con-
greg. ad diem* 15. *Aprilis* 1684.

*De poſtulatis pertinentibus ad Filios, ad po-
ſtulata Patres ſpectantia tranſeuntes, ſequentia
addimus ex eodem* Benedicto *ibid. n.* 15. *ex-
cepta.* " *Quæſitum olim fuit, an poſſit Pater*
„ *conſequi Beneficium a Filio dimiſſum: quo-*
„ *niam cautum eſt quidem, ne Filio liceat ob-*
„ *tinere Beneficium, quod Pater poſſedit; at*
„ *nullibi ſtatutum reperitur, Patrem repelli de-*
„ *bere a conſecutione Beneficii, quod habuit Fi-*
„ *lius. Si ſermo ſit de filio legitimo non poteſt*
„ *is conſequi Beneficium a Patre præhabitum,*
„ *ne in Beneficiis deferendis ſpecies hæreditariæ*
„ *ſucceſſionis inducatur: at non prohibetur Pa-*
„ *ter obtinere beneficium, quod filius antea ha-*
„ *buerat, cum hic ceſſet memorata ſpecies hæ-*
„ *reditariæ ſucceſſionis; quandoquidem juxta uſi-*
„ *tatum naturæ ordinem, filius ſolet eſſe hæres*
„ *Patri non Pater Filio. Adnotata reperitur huju-*
„ *ſce quæſtionis reſolutio Lib.* 9. *Decret. pag.* 87.
„ S Congreg. &c. re diligenter examinata cen-
„ ſuit, quamvis Filius legitimus prohibeatur
„ immediate obtinere Eccleſiam Patris; non
„ tamen Patrem prohiberi etiam immediate
„ obtinere Eccleſiam Filii. *Quod autem defi-*
„ *nitum eſt de Patre legitimo, ipſum videli-*
„ *cet, conſequi poſſe Beneficium, quod ejuſdem*
„ *Filius legitimus proxime poſſedit, locum quo-*
„ *que habet quoad Patrem Filiis illegitimi: po-*
„ *teſt quippe ipſi deferri Beneficium, quod præ-*
„ *memoratus ejuſdem Filius illegitimus proxime ob-*
„ *tinuit, tum quia & ab hoc caſu procul abeſt*
„ *ſpecies hæreditariæ ſucceſſionis; tum quia pa-*
„ *ternæ incontinentiæ memoria revocatur, ſi Fi-*
„ *lius Patri, non ita ſi pater Filio ſuccedat ...*
„ *Conſona quoque eſt Congregationis Reſolutio,*
„ *relata lib.* 13. *Decret. pag.* 567. Dubitatur
„ an Pater poſſit immediate obtinere Benefi-
„ cium Filii illegitimi defuncti, quod eſt de
„ jure patronatus Laicorum? *Die* 2. *Decemb.*
„ 1628. S. Congreg. &c. cenſuit Patrem legi-
„ timum poſſe utique abſque diſpenſatione
„ obtinere immediate Beneficium Filii illegi-
„ timi „ *Jam intelligis quod ſi aliquando ille-
gitimus Sacerdos poſſidet Beneficium aliquod, hoc
fit ex ſpeciali Apoſtolica diſpenſatione. Concil.
enim Trid. declaravit ſeſſ.* 25. *cap. final. quod
omnia, & ſingula, ſub quibuſcumque Clauſulis,
& verbis, quæ de morum reformatione, atque
Eccleſiaſtica diſciplina in eo ſtatuta fuerunt, ita
ſtatuta, & decreta intelligi debere,* ut in his
ſalva ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ, &
ſit, & eſſe intelligatur. *Plura, ſi cupis cit. loc.
conſule.*

(*)

ARTICULUS IV.

De Bonorum Eccleſiaſticorum uſu, & dominio.

Not. VOce concordi conſentiunt omnes
tum veteres, tum recentiores
Theologi, Beneficiariorum redditus poſt ho-
neſtam eorum ſuſtentationem ſuperfluos, in
pios uſus expendendos eſſe, graviſſimoque
eos obſtringi peccato, qui Bona Eccleſiaſti-
ca in ludos, convivia, alioſque uſus profa-
nos dilapidant, aut parentibus ſuis, & ami-
cis, affectu carnali diſtribuunt. Sed quo ju-
re ad id teneantur; an ex præcepto Eccle-
ſiæ,

Digitized by Google

ſiæ, quæ ſtrictiſſimè mandat hos redditus in pios uſus fideliter expendi; an ex juſtitia, utpote Bonorum Eccleſiaſticorum non Domini, ſed ſimpliciter Œconomi, & adminiſtrarores, controverſia eſt inter recentiores Theologos; circa quam.

Dico. Cum venerabili antiquitate, Beneficiarios reddituum ſuorum ſimplices eſſe Adminiſtratores, non Dominos; ideoque ex juſtitia teneri honeſtæ ſuſtentationi ſuæ ſupereffluentes, in pios uſus expendere.

Prob. Auctoritate Summorum Pontificum. 1. S. Gregorius Papa lib. 11. Epiſt. 21. ad Julian. ait: *Conſtat non noſtras, ſed ad diſpenſandum res pauperum habere . . . . . Diſpenſationis locum in rebus, ſicut ſcitis, pauperum tenemus.* 2. S. Leo Epiſt. ad Auxim. *Abſtineat manus audax ab Eccleſiaſtico patrimonio, nè victus pauperum pereat, nè quod ex oblatione Fidelium jam Deo factum eſt ſacrificium, præda raptorum fiat.* 3. Alexand. III. *Cap. Fraternitatem* de Donationibus. *Epiſcopus, & quilibet Prælatus rerum Eccleſiaſticarum Procurator eſt, non Dominus.*

Prob. Auctor. Conciliorum I. Nicœnum Gener. II. an. 787. Can. 12. *Non liceat autem Epiſcopo defraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare, quæ Dei ſunt.* 2. Turon. 3. an. 813. Can. 10. *Rebus Eccleſiæ ita utantur, non ut propriis, ſed ut ſibi ad diſpenſandum commiſſis.* Rhedon. an. 1273. Can. 1. *Quidquid habent Clerici pauperum eſt.* 4. Aquenſ. ann. 1585. tit. de Monaſteriis *Commendatarii non exiſtiment ſibi mandatum Monaſterii regimen ad luxum, & prodigalitatem, aut ad augendam rem ſuam, & conſanguineorum familiam, ſed ad piam, & juſtam alienarum rerum diſpenſationem, & quarum non habent proprietatem.* Idem habent Rotomag. Burdigal. &c.

Prob. Ex SS. Patribus. 1. D. Ambr. Ep. 31. ad Valent. *Nihil Eccleſia ſibi, niſi fidem poſſidet, hos redditus præbet, hos fructus: poſſeſſio Eccleſiæ ſumptus eſt egenorum.* 2. S. Aug. Epiſt. 50. ad Bonif. *Si privatim, quæ nobis ſufficiant, poſſidemus, non ſunt illa noſtra; ſed Pauperum quorum procurationem quodam modo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus,* S. Bernard. in declam. in hæc verba: Ecce nos reliquimus omnia. *Sanè Patrimonia pauperum facultates ſunt Eccleſiarum; & ſacrilega iis crudelitate ſubripetur quidquid ſibi Miniſtri, & Diſpenſatores, non utique Domini, & poſſeſſores, ultra victum accipiunt, & veſtitum.* 4. D. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 1. ad 7. *Quamvis res Eccleſiæ ſint Papæ, ut principalis diſpenſatoris, non tamen ſunt ejus ut Domini, & poſſeſſoris*, & Quodl. 6. art. 12. in corp. *Bonorum verò Eccleſiaſticorum Clerici non ſunt veri Domini, ſed diſpenſatores.* 5. S. Raym. lib. 2. tit. 5. de rapt. & præd. §. 6. *Prælatos, & Clericos, qui res Eccleſiæ turpibus perſonis conferunt, vel etiam conſanguineis, non propter naturam ſuſtentandam, ſed ut faciant eos divites de patrimonio Chriſti . . . . tales*, inquam, *Prælatos, & Clericos, qui talibus conferunt bona Eccleſiaſtica pauperibus debita, dico eſſe raptores, & per conſequens teneri ad reſtitutionem omnium.* Idem habet D. Antonin. 3. part. tit. 15. §. 19. c. 1.

Prob. Ratione multiplici. 1. Beneficiarii bonorum Beneficiis ſuis affectatorum proprietatem habere non poſſunt, niſi vel per Fundatorum donationem, aut Eccleſiæ conceſſionem; Atqui Fundatores hæc bona Beneficiariis non dederunt, ſed ſoli Deo, & Eccleſiæ; & ipſamet Eccleſia, quæ ſemper Beneficiarios vocat Œconomos, atque Diſpenſatores; nunquam autem Dominos, hanc proprietatem ipſis contulit; Ergo ex nullo titulo eam habent. 2. Quæ Deo conſecrata ſunt atque dicata, non poſſunt utique abſque injuſtitia, & ſacrilegio ad profanos uſus converti; ſed Beneficiorum bona Deo fuerunt conſecrata, atque dicata: Ergo. 3. Omnia Eccleſiæ bona, tam antiqua, quàm nova, ejuſdem profectò ſunt naturæ; cùm omnia propter eumdem finem Deo fuerint oblata; Atqui certum eſt ut fatentur etiam Adverſarii, antiquitùs; id eſt in primævis Eccleſiæ ſæculis, ante titulorum Beneficiorum erectionem, Epiſcopos alioſque Eccleſiaſticos horum bonorum proprietatem non habuiſſe; ſed ſimplices fuiſſe eorum Œconomos, atque Diſpenſatores; Ergo nec nunc temporis eam habent, cùm titulorum erectio horum bonorum naturam non mutaverit, aut mutare potuerit. Unde D. Thom. huic objectioni reſpondens in Epiſtol. 2. ad Cor. cap. 12. Lect. 5. *Videtur quòd malefecerint Principes, & alii, dando divitias Prælatis*: Sic ait; *Dicendum eſt quòd non dederunt Prælatis propter ſe, ſed propter pauperes: & ideò non dederunt eis, ſed pauperibus; Prælatis autem dantur tanquam pauperum Diſpenſatoribus.*

A D-

Digitized by Google

Adnotatio 27.

(*)

Benedictus *XIV. in toties citato, atque citando Opere* de Synodo *lib. 7. cap. 2. hac de re doctiſſimè diſſerit. Et primò quidem ſtatuit, tamquam certiſſimum, quod omnes Clerici Beneficiarii diſtrictè teneantur redditus* “ *quos ultra ſui honeſtam ſuſtentationem ab Eccleſia percipiunt, diſtribuere in pauperes, aliave pia Opera erogare, nec poſſe abſque gravi peccato in convivia, ludos, venationes, & ſimiles prophanos uſus impendere, aut Conſanguineis elargiri, niſi tanquam pauperibus, ſi verè pauperes ſint, & tunc ut minus egeant, non ut diteſcant* „. *Unde autem gravis hæc obligatio oriatur, hoc eſt, de quo adhuc acriter diſceptatur.* “ *Plerique, ait ipſe, præcipue ex antiquioribus, eam oriri arbitrantur ex ſtricta juſtitia. Docent ſiquidem, Clericos, meros eſſe adminiſtratores, non autem Dominos Eccleſiaſticorum proventuum, qui honeſtæ ipſorum ſuſtentationi ſuperſunt; ac proinde eos impendentes in uſus prophanos, tamquam reos violatæ juſtitiæ, obligant ad reſtitutionem, aut Eccleſiæ, aut pauperibus faciendam . . . Alii ex adverſo, attribuentes Clericis verum dominium etiam ſuperfluorum redditutum, quos ab Eccleſia percipiunt, exiſtimant gravem obligationem illos erogandi in pauperes, aliiſque piis Operibus applicandi non oriri ex ſtricta juſtitia, ſed vel ex lege charitatis, & miſericordiæ . . . vel ex poſitivo præcepto Eccleſiæ: quamobrem prædictos redditus elargientes Conſanguineis, aliave ratione diſſipantes, a gravi quidem culpa non excuſant, ſed a reſtitutionis Onere abſolvunt.* „

Poſitis duabus oppoſitis ſententiis, atque fundamentis illas reſpectivè convalidantibus enumeratis, a propria ferenda abſtinet Pontifex; monens inſuper Epiſcopos, ut in Synodo pariter abſtineant a quæſtione decidenda, ſuoque calculo adjiciendo alteri ex controverſis inter Catholicos opinionibus. *Prudenter hanc œconomiam hauſiſſe fatetur a Patribus Tridentinis, qui hanc controverſiam indeciſam relinquere voluerunt. En Sapientiſſimi Pontificis verba.* “ *In hoc autem propoſito nos obfirmant Patres Concilii Tridentini. Scimus enim enunciatum Decretum* “ (*ipſius meminerat paulo ante*) „ *ſeſſ. 25. cap. 1. de Reform., quo interdicitur Epiſcopis, ne ex redditibus Eccleſiæ, conſanguineos, familiareſque ſuos augere ſtudeant, ita prius fuiſſe efformatum, ut ejuſmodi prohibitionis hæc ibidem adduceretur ratio, videlicet, quia* Eccleſiaſticorum proventuum diſpenſatores tantum ſunt: *& tamen hæc poſtrema verba in generali Congregatione, habita die 23. Novembris 1563. viſa ſunt Patribus expungenda, & reipſa expuncta ſunt . . . . Quocirca, ſi Concilii Tridentini Patres noluerunt quæſtionem attingere inter Catholicos exagitatam, jure meritoque nos conſulendum duximus Epiſcopis, ne illam in ſuis Synodis definiant, aut tamquam definitam aſſumant* „. *His omnibus poſitis, ſic tandem Pontifex concludit n. 14.* “ *Urgeant ipſi* [*Epiſcopi, & inculcent ſuis Clericis, ex Eccleſiæ ſtipendiis victitantibus, gravem obligationem, quam habent elargiendi pauperibus, aliiſque piis uſibus applicandi ſibi redundantes Eccleſiaſticos redditus; ſed adhuc latentem hujus obligationis originem, non inveſtigare: ut enim ajebat Cardin.* Bellarminus *in Epiſt. ad Theanum Epiſcopum, Nepotem ſuum, parum refert determinare unde illud proveniat obligationis vinculum, quo cæteroquin omnes Beneficiarii obſtringi indubitanter ſcimus:* Non diſputo (*inquit* Bellarmin. quæſtionem illam an Prelati ſint verè Domini reddituum Eccleſiaſticorum, & an teneantur reſtituere, quæ male expenderunt. Parum enim refert, utrum Prælatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra juſtitiam, aut quia peccavit contra charitatem, non bene diſtribuendo facultates ſuas. Solùm quæro in quos uſus debeat expendere ſuas Eccleſiaſticas facultates, ut non amittat vitam æternam. „

(*)

Obj. 1. Omnes Beneficiarii tam de bonis Eccleſiaſticis à ſe poſſeſſis, quàm de quibuslibet aliis, in favorem propinquorum, & amicorum ſuorum teſtamentum facere poſſunt, & dum ab inteſtato moriuntur, parentes eorum in omnibus ipſorum bonis, etiam ab Eccleſia perceptis, legitimè ſuccedunt; cùm uſus iſte communiter introductus nedùm ab Eccleſia non contradicatur, ſed & legibus civilibus publicè confirmetur: Ergo ſignum eſt Beneficiarios bonorum Eccleſiaſticorum veros eſſe Dominos.

℟. Eccleſiam non permittere, ſed tantummodò tolerare hunc abuſum, quem abſque gravi incommodo emendare non poſſet. Nec enim ejus doctrina in his quæ fidem aut mores ſpectant, mutationi eſt obnoxia: Ideò cum ſæpe definierit Bona Deo oblata Beneficiariis non eſſe propria, evidens eſt uſum huic veritati contrarium nec approbaſſe, nec approbare unquam voluiſſe, imò & potuiſſe. Quoad leges civiles, dicendum eſt ſimilia teſtamenta aut ſucceſſiones ipſas non firmare, niſi ad majus malum vitandum, lites videlicet innumeras, quæ in Beneficiariorum bonorum diſcuſſione facienda orirentur, totum de reliquo relinquentes Beneficiariorum, aut eorum hæredum conſcientiæ.

Obj. 2. Concil. Tridentinum ſtatuit ſeſſ. 24.

de Reform. Beneficiarios munus ſuum non implentes, fructus ſuos non facere; Ergo fructus faciunt, eorumque ſunt veri Domini, dum illud ritè obeunt.

℞. Concilium Tridentinum aliis Conciliis, imò nec ſibimet, eſſe contrarium; cùm verbis expreſſis Clericis *omninò interdicat*, ſeſſ. 25. de Reform. c. 1. *Nè ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant*; *cùm*, inquit, *& Apoſtolorum Canones prohibeant nè res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent*. Unde per hæc verba *faciunt fructus ſuos*, non eſt intelligenda vera proprietas, ſed tantummodò legitima facultas percipiendi, atque adminiſtrandi redditus Eccleſiaſticos ad ſuam propriam ſuſtentationem, & pauperum levamen. Ex his.

Reſol. 1. Beneficiarios, qui bona Eccleſiaſtica in uſus vanos, & profanos conſumpſerunt, non ſolùm mortaliter peccaſſe; ſed & ad reſtitutionem pauperibus faciendam ex bonis, ſi quæ habent, patrimonialibus ſtrictiſſimè teneri. Quòd ſi patrimonialia non habeant, ſumptibus ſuis honeſtis, & ordinariis parcere tenentur, ut eam facere poſſint.

Reſol. 2. Beneficiariorum hæreditatem nullus abſque peccato mortali, & injuſtitia, ſuſcipere poteſt ac retinere, niſi cum onere pauperibus diſtribuendi, & in pios uſus expendendi omnia, quæ certo novit ex Beneficio à defuncto fuiſſe comparata.

Reſol 3. Clericus, qui nullos alios redditus habet quàm Beneficii ſui, abſque gravi peccato ſummam notabilem ludo committere non poteſt; & qui eam lucrifecit, ejus non acquiſivit dominium, teneturque eam totaliter reſtituere, non quidem ſecum ludenti Beneficiario, ſed pauperibus. Ita definitum eſt in Concil. Rhemen. an. 1583. tit. 18. de Clericis in Gen. n. 6. his verbis. *Ab omni ludorum genere, Eccleſiaſticis perſonis interdicto, & indecoro prorſus abſtineant . . . . Quod ſi cum injuria Ordinis Eccleſiaſtici deinceps quiſquam Eccleſiæ bona, quibus pauperes ali oportuit, in hujuſmodi luſus profudiſſe convictus ſit; & qui quæſtum fecit, rem pauperum malè partam reſtituere, & qui jacturam paſſus eſt, tamquam ſacri patrimonii dilapidator, graves pœnas exſolvere cogatur.*

QUÆR. 1. An Beneficiarii cuipiam quotidie de expenſis, ſtatui ſuo rationabiliter competentibus parcentes, hujuſmodi parcimonias parentibus ſuis, aut amicis legitimè conferre poſſint?

℞. Nequaquàm. 1. Quia experientia conſtat, Beneficiarios hujuſmodi parcimonias facientes, nihil omninò de his, quæ ſibi verè, & ſecundùm Deum ſunt neceſſaria, unquàm minuere. 2. Quia iſtæ parcimoniæ, quoquomodò fuerint factæ, ſemper ſunt bona Eccleſiæ quæ, ut talia ex natura ſua, non niſi in pios uſus abſque injuſtitia poſſunt expendi. 3. Quia Canones omnes, Pontifices, & SS Patres, Clericis diſtrictè prohibent, nè ex bonis Eccleſiæ, nulla exceptione facta eorum, quæ ſordidis parcimoniis ſæpius congerunt; propinquos ſuos ditare cogitent.

Dixi *Ditare*: Nec enim Beneficiariis illicitum eſt, ſed potiùs laudabile, parentum ſuorum nedùm egenorum; ſed & minùs commodè viventium, neceſſitatibus ſubvenire; ſi metus ſit nè alicujus auxilii defectu ab honeſta ſua conditione brevi decidant. Imò nec damnandi ſunt, qui amicos ſuos, vicinos, aut benefactores modeſtis conviviis, aut munuſculis afficiant, & ſervorum ſuorum fidelitatem, ac ſtudium aliqua mercede remunerent. Hæc enim, & ſimilia coram Deo ſunt accepta, nec ſpiritui Benignæ Matris Eccleſiæ ſunt contraria.

ADNOTATIO 28.
(*)

D. Thomas *quoad ſupradicta bona, ut ajunt, Parcimonialia Beneficiariorum in contrariam abire videtur ſententiam*. Bona, *inquit ipſe*, Eccleſiarum non ſunt ſolum expendenda in uſus Pauperum, ſed etiam in alios uſus. Et ideo ſi de eo, quod uſui Epiſcopi, vel alicujus Clerici eſt deputatum, velit aliquis ſibi ſubtrahere, & conſanguineis ſuis, vel aliis dare, non peccat dummodo illud faciat moderatè ideſt, ut non indigeant, non autem ut dites inde fiant (2. 2. q. 175. a. 7. ad 2.) *In re tamen Authoris noſtri ſententia non multum diſcrepat ab Angelici Præceptoris doctrina. Cum enim fateatur non eſſe* damnandos qui Amicos ſuos, vicinos, aut Benefactores modeſtis conviviis, aut munuſculis afficiunt, *jam patet, cum D.* Thoma, *ſi non in verbo, ſaltem in ſenſu concordare. Aſſerit D.* Thomas *non peccare eos Epiſcopos, aut Clericos, qui ex bonis proprio uſui deputatis aliquid donant Conſanguineis ſuis, aut aliis, dummodo hoc* moderatè faciant. *Aſſerit quoque Author, non eſſe damnandos eos Beneficiarios, qui ex talibus bonis, conviviis, aut munuſculis Amicos afficiunt, vicinos, aut Benefactores: quod idem eſt ac dicere: qui ex talibus bonis aliquid elargiuntur Amicis, aut Vicinis. In talium bonorum diſpenſatione exigit S. Doctor moderationem, improbat per conſequens eos, qui ex talibus bonis ditare*

vellent

Digitized by Google

vellent Conſanguineos, aut alios. Hoc improbat etiam, & damnat quoque Author noſter. In re ergo, ſi non totaliter in verbo Author ipſe cum D. Thoma *concordat.*

(*)

QUÆR. 2. Utrùm Beneficiarii ex patrimonio divites, de Beneficiorum ſuorum redditibus licitè vivere poſſint?

℞. Affirmativè; quod probatur, 1. Ex D. Paulo, 1. Cor. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquàm? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem & de lacte gregis non manducat* . . . *Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt* . . . . *ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Quibus verbis oſtendit Apoſtolus ad jus non ſolum divinum, ſed & naturale ſpectare, ut Eccleſiæ Miniſtri è bonis Eccleſiæ honeſtam ſuam ſuſtentationem ſuſcipiant, ſive divites ſint, ſive pauperes, cùm inter eos non diſtinguat; & *ubi lex non diſtinguit; nec nos diſtinguere debeamus.* Adde quòd Apoſtolus de ſeipſo, & D. Barnaba ſermonem faciat, qui ex labore manuum ſuarum, ſicut divites ex redditibus ſuis, victum ſibi comparare poterant, & comparabant abſque ullo Evangelicæ prædicationis præjudicio.

2. *Prob.* Ex variis Conciliorum Decretis, quorum unum hìc proferre ſufficiat. Nimirum Agathen. Can. 36. *Clerici omnes*, id eſt abſque diſtinctione, aut exceptione, *qui Eccleſiæ fideliter vigilanterque deſerviunt, ſtipendia laboribus debita ſ[e]cundum ſervitii ſui meritum, vel ordinationem Canonum à Sacerdotibus*; id eſt Epiſcopis, *conſequantur.* Quod confirmatur ex plurimis Canonibus permittentibus, ut Clerici propria ſua bona quibus voluerint, derelinquant.

3. *Prob.* Auct. D. Th. qui textum quemdam D. Hieronymi exponens 2. 2. q. 185. a. 7. ad 8. docet hunc textum intelligendum eſſe de graviſſima pauperum neceſſitate. *Dicendum*, inquit, *quòd non omnia bona Eccleſiarum ſunt pauperibus diſtribuenda, niſi fortè in articulo neceſſitatis; in quo etiam Captivorum redemptione* . . . *In tali neceſſitate peccaret Clericus, ſi vellet de rebus Eccleſiaſticis vivere, dummodo haberet patrimonialia bona de quibus vivere poſſet.* Cæteris probationibus brevitatis gratia ſuperſedemus, cùm hæc noſtra opinio pauciſſimos habeat impugnatores.

QUÆR. 3. Utrùm Clerici, ſive Beneficiarii, ſive non, bonorum quæ comparaverunt Officiis Eccleſiaſticis particularibus, v. gr. Precibus exſequialibus, Miſſis, Concionibus, aut manualibus, & quotidianis diſtributionibus, veri ſint Domini, & de his pro libitu diſponere poſſint.

℞. Cum D. Anton. Sum. Theol. p. 2. c. 1. §. fin. & aliis Doctoribus communiter, Clericos horum bonorum proprietatem habere. Ratio fundamentalis eſt, quia Fideles ipſam Clericis ſibi in divinis inſervientibus verè transferre intendunt. Accedit quòd hujuſmodi bona tamquàm fructus, & merces Clericorum laboribus debita, à quibus legitimè fraudari non poſſunt, ſint habenda.

QUÆR. 4. Utrùm Beneficiarii ad Eccleſiarum ſuarum inſtaurationem, & ornatum teneantur?

℞. Beneficiarios omnem curam ſuam, imò & expenſas, pro rata ſua parte ad id impendere ſtrictiſſimè teneri, juxta Alex. III. in cap. de his tit. *de Eccleſ. ædificandis, & reparandis*, & ſecundùm leges, & uſus in Regno receptos. Æquum enim, & juſtum eſt, ut qui bona Eccleſiæ poſſident, ad ejus inſtaurationem, & ornatum ſaltem ſibi ſuperflua conferant. Unde Beneficiarii, qui ea de re non curant, à mortali excuſari non poſſunt. Idem dicendum eſt de Parochis aliiſve Sacerdotibus, qui decorem Domus Dei parvipendentes templa, altaria, calices, aliaque vaſa, & linteamina ſacra, &c. terſa, nitida, & munda, conſervare notabiliter negligunt.

ARTICULUS V.

De Beneficiorum pluralitate.

Not. Licèt primitùs nullus duplex Beneficium obtinere poſſet; uſus tamen, qui vim legis habet, nunc temporis invaluit, ut compatibila Beneficia ab incompatibilibus diſtinguerentur. Duplex eſt autem Beneficiorum incompatibilitas, alia Juridica, alia Theologica. Juridica dicitur, quæ jure poſitivo diſtrictè inhibetur. Theologica, quæ licèt nunc temporis ab hoc jure non prohibeatur, juri tamen naturali, & divino contraria eſſe poteſt. Rurſus duplex eſt genus incompatibilitatis Juridicæ: Primum genus eorum eſt Beneficiorum, quorum uno poſſeſſo alterum vacat ipſo facto abſque ulteriori ſententia Judicis, qui illud vacans pronuntiet. Tales ſunt, 1. Duæ Parœciæ. 2. Duæ in nonnullis Capitulis Dignitates, vel Dignitas Capituli cum Officio, vel Parœcia cum di-

dignitate Capituli. 3. Duo Beneficia ſub eodem tecto uniformia, duo Canonicatus, duæ Præbendæ. Secundum genus eſt eorum Beneficiorum, quorum uno poſſeſſo alterum vacat tantummodò ipſo jure; ita ut Beneficiarius ante declaratoriam Judicis ſententiam illud adhuc reſignare poſſit. Tales ſunt. 1. Duo Canonicatus, aut Præbendæ in diverſis Capitulis. 2. Canicatus, & Præbenda unius Capituli cum dignitate, aut officio alterius. Utriuſque generis Beneficia incompatibilia, abſque culpa Theologica, & gravi peccato, poſſideri quidem non poſſe ultiò fatentur omnes Theologi; ſed quæſtio eſt de Beneficiis compatibilibus, ad quam ſolvendam.

Dico. Illicitum eſt omnino, abſque juſta cauſa, plura ſimul poſſidere Beneficia, etia compatibilia; & ſimplicia.

Prob. Ex innumeris propemodum Conciliorum Decretis, & Pontificum, ac Sanctorum Patrum Oraculis, quorum textus varios, cùm ſingillatim referendi, nec ſpatium, nec otium vacet, eorum rationes hic breviter congerere ſufficiat.

1. Quia Eccleſiaſticus Ordo pervertitur, quandò unus plurium Officia occupat Clericorum. Ita Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 17. de Refor. 2. Quia beneficiorum pluralitas diſſolutionis, & vacationis materiam inducit, & certum continet periculum animarum. Ita Conc. Later. 3. Can. 14. 3. Quia plura poſſidere Beneficia, negotiationis eſt & turpis lucri proprium, & Eccleſiaſtica conſuetudine prorsùs alienum. Ita Conc. Nic. II. Can. 15. à Grat. relatum, C. *Clericus* 21. q. 1. 4. Quia æquitati naturali & juſtitiæ diſtributivæ graviſſimè repugnat, quòd unus pluribus Beneficiis abundet; dum alius nec unum habere poteſt. Ita Joan. XXII. Extrav. *Execrabilis*, & D. Thom. Quodl. 9. art. 15. 5. Quia fraudatur voluntas Fundatorum, qui ad hoc aliqua bona Eccleſiis contulerunt, ut certus numerus deſervientium ibi eſſet. Ita ſupradictus Pontifex & Doctor. 6. Quia Beneficiorum pluralitate minuitur Cultus Divinus. Ita D. Thom. mox citat. 7. Quia vivi atque defuncti privantur injuſtè precibus, atque ſuffragiis, quæ multi Titulares Beneficiorum pro ipſis funderent. Quæ omnia graviſſima ſunt Peccata contra jus naturale poſitivum, Divinum, & Eccleſiaſticum. Hinc.

Reſol. Mortaliter peccare non ſolùm, qui abſque juſta cauſa plura poſſident Beneficia, ſed & qui ea conferunt, & conferri procurant.

QUÆR. 1. Quæ ſit juſta cauſa poſſidendi, aut conferendi plura Beneficia?

℞. Triplicem eſſe cauſam. 1. Beneficii poſſeſſi tenuitas, quandò ſcilicet ad honeſtam Beneficiarii ſuſtentationem non ſufficit, ut patet ex Trid. citato. *Quod quidem*, inquit, *ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominùs aliud ſimplex ſufficiens, dummodò utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri*, &c. 2. Eccleſiæ neceſſitas, dùm nempè non reperiuntur Clerici ad plura Beneficia conferenda idonei, quod ſanè rariſſimum eſt, imò & moraliter nunc temporis impoſſibile. 3. Ejuſdem Eccleſiæ utilitas notabilis. Sic *circa ſublimes, & litteratas perſonas*, inquit Concil. Later. IV. Can. 29. *quæ majoribus Beneficiis ſunt honorandæ, cùm ratio poſtulaverit, per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari*. Si nempè hæ ſublimes, ac litteratæ perſonæ, per hanc Beneficiorum pluralitatem, ad Eccleſiæ utilitatem plurimùm verè conferant, aut conferre poſſint.

Certum eſt enim ex D. Th. cit. cæteriſque paſſim Doctoribus, diſpenſationem Pontificiam abſque juſta cauſa obtentam, non eſse ſufficientem titulum, plura ſimul poſſidendi Beneficia. Unde *ſi aliquis*, inquit S. Doctor. *hac intentione plura habeat, ut ſit ditior, ut lautiùs vivat, & ut faciliùs ad Epiſcopatum perveniat, non tolluntur prædictæ deformitates* per diſpenſationem, *ſed augentur*. Ratio S. Doctoris eſt, *quòd diſpenſatio humana non aufert ligamen juris naturalis, ſed ſolùm ligamen juris poſitivi, quod per hominem ſtatuitur, & per hominem diſpenſari poteſt*.

Nec *ſufficiens eſt cauſa habendi hujuſmodi Beneficia plura*, inquit Dionyſ. Carthuſ. Tract. de plural. Benef. art. 12. *hoſpitalitatem ſervare, & eleemoſynam erogare; cùm ex hoc aliundè proveniant multa inconvenientia graviora*, mox enumerata, quæ per hanc cauſam nullatenus auferuntur. *Deus quoque non exigit ab aliquo hoſpitalitatem, & eleemoſynarum largitionem ultra vires ipſius, ſive ultra id quod ſibi de uno competenti Beneficio ſupereſt*.

ARTICULUS VI.

De Beneficiariorum Reſidentia.

Not. RESidentiam in duobus abſolutè neceſsariam ſitam eſse. 1. Quòd Beneficiarius in loco Beneficii ſui aſſiduè com-

commoretur, & corporaliter ſit præſens. Quòd Beneficii ſui munia per ſe ipſum, & perſonaliter expleat. Igitur.

Dico. Beneficiarii curam animarum habentes, & Præbendas, vel Canonicatus, vel Dignitates in Eccleſiis Cathedralibus, aut Collegiatis poſſidentes, ſub mortali tenentur in Beneficiorum ſuorum locis corporaliter reſidere, & eorum munia per ſeipſos perſonaliter explere.

Prob. Ex Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 1. de Reform. *Cùm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas cognoſcere, pro his Sacrificium offerre, verbiquè divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere . . . . . & cætera munia paſtoralia incumbere, quæ nequaquàm ab his præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed Mercenariorum more deſerunt; Sacroſancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate paſcant, & regant.* Ex quo patet ipſo jure divino naturali, non ſolùm Beneficiarios curatos ad reſidentiam teneri, ſed & per ſeipſos perſonaliter munia ſua explere, cùm reſidentia ipſis non præcipiatur, niſi propter officium ab ipſis perſonaliter debitum, juxta illud commune effatum: *Propter quod unum quodque tale, & illud magis.*

Confirm. Ex Concil. Ebroicen. an. 1576. *Cogitent Curati omnes ſe vivere in perpetuo mortali peccato, quandiu præceptum divinum non implent; Scimus in reſidentia Curatorum potiùs requiri perſonæ induſtriam, & diligentiam, quàm corporis in eodem loco deſidiam, & inertiam, atque inter reſidentes numerando potiùs qui abſentes corpore, ſpiritu, & aſſidua ſpeculatione gregi invigilant, quàm qui præſentes corpore ſeipſos paſcunt, potiùs quàm gregem cui ſcandalo ſunt.*

Deinde ipſamet dictat ratio, quòd quicumque emolumentum, ac mercedem pro Officio recipit, onus & ſuſcipiat, nec abſque rationabili cauſa in alium illud transferat. Munus enim perſonale perſonæ laborem, & induſtriam requirit, & qui illud ſemel ſuſcepit, ad illud perſonaliter obeundum ipſa ſua acceptatione ſeſe obligavit.

Quoad Canonicos alioſque Clericos, præbendas in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis poſſidentes, idem probatur, auctoritate ejuſdem Concilii Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. & iiſdem rationibus; cùm cæteris paribus eadem ſit erga ipſos, & æquè gravis obligatio.

Adnotatio 29.

[*]

Reſidentiæ onus graviſſimum eſſe, nemo eſt qui non agnoſcat, atque fateatur: an autem ſit de jure Divino, & naturali, ut Authori noſtro placet, vel potius de jure tantum Eccleſiaſtico, diſputant Theologi, *ait Benedictus XIV. lib. 7. c. 1. n. 2. de Syn.*, & adhuc ſub Judice lis eſt. *Sententiam tamen ſtantem pro jure naturali, & divino, ipſe quoque communiorem agnoſcit n. 6., his verbis*: ultro enim fatemur hanc ſententiam (*quod Reſidentia ſit de jure Divino*) communiorem eſſe, eique fere omnes calculum adjeciſſe, qui poſt Tridentinum ſcripſerunt, tam Theologos, quàm Canoniſtas &c. *Ipſe Pontifex Conſtitutionem inſuper evulgavit an. 1746. incip.* Ad univerſæ, *in qua leges jam antea ſancitæ de Reſidentia, confirmantur, & declarantur; ſimulque legitimæ cauſæ, Paſtores ab ipſa aliquando excuſantes, indicantur, & proponuntur. Vid. dict. Conſtitut. in Append. Hic tantum addere juvat, quod in Concilio Romano ſub* Benedicto XIII. *tit. 17. cap. 6. vetita Parochis fuit abſentia ultra biduum a propria Eccleſia, niſi accedat Epiſcopi licentia, & idonei Œconomi ſubſtitutio.*

[*]

QUÆR. 1. Quibus pœnis afficiantur Beneficiarii non reſidentes?

℞. Præter peccatum mortale, quod incurrunt ob præcepti Divini atque Eccleſiaſtici in materia gravi infractionem, privantur *ipſo facto* Beneficiorum ſuorum fructibus, pro rata parte abſentiæ ſuæ, eoſque reſtituere tenentur abſque ulteriori Judicis ſententia. Idem dicendum eſt de his qui per ſeipſos munia ſua non obeunt; cùm idem ſit, ut dictum eſt, inutiliter adeſſe & abeſſe. Deinde ad reſidentiam cogi poſſunt per totalem fructuum ſuorum ſubſtractionem, & Beneficiorum ſuorum privationem; juxta Trident. ſeſſ. 25. cap. 1.

QUÆR. 2. Quæ ſint cauſæ à reſidentia excuſantes?

℞. Juxta idem Concilium quatuor aſſignantur. 1. Eſt *Chriſtiana Charitas*; ut ſi aliqua Eccleſia in Hæreſis periculo verſaretur, & Epiſcopi, aut Parochi, aut Canonici prædicatione juvari poſſet; vel ſi pax inter perſonas illuſtres conciliandi eſſet, modò tamen eorum abſentia Eccleſiis propriis notabile detrimentum non inferat.

2. *Urgens neceſſitas*: Cùm nempè Beneficiarius reſidendo grave malum vitæ, vel

bono-

Digitized by Google

bonorum incurreret, aut propter morbum ſibi particularem, aut propter violentam perſecutionem ſibi perſonaliter factam; ita tamen ut ovium ſuarum detrimentum ſpirituale non immineat. Dixi, morbum ſibi particularem; nam morbus communis, ut peſtis, Parochum, & Epiſcopum nullatenus excuſat. Addidi violenta perſecutio ſibi perſonaliter facta, non autem generalis perſecutio gregis ſimul, & Paſtoris, quæ potiùs tales ad reſidentiam obligat quàm excuſat.

3. *Debita obedientia*: Si nempè Beneficiarii ad aliquod aliud Eccleſiaſticum negotium applicentur à Superioribus ſuis.

4. *Evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas*. Sic excuſantur Beneficiarii in Officiis Reip. publicis à Rege detenti: item Parochi Theologiam docentes, ſi nullus reperiatur idoneus: Item Canonici ſtudio Theologiæ ad quinquennium addicti, &c.

Ubi obſervandum eſt. 1. Beneficiarios, maximè Parochos, etiam ob juſtam cauſam abſque tamen Superiorum licentia abeſſe non poſſe, quam tamen, ſi petere negligant, ad reſtitutionem fructuum non tenentur, modò cauſa ſit evidenter juſta. 2. Canonicis ex Concilio Trident. mox cita to trium menſium, vel continuatè, vel interruptè, abſentiam indulgeri, ſine tamen præjudicio Eccleſiarum ſuarum; ſi nempè his novem menſium non ſufficeret ſervitium. 3. Nullum tempus abſentiæ Parochis concedi; Bimeſtre enim ab eodem Concilio ipſis conceſſum, forum duntaxat externum reſpicit, nec abſque juſta cauſa à Superiore probata, vel probanda eos in conſcientia excuſat. 4. Tempus abſentiæ in Parocho ad peccatum mortale ſufficiens facilè non aſſignatur. Dum aliquis Parochianus periculosè ægrotat, abſentia vel unius diei, ſubſtituto non relicto, haud dubiè mortalis eſt. Quòd ſi nullus graviter ægrotet, unius, aut alterius diei abſentia, etiam nullo ſubſtituto relicto, non videtur mortalis; benè quidem quatuor, aut quinque dierum abſentia; quæ ſi ad octavum, aut decimum diem protrahatur, videtur mortalis, etiam ſi ſubſtitutum relinquatur. Quoad Canonicos, & alios ad Chorum obligatos, trium aut quatuor dierum abſentia: aut diſtinctis diebus interpolata Divinorum Officiorum omiſſio, ad id temporis correſpondens, communiter cenſetur gravis materia.

ARTICULUS VII.

De Simonia.

✠

(*)

Propoſitiones damnatæ in materia Simoniæ, & Collationis Beneficiorum.

1. „ Non eſt contra juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis: quia Collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. Damnata fuit ab Alexandro VII. an. 1665. Eſt ordine 22.
2. „ Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra. Damnata fuit ab Innocentio XI. an. 1679. Eſt 45.
3. „ Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immo etiamſi ſit finis ipſius rei Spiritualis, ſic, ut illud pluris æſtimetur quam res ſpiritualis. Ab eodem. Eſt 46.
4. „ Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc *Digniores* non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo, pro poſitivo; vel ſecundo, locutione minus propria ponit *Digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando ſit concurſus. Eſt 47.

(*)

TRia perpendenda de Simonia occurrunt ſequentibus Paragraphis. 1. Natura, & Diviſio Simoniæ. 2. Quot modis Simonia committi poſſit. 3. Quæ ſit ejus malitia, & quibus pœnis afficiatur.

§. 1. *De Natura, & Diviſione Simoniæ.*

QUÆR. 1. Quid ſit Simonia?

℟. Simonia, ſic dicta à Simone mago, qui Donum Dei pecunia comparari poſſe exiſtimavit, rectè definitur à S. Thoma 2. 2. q. 100. art. 1. *Studioſa voluntas emendi, vel ven-*

vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.

Dicitur, *ſtudioſa voluntas*; id eſt inquit D. Anton. a part. tit. 1. c. 5. deliberata; quia *ſola deliberatione rationis poteſt com mitti iſtud peccatum; ſed non punitur in Judicio Eccleſiæ, niſi procedat ad extra.*

Dicitur, *emendi, vel vendendi*; per quod juxta D. Thom. ſupracit. *intelligitur omnis contractus non gratuitus*, ſub quovis nomine fiat, ſive detur aliquid temporale tan quàm pretium rei ſpirituali æquivalens, ſive tamquàm motivum conferendi, vel faciendi aliquod ſpirituale, ſivè tamquàm rei ſpiritualis gratuita compenſatio, prout definivit Inn. XI. in dam. 45. & 46. prop. Quia Simoniæ eſſentia in eo ſita eſt, quòd quis velit per temporale, ſpirituale comparare, quovis modo id fiat.

Dicitur *aliquid ſpirituale*; id eſt poteſtas à Deo ſpecialiter inſtituta, ad ſpiritualem, & ſupernaturalem effectum producendum, in ordine ad animarum ſalutem, ut facul tas ordinandi, abſolvendi, Sacramenta conficiendi, Conciones agendi, &c.

Dicitur *ſpirituali annexum*; quod nimirùm, licèt de ſe temporale ſit atque naturale, aliquam ſpiritualitatem ac ſupernaturalitatem induit ob connexionem, quam habet cum rebus ſpiritualibus, & ſupernaturalibus; idque triplici modo. 1. Antecedenter, ſi præcedat ſpirituale veluti cauſa ipſius, ut jus Patronatus, quod præſupponitur præſentationi ad Beneficium. 2. Concomitanter, ſi rei ſpirituali neceſſario eſt annexum, & veluti intrinſecum, ut actio in Sacramentorum abſolutione. 3. Conſequenter, ſi rem ſacram à qua dependet ſubſequatur, ut jus percipiendi Beneficiorum proventus, quòd ſupponit aliquod officium ſpirituale propter quod confertur.

QUÆR. 2. Quotuplex ſit Simonia?

R. Multipliciter dividitur Simonia, juxta diverſas rationes, ſub quibus conſiderari poteſt.

1. Reſpectu præcepti prohibentis, alia eſt Simonia juris Divini, alia ſolummodò juris Eccleſiaſtici. Prima prohibita eſt, quia mala & juri Divino contraria, eſtque rei temporalis commutatio pro re ſpirituali, quam mox definivimus. Secunda mala eſt, quia ab Eccleſiæ Canonibus eſt prohibita, eſtque pactio quælibet aut conventio, quæ ab Eccleſia ſub pœnis Simoniæ inhibetur, quatenus labem redolens ſimoniacam. Hujuſmodi ſunt. 1. Oblatio etiam ſpontanea pro examine ad Beneficia vel Ordines: Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 18. 2. Venditio Officiorum quorumdam temporalium, quæ Regimen Eccleſiæ, etiam temporale ſpectant, ut Œconomi, Theſaurarii, Sacriſtæ, &c. Cap. *Salvator*, Cauſ. 1. q. 3. Venditio Chriſmatis etiam ſecundùm materiam, Cap. *Si quis Epiſcopus*. 1. q. 1. 4. Non prohibetur tamen Valorum ſacrorum ob urgentem neceſſitatem venditio, non quidem ratione Conſecrationis, ſed ratione materiæ. 5. Permutationes Beneficiorum abſque Summi Pontificis diſpenſatione, C. *Quæſitum*, de rerum permutatione.

2. Reſpectu modi Simoniam committendi, alia eſt mentalis, alia conventionalis, alia realis. Simonia mentalis eſt voluntas interna exterius non manifeſta, qua quis abſque ullo pacto, ſive explicito, ſive implicito, aliquid alteri confert, ut ſibi aliquid ſpirituale præſtet. Conventionalis eſt pactio, ſeu conventio exteriùs facta ex una vel utraque parte dandi, vel accipiendi rem temporalem pro ſpirituali: & hæc pure conventionalis dicitur, dum ex nulla parte pactum executioni eſt mandatum. Conventionalis mixta, ſi traditum ſit pretium temporale, non tradita re ſpirituali, aut vice verſa: & tandem confidentiæ, ſi quis Beneficium alteri conferat, aut procuret, cum pactione illud ſibi, aut alteri poſthac reſignandi, vel penſionem ſine aliqua auctoritate ſolvendi. Realis verò Simonia eſt executio pactionis factæ ex utraque parte, ſaltem inchoatè; ut ſi Beneficii collatio facta ſit, & pars ſaltem pretii ſoluta ſit, aut inſtrumentum debiti traditum.

3. Reſpectu pretii ſeu muneris, quod pro re ſpirituali datur, alia eſt Simonia à manu, alia à lingua, alia ab obſequio. Per munus à manu intelligitur pecunia, vel aliquid pecunia æſtimabile, ut ager, domus, ſuppellex, ſolutionis dilatio, mutui traditio, penſionis ſolutio, &c. Per munus à lingua intelliguntur laudes, adulationes, preces, commendationes factæ pro aliquo vel alicui, ut rem ſpiritualem conferat. Per munus ab obſequio intelliguntur quæcumque obſequia, ſeu ſervitia præſtita, vel præſtanda ad rem ſpiritualem ab aliquo comparandam.

§. 2. *De modis quibus Simonia committi poteſt.*

Innumeris propemodùm modis committi poteſt Simonia quorum expoſitionem nè Tyro-

Digitized by Google

Tyronum mentem confundant, ſub diverſis titulis partiri neceſſarium duximus.

De Simonia in vendendis ſacris Vaſibus, &c.

1. Realis eſt Simonia, & quidem jure Divino prohibita, Vaſa ſacra cariùs vendere propter conſecrationem; quia conſecratio res eſt ſpiritualis, nec ullo pretio temporali æſtimabilis; Idem dicendum eſt de lapidibus ſacris, & cæteris Eccleſiarum ornamentis ſacris, aut benedictis.

2. Ob eadem rationem Simoniam realem committit, qui ſacrarum Reliquiarum Thecam ultra materiæ, qua conſtat, pretium aut vendit, aut emit, juxta definitionem Concilii Later. ſub Innoc. III. Cap. cùm ex eo *de Reliquiis*, *& venerat. Sanctorum*.

3. Vitioſum eſt atque ſimoniacum paciſci de redditibus nonnullis, aut oblationibus conferendis Eccleſiæ ad comparandas ex ea quaſdam, quibus abundat, Reliquias; quia hæc pactio ſeu conventio verum eſt atque turpe commercium rei profanæ pro ſacra.

De Simonia circa Miſſarum celebrationem, & Sacramentorum adminiſtrationem, *&c.*

1. Mentalis eſt Simonia, & peccatum mortale, Miſſam celebrare, Conciones agere, Horis Canonicis intereſſe, Sacramenta adminiſtrare, cæteraſque functiones obire, principaliter mercedis temporalis intuitu: Quòd ſi factum intercedat, realis erit Simonia.

2. Non tamen ſimoniacum eſt ex his functionibus temporalia ſuſcipere, imò, & exigere in modum juſti ſtipendii, ac ſubſtentationis debitæ; modo tamen nihil ultra debitum, aut legitimam taxationem exigatur, nec moleſta ſit exactio; denegando, ſcilicet, ſpiritualia, donec pecunia numeretur.

3. Nec ſimoniacum eſt in urgente neceſſitate Miniſtro nolenti Sacramenta conferre, aliquid retribuere, non tamquam rei ſacræ pretium, ſed ad injuſtam vexationem redimendam.

4. Nec ſimoniacum eſt aliquid accipere pro labore extrinſeco, qui ſeorſim à ſpirituali functione æſtimari poteſt, nec pro quovis alio modo, qui cum ipſa connexionem neceſſariam non habet, ut ſepelire in Eccleſia potiùs quàm in Cœmeterio, Miſſam celebrare cum tali ſolemnitate in tali loco, tempore, &c.

5. Simoniacus non eſt, qui aliquid accipit pro conferenda ſcientia, aut dando conſilio, non quaſi veritatem aut ſcientiam vendens; ſed tamquam operas ſuas locans; modò tamen ex officio ad id non teneatur; tunc enim grave eſſet peccatum labem redolens ſimoniacam.

6. Simonia eſt juri Divino oppoſita dare vel exigere quidpiam in pretium diſpenſationis Voti, Juramenti, Matrimonii, &c. cùm hæc poteſtas ſit purè ſpiritualis. Poteſt tamen Prælatus his, cum quibus diſpenſat, onus imponere per modum mulctæ, eleemoſynam erogandi pauperibus vel Eccleſiæ; modò ex hac mulcta nullum emolumentum ipſemet ſuſcipiat.

De Simonia circa Religionis ingreſſum.

1. Simoniacum eſt, & ut tale à multis Conciliis prohibitum, maximè à Later. IV. ſub Inn. III. pro ipſo ingreſſu Religionis, vel Profeſſione, aliquid dare vel accipere, tamquam pretium aut motivum ingrediendi vel profitendi, quia Status Religioſus ſpiritualis eſt.

2 Si Monaſterium tamen ita eſt egenum, ut abſque gravamine novos Candidatos ſuſcipere non poſſit, licitum eſt pro eorum victu, & ſuſtentatione neceſſaria paciſci, & accipere; modò verè gratuitò ad Religionem Candidati admittantur, nec eorum pecunia principaliter intendatur. Unde *cùm aliquis recipitur*, in Monaſterio, etiam tenui ac egeno, *amore pecuniæ*, *ita ut ſi poſſent illam pecuniam habere ſine perſona illa*, *non reciperent perſonam*, *ſed ut habeant pecuniam*, *perſonam recipiunt*, *hoc penitùs impurum eſt*, *& ſimoniacum*, inquit D. Bonavent. Lib. Apolog. quæſt. 18.

3. Si dives eſt Monaſterium, inquit D. Thom. 2. 2. q. 101. & ſine ejus gravamine poſſit recipi Novitius, ſimoniacum eſt aliquid pro receptione exigere imò ſi pauper ſit, ſimoniacum eſt plus exigere quàm congruæ ſuſtentationi recipiendi ſufficit; cùm illius ſuperflui nullus adſit titulus, niſi ad Religionem ſuſceptio.

4. Licet tamen, ex Tridentino ſeſſ. 25. c. 16. ex bonis Novitii, quæ ad illius victum, & veſtitum neceſſaria ſunt, durante Novitiatu ſuſcipere; Item ab eodem ſuſcipere licet tempore Profeſſionis prandia, munuſcula, &c. libenter oblata, modò nulla intercedat pactio aut conventio.

De

De Simonia circa Patronatum, & Beneficiorum fundationem.

1. Illicitum eſt atque ſimoniacum patrimonium, aut quamlibet poſſeſſionem cariùs vendere, ideo præcisè quia jus ipſum Patronatus ipſi eſt affixum; ſic enim jus ipſum Patronatus, quod antecedenter ſpirituale eſt, venderetur.

2. Simonia eſt ſaltem mentalis, fundare Beneficium ea principali intentione, vel ut ſibi conferatur, vel ut poſt ſibi factam hujuſce Beneficii collationem, cum alio Beneficio permutetur. Id expreſſe definitum eſt ab Innoc. III. Cap. Tua nos *De Simonia*, quia ſic ſpirituale per corporale ſupradictus Fundator comparare vellet.

3. Realis eſt Simoniacus, qui poſt à ſe fundatum Beneficium, cujus nominationem ſibi reſervavit, cum aliquo alio Beneficiario paciſcitur, ſe ad hoc Beneficium nominaturum, modò Beneficium ſuum cuidam Clerico, quem ipſi poſthac indicabit, reſignet. Ratio eſt quia Patroni, & Præſentatores, non ſecùs ac Collatores, tenentur ſub pœna Simoniæ gratuitò ad Beneficia nominare, abſque ullo temporalis emolumenti intuitu.

De Simonia circa varios modos ambiendi Beneficia.

1. Electores inter ſe paciſcentes mutuò ſibi conferre ad Dignitates ſuffragia, mortaliter peccant, ac labem ſimoniacam contrahunt. Omnis enim in rebus ſpiritualibus pactio, vel tacitè, vel expreſſè, Simoniam inducit, inquit Gregor. IX. in Cap. *Pactiones*, fin. de Pactis, l. 1. tit. 35. Multò magis grave eſt atque ſimoniacum, & ſub pœna excommunicationis *ipſo facto* incurrendæ prohibitum à Paulo II. Extrav. *Deteſtabile*, ſuffragia in electionibus quovis terreno pretio emere; & qui ſic fuit electus, Dignitatem tenetur dimittere, cùm electio ejus *ipſo jure* nulla ſit atque irrita.

2. Simoniacum eſt, atque mortaliter peccaminoſum paciſci de loco obtinendo extra numerum in Capitulo, ut ſic obtineri poſſint Beneficia poſthac in ipſo vacantia, ob rationem ſupradictam.

3. Qui munus vel à manu, vel à lingua, vel ab obſequio Patroni, aut Collatoris amico exhibet, ea intentione, ut per ejus commendationem, vel pro ſe, vel pro alio à Patrono & Collatore Beneficium obtineat, Simoniam mentalem committit; & realem ſi pactio etiam implicita intercedat; & Proviſio Beneficii hac ſimoniaca mediatione comparati nulla eſt atque irrita. Ita D. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. poſt Paulum II. ſupracitatum, &c.

4. Simoniacus eſt Clericus, qui Viro nobili, aut Epiſcopo inſervit, nedùm in temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus, ea principali intentione, ut ab eo Beneficium obtineat. Sic enim, inquit D. Bernardus, *perverſo nimis ordine Cæleſtibus terrena mercatur*. Dixi, principali intentione; quia ſi principaliter intendat omnia munia ſua ad gloriam Dei obire, à Simonia excuſari poſſet, licet ſecundaria tantummodò intentione de obtinendo Beneficio cogitaret.

De Simonia circa nominationem, & collationem Beneficiorum.

1. Collator aut Patronus, qui Beneficium confert aut procurat Clerico propter obſequia ſibi perſonaliter exhibita, maxime in rebus ſuis domeſticis, Simoniæ crimine reus efficitur, juxta definitionem Alex. III. *in Cap.* Cùm eſſent 12. de Simonia, & Concilii Remenſis, tit. 20. *de Simoniacis, & Fiduciariis*, n. 7.

2. Qui ad preces amici Clerico Beneficium confert, nulla facta inquiſitione, aut nulla habita ratione ad ejus capacitatem, vel incapacitatem, Simoniam muneris à lingua committit, inquit D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3. *Si autem preces pro digno porrigantur, ipſum factum non eſt ſimoniacum, quia ſubeſt debita cauſa*, &c.

3. Beneficium conferre principaliter cujuſlibet temporalis emolumenti intuitu, vel ut *magnificetur per hoc & nobilitetur domus ſua*, vel ut quis *in conſanguineis fiat fortior*, vel ut *exinde conſanguineis ſuis provideatur*, vel ut *favor aut laus acquiratur*, vel ut *quod ſuum eſt, recuperetur*, &c. manifeſta eſt Simonia: Ita D. Th. in 4. Diſt. 25. q. 3. & 2. 2. q. 100. a. 5.

4. Vera non eſt Simonia, inquit S. Doct. ſupracit. ſed *illicita, & carnalis collatio*, gratis conferre Beneficium amico, vel conſanguineo, principaliter propter amicitiam, qua eum proſequimur, modò nihil emolumenti pro ſe aut ſuis inde aut accipiatur, aut expectetur.

De Simonia circa Reſignationes.

Quælibet Reſignatio vel ſimplex, vel in

Digitized by Google

in favorem, non ſecùs ac nominatio, & collatio propter emolumentum temporale facta, quoquomodò fiat, manifeſta eſt Simonia. *Imò omnes pactiones ſuper Beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apoſtolicæ approbatio, illicitas atque ſimoniacas* declaravit poſt multos Sum. Pontifices, Concil. Rotomag. tit. *de Epiſcopis*, & *cap. num.* 20.

2. Qui ſimpliciter Collatori Beneficium reſignat, ea intentione ut alterum Beneficium ab ipſo obtineat, verus eſt Simoniacus, ut patet ex Conſtit. Pauli II. Extrav. Cùm deteſtabile. 2. *de Simonia*.

3. Simoniaca eſt Reſignatio facta cum pacto, ut Reſignatarius ſolvat expenſas à Reſignante factas, vel ut Beneficium obtineret, & pacificè poſſideret, vel ut Beneficii ædificia reſarciret, aut augeret; tum quia harum expenſarum Beneficiarius non eſt cauſa; cum quia hæ expenſæ, & additamenta ad ipſum Beneficium ſpectant, ipſique ſunt annexa. Ideò ſi quid præterea exigatur, exigi nequit, niſi ratione Beneficii, quod certè ſimoniacum eſt. Adde quod quælibet pactio circa Beneficia omninò ſit illicita, & ut dictum eſt, ſimoniaca.

De Simonia circa permutationes.

1. Omnis Beneficii permutatio facta cum pacto, & onere, vel penſionem ſolvendi, vel omnibus expenſis ad utrumque permutantem ſpectantibus ſatisfaciendi, vel ad fructuum adæquationem compermutantem compenſandi, illicita eſt atque ſimoniaca, ſi privata auctoritate fiat, & niſi à Summo Pontifice approbetur.

2. Nulla eſt canonica permutatio, niſi Beneficiorum, ad quæ compermutantes verè, ac legitimè, & actualiter ſunt promoti; nec valet, nec licita eſt Beneficii actualiter poſſeſſi permutatio cum altero in futurum etiam certiſſimè obtinendo: prout ſtatuit Innoc. III. *In Cap.* Cùm univerſorum. 8. *de rerum permut.*

De Simonia in tranſactionibus, & compoſitionibus.

1. In jure dubio ac litigioſo Beneficii illicitum eſt, & ſimoniacum propria auctoritate tranſigere, ut unus colliitigantium Beneficium, de quo lis eſt, retineat; & alteri concedatur, vel quid temporale, vel quid ſpirituale, vel etiam aliud Beneficium tenue. Hujuſmodi enim tranſactiones à SS. Canonibus ſunt prohibitæ, & tamquàm ſimoniacæ reprobatæ. *Cap.* Conſtitutus, & *Cap.* Super eo *de tranſactionibus*.

2. Omninò ſimoniacum eſt quodlibet munus offerre, ad redimendam vexationem etiam injuſtam, qua quis impeditur nè jus acquirat ad Beneficium. Imò qui jus inchoatum per præſentationem jam obtinuiſſet, non poſſet abſque vera Simonia munus offerre, nè injuſtè impediretur ab obtinendo pleno jure per collationem, electionem, inſtitutionem, & confirmationem. Id colligitur ex *Cap.* Sicut tuis *de Simonia* & *Cap.* Matthæus. Ratio eſt quia jus ſive inchoatum per præſentationem, ſive plenum per collationem, aut inſtitutionem eſt aliquod ſpirituale, quod pretio temporali acquirere velle, ſimoniacum eſt.

3. Eandem Simoniam committeret, qui ſimiles injuſtas vexationes redimere vellet per aliquam rem ſpiritualem, dando nimirum, vel procurando impugnatori aliquod Beneficium; quia injuſta vexatio eſt quid temporale, quod re ſpirituali comparari nequit.

4. Immunis eſt ab omni Simonia, qui pretio temporali injuſtam vexationem redimit, qua impeditur à poſſeſſione pacifica Beneficii, ad quod jus plenum, & perfectum habet; quia tunc vexatio injuſta eſt merè temporalis, nec per hanc Beneficiarius à jure ſpirituali obtinendo impeditur; cum jam, ut ſupponitur, illud acquiſierit. Ita D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.

De Simonia circa Confidentiam.

1. Simonia confidentialis eſt non ſolùm, uti dictum eſt, Beneficium conferre ea conditione, vel implicita, ut is cui confertur, vel ipſo Collatori, vel alteri deinde reſignet illud Beneficium; ſed & ſi onus ipſi imponatur aliud Beneficium, ad quod jus, licèt duntaxat inchoatum habebat, alteri dimittendi. Ratio eſt quia juxta Urban. III. in *Cap.* Quæſitum 5. *de rerum permutatione*: Omnis pactio *circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus, labem ſemper continet Simoniæ*. Deinde hoc expreſsè definitum eſt à S. Pio V. Bulla *Intolerabilis*, *§. 3.*

2. Propter eamdem rationem, & auctoritatem confidentialis Simoniæ reus efficitur, qui Præſentatori Beneficium ſuum dimittit, ea conditione, ut ad illud, vel ad

aliud

aliud Beneficium, amicum, aut conſanguineum nominet. Idem dicendum, ſi Beneficium ſuum in manus Collatoris ſimpliciter dimitteret, ſub eadem conditione, excepto tamen Summo Pontifice, à quo reſignationes in favorem admittuntur.

§. 3. *Quænam ſit Simoniæ malitia, & quibus afficiatur pœnis.*

QUÆR. 1. Simonia quale ſit peccatum?

℞. Simoniam peccatum eſſe irreligionis ſimul, & injuſtitiæ. Irreligionis, quatenus per hanc res ſpiritualis, & ſacra turpiter tractatur, dum quodammodò corporali, ac terreſtri adæquatur. Injuſtitiæ autem, quatenus Simoniacus rem ſacram, quam Deus ſibi ſpecialiter devovit, quæque ex ſola ipſius gratuita voluntate pendet, uſurpare præſumit. Ideò Simonia ſæpiùs à SS. Patribus Hæreſis nuncupatur; quia Simoniacus perindè ſe gerit, ac ſi crederet res ſacras munere temporali æſtimabiles eſſe, & dominio ſuo ſubjectas eſſe poſſe; quod evidenter hæreticum eſt. Porrò omnis Simonia, etiam mentalis, peccatum eſt ex genere ſuo graviſſimum, nec ex levitate materiæ leve fieri poteſt, quia nullum gratiæ donum, licèt minimum, pretio æſtimari poteſt, nec vendi, abſque gravi tum ipſiuſmet doni, tum Donatoris irreverentia.

QUÆR. 2. Utrùm per omnem Simoniam omnes pœnæ in Jure Canonico latæ incurrantur?

℞. Nullas pœnas Canonicas incurri. 1. Ob Simoniam mentalem. 2. Ob Simoniam purè conventionalem. 3. Ob Simoniam mixtam, ſi ſola res temporalis ſit tradita, nondùm tradita ſpirituali. 4. Ob Simoniam, quæ eſt à lingua tantummodò, vel ab obſequio. Igitur duæ duntaxat Simoniæ ſpecies pœnis Canonicis ſunt obnoxiæ. Prima Simonia realis, & hæc à manu; Secunda conventionalis mixta, dum tradita eſt res ſpiritualis, & res temporalis eſt promiſſa; traditio enim rei ſpiritualis realem efficit emptionem, & venditionem, non ſecùs ac in aliis contractibus humanis. Obſervandum eſt inſuper nullam pœnam incurri, niſi pro Simonia quæ committitur, vel in ingreſſu Religionis, vel in Ordine, vel in Beneficio.

QUÆR. 3. Quænam ſint pœnæ Simoniæ in ingreſſu Religionis perpetratæ.

℞. 1. Excommunicatio, quam ipſo facto incurrunt omnes, & ſinguli ſive dantes, ſive recipientes. 2. Tota Communitas, & Capitulum, ſi conſenſerit huic Simoniæ, pœna ſuſpenſionis ipſo facto afficitur, & hæc Excommunicatio, & Suſpenſio Sum. Pont. reſervata eſt. 3. Simoniacè admiſſi, ſi per ſententiam fuerunt convicti, in arctius Monaſterium debent intrudi, nec abſque diſpenſatione in eodem Monaſterio manere poſſunt. 4. Monaſterium reſtituere tenetur quidquid ſimoniacè fuit acceptum.

QUÆR. 4. Quænam ſint pœnæ Simoniæ in Ordine commiſſæ?

℞. 1. Ipſo facto excommunicationem incurrunt Ordinantes, & Ordinati, & Ordinationis Mediatores, quæ Excommunicatio Papæ eſt reſervata. 2. Sic Ordinati, etiam ipſis ignorantibus, ipſo jure ſunt ſuſpenſi ab Ordine ſimoniacè ſuſcepto; imò & ab omnibus jam ſuſceptis, ſi ipſis ſcientibus, & non contradicentibus, commiſſa fuerit ab alio ſupradicta Simonia. 3. Simoniacè Ordinantes ipſo facto incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenſionem à collatione cujuſlibet Ordinis, imò & Tonſuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium. 4. Qui pro Ordinatione pretium recepit, reſtituere tenetur, utpotè injuſtè comparatum.

QUÆR. 5. Quibus pœnis ſubjaceant Simoniaci in Beneficio?

℞. 1. Excommunicationem Papæ reſervatam ipſo facto incurrunt, qui Beneficium ſimoniacè ſuſceperunt, contulerunt, aut quovis modo procuraverunt. 2. Irrita eſt prorsùs atque nulla Beneficii ſimoniacè præſentatio, & collatio. Hinc ſimoniacè Proviſus, etiam occultus, ante omnem Judicis ſententiam Beneficium ſtatim dimittere tenetur. 3. Simoniacè promotus omnes fructus perceptos, imò & eos quos percipere debuiſſet, ſi Beneficium diligenter adminiſtraſſet, tenetur reſtituere. Nomine autem fructuum intelliguntur etiam diſtributiones quotidianæ, quæ ratione v. gr. Canonicatus in Choro percipiuntur, non autem quæ alia ratione proveniunt; ut ex Miſſæ celebratione. 4. Pretium pro Beneficio conferendo acceptum reſtitui debet, non quidem ei qui illud contulit, ſed Eccleſiæ ejuſdem Beneficii. Idem dicendum eſt de pretio accepto pro ingreſſu Religionis, & Ordinatione, quod pauperibus eſt diſtribuendum. 5. Tandem qui Beneficium per Simoniam realem ſuſceperunt, inhabiles fiunt ad quodlibet, vel idem, vel aliud Beneficium, deinceps obtinendum. Non autem *ipſo jure* ab omnibus Beneficiis ante

Digitized by Google

Simoniam à ſe obtentis; ita ut in conſcientia ea dimittere teneantur; ſed poſſunt ab ipſis privari per ſententiam Judicis in pœnam perpetratæ Simoniæ, licèt a jure expreſsè non ſit lata.

QUÆR. 6. Utrùm ſimoniacè promotus pœnis Canonicis ſit obnoxius, dum ipſo ignorante ab alio perpetrata eſt Simonia, à Patre v. gr. aut alio conſanguineo aut amico, qui per Simoniam ipſi procuravit Beneficium.

R. Licèt ſic promotus non incurreret pœnam excommunicationis, cùm ab omni peccato, ut ſupponitur, ſit immunis; attamen invalida eſt ejus proviſio, & ad illud Beneficium poſſidendum ſit inhabilis, & ipſum dimittere tenetur, etiamſi illud per triennium poſſederit: Triennalis enim poſſeſſio, quæ in aliis nullitatibus locum habet, ipſi nullatenus favere poteſt. Deinde reſtituere tenetur fructus à ſe perceptos, non ſolùm à die cognitæ Simoniæ, ſed & à die proviſionis ſuæ; cum hoc tamen diſcrimine, quòd fructus ante cognitam Simoniam non teneatur reſtituere, niſi eos in quibus factus eſt ditior, utpotè bonæ fidei poſſeſſor: Quos verò poſt Simoniam cognitam percepit, cùm per hanc cognitionem malæ fidei poſſeſſor factus fuerit, omnes omninò quovis modo à ſe conſumptos, aut non conſumptos, tenetur reſtituere.

Porrò hìc obſervandum eſt, in duobus caſibus validam eſſe collationem ignorante Proviſo ſimoniacè factam. Si Proviſus hanc neſciens Simoniam expreſsè contradixerit; modò poſthac cognitam non acceptaverit, aut, quod pejus foret, pretium ſtatutum non ſolverit, tunc enim omnes pœnas in Simoniacos latas incurreret. 2. Si Proviſi inimicus, ipſo ignorante, pretium obtulerit, ut ad illud Beneficium obtinendum inhabilem redderet.

QUÆR. 7. Quis à pœnis in Simoniam latis abſolvere aut diſpenſare poſſit?

R. Nullus, niſi ſolus Sum. Pontifex, ab inhabilitate ad Beneficium poſſidendum diſpenſare poteſt, ſi conſcio Proviſo commiſſa ſit Simonia. Quòd ſi verò Proviſus eam ignoraverit, Epiſcopus diſpenſare poterit, ſi de ſimplici agatur Beneficio, & Simonia ad forum contentioſum non fuerit deducta; non autem ſi de duplici agatur. Idem dicendum eſt de ſuſpenſione, quam Clericus ſimoniacè ordinatus incurrit, à qua Epiſcopus diſpenſare poteſt, ſi inſcio ordinato, non verò ſi ipſo conſcio, Simonia fuerit commiſſa. Quoad Excommunicationem in Simoniacos latam, licèt Sum. Pontifici ſit reſervata, ab ea tamen, ſi ſit occulta, Epiſcopi abſolvere valent.

CAPUT II.

De Statu Religioſo.

QUæſtiones omnes, quæ ad Statum Religioſum ſpectant, diſcutere non patitur brevitas propoſita, nec noſtri eſt inſtituti: Eas tantummodò, quas virum Religioſum ignorare puderet, quaſque abſque gravi ſaluti ſuæ periculo ignorare non poſſet, hìc breviter perpendemus ſequentibus quæſtionibus. 1. Erit de natura, & eſſentia Status Religioſi. 2. De ingreſſu Religionis, & Novitiatu. 3. De Profeſſione Religioſa. 4. De Profeſſorum obligationibus. 5. De Religionis egreſſu. 6. De Prælaturis Religioſis.

QUÆSTIO I.

Quæ ſit natura Status Religioſi.

Not. RElligionis nomen bifariam ſumi poſſe. 1. Pro virtute, quæ Deo juſtum ac debitum Cultum, & honorem exhibet; & ſic Religioſi dici poſsunt omnes, qui juſtè & piè Deum colunt. 2. Pro peculiari vitæ inſtituto, quo homo in ſuaviſſimum, atque perfectiſſimum holocauſtum totaliter ſeipſum Deo offert, & ſic per antonomaſiam Religionis nomen propriè ſibi vindicant quicumque non ſolùm per communium præceptorum obſervantiam, verùm etiam per votorum emiſſionem Cultui Divino perpetuò ſeſe mancipant, Deum ſibi in portionem iterùm *eligunt*, ipſique novis vinculis denuò ſe *ligant*: Unde *Religio* dicitur quaſi *reelectio*, aut *religatio*. Sic expoſito Religionis nomine.

QUÆR. 1. Quid ſit ſtatus Religioſus?

R. Rectè definitur: *Status immobilis hominum ad perfectionem tendentium per vota Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, ac ſui ipſius traditionem, ſub certa regula ab Eccleſia approbata.*

Dicitur 1. *Status immobilis*, per quod convenit cum Epiſcopatu, & Conjugio, quæ de ſe ſunt ſtatus immobiles; cùm Epiſcopi Eccleſiæ ſuæ, & Conjuges comparti ſuæ indiſſolubili vinculo obligentur; & differt à ſtatu Parochorum, & cæterorum Cle-

Digitized by Google

Clericorum, Eremitarum, Viduarum, Virginum, &c. qui ſtatum ſuum mutare poſſunt.

Dicitur 2. *Hominum ad perfectionem tendentium*; id eſt perfectionem Charitatis, quæ eſt *vinculum perfectionis*. Ex quo ſequitur Religioſum, qui ad perfectionem non anhelat, non eſſe verè Religioſum; cùm hæc tendentia ſtatui Religioſo omninò ſit eſſentialis.

Dicitur 3. *Per vota Caſtitatis*, &c. ſive ſolemnia ſint, ſive ſimplicia, juxta jus novum Greg. XIII. ſtatuentis in Bulla, *Aſcendente Domino*, vota ſimplicia Scholarium Societatis Jeſu Religioſum conſtituere.

Dicitur 4. *Ac ſui ipſius traditionem*; quia ad ſtatum Religioſum omninò requiritur, ut homo cuidam Religioni ſe totum ita mancipet, ut ampliùs ſui juris non exiſtens, ab ea totaliter dependeat; quod utique non ſit per ſolam votorum emiſſionem, ſed per realem ſui ipſius traditionem, tacitè vel expreſsè quodammodò à Religione per Superiores ejus acceptatam.

Dicitur 5. *Sub certa Regula*; quia Religioſi in jure Regulares non vocantur, niſi quatenus alicui certæ regulæ adſtringuntur, à qua hanc denominationem ſuſcipiunt. Alias non potiùs Regulares dicerentur, quàm Clerici qui nullam Regulam profitentur.

Dicitur 6. *Ab Eccleſia approbata*: id eſt à Summ. Pontifice, ut habetur *Cap.* Nè nimis *de Religioſis domibus*. Ratio eſt quia ſine tali approbatione Religio ſtabilitatem nullam habere poſſet; proindeque non eſſet ſtatus immobilis, nec vera, & propriè dicta Religio.

QUÆR. 2. Quinam ſint verè ac propriè Religioſi, & qui non?

℟. Fratres Converſi ſeu Laici, idem dicendum eſt de Monialibus ad Chorum non deputatis, item Equites Melitæ, ſunt verè, & propriè Religioſi; utpotè qui more aliorum tria vota emittunt ſub Regula ab Eccleſia approbata. Ob rationem contrariam nec Fratres Donati in nonnullis Religionibus, nec Eremitæ, nec nonnullæ Canoniſſæ, nec Fratres, & Sorores de tertio Ordine B. P. Dominici, & Franciſci, propriè ſunt Religioſi. Licèt enim quidam ex ipſis vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ emittant ſub quadam Regula approbata, hæc potiùs dicenda eſt bonus vivendi modus, quàm vera ac propriè dicta Religionis Regula. Fatendum tamen eſt largo modo dicendos eſſe Religioſos, & inter perſonas Eccleſiaſticas annumerari, & ut tales gaudere Privilegio Fori, & Canonis: *Si quis ſuadente Diabolo*.

QUÆR. 3. Quot ſint genera Religioſorum, & quodnam perfectius?

℟. 1. Religioſorum diverſitas, quæ ad Eccleſiæ ornatum, & utilitatem plurimùm confert, deſumitur præcipuè ex triplici fine particulari, quem Ordo Religioſus ſibi proponit. Quidam enim ſunt inſtituti, ut opera vitæ ſolitariæ, & contemplativæ exerceant; Tales ferè ſunt omnes quos Antiquiores Patres inſtituêre Antonius, Pachomius, Baſilius, Benedictus, Bruno, Bernardus, &c. quorum Sectatores propriè vocantur Monachi, utpotè ſolitudini, & unitati, quæ Deus eſt, ſunt intenti. Alii ſunt inſtituti ad opera vitæ activæ, ut Ordines Militares, & Hoſpitalarii, &c. Alii denique inſtituti ſunt ad vitam contemplatione, & actione mixtam; ut Mendicantes, & Patres Societatis, qui Divinorum meditatione adeò non ſunt intenti, ut proximum etiam docendo, concionando, Sacramenta adminiſtrando, &c. adjuvare non ſtudeant.

℟. 2. Religio contemplativa præſtantior eſt atque perfectior Religione activa; quia ad finem præſtantiorem immediatè ordinatur, ſcilicet ipſum Deum, juxta illud, Luc. 10. *Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima . . . Maria autem optimam partem elegit*. Religio autem mixta, qualibet præſtantior eſt. 1. Quia majus eſt illuminare, & calefacere, quàm lucere tantummodò aut calere. 2. Quia Religio mixta vitæ Domini Jeſu Chriſti, & Apoſtolorum ſuorum magis eſt conformis. 3. Quia, teſte D. Thom. Opuſc. 28. c. 21. poſt D. Gregorium, nullum eſt opus præſtantius, & ſacrificium magis Deo gratum, quàm ſtudium ſalutis animarum. Hinc collige, quàm turpiter quidam inſaniant, qui in multitudine divitiarum ſuarum ſtolidè gloriantes, Religioſos mendicantes tamquàm omnium peripſema ſubſannant, ac derident.

QUÆR. 4. Utrùm Presbyteri, Curati, & Archidiaconi ſint majoris perfectionis, quàm Religioſi.

℟. Cum D. Thom. 2. 2. q. 184. art. 7. hanc quæſtionem proponente, Presbyteros, Curatos, &c. majoris perfectionis eſſe, quàm Religioſi, quoad Ordinem quo Presbyteri, Curati, &c. ſunt inſigniri, & quoad Officium animas curandi quod gerunt; non

verò

Digitized by Google

verò quoad ſtatum, in quo Religioſi ipſis ſunt præſtantiores: Quod probat S. Doctor ex Cap. Cleric. 19. q. 10. *Clerici, qui Monachorum propoſitum appetunt*, QUIA MELIOREM VITAM SEQUI CUPIUNT, *liberos eis ab Epiſcopis in Monaſteriis oportet largiri ingreſſus*. Siquidem certum eſt, nulli liberum eſſe à ſtatu perfectiori ad ſtatum minùs perfectum tranſire. Ex quo principio idem S. D. evidenter concludit, potiorem eſſe Epiſcoporum ſtatum quàm Religioſorum; quia nimirùm Monachus fieri poteſt Epiſcopus, non verò Epiſcopus Monachus, ſaltem abſque Sum. Pontificis diſpenſatione. Videant igitur Clerici ſæculares, quo mentis & cordis affectu teneantur amplecti Religioſos Clericos, qui in Ordine, & ſæpiùs in Officio verbi Dei prædicandi, &c. nedùm ipſis ſunt omninò pares; ſed & quoad ſtatum præſtantiores, ut diſertè exponit D. Thom. citatus.

QUÆSTIO II.

De Religionis ingreſſu, & Novitiatu.

QUÆR. 1. Quinam in Religione ſint ſuſcipiendi, quinam repellendi?

℟. Aliud eſſe receptionis impedimentum dirimens, quo ſcilicet neglecto nedùm illicita, ſed invalida eſt receptio: Aliud verò tantùm prohibens, quod receptionem non quidem invalidam, ſed illicitam efficit.

Invalidè recipiuntur. 1. Pueri invitis eorum Parentibus ante pubertatis annos; facti verò Puberes, etiam Parentibus invitis, nedum validè, ſed & licitè recipi poſſunt. 2. Epiſcopi abſque Sum. Pontificis diſpenſatione. 3. Servi, ſeu Mancipia dicti, qui non ſunt juris ſui. 4. Conjugati poſt Matrimonium conſummatum, niſi accedat compartis conſenſus, aut niſi ſit Adultera. 5. Profeſſi, qui ex uno Ordine ad alium laxiorem tranſvolant. 6. Viri in Monaſterio fœminarum, & fœminæ in Monaſterio virorum. 7. Hermaphroditi, quorum uterque ſexus eſt æqualis. Quòd ſi prævaleat virilis, recipi poſſunt inter viros, & fœmineus inter fœminas validè quidem, ſed non licitè. 8. Laborantes notabili infirmitate, quam occultaverunt. 9. In Religione recepri ab eo qui recipiendi facultatem non habuit. &c.

Illicitè tantùm recipiuntur, non invalidè. 1. Filii Parentes ſuos in gravi neceſſitate relinquentes. 2. Criminoſi, contra quos facta fuit accuſatio, aut ſpecialis inquiſitio a Judice ſæculari de crimine capitali. 3. Debitis gravati. 4. Ratiociniis reddendis obnoxii, ut ſunt Tutores, Theſaurarii, &c. 5. Qui ſub ſpe Matrimonii virginem deceperunt, &c.

QUÆR. 2. Quinam ingredi Religionem teneantur.

℟. Is ſolùm Religionem ingredi tenetur, qui votum ingrediendi emiſit, ſecundum ſequentes regulas. 1. Qui vovit Religionis ingreſſum, nullo tempore determinato, tenetur ingredi quamprimum moraliter poteſt, & moralem diligentiam adhibere, ut admittatur. 2. Qui tantùm vovit Religionis ingreſsum, voto ſuo ſatisfacit, ſi ex juſta cauſa egrediatur, aut injuſtè repulſam ferat. Quod ſi verò ſine juſta cauſa egrediatur, aut juſtè repulſus fuerit, tenetur ad laborare, ut iterùm admittatur. 3. Qui vovit ingreſsum Religionis determinatæ, ſi in ea non ſit admiſsus, liber eſt a voto: Si verò Religionis ingreſsum in genere voveret, non admiſsus in una, alteri ſe præſentare tenetur. 4. Qui vovit Religionem determinatam, in qua collapſa eſt regularis obſervantia, nedùm non tenetur ingredi, ſed & licitè non poteſt. 5. Qui laxiorem vovit, licitè ingreditur ſtrictiorem, non vice verſa. 6. Viri qui poſt votum emiſsum Religionem ingrediendi recipi non poſsunt in Natione ſua, non tenentur ad exteras tranſire, ut recipiantur; nec fœminæ, quæ in Provincia ſua repulſam tulerunt, tenentur cum graviſſimo incommodo ad alias etiam ejuſdem Nationis tranſmeare. 7. Qui in Religione quam vovit, non poteſt recipi ut Clericus, non tenetur adlaborare ut recipiatur Laicus; niſi ex quibuſdam circumſtantiis appareat intentionem ejus ad hunc ſtatum ſeſe extendiſse. 8. Votum ingrediendi, & experiendi Religionem ſtrictiorem quiſque commutare poteſt in votum profitendi laxiorem, &c.

QUÆR. 3. An liceat quempiam ad Religionem impellere?

℟. Triplici modo quempiam ad Religionem impelli poſse. 1. Conſilio, & ſuaſione. 2. Blanditiis, & munuſculis. 3. Vi, metu, vel fraude. Primo modo impellere laudabile eſt, ac meritorium, ſi ſubjectum impellenti videatur ad Religionem idoneum, ut per ſe patet. Secundo modo impellere etiam idoneum, imprudens eſt atque vitioſum, tum quia ſic inductus non omninò ſponte ſua ſtatum Religioſum amplecti-

pleĉti-

plectitur; tum quia experientia conſtat, adoleſcentes, & puellas ad Religionem blanditiis allectos, poſthac difficiliùs Religionis onera ſuſtinere. Tertio modo impellere ſumma crudelitas eſt, injuſtitia, & horrendum ſacrilegium, proindeque peccatum graviſſimum, & qui puellam ad Religionem ſic impellit, majorem excommunicationem latam à Concil. Trident. ſeſſ. 25. C. 18. de Regularib. ipſo facto incurrit.

QUÆR. 4. An liceat quempiam à Religionis ingreſſu retrahere?

℞. Peccatum eſt mortale aliquem ab Religionis ingreſſu abſque juſta cauſa retrahere; nam in Conc. Trid. citato anathemati ſubjiciuntur omnes, qui mulieres volentes ingredi Religionem impediunt, quod certè peccatum mortale ſupponit, etiam erga maſculos. Triplex eſt autem juſta cauſa quempiam à Religione retrahendi. 1. Subjecti ad Religionem inidoneitas. 2. Major ſpiritualis utilitas, non autem temporalis, tam ipſius retrahentis, quàm retracti, atque adeò major Dei gloria. 3. Irregularitas Monaſterii, aut Religionis à qua quis retrahitur. Porrò qui vi, metu vel fraude, aliquem à Monaſterio aut Religione retrahit, non ſolùm mortaliter peccat, ſed & ad reſtitutionem tenetur ſeu compenſationem, juxta viri prudentis ac timorati judicium, cùm veram injuſtitiam commiſerit.

QUÆR. 5. An liceat inconſulta Dei vocatione, & propter temporale emolumentum, Religionem ingredi?

℞. Graviter peccant, qui inconſulta Dei vocatione ſtatum Religioſum amplectuntur, ob rationes allatas pro ſtatu Clericali, quas ad ſtatum Religioſum facili negotio quiſque accommodare poterit. Qui autem principaliter propter temporale emolumentum hunc ſtatum ſectantur, aut filios ſuos, & conſanguineos ad ipſum ſectandum quovis modo inducunt, crimen Simoniæ incurrunt; utpotè qui cœleſtibus terrena mercari præſumunt. Utrumque probatur auctoritate Guillel. Pariſ. de Morib. cap. 9. *Alii à Parentibus eo modo in Clauſtro projiciuntur, quemadmodùm catuli & porculi, quos matres non ſufficiunt enutrire . . . . . ut portione hæreditaria priventur, & ad eos qui in ſæculo remanent, devolvatur; & quantùm ad hoc ſimoniaca eſt hujuſmodi projectio, immerſio, vel intentio. Similiter, qui ad hoc intrant, ut ibi vivant vita corporea, non habentes aliàs undè vivant, non Religionem intrant, ſed comeſtionem.* Accedit auctoritas Rhemen. Concil. an. 1583. titul. de Regularibus, & Mon. n. 3. *Quiſquis igitur otium, honores, Beneficia, vel alia temporalia, quaſi ſcopum ſibi promittit vitam monaſticam ſuſcepturus, vereatur nè mittatur in tenebras exteriores, non afferens veſtem nuptialem. Cui periculo ſe etiam obnoxios Parentes noverint, qui liberis ingreſſum Religionis procurant, vel quòd natura ſint ad res gerendas inepti, animo hebetes, vel corpore vitioſi, vel certè ut aliis liberis iſtorum quaſi ablegationes ampliores relinquant.*

QUÆR. 6. Quænam requirantur, ut Novitiatus ſit legitimus?

℞. Quatuor requiri. 1. Ætas competens, ſcilicet quatuordecim annorum in viris, & in fœminis duodecim, qui in utriſque debent eſſe completi, nec malitia ſupplet ætatem. Licitum tamen eſt ante illam ætatem, annuentibus Parentibus, recipere ad probationem vitæ Religioſæ. Sed non poteſt dici inchoare Novitiatum, niſi expletis annis ſupradictis. 2. Locus debitus; id eſt Monaſterium, vel aliqua Ordinis Domus, extra quam ſi peragatur, Novitiatus nullus eſt atque irritus. Validus tamen eſſet, ſi ex legitima Superioris licentia per unum, aut alterum menſem Novitius à ſupradicto loco abeſſet. 3. Habitus Religionis; ſiquidem nec licitè, nec validè, regulariter loquendo, in habitu ſæculari fieri poteſt Novitiatus, niſi aliter ex uſu approbato, & Sum. Pontificis licentia fuerit conſtitutum. 4. Duratio unius anni integri non interpolati, computando de momento ſuſcepti habitus in momentum profeſſionis; ita ut ſi vel unica hora deſit, nulla ſit profeſſio. Annus autem ille à Tridentino requiſitus ſolaris non eſt, continens 365. dies cum 6. horis, ſed civilis, & politicus, & qui conſtat ex 365. diebus præcisè, quandò non eſt biſſextilis, & uno plus dum eſt biſſextilis.

QUÆR. 7. Qualiter peccent Superiores denegantes habitum poſtulanti, & Capitulares ſuffragium Novitio, abſque juſta cauſa?

℞. Graviter peccare; tum quia gravem injuriam inferunt Religioni, quam privant ſubjecto idoneo; tum quia charitatem lædunt proximo debitam in re magni momenti. Charitatem dico ſolummodò erga poſtulantes, qui reſpectu Religionis, nec jus in re, nec jus ad rem, ſunt adepti. Aliud dicendum eſt de Novitio; cùm enim per Novitiatum jus ad profitendum comparaverit, ſuffragium ipſi denegari non po-

teſt

Digitized by Google

teſt abſque gravi injuſtitia ſine cauſa legitima; quæ ſi adſit, & Superiores, & Capitulares habitum, & ſuffragium, nedùm legitimè negare poſſunt, ſed & ſub mortali tenentur, ob damnum Religioni emergens, quod utique damno, & incommodo particulari longiſſimè prævalet.

QUÆR. 8. Quænam ſint Novitiorum Privilegia?

℞. Multis gaudere Privilegiis. 1. Validè confitentur Sacerdoti ab Ordinario approbato, ſed non ſemper, ſaltem licitè, cuilibet Sacerdoti Ordinis ſic approbato. 2. Non ſubjacent reſervationi caſuum, & cenſurarum, quæ facta eſt à Prælatis Regularibus pro Religioſis Ordinis, in quo probantur. 3. Abſolvi poſſunt in Religione ab omnibus Cenſuris, Irregularitatibus, pœnis & peccatis etiam reſervatis, a quibus poſſunt omnes Profeſſi. 4. Gaudent omnibus Privilegiis, & Indulgentiis in hoc Ordine conceſſis, quia Novitii in favorabilibus veniunt nomine Religioſorum. 5. In prima etiam habitus receptione obtinent Indulgentiam plenariam à Paulo V. conceſſam. 6. Gaudent etiam Privilegio Fori, & Canonis. 7. Sunt exempti ab Ordinariorum Juriſdictione. 8. Non obligantur ad vota emiſſa ante Novitiatus ingreſſum, utpotè pro illo tempore ſuſpenſa, etiamſi Ordinis obſequiis non repugnent. 9. Per totum Novitiatus tempus retinere poſſunt Beneficium ſæculare ante Novitiatum acquiſitum. 10. Poſſunt exponi ad Conciones ad populum agendas, etiamſi nondùm ſint Ordinati, nec primam habeant Tonſuram, cùm jam ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, & jura ſimplici tantùm Laico actum concionandi prohibeant, ut maximè patet ex Indulto PP. Societatis à Paulo III. conceſſo. Cætera apud Auctores Regulares videantur.

QUÆSTIO III.

De Profeſſione Religioſa.

QUÆR. 1. IN quo conſiſtat votorum Religioſorum ſolemnitas, & in quo differat votum ſimplex à ſolemni?

℞. Hæc vota inter ſe non differre. 1. Quòd votum ſolemne fiat publicè cum quibuſdam cæremoniis, & ſpeciali benedictione, & conſecratione, non autem votum ſimplex: Nihil enim vetat, quominùs hæ cæremoniæ in voto ſimplici adhibeantur, & non adhibeantur in ſolemni. 2. Non differunt in eo quòd votum ſolemne in Religione approbata emittatur, & Matrimonium dirimat; cùm votum ſimplex in Societate Jeſu, quæ hauddubiè eſt approbata, dirimat etiam Matrimonium. 3. Non differunt in eo quòd votum ſolemne emittens tradat ſe irrevocabiliter Superiori; nam in votis Jeſuitarum vera eſt traditio, eaque perpetua, ita ut Profeſſi non poſſint abſque vera Apoſtaſia illud inſtitutum deſerere. Sed inter utrumque diſcrimen eſt, quòd votum ſolemne, non autem ſimplex, ex inſtitutione Eccleſiæ ita irrevocabiliter à Superioribus Religionis approbatæ acceptetur; ut Profeſſus vi hujus inſtitutionis ad certos effectus fiat inhabilis; Nimirùm ad valide contrahendum Matrimonium propter votum caſtitatis, ad habendum alicujus rei dominium propter votum paupertatis, ac de ſeipſo diſponendum propter votum obedientiæ.

Hæc ſententia evidenter probatur. 1. Auctoritate Sum. Pontificum Bonifacii VIII. Cap. unic. *De Vot. in 6.* & Gregor. XIII. Bulla *Aſcendente Domino*: Ubi ſic loquuntur. *Nos igitur attendentes, quod voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa.* 2. Probatur, quia ante Cæleſtini III. tempora; id eſt ante decimum circiter Eccleſiæ ſæculum, inaudita erat voti ſimplicis, & ſolemnis diſtinctio: ex quo patet evidenter voti ſolemnitatem ab ipſiuſmet Eccleſiæ Decreto fuiſse inductam. 3. Quia Sum. Pontifex in voto ſolemni diſpenſare poteſt; quod utique minimè poſſet, ſi voti ſolemnitas ab alio quàm à Statuto Eccleſiæ penderet. Hinc collige votum ſimplex, & votum ſolemne non differre ſubſtantialiter, ſed tantùm accidentaliter, & peccata contra utrumque commiſſa ſpecie non eſſe diverſa, cùm idem habeant objectum, v. g. continentiam, & ſub eadem ratione formali Religionis in illud ferantur. Peccatum tamen contra votum ſolemne gravius eſt ratione ſtatus perfectioris.

QUÆR. 2. Quænam ad Profeſſionis validitatem requiratur?

℞. Quatuor vulgò requiruntur. 1. Annus probationis ritè expletus juxta ſuas conditiones eſſentiales, de quibus ſuprà. 2. Ætas ſufficiens, nimirùm annus decimus ſextus completus. 3. Prælati conſenſus, & acceptatio tacita vel expreſſa, cum conſenſu majoris partis Capituli. 4. Conſenſus voventis plenus atque perfectus abſque gravi metu; qualis eſt metus incarceratio-

nis,

Digitized by Google

nis, vel alimentorum ſubſtractionis, &c. Item metus reverentialis accedentibus vel precibus, vel blanditiis, vel objurgationibus ſæpiùs repetitis, &c. quæ ſpectata Novitii indole juſtum metum incutere poſſunt. Harum autem conditionum, ſi vel una deſit, irrita eſt profeſſio, & Profeſſus non ſolùm exire poteſt, ſed & uxorem ducere, niſi profeſſionem ratificet.

QUÆR. 3. Quomodò profeſſio irrita validari poſſit.

℞. Ex quocumque capite nullitas oriatur, tria ſemper requiruntur ad validationem profeſſionis nullæ. 1. Cognitio nullitatis ex parte profeſſionem renovantis; quia ſi ignorat profeſſionem fuiſſe nullam, ſemper renovat talem qualis eſt à parte rei; approbans autem rem invalidam, nunquàm illam validam efficere poteſt: Excipe tamen, ſi profeſſionem renovando expreſsè intenderet eam ratificare ex quocumque capite poſſit eſſe nulla. 2. Requiritur novus expreſſus conſenſus omninò liber, ut per ſe patet. 3. Quòd renovatio fiat præſente uno saltem, aut altero teſte; quia Eccleſia, quæ omnes contractus clandeſtinos reprobat, non cenſetur profeſſionem ſecretò emiſſam acceptare. Quo circa obſervandum eſt. 1. Quando nulla eſt profeſſio defectu poteſtatis in recipiente, requiritur novus conſenſus ex parte Religionis, non autem ſi nullitas ex alio capite oriatur; quia tunc Sum. Pontifex, tamquam ſupremus omnium Religionum Superior, pro bono pacis hanc ratificationem acceptat, ut patet ex Cap. *Significatum* de Regularibus. 2. Nullatenus requiruntur novæ cæremoniæ, cùm non ſint de eſſentia profeſſionis, nec nova probatio, ubi fuerit completa, & libera; tunc enim impleta eſt conditio circa Novitiatum à Trid. Conc. requiſita. 3. Profeſſio irrita non validatur tractu temporis, ſublato etiam dirimente impedimento, v. g. qui profeſſionem emiſit ante ætatem requiſitam, non validatur profeſſio ejus, quando ætatem neceſſariam attingit, juxta Reg. 18. Juris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit*. 4. Nonnullæ ſunt profeſſiones, quæ nunquam validari poſſunt, ut profeſſio mulieris in Monaſterio viri, perpetuo amentis, perpetuo morbo gravi laborantis, &c.

QUÆR. 4. Quænam ſint conditiones ad validam, & licitam reclamationem?

℞. Ad primum. Fruſtranea eſt reclamatio. 1. Illius, cujus profeſſio nulla eſt ſolius conſenſus defectu, ſi nimirum fictè profeſſionem emiſerit; cum hoc foro externo probari non poſſit. 2. Si ante Quinquennium à die profeſſionis inchoandum non reclamaverit, ut ſtatuit Trid. ſeſſ. 25. cap. 9. *de Regularibus*; excipe tamen, vel ſi defectum, & impedimentum ultra Quinquennium ignoraſſet, vel ſi fuerit impedimentum eſſentiale ac ſimul perpetuum, vel ſi metu gravi aliave juſta cauſa fuiſſet à reclamatione impeditus. 3. Fruſtranea eſt reclamatio ex eodem citato Concilio, ſi ante reclamationem, aut pendente lite habitum Religionis dimiſerit, niſi tamen habitum dimittere coactus fuerit ad reclamationem peragendam, à qua injuſtè impeditur, aut niſi habitum ſponte ſua iterum aſſumpſerit, & ad Monaſterium redierit.

℞. Ad ſecundum. Nullus abſque gravi peccato reclamare poteſt, niſi omninò certus ſit invalidam eſſe profeſſionem ſuam. In dubio enim melior eſt conditio Religionis, quæ Religioſum poſſidet, à quo privari non poteſt abſque injuſtitia. Qui autem de hac nullitate omninò certus eſt, ſub eodem mortali peccato tenetur, vel reclamare, vel profeſſionem ratificare; tum quia nullum habet jus alimenta in Religione ſuſcipiendi; tum quia periculo ſe committit invalidè ſuffragandi, & illicitè Ordines ſuſcipiendi, ratione ficti tituli paupertatis, cujus veri tituli defectu ipſo facto eſſet ſuſpenſus.

QUÆR. 5. Quinam ſint effectus profeſſionis Religioſæ?

℞. Præcipuos eſse. 1. Quòd omnia vota, ſive in ſæculo, ſive in Novitiatu emiſſa in profeſſionem Religioſam commutari poſſint, ſi intenderit profitens ea ſic commutare. Quòd ſi verò non intenderit, ea non ſunt ipſo facto irrita, quæ abſque obedientiæ detrimento adimplere poteſt, juxta probabiliorem Doctorum ſententiam. 2. Quòd profeſſio Religioſa Matrimonium ratum diſſolvat, & Sponſalia etiam jurata. 3. Quòd Irregularitatem defectu natalium tollat ad Ordines ſuſcipiendos, & Beneficium ſimplex, non autem ad Prælaturam, aut Beneficium curatum. 4. Quòd filium extrahat à Patris poteſtate. 5. Quòd omnem pœnam peccatis debitam remittat, non quidem ex opere operato, ſed ex opere operantis opus præſtantiſſimum, &c.

QUÆSTIO IV.

Quæ ſint Profeſſorum obligationes.

EX variis capitibus ortum habent Religioſorum obligationes. 1. Ex ipſomet ſtatu Religioſo. 2. Ex voto paupertatis, quæ magna virtus eſt. 3. Ex voto continentiæ, quæ major. 4. Ex voto obedientiæ, quæ maxima dicitur à Joan. XXII. Extrav. *Quorumdam*; de quibus ſingulis articulis hìc nobis eſt agendum.

ARTICULUS I.

Ad quid teneatur Religioſus ratione Status ſui.

QUÆR. 1: AN Religioſi ad perfectionem teneantur ratione ſtatus ſui?

℟. Cum D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 1. 2. & 9. & cæteris Doctoribus, nullo excepto, Religioſos non teneri quidem eſſe perfectos; cùm ſtatus Religioſus non ſit ſtatus perfectionis acquiſitæ, ſed teneri ſub gravi peccato ſtudium ſaltem virtuale ſemper habere in via Dei proficiendi; cùm ſtatus Religioſus ſit eſſentialiter ſtatus perfectionis acquirendæ. Ideò qui ab hac ſincera, & efficaci intentione animum revocat; vel habitualiter, aut virtualiter ad perfectionem tendere negligit, aut contemnit, in perpetuo ſtatu damnationis æternæ verſatur; cùm quiſque diſtrictè teneatur omnia ſtatui ſuo eſſentialia, habitualiter ſaltem, & virtualiter, velle ſervare. *Terribilis ſententia*, inquit gravis Auctor, *multis Religioſis, qui nec actualiter, nec virtualiter habent animum in dies proficiendi in charitate, nec curant plus quàm boni Clerici, vel Laici ad eam tendere*; quique omnia venialia parvi facientes ſecuros ſeſe exiſtimant, modò omnia ad mortale obligantia ſervare intendant. Hæc enim animi diſpoſitio mortaliter eſt damnabilis, utpotè propoſitio perfectionis acquirendæ directè contraria.

QUÆR. 2. Quibus mediis Religioſi ad perfectionem tendere teneantur?

℟. Religioſum non teneri ad perfectionem tendere per omnia supererogationis opera, per quæ poteſt ad illam pervenire, ſed per ea ſolummodò, quæ in ſua Regula, Conſtitutionibus, Statutis, & Obſervantiis Regularibus in ſuo vigore exiſtentibus, ſunt præſcripta. Ratio eſt, quia ex vi profeſſionis ſuæ vitam Regularem agere quidem tenetur ſub mortali, ſed non niſi juxta ſuum inſtitutum ab Eccleſia approbatum. Hinc Religioſus, qui Regulam ſuam, Conſtitutiones, Statuta, & regulares Ordinis ſui Obſervantias contemnit, mortaliter peccat; quia ipſammet perfectionem contemnit, ſi media, ſine quibus comparari nequit, deſpiciat. Ea autem deſpicere cenſetur, ſecundùm omnes ad unum Theologos. 1. Dum eadem obſervare minimè eſt ſollicitus. 2. Dum ipſorum majorem partem violare conſuevit, aut per notabile tempus abſque neceſſitate non obſervare ſtudet. 3. Dum vel unum omittit, reputans hæc vana eſſe frivola, & inutilia, aut ex intentione Ordinationibus non ſe ſubjiciendi. Hæc omnia abſque contemptu vel formali, vel virtuali, aut interpretativo perfectionis, fieri minimè poſſunt, proindeque abſque mortali peccato.

QUÆR. 3. Utrùm Religioſi ad Chorum deputati, ſub mortali ipſi intereſſe teneantur?

℟. Communis eſt atque indubitata Theologorum ſententia peccare mortaliter, qui ſæpiùs abſunt à Choro, niſi juſta cauſa à Superiore approbata, vel approbanda excuſentur. Id evidenter colligitur ex gravitate pœnæ Religioſis à Choro abſentibus inflictæ, vel infligendæ. Hi etenim à Concil. Tolet. I. excommunicantur. Et Clem. V. *de celebratione Miſſ.* præcipit Eccleſiarum ſive Regularium, ſive Collegiatarum Clericos ad Chorum compelli per cenſuras Eccleſiaſticas. Ubi obiter notandum eſt. 1. Omnes ad Chorum deputatos, ſive Religioſos, ſive Canonicos, in hoc graviter delinquere, nec obligationi ſuæ ſatisfacere, qui tempore, & loco debitis ad Chorum non conveniunt, qui tardiùs advenire aſſueſcunt, quique vocis ſuæ ſubſidio, niſi ex cauſa legitima excuſentur, cæteros Pſallentes juvare negligunt. 2. Grave peccatum eſſe, tempus Horas publicas recitandi abſque juſta cauſa notabiliter immutare. 3. Non ſatisfacere qui verſum ab organo pulſatum, vel privatim non recitat, vel ab aliquo recitatum non audit; quia organo verba non exprimit. 4. Eum non quidem Choro ſatisfacere, qui ſuam partem in Choro tantùm ſubmiſſa voce recitat; ſed ſatisfacere Officio. Ideò vanus eſt ſcrupulus eorum, qui dum propter infirmitatem partem ſuam cantare non valent, inquietè utrum-

utrumque veiſiculum hinc inde redeuntes recitare ſtudent.

Adnotatio 29.

(*)

Benedictus *XIV. in Conſtitut. incip.* Cum ſemper *reprobat tamquam abuſum illorum praxim, qui ad Chorum obligati, ad illum quidem perſonaliter concurrunt, ſed in D. Pſalmodia canenda voce ſua Canentes adjuvare non curant. Ait enim, nullam eſſe conſuetudinem, quamtumvis inveteratam; aut prætenſa Eccleſiarum ſuarum privilegia, quæ praxim hanc cohoneſtare, licitamque reddere poſſint: cum hoc & ſtatutis Synodi Tridentinæ, & diſciplinæ univerſalis Eccleſiæ contrarium omnino ſit. Et tandem ſic §. concludit.* Verum niſi illis (*Canonicis pſallere recuſantibus*) præſto ſit Apoſtolicum non præſumptum, vel abrogatum, ſed legitimum, ac vigens privilegium, ſive indultum; jure ac merito verendum eſt, ne iſti, dum ita ſe gerunt, Præbendarum, ac diſtributionum fructus minimè ſuos faciant; & conſequenter, ne ad eorum reſtitutionem teneantur. *Hic patet, quod licet SS. Pontifex de quibuſdam Canonicis ſimilia privilegia habere prætendentibus hic expreſsè loquatur; attamen, idem, cæteris paribus, dicendum venit de omnibus, qui ad Chorum tenentur.*

(*)

QUÆR. 4. An Religioſi, qui in Religione non laborant, nec aliis aut corporalibus, aut ſpiritualibus exercitiis deſervire volunt, peccent mortaliter?

℞. Affirmativè, quod probatur auctoritate D. Thom. 2. 2. q. 187. a. 4. *Si aliqui ſint Religioſi*, inquit, *qui abſque neceſſitate, & utilitate quam afferunt, velint otioſi de eleemoſynis, quæ dantur pauperibus, vivere, hoc eſt eis illicitum.* Cenſet ergo S. Doctor tales Religioſos ignavos & otioſos, multi vagos peccare; & cùm materia ſit gravis, certum eſt ipſos mortaliter peccare, & quidem contra juſtitiam. Ratio eſt, quia in Profeſſione fit quidam contractus inter Religionem, & Profitentes, per quem Religio illis omnia ad honeſtam ſuſtentationem neceſſaria promittit, ipſi verò Religioni ſervire in his muneribus, ad quæ ab ipſa Religione deputantur, promittunt: quæ promiſſio abſque gravi injuſtitia in re gravi infringi non poteſt. Hinc Sacerdotes ad Confeſſiones audiendas, aut Conciones agendas deputati, Clerici ad ſtudium deſtinati, Converſi corporalibus miniſteriis dediti, qui otio indulgentes munera ſua obire notabiliter negligunt, mortaliter contra juſtitiam peccant, & eleemoſynarum veri ſunt Prædones.

QUÆR. 5. Utrùm Religioſis, non ſecùs ac Clericis, nonnullæ ſint actiones prohibitæ?

℞. Præter tonſuram Religioſam, & habitum cuilibet Ordini proprium, quem unquàm, abſque rationabili cauſa, temerè dimittere Religioſis omnibus eſt prohibitum, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda, ut conſtat ex Cap. *Periculoſo*, in 6. tenentur etiam omnibus actionibus Clericis à Canonibs interdictis, eodem jure, & ſub iiſdem pœnis omninò abſtinere, ut patet ex citatis Canonibus, Cap. 1. q. 1. art. 5. hujus Diſſertationis. Videlicet Negotiatione, Negotiorum alienorum adminiſtratione, ſaltuoſa, & clamoſa Venatione, Mimicorum, Jocorum, Comœdiarum, Chorearum ſpectaculis, Cauponarum frequentatione, Ludis qui à ſola fortuna reguntur, Chirurgia cum aduſtione aut inciſione, Pharmacopeæ exercitio, quod non fit abſque negotiatione. Hæc omnia Religioſis, non ſecùs ac Clericis, diſtrictè ſunt prohibita: Nec circa prædicta ipſis favere poteſt Superiorum licentia; cùm Superiores Regulares à legibus Canonicis, nec licitè, nec validè diſpenſare poſſint; peccentque mortaliter talia ſubditis permittendo.

QUÆR. 6. Quid dicendum ſit de Religioſorum, & Monialium Clauſura?

℞. 1. In univerſo corpore Juris Canonici nulla extat generalis atque formalis inhibitio mulieribus facta, in Clauſuram Regularium virorum ingrediendi. Proferuntur quidem Bullæ Pii V. & Gregorii XIII. inhibentium ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda, & Papæ reſervata, omnibus Mulieribus non exemptis, prout ſunt Reginæ, Regum Filiæ, & Neptes, & Fundatrices, in Clauſtra virorum ingredi, & ipſis Religioſis eaſdem introducere ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrenda, privationis Officiorum, & inhabilitatis ad alia Officia obntinenda. Sed præter quàm quod ſupradictæ Bullæ reſpiciant tantummodò mulieres ingredi præſumentes ſub prætextu alicujus privilegii, facultatis aut licentiæ, ipſis etiam Religioſis recuſantibus, & renitentibus; cenſent communiter Doctores has Bullas ubique non fuiſſe promulgatas, ac uſu receptas.

Videtur tamen certum. 1. Mulieres in Clauſtra virorum temerè ingredientes, graviter peccare, niſi excuſent mentis levitas, bona fides, & ignorentia; cùm id attentare non poſſint ſine gravi indecen-

tia, dedecore, & regularis Obſervantiæ turbatione, imò ſine gravi Regularium offenſione, & Laicorum ſcandalo. Certum eſt. 2. Omnes omninò Regulares mulieres in Clauſtra ſua introducentes, aut ad earum ingreſsum cooperantes, longè graviùs peccare, tum ob rationes mox allatas, tum quia Regulares vi ſtatus ſui obedientiam præſtare tenentur Sum. Pontificibus, in his maximè, quæ ad regularem Obſervantiam ſpectant; tum quia Clauſuræ præceptum apud omnes Regulares ſemper viget atque viguit; tum quia tandem gravitas pœnæ Regularibus in Clauſtra ſua mulieres introducentibus inflictæ in Regionibus, ubi ſupradictæ Bullæ uſu ſunt receptæ, gravitatem culpæ, ut ſæpiùs dictum eſt, evidenter arguit. Certum eſt. 3. Regulares Ordinum in quorum Capitulis ſupradictæ Pii V. & Gregorii XIII. Bullæ promulgatæ fuerunt, & uſu receptæ, uti extant apud nos, mulieres in Clauſtra ſua introducentes, pœnis ac Cenſuris in iiſdem Bullis latis verè ſubjacere, cum apud eos omnimodam ac plenam legis rationem obtinuerint.

Circa quod obſerv. 1. Nomine Clauſuræ intelligi Dormitorium, Clauſtrum, Bibliothecam, Capitulum, Hortum, Refectorium, Culinam, & alias Officinas interiores; non autem Sacriſtiam, Chorum, Capellam junctam Eccleſiæ. 2. Triplici modo Religioſos mulieres introducere, aut ad illarum ingreſſum cooperari poſſe: Immediatè, portam aperiendo, per feneſtram intromittendo, clavem præbendo, &c. Mediatè, jubendo, conſulendo, impellendo, viam demonſtrando, &c. Permiſſivè, ſi nimirum Prælatus, aut Janitor, aut Clauſuræ Cuſtos, mulieres ingredientes non expellant, aut ſi cæteri Religioſi jam ingreſsas detineant confabulationibus, deambulationibus, &c. hi omnes admiſiſſe, proindeque mortaliter peccaſse, cenſendi ſunt.

℞. 2. Quoad Moniales; præter præceptum generale omnes verè Religioſas ad perpetuam Clauſuram obligans, niſi ex fundatione, & contractu legitimo ab ea diſpenſentur; certum eſt generalem extare inhibitionem, qua prohibetur omnibus perſonis, non exemptis, cujuſlibet ætatis, ſexus, aut conditionis, in Clauſuram Monialium ingredi ſine Superioris legitimi licentia, aut niſi neceſſitas moralis excuſet, & hoc ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, nec non privationis ab Officiis obtentis, & inhabilitatem ad alia obtinenda, ut colligitur ex Trid. ſeſſ. 25. c. 5 de Regularibus, & Bulla Pii V. *Curæ paſtoralis*.

ARTICULUS II.

De Obedientia Religioſa.

QUÆR. 1. Quid & quotuplex ſit obedientia Religioſa?

℞. Obedientia Religioſa eſt virtus moralis, virum Religioſum inclinans ad obediendum Prælato ſuo in omnibus, quæ cadunt ſub virtute obedientiæ. Alia eſt obedientia materialis, alia formalis. Materialis ea eſt, qua aliquod virtutis opus, quod præceptum eſt, impletur, ſed ſine expreſſa intentione faciendi quod præcipitur. Sic homo qui per fidem credit, aut qui per charitatem diligit, facit quæ Deus mandat, actum obedientiæ materialiter ſumptæ exercet. Formalis verò obedientia eſt illa, qua quis aliquid facit ea expreſſa intentione, quia Superior ita mandat, ac præcipit. Hinc colligitur duplicem eſſe inobedientiam, materialem ſcilicet, & formalem. Prima committitur, dum quis præceptum Superioris non implet ex paſſione vel iræ, vel negligentiæ, aut ſimilium. Secunda verò, dum quis ſuperiori ſuo tenuit obedire, quia non vult ei ſubeſſe. Et hæc verè, & propriè inobedientia dicitur, eſtque ſemper peccatum mortale, etiamſi de re agatur leviſſima, ut alibi dictum eſt.

QUÆR. 2. Quodnam ſit obedientiæ Religioſæ objectum?

℞. Aliud eſſe formale, aliud materiale. Objectum formale eſt ſolùm Superioris præceptum, ſive obliget ad culpam, ſive tantùm ad pœnam. Ideò ſimplex Superioris conſilium, aut deſiderium, non eſt propriè obedientiæ objectum, licèt magna ſit perfectio illud adimplere, quia Superioris eſt. Materiale objectum obedientiæ eſt illud omne, quod à Superiore præcipitur, quod vel perfectionis eſt, vel neceſſitatis. Perfectionis eſt obedire Superiori in omnibus, quæ nec ſunt contra Deum, nec contra Regulam; ſed neceſſitatis eſt obedire in omnibus, quæ in Regula, aut Conſtitutionibus implicitè, vel explicitè continentur, quæque ad earum obſervantiam neceſſaria ſunt, utilia, aut convenientia. Hinc.

Reſol. 1. Profeſsum teneri ſubire jejunia, flagellationes, &c. ſibi à Superiore impoſita

ſita

ſita ad virtutem exercendam, modò nec ſint extraordinaria, nec perpetua; imò & extraordinaria ſubire tenetur, ſi ad crimen puniendum, aut futurum præcavendum ſint impoſita, quia hæc ſpectant ad Regularem obſervantiam.

2. Tenetur ſervare nova Capitulorum Statuta circa nonnullas obſervantias, licèt in Regula aut Conſtitutionibus, nec explicitè, nec implicitè contineantur, ſi hæc a majori parte viſa fuerint plurimùm conferre ad Regulæ profeſſæ obſervationem illibatam conſervandam.

3. Profeſſus in Domo, vel Religione relaxata obedire tenetur Prælatis eam reformare ſtudentibus, tum in votis eſſentialibus, tum in præceptis ſtrictè obligantibus, tum in his quæ ad illa rectè obſervanda immediatè conducunt, quovis tempore laxatio fuerit introducta, ſive ante, ſive poſt ejus profeſſionem, cùm hæc ad ſtatum Religioſum, quem amplexus eſt, ſint eſſentialia. Quod ſpectat ad alias obſervantias Regulares reformationem acceptare quidem tenetur, ſi relaxatio poſt ejus profeſſionem fuerit introducta, cùm Regulam obſervare teneatur, prout eam profeſſus eſt; non autem ſi ante ejus profeſſionem fuerit inducta, tum quia ſupradictæ Obſervantiæ, ut ſupponitur, huic ſtatui non ſunt eſſentiales, tum quia non alio modo accidentali Regulam obſervare tenetur, quam promiſit, aut promittere probabiliter intendit.

4. Tenetur obtemperare Superiori præcipienti, ut Prælaturam in Ordine ſuſcipiat, non autem extra Ordinem; quia primum ad Regularem obſervantiam conducit, non verò ſecundum.

5. Tenetur eidem obtemperare etiam cum periculo vitæ, ſi bonum Religionis id poſtulet, v. gr. Fratribus peſte laborantibus inſervire, imò & exteruis ſæcularibus, ſi ad id Religio eſſet obligata. Et Religioſus mendicans Superiori ſuo præcipienti, ut in ſpiritualibus ſupradictis peſte laborantibus cum periculo vitæ inſerviret, obedire teneretur, ſi deficeret Parochus, aut alius Sacerdos ad id deſtinatus, quia Mendicantes vi ſtatus ſui Epiſcoporum ſunt Coadjutores, ut colligitur ex Cap. *Dudum* de ſepulturis.

6. Non tenetur Religioſus obedire Superiori ſuo præcipienti, ut ad Indos tranſmeet, vel inter Hæreticos ad verbum Dei ſeminandum commoretur, cùm res plena ſit corporis, & animæ periculis, & proinde præſcripta Regulæ excedat. Teneretur tamen ad terras remotiſſimas, etiam cum longa, & difficili navigatione tranſvolare, ſi inibi eſſent Ordinis ſui Monaſteria; quia id ſpectare poſſet ad bonum Religionis, nec ſit ſupra Regulam.

QUÆR. 3. Quandonam mortalis ſit inobedientia?

℟. Mortalem eſſe. 1. Dum aliquo ſigno, qualecùmque ſit illud, dignoſcitur Superiorem velle obligare quantùm poteſt, in materia quæ vel ex ſe gravis eſt, vel ex circumſtantiis. 2. Dum adeſt contemptus deliberatus, & formalis inobedientias, etiam in re leviſſima. 3. Dum obedientia non præſtatur, niſi coactè & ſolo timore pœnæ, ita ut denegaretur, ſi pœna abeſſet. 4. Dum Religioſus vult quidem, ut ſibi videtur, in omnibus ad ſalutem abſolutè neceſſariis obtemperare; ſed habitualiter, & voluntariè negligit omnia Superiorum præcepta, ad veniale tantum obligantia; quia hæc diſpoſitio perfectionis acquirendæ propoſito directè eſt contraria, quæ perfectio ſine obedientia comparari nequit.

QUÆR. 4. Quotupliciter peccet ſubditus Superioris præceptum infringens?

℟. Cum diſtinctione. Si id quod à Superiore præcipitur, aliunde præceptum ſit, vel à lege divina aut humana, vel à Regula ſub peccato obligante, duplex proculdubio committitur peccatum. Sic Minorita die Veneris contra præceptum particulare Superioris non jejunans, duplex peccatum, unum intemperantiæ, alterum inobedientiæ, in Confeſſione exponendum committit. Quod ſi verò Regula ſub peccato non obliget, unum duntaxat inobedientiæ peccatum committitur.

QUÆR. 5. Utrùm Abbatiſſæ, Prioriſſæ, cæteræque Monialium Rectrices, aliquid præcipere valeant in virtute Spiritus ſancti, & ſub formali ſanctæ Obedientiæ præcepto?

℟. Non poſſe; quia mulieres Juriſdictionis ſpiritualis ad hoc neceſſario requiſitæ, non ſunt capaces, ut colligitur ex Cap. Nova *de pœnit. & remiſſ.* & docet D. Th. in 4. d. 19. q. 1. art. 1. & q. 3. a. 3. Ex quo ſequitur, ipſas non magis præcepta ſpiritualia imponere, aut in virtute Spiritus ſancti, & ſub ſanctæ Obedientiæ præcepto, aliquid præcipere poſſe, quàm Principes aliique Magiſtratus ſæculares, qui ſola temporali, non ſpirituali poteſtate, ſunt prædìti. Sed ſolummodò imponere poſſunt, non ſecùs ac ſupradicti Principes, præcepta domeſtica & politica, quæ ad dome-

ſticum

Digitized by Google

ſticum regimen, & communem Monaſterii pacem conducunt, quæ præcepta Monialium ſibi ſubditarum conſcientiam non ligant, niſi juxta materiæ qualitatem. Nec refert quòd Moniales obedientiam voverint Abbatiſſis ſuis; non enim eam voverunt, niſi juxta poteſtatem, cujus dictæ Abbatiſſæ ſunt capaces, quæ eſt inſtar poteſtatis Matrisfamilias, non autem inſtar poteſtatis Prælatorum, qui auctoritate Eccleſiaſtica, & ſpirituali Juriſdictione pollent.

ARTICULUS III.

De Paupertate Religioſa.

QUÆR. 1. QUid ſit Paupertas Religioſa?

℞. Paupertas Religioſa eſt votum ſolemne, quo Religioſus voluntariè, & in perpetuum omninò abdicat dominium, proprietatem, & uſum independentem bonorum omnium temporalium, mobilium, aut immobilium.

Dicitur 1. *Votum ſolemne*, per quod paupertas Religioſa, qua ad Chriſti Domini veſtigia ſectanda propter Deum omnibus renuntiamus, differt à paupertate Philoſophica, quæ eſt bonorum temporalium propter aliquod temporale motivum renuntiatio.

Dicitur 2. *Voluntariè*, per quod differt ab ea paupertate, quam patiuntur hi, qui vel adverſante fortuna, vel indigente familia, alienis bonis ſuſtentari coguntur.

Dicitur 3. *In perpetuum*; quia ad paupertatis Religioſæ eſſentiam ſpectat, ut ſeclusa omni ſpe, & affectu, non ſolùm poſſeſſis, ſed & in poſterum poſſidendis, renuntiemus.

Dicitur 4. *Religioſus abdicat*, non autem Monaſterium; licet enim Fratres Minores nihil, vel in particulari, vel in communi poſſideant; cæteri tamen, abſque Religioſæ paupertatis læſione, aliquod poſſidere poſſunt in communi.

Dicitur 5. *Dominium, & proprietatem*, quæ in eo ſita ſunt, quòd quis rem ſuam defendere, ablatam repetere, & de ea poſſeſſa pro libitu, & independenter à quovis alio diſponere poſſit; quo fit, ut omnis receptio, detentio, donatio, venditio, emptio, mutuum, commodatum & contractus quilibet rei temporalis pretio æſtimabilis, abſque Superioris licentia Religioſis omnibus, vi Paupertatis profeſſæ, omninò prohibeantur.

Dicitur 6. *Uſum bonorum*; quia alicujus rei uſus à Superiore independens proprietatem, ac dominium arguit. Nullus enim re aliqua licitè uti poteſt, niſi ea utendi jus habeat; nec ea utendi jus habere poteſt, niſi quatenus proprietarius, vel uſufructuarius, de quo vi voti ſui omninò eſt incapax Religioſus: Unde jure merito à Tridentino ſeſſ. 25. c. 5. *de Regularibus*, damnantur tamquàm veri proprietarii, qui ſine Superioris licentia, non ſolùm de rebus mobilibus diſponunt, ſed & qui iiſdem utuntur. Hinc collige, quàm graviter hallucinentur Fratres, qui abſque Superioris licentia re aliqua utentes, à criminis proprietate excuſari poſſe arbitrantur, quia hujus rei dominium apud Datorem remanet.

Dicitur 7. *Bonorum temporalium*, non ſpiritualium, prout ſunt Sanctorum Reliquiæ, Agnus Dei, &c. de quibus abſque Superioris licentia diſponere poſſunt, non tamen de Imaginibus, Numiſmatibus, Crucibus, &c. quæ pretio ſunt æſtimabilia. De Manuſcriptis autem, quidquid nonnulli fabulentur, communiori, atque probabiliori Doctorum ſententiæ ſtandum eſt, docentium, hæc inter bona mobilia recenſenda eſſe, nec de his Religioſum pro libitu diſponere poſſe, ſicut nec de picturis, aut aliis artefactis, quæ ad uſum ſuum fabricavit; cùm hæc omnia pretio temporali ſint æſtimabilia: Ex quo patet Religioſum, qui talia fratribus ſuis ſubripit, & abſque Superioris licentia ſibi arrogat, verè furem eſſe ac proprietarium.

QUÆR. 2. Sub quibus conditionibus rerum temporalium uſus Religioſo ſit licitus?

℞. Cùm ex dictis conſtet Religioſum vi profeſſionis ſuæ, non ſolùm rerum temporalium dominium ac proprietatem abdicaſſe, ſed & ipſummet earum uſum: ita ut de ſe his rebus utendi nullum jus habeat, ſed tantummodò uſum facti habere poſſit, opportunè quæritur, ſub quibus conditionibus iiſdem uti debeat, ad votum Paupertatis à ſe emiſſum, illibatum conſervandum. Tres vulgò circumferuntur conditiones, quarum ſi vel una deſit, talis uſus illicitus, & proprietarius eſt cenſendus.

Prima conditio eſt, quòd Religioſus rebus utatur, non tamquàm ſuis, ſed tamquàm ſibi commodatis, juxta illud Actuum c. 4. Nec

Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſiquidem Religioſæ paupertati eſſentiale eſt, ut Religioſus de alieno vivat, & alieno utatur: Ex quo colligitur eos læſæ paupertatis eſſe reos, & verè eſſe proprietarios, qui de rebus quibuſlibet, vel ad uſum ſibi conceſſis, vel ad Monaſterium ſpectantibus, vel ſibi collatis, aut conferendis, pro libitu tamquam de ſuis diſponere præſumunt. Hujus criminis ſunt conſcii qui independenter à Superiore juxta placitum ſuum. 1. Aliquid etiam pro Communitate recipiunt aut detinent. 2. Qui aliquid dant aut permutant, 3 Qui aliquid vendunt, aut emunt. 4. Qui libros, utenſilia, &c. ſive ad uſum ſibi conceſſa, ſive ad Monaſterium ſpectantia commodant. 5. Qui eadem abſcondunt, nè alius, aut Communitas juxta Superioris mentem ipſis utatur. 6. Qui res Monaſterii, aut ſibi conceſſas dilapidant, prodigaliter conſumunt, negligenter tractant; aut qui his non utuntur, tamquàm non ſuis, aut ſibi commodatis, &c. ſed tamquàm propriis.

Secunda conditio eſt, quod Religioſus rebus utatur cum vera, & rationabili Superioris licentia: vera, inquam, ſine metu, fraude, aut dolo, vexationibus, &c. obtenta, alioquin nulla foret. Item & rationabili, quæ ob juſtam cauſa concedatur; nam cùm Superior rerum, quibus Religioſi utuntur, & uti poſſunt, non magis ſit Dominus quàm ipſimet Religioſi, de iis non magis validè quàm licitè, abſque juſta cauſa diſponere poteſt. Quadruplex eſt autem circa id Superioris licentia. Nimirùm, Expreſſa, quæ verbo, ſcripto aliove ſigno apertè conceditur: Virtualis, quæ in expreſſa continetur, ut cui committitur officium, permittuntur & actiones ad ejus executionem requiſitæ. Tacita, quæ ex circumſtantiis veriſimiliter creditur adeſſe, & Superiorem tunc conſentire; prout ſi videns Superior hæc fieri, poten ſque facilè contradicere, non contradicat. Præſumpta tandem & interpretativa, dum nempè juſta cauſa aut ratione occurrente, juſtè concluditur, quod Superior vellet, ſi ſtatum rei ſciret: Circa quod.

Obſerv. 1. Expreſſam licentiam omninò eſſe neceſſariam, & interpretativam locum non habere. 1. Dùm agitur de re gravi, nec gravis urget neceſſitas. 2. Dùm facilis ad Superiorem patet recurſus. 3. Dùm Superior non approbat, ſicut approbare non debet, inferiores licentiam ſuam ſic facilè interpretari; quia admiſſa univerſaliter hac præſumptione, inferiores ſemper aut ferè ſemper pro libitu de rebus tamquàm ſuis diſponerent. Obſervandum eſt. 2. Superioris taciturnitatem non ſemper ſufficere, quia ſæpiùs vident Superiores abuſus enormes, quos abſque graviori malo, & ſcandalo emendare non poſſunt; idoque tacere, & diſſimulare coguntur, licet inviti. Obſerv. 3. Eum, qui ex licentia Superioris præſumpta aliquid recepit, teneri, dum ipſum poteſt adire, ſi res extet, eum monere; cum licentia non minùs ad retinendum, quàm ad recipiendum, ſit requiſita.

Tertia conditio eſt, quòd in rerum uſu diſpenſatione, & adminiſtratione ſervetur honeſtas atque moderatio, ſtatui Religioſo conveniens. Ratio eſt, quia Religioſi non tantummodò tenentur ad præciſam paupertatem, quæ conſiſtit in omnis dominii abdicatione; ſed inſuper ad ejus eſſentialem proprietatem, nimirùm temperantiam; quæ nimiam tollit abundantiam & ſuperfluitatem, ſolis ſæculi Divitibus propriam. Ideò qui pecuniam, & ſimilia in uſus ſuos conceſſa, in res turpes, illicitas, vanas, & inutiles expendunt, qui pretioſa aut ſuperflua, aut ſtatui ſui indebita retinet, qui de bonis in ſuum uſum conceſſis, aut de bonis Monaſterii lautè vivunt, & oppiparè epulantur, qui magnifica ædificia, atque inutilia fabricari curant, qui cellas ſuas more Magnatum ornant, qui bona Monaſterii, aut ſibi conceſſa prodigunt: uno verbo, qui in rerum uſu aut diſpenſatione limites honeſtatis, ac paupertatis Religioſæ notabiliter excedunt ſive cum licentia, ſive non, ſive, ipſi ſint inferiores, ſive ſuperiores, graviſſimè peccant. 1. Contra temperantiam, ut patet. 2. Contra ipſummet paupertatis votum, ſuntque verè proprietarii, juxta Doctorum communiorem ac probabiliorem ſententiam; cùm his rebus ſic utantur abſque vera, & rationabili licentia, imò & tacitè ſaltem reclamante Religione, & ipſomet Sum. Pontifice, qui omnium Religionum legitimus ac ſupremus eſt Superior. 3. Contra juſtitiam, ſuntque verè ac proprie dicti Latrones, & ut tales ad reſtitutionem tenentur, jure ac ratione longè potiori, quàm Beneficiarii ſæculares, quos ſimiles exceſſus perpetrantes Prædones eſſe, & ad ad reſtitutionem teneri, alibi probavimus.

Nec obſtat, quòd Religioſus proprium nihil habere, nec proinde reſtitutionem facere

Digitized by Google

cere poſſit. Reſtitutio enim hìc largè ſumitur, nec eam facere tenetur, niſi quantùm poteſt. Poteſt autem. 1. Si res extet apud ſe, illam Monaſterio reddere; vel ſi apud extraneum, illum monere de reſtitutione facienda. Quòd ſi res jam ſit conſumpta, poteſt. 2. Vel de peculio ſibi conceſso, vel de labore extraordinario ſtatui ſuo convenienti, damna Monaſterio illata compenſare. 3. Poteſt parentes & amicos inducere, ut quod ſibi concederent, Monaſterio concedant. 4. Prælatus, qui bona Monaſterii ſuperflua, quæ pauperibus erogare tenebatur, poteſt parcimoniæ ſtudere, ut largiores faciat eleemoſynas, &c.

QUÆR. 3. Quid ſit Peculium, an, & quomodò Religioſis ſit licitum?

℞. Nomine Peculii intelligitur Bonum aliquod mobile, vel immobile cuidam Religioſo peculiariter reſervatum, quodque ſucceſsu temporis ad ejus uſum conſumitur, ſive illud ſit annus redditus, aut penſio, ſive ſit pecunia reſervata, aut alicubi depoſita. Cenſent Auctores nonnulli poſt Tridentinum prohibens ſeſs. 25. c. 2. de Regul. *Ne deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſumfructum & uſum*, hoc peculium eſse illicitum. Sed communiùs cenſetur ipſum, licèt minùs ſtatui Monachali conveniens, ubi omnia debent eſse communia, licitum eſse, nec paupertati Religioſæ repugnare, ſi adſint nonnullæ conditiones requiſitæ; & Concilium hìc tantum prohibere peculium, quod proprietatem ſonat, quodque extra manus Superioris aut Monaſterii tenetur, aut poſſidetur; quod patet, ex immediatè dictis à Concilio. *Nemini*, inquit, *liceat bona tamquàm propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel tenere*.

Conditiones autem requiſitæ, ut abſque crimine proprietatis Religioſus peculio uti valeat, ſunt ſequentes. 1. Quòd fiat ex licentia Superioris expreſsa, & ad ejus nutum ſit revocabile. 2. Quod ſit incorporatum quoad dominium & proprietatem cum communibus bonis Monaſterii. 3. Quod Superior, ubi Monaſterium indiget, hoc peculium in alios uſus expendere poſſit, nec gravitet Religioſus, cui reſervatum eſt, id accipiat. 4. Quod in diſpoſitione ac poteſtate Religioſi non remaneat; ſed apud Superiorem, aut ejus Miniſtrum reſervetur. 5 Quod Religioſus nullum, vel à Superiore, vel ab ejus Miniſtro computum, aut rationem ſibi reddi de ſuo peculio præſumat. 6. Quod in uſus pios, licitos, & neceſsarios, juxta paupertatis Religioſæ limites expendatur. 7. Quod ex juſta cauſa permittatur; quæ cauſa petitur, tum ex parte perſonæ, quæ propter infirmitatem, ſenium, &c. particularibus indiget; tum ex parte Monaſterii ita indigentis, ut omnia ſubditis ſuis neceſsaria, & honeſtas religioſaſque commoditates ſuppeditare non poſſit.

QUÆR. 4. Utrùm Religioſus res in uſum ſibi conceſsas, abſque proprietatis crimine, ludo exponere poſſit?

℞. Communiter conceditur Religioſo, honeſtæ ac Religioſæ recreationis cauſa, quandoque modicum quid ſive pecuniæ, ſive alterius rei, cum Superioris licentia, ludo licito; id eſt, qui à ſola fortuna non regitur, exponere poſse; cùm bona ſibi in uſum conceſsa, cum eadem Superioris licentia in uſus honeſtos ac licitos valeant expendere. Sed omnes Auctores unanimiter docent. 1. Religioſum, qui rem quamlibet notabilem; id eſt quæ ad peccatum mortale proprietatis conſtituendum ſufficiat, ludo exponit, etiam cum Superioris licentia, gravi proprietatis crimine reum eſse. 2. Religioſum ludentem, non ſecùs ac colludentem, ſive ſæcularem, ſive quemlibet alium, ad reſtitutionem teneri eorum, quæ tali ludo ſunt lucrati.

Ratio patet ex dictis; quia Religioſi abſque proprietatis crimine res ſibi in uſum conceſsas, in uſus vanos, illicitos, ac inhoneſtos, aut ſtatui ſuo minimè competentes, expendere non poſsunt, etiam cum Superioris licentia; quæ circa hoc nulla eſt atque irrita, utporè irrationabilis, & Superioris poteſtatem excedens. Ludus autem rei notabilis nedùm Religioſis, ſed & omnibus Chriſtianis illicitus eſt, vanus atque inhoneſtus: Ergo. Quod verò ludens cum Religioſo ad reſtitutionem Monaſterio faciendam teneatur eorum, quæ lucratus eſt; patet etiam, quia Religioſus ludens earum rerum nec dominium, nec uſum juris habet, proindeque illud ſibi colludenti transferre non poteſt. Ex quo ſequitur ludentem Religioſum vice verſa ad reſtitutionem teneri eorum, quæ tali ludo comparavit, cùm in ludo juſto æquale periculum lucrandi, aut perdendi, debeat intercedere; nec aliunde talia abſque vera ac rationabili licentia Superioris, quam proculdubiò non habet, retinere valeat.

Non abſimili modo ratiocinandum eſt de Religioſis inter ſe colludentibus. Vel enim

quæ

Digitized by Google

quæ ludo in notabili quantitate exponunt, ſibi ſunt ſuperflua, vel neceſſaria. Si ſuperflua, abſque proprietatis crimine, ut dictum eſt, ea retinere non poſſunt, & in vanum, & inhoneſtum uſum expendere: Si verò neceſſaria, multò minus abſque eodem proprietatis crimine poſſunt auctoritate propria in uſum alterius Religioſi colludentis transferre, contra rationabilem intentionem Superiorum, qui novas res neceſſarias poſthac ipſis concedere tenentur. Adde quòd ludus omnis verus ſit contractus, ſicut emptio, aut venditio; qui proculdubiò ſine proprietate à quovis Religioſo fieri nequir, independenrer à Superiore, longe minùs contra ejus intentionem.

QUÆR. 5. Quale ſit crimen, furtum in Religioſo?

℟. Duplex eſſe peccatum; nimirùm contra juſtitiam ſimul, & contra paupertatem. Licet enim omnis proprietas non ſemper ſit furtum, dum Religioſus, v. gr. aliquid à ſæculari dono ſuſcipit, vel utitur abſque Superioris licentia; omne tamen furtum ſemper eſt proprietas; quia rem quam ſuratur, invito Superiore, vel ſibi propiiam facit, vel ad uſum ſuum convertit. Dixi, *omne furtum*, ſive illud ſit de rebus ad extraneos pertinentibus, ſive de bonis Monaſterii, ſive de his, quæ Confratribus ad uſum ſunt conceſſa, quæ nullus abſque injuſtitiæ, & proprietatis crimine ſibi arrogare poteſt, ſub inani prætextu, quod inter Religioſos omnia ſint communia. Nec enim communia ſunt, in eo quod quiſque pro libitu in uſum ſuum ea transferre valeat; cùm per hoc ipſum cuilibet furanti è contrà poſſent eſſe propria & peculiaria. Sed in hoc, quòd Superior, juxta cujuslibet neceſſitatem, ad uſum particularium ea concedere poſſit.

QUÆR. 6. Quæ ſit furti, ac proprietatis pars notabilis ad mortale peccatum ſufficiens?

℟. Quoad proprietatem obſervandus eſt modus magis, minuſve ſtrictus, quo paupertatis votum in qualibet Religione ſervatur, cùm juxta hunc modum Superiores magis, minuſve inviti rationabiliter cenſeantur. Verùm, licèt quantitas omninò determinari non poſſit, cenſent communiter Doctores in Religione, ubi in rigore paupertatis votum obſervatur, notabilem quantitatem ad peccatum mortale ſufficientem eſſe quindecim aſſes, (1) prout apud Capucinos declaratum fuit in Capitulo Generali habito an. 1662.; vel circiter ad ſummum viginti. In aliis autem Religionibus circa paupertatem laxioribus triginta circiter, & ad ſummum quadraginta.

Quoad furtum, ſi factum ſit de rebus ad Sæculares & Extraneos pertinentibus, eadem materia notabilis eſt, quæ & in aliis latrociniis à Sæcularibus perpetratis. Si verò factum ſit de rebus Monaſterii, pari modo ratiocinandum eſt, & æqualis ſtatuenda eſt materia, quam in proprietate mox ſtatuimus; cùm inter ſe connexionem eſſentialem habeant. Ubi tamen obſervandum eſt, quod ſi agatur de poculentis & eſculentis, quæ ab ipſiſmet Religioſis conſumuntur, paulò major quantitas requiratur ad peccatum mortale conſtituendum; quia Superioris rationabiliter minùs inviti cenſentur. Dixi, quæ *ab ipſiſmet Religioſis conſumuntur*, ſi enim hæc dentur extraneis, minor quantitas requiritur, cùm Superiores omninò ſint inviti, & gravior de ſe ſit injuſtitia.

QUÆR. 7. Quæ ſint Proprietariorum pœnæ?

℟. Præter peccatum mortale, & hoc reſervatum, quod incurrit omnis Proprietarius, quoquo pacto in re notabili proprietatem committat; ſtatutum eſt à Tridentin. ſeſſ. 25. c. 2. de Regular. aliquid abſque Superioris licentia apud ſe retinentes, vel apud alios deponentes. 1. Ut recludantur ad agendam pœnitentiam. 2. Priventur voce activa, & paſſiva ad Biennium. 3. Sepultura Eccleſiaſtica priventur, &c. quæ pœnæ tamen non incurruntur, niſi poſt Judicis ſententiam. Hæc dicta ſint de ſtatn Religioſo in genere; Nec enim noſtri fuit Inſtituti Sancti Franciſci Regulam exponere, cujus circa paupertatem longè graviores ſunt, atque ſtrictiores obligationes.

ARTICULUS IV.

De Caſtitate Religioſa.

QUÆR. 1: QUid ſit Caſtitas Religioſa?

℟. Eſſe votum ſolemne, quo Religioſus abſtinere promittit ab omni venerea delectatione, tum licita, tum illicita. Dicitur: *Votum ſolemne*, per quod

(1) *Aſſis eſt nummus quidam æneus parvi valoris, vulgo dictus* Bajocco. *Iſtorum nummiſmatum uſus frequens eſt in Statu præſertim Pontificio.*

cum obedientia, & paupertate Religioſa convenit, & à voto caſtitatis ſimplici differt. Dicitur omni *delectatione venerea*; ita ut quidquid caſtitati adverſatur, ſit erga Religioſum duplex peccatum, impudicitiæ, ſcilicet, & ſacrilegii. Dicitur, *licita & illicita*, quia Matrimonium Religioſus contrahere nequit, nec licitè, nec validè.

QUÆR. 2. In quo differat votum ſolemne caſtitatis à voto ſimplici?

℟. Differunt. 1. Quòd votum ſolemne irritet Sponſalia ante & poſt ipſum contracta, non autem ſimplex. 2. Quòd votum ſolemne irritet Matrimonium ſubſequens, imò & antecedens non conſummatum, non autem illud, in quo votum ſolemne caſtitatis Religioſæ differt à voto caſtitatis Ordinibus ſacris annexo, quod ſemper quidem irritat Matrimonium ſubſequens, nunquam tamen præcedens. 3. Differunt quòd qui voto ſolemni adſtrictus contrahit Matrimonium, nec petere, nec reddere poſſit debitum, quia invalidè contraxit. Ligatus autem voto ſimplici, etſi petere non poſſit, poteſt & tenetur reddere, quia contraxit tantùm illicitè, & quidem ex parte ſua.

QUÆR. 3. Quænam ſint media ad ſervandam caſtitatem, & utrùm Religioſus graviter teneatur illis uti?

℟. Plurima aſſignari. 1. Humilitas, & oratio, per quas cognita fragilitate noſtra ad Deum recurrimus, juxta illud Sap. 8. *Vidi quod nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det.* 2. Carnis mortificatio, juxta illud 1. Cor. 9. *Caſtigo corpus meum*, &c. Unde Bernardus *Periclitatur caſtitas in deliciis*. 3. Senſuum cuſtodia, juxta illud Eccleſ. 9. *Averte faciem tuam à muliere compta . . . . propter enim ſpeciem mulieris multi perierunt*. 4. Vitatio occaſionum, juxta illud Sap. Qui amat periculum, in illo peribit. Unde Hieron. Epiſt. 2. ad Nepotian. *Nec David ſanctior, nec Salomone ſapientior eſſe potes, qui tamen lapſi ſunt per mulieres?* 5. Scripturarum ſacrarum meditatio, & Theologiæ ſtudium, quibus id competit. *Ama ſtudia litterarum*, inquit D. Hieron. *& vitia carnis non amabis*. 6. Mortis meditatio: *Facilè enim contemnit omnia*, inquit idem Hieron. *qui ſe cogitat moriturum*. Porrò certum eſt, hæc & ſimilia quemlibet Chriſtianum, maximè autem Religioſum, ad ſervandam caſtitatem adhibere teneri; ita ut qui ea notabiliter, voluntariè, & habitualiter negligeret; peccati mortalis conſcius eſſet. Ratio eſt, quia qui vult finem, vult & media ad finem conducentia. Ideò, qui hæc media ad caſtitatem ſervandam neceſſaria voluntariè & habitualiter negligit, caſtitatem efficaciter nolle, proindeque mortaliter peccare, cenſendus eſt.

QUÆSTIO V.

De Religionis egreſſu.

QUÆR. 1. Quot modis Religioſos è Religione egredi poſſit?

℟. Multis modis, tum licitis, tum illicitis Religioſus egredi poteſt. 1. Ad aliam Religionem tranſitione. 2 Ad Epiſcopatum evectione. 3. Ejectione. 4. Apoſtaſia. 5. Fuga. 6. Tranſitoria egreſſione, ut Parentibus ſubveniat. De quibus ſingulis nonnulla hic breviter tangere duximus neceſſarium.

QUÆR. 2. An liceat ex una ad aliam Religionem tranſire?

℟. Ordinariè non licere, nec laudabile eſſe; tum quia monet Apoſtolus. 1. Cor. 7. ut *quiſque in vocatione, in qua vocatus eſt, permaneat*; tum quia hoc tranſitu multi plerumque ſcandalizantur; tum quia experientia conſtat, quod faciliùs & commodiùs proficit Religioſus in Religione quam conſuevit, quàm in alia ſibi peregrina & inſolita. Dixi, *ordinariè*, nam Religioſus ad aliam Religionem laudabiliter tranſvolat triplici de cauſa. 1. Ex zelo tutioris & melioris vitæ. 2. Quia propria Religio à perfectione notabiliter declinat. 3. Quando propter infirmitatem non poteſt quis ſuæ Religionis ſtatuta obſervare. Ita D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 8. Modò tamen ſequentes concurrant conditiones. Primò, ut Religio, ad quam fit tranſitus, ſtrictioris ſit obſervantiæ. Secundò, ut fiat ſine detrimento & infamia Religionis, à qua receditur. Tertiò, ut facultas tranſeundi à Prælato poſtuletur, licèt non obtineatur: Quarum conditionum, ſi vel una deſit, tranſiens peccat mortaliter, ejuſque nova Profeſſio invalida cenſetur.

ADNOTATIO 30.

[*]

Cum ad Religionis egreſſum reclamationes quoque ſpectent, quibus Religioſi Profeſſi pro demonſtranda Profeſſionis nullitate, & exitu impetrando quandoque utuntur, opere pretium erit conditiones illas, atque ſtatuta exponere,

quæ

quæ de jure noviſſimo in iſtiuſmodi cauſis ſervari debent. Benedict. XIV. *an.* 1748. *Conſtitutionem edidit incip.* Si datam hominibus, quæ de Ordine ſervando in Cauſis ſuper nullitate Profeſſionis Regularis, *inſcribitur*. *Principaliora capita in ipſa contenta breviter ſubnectimus. Recenſito igitur in primis, & ante omnia Decreto Tridentini ſeſſ.* 25. *de Regularibus, ubi ſtatuitur, quod quicumque contra Profeſſionem emiſſam reclamare prætendit, reclamatio iſta fieri debeat intra* quinquennium a die Profeſſionis, & tunc non aliter niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo & Ordinario; *plures aſſerit ſuper textu exortas fuiſſe quæſtiones, inter quas prima eſt, an ſicut Profeſſo, juſtis cauſis intervenientibus jus contra Religionem reclamandi conceditur; ſic tale jus Religioni quoque competere poſſit reclamandi contra Profeſſum, quem contra regulas juris, vel Ordinis ſtatuta intruſum fuiſſe in Religionem prætenderit. Dubio Congregationi Concil. quondam propoſito, ab ipſa fuit.* Cauſas hujuſmodi ſuper nullitate Profeſſionis tam a Regulari Profeſſo, quam a Religione intra quinquennium deductas, & a Superiore Regulari, & ab Ordinario loci ſimul cognoſcendas eſſe.

2. *Quæſitum fuit, an: quando reclamatio fundatur in metu, ad Religionem ingrediendam alicui incuſſo; metus autem per totum quinquennium ad reclamandum a Tridentino ſtatutum, perduravit; an, inquam, initium quinquennii ſumendum* ſit a die Profeſſionis, *an vero a die, quo Profeſſus liberam reclamandi facultatem haberi cœpit?* S. Congreg. declaravit, in utroque pariter caſu, conceſſum quinquennii tempus a die emiſſæ, Profeſſionis eſſe computandum.

3. *An ſi contingat, quod intra quinquennium Profeſſus reclamare quidem incœperit, ſed reclamationem proſequi deinde neglexerit, aut nequiverit, cauſa, in caſu iſto, cognoſcenda ſit a prædictis Ordinario, & Superiore Regulari, nec ne? S. Congr. decrevit*, Coram præfatis judicibus a Concilio memoratis agendam eſſe Cauſam, etiam poſt elapſum quinquennium, dummodo ſatis conſtet, eam intra præſcriptum tempus a Reclamante ſerio intentatam fuiſſe.

4. *Super illa verba Concilii:* coram Superiore ſuo, & Ordinario, *quæſitum fuit, quiſnam cenſendus ſit* Superior Regularis *in caſu, & ad effectum, de quo agitur: an ſcilicet, Provincialis, aut Generalis? S. Congr.* definivit eſſe ſuperiorem localem *quocumque nomine nuncupetur, illius* Monaſterii, in quo reclamans Profeſſionem emiſit; eum nempe, qui hujuſmodi Monaſterii, ſeu Cœnobii regimen exercet, quo tempore cauſa ſuper nullitate Profeſſionis in judicium deducitur. *Quo vero ad Moniales ſtatutum fuit, quod ſi ipſæ Ordinario loci ſubjectæ ſint, tunc ipſe ſolus judicare debet de nullitate intentata. Si vero Regularium regimini ſubſint, tunc & ab Ordinario, & ab earum reſpectivè Superiore Regulari*; ab eo nimirum cui creditum eſt univerſum Monaſterii regimen cauſam adjudicandam eſſe.

5. *An Regularis Superior juri ſuo Ordinariò cedere poſſit, ad hoc, ut ſolus de cauſa inquirat, & judicet? S. Congreg. negativò reſpondit:* Permiſit tamen Superiori Regulari, ut ſi judicium adſumere nolit, aut non poſſit, alium ſubrogare valeat, vel Regularem, vel etiam Eccleſiaſticum Secularem juris Canonici peritum, qui una cum Ordinario judicis partes exerceat.

6. *Quæſitum fuit*: ſi forte Ordinarii, & Superioris Regularis judicia inter ſe diſcrepantia extiterint, quodnam ex ipſis alteri prævalere debeat? At in hoc caſu reſponſum fuit, cauſam ipſam ad Apoſtolicæ Sedis judicium devolutam cenſeri.

Cum vero inter Cauſas Profeſſionem irritantes una ſit, ſi Regularis Profeſſionem emiſerit in Cœnobio ad Novitiorum inſtitutionem minime deſtinato; in iis tamen locis, in quibus Decreta Clementis VIII. *hac de re edita ſubſiſtunt; ſtatutum eſt ab* Urbano VIII. *quod ſi ex hoc capite contingat aliquem contra Profeſſionem reclamare, tunc hujuſmodi Cauſas ad S. Concilii Congreg. privative pertinere.*

Hæc de jure antiquo quo ad tempus reclamationis, & ad Judices talium Cauſarum. Quo vero ad Ordinem, & methodum in eis ſervandum, ſtatuuntur ſequentia. & 1. *relato Tridentini Decreto cit. ſeſſ.* 25. *c.* 19. *quod nullus, ſcilicet, Regularis Apoſtata ad Cauſam de nullitate Profeſſionis intentandam admittatur, ſi prius ad propria Clauſtra non redierit, habitumque demiſſum iterum non reſumpſerit, decernit Pontifex, jus novum inſtituens, quod deinceps hujuſmodi Cauſæ ex atteſtationibus extrajudicialibus, etiam juramento firmatis non judicentur; ſed verus, & judicialis Proceſſus conficiatur ad regulas juris exactè redactus, ſub pœna nullitatis Actuum, ſi juxta dictas regulas inſtitutus non fuerit.*

2. *Sub eadem nullitatis pœna ſtatuitur quod in judicio citentur, & audiantur Defenſores Monaſterii, in quo Profeſſus vota emiſit, ipſius Profeſſi Propinqui, Conſanguinei, illi quoque, quibus ante Religionis ingreſſum bona ſua ceſſit, aut donavit: Omnes, uno verbo, illi, quorum intereſt Profeſſionem ſuſtinere. In primis tamen, & ante omnia, illi citari debent [ſi reclamatio ex metu incuſſo proveniat, & ſi ſuperſtites ſunt, qui incuſſerunt] qui indicati erunt tam quam Auctores, & Complices metus eidem incuſſi.*

3. *Injungitur locorum Ordinariis, ut in ſuis reſpectivè diœceſibus Perſonam aliquam in jure canonico peritam eligant, cui munus* Defenſoris Profeſſionum *imponant. Hujus officium erit, validitatem impugnatæ Profeſſionis defendere, atque pro ea in judicio contendere.*

4. *Lata demum ſententia ab Ordinario, & Superiore Regulari, ut ſupra; ſi ea fuerit pro validitate Profeſſionis, & Profeſſus acquieſcat,*

Cauſa finita erit. Si Profeſſus autem non acquieſcat, & ad Judicem ſecundæ ſententiæ appellet. Defenſor Profeſſionis apud eumdem Judicem comparere debebit, ut primum judicium pro validitate emiſſum tueatur atque defendat. Si ſententia fuerit pro nullitate, tunc Defenſor a lata ſententia appellare debet, & apud Judicem ſecundæ inſtantiæ pro ejus reviſione, atque revocatione inſtare.

5. Si poſt primam ſententiam de nullitate Profeſſionis, pendente, aut etiam culpabiliter a Defenſore omiſſa appellatione, interim Profeſſus exeat a Monaſterio animo non redeundi, aut Habitum dimittat, pœnis omnibus, atque cenſuris a Sacris Canonibus contra Apoſtatas inflictis, ſubiacere debebit.

6. Profeſſus ita reclamans, a Religione dimiſſus cenſeri non debet, niſi duas ſaltem obtinuerit ſententias conformes, a quibus nulla prorſus, & irrita declarata fuerit emiſſa Profeſſio.

7. Quoad Judices in ſecunda inſtantia, declarat eos eſſe debere, ad quos de jure omnes Cauſæ Eccleſiaſticæ, poſt ſententiam Ordinarii, in gradu appellationis reſpectivè devolvuntur. Iſti Judices autem cognoſcere de cauſa debebunt pariter, cum Superiore Regulari: iſte verò Superior, non quidem ille eſſe debebit, qui judicavit in prima inſtantia; Superior videlicet, illius Monaſterii, in quo Reclamans profeſſus eſt, ſed Superior Monaſterii illius, vel viciniorìs loci, ubi ſedet Judex in ſecunda inſtantia. Quod ſi eveniat hujuſmodi cauſas in ſecunda, aut ulteriorè inſtantia ad S. Congregationem Concilii, aut aliam Congregationem Romanam, ut aſſolet, pro judicio devolvi, tunc Superior Regularis locum non habebit in judicio.

Hæc de Reclamantibus intra quinquennium. Cum autem temporis progreſſu, elapſo etiam quinquennio a Tridentino ſtatuto, reclamationibus locus, juſtis de cauſis, relictus fuerit ſub nomine reſtitutionis in integrum; inſtantias pro cauſis Reſtitutionis ſibi, & ſucceſſoribus ſuis Benedictus reſervans, præcipit 1. ut ſi admiſſa inſtantia pro cognitione Cauſæ dictæ Reſtitutionis facultatem de ea cognoſcendi Locorum Ordinariis, & Regularibus, Superioribus delegaverit S. Sedes, tunc extra judicialibus non admiſſis, Proceſſus formalis ſuper cauſis, & motivis Inſtantiæ deinceps inſtituatur.

2. Inſtituto Proceſſu, & Romam ad reſpectivum Tribunal tranſmiſſo, dubioque in eo propoſito ſuper conceſſione petitæ Reſtitutionis in integrum, ſi favorabile fuerit reſcriptum, tunc Ordinario, & Regulari Superiori facultas committenda erit procedendi ad cognitionem Cauſæ de Nullitate Profeſſionis.

3. In conficiendis Proceſſibus ſuper Cauſis Reſtitutionis, ex novo Pontificis mandato, intervenire inpoſterum debebit Defenſor, pro ut ſupra Profeſſionis, & cum ipſo Ordinarii, & Superiores in omnibus procedere. Ad ipſum autem Defenſorem pertinebit interrogatoria dare, juxta quæ examinari debebunt Teſtes, aliaque ad Officium ſibi impoſitum pertinentia diligentiſſimè praſtare.

4. Pro fruendo Reſtitutionis in integrum beneficio, unica favorabilis reſolutio minimè ſufficere debet, niſi ea per ſecundam Conformem ſententiam, iterato cauſæ examine, & ſemper Profeſſionis audito Defenſore, fuerit confirmata. Ex quo ſequitur, quod Reclamans elapſo quinquennio, quatuor conformes ſententias obtinere debet priuſquam demiſſionis a Religione beneficiis frui poſſit: duas videlicet pro cauſa Reſtitutionis in integrum, & duas quoque pro nullitate Profeſſionis.

Hæc ſunt, quæ de jure tum antiquo, tum novo obſervari deinceps debebunt a Reclamantibus contra Profeſſionem emiſſam, & a Judicibus ſuper reclamationibus deputatis: & hæc omnia ſub pœna nullitatis Actuum in talibus Cauſis exactiſſimè teneri, obſervari, & ad praxim deinceps deduci mandat, & præcipit Benedictus XIV. in cit. Conſtitutione.

(*)

QUÆR. 3. An Religioſus factus Epiſcopus, eo ipſo à tribus votis Religionis, cæteriſque Regularibus obſervantiis ſit liber?

R. Nullatenus à votis ſolemnibus eſſe ſolutum; tum quia in Epiſcopatu manet ſemper Religioſus, proindeque votis ſtatui Religioſo eſſentialibus aditrictus; tum quia nulla eſt neceſſitas diſpenſandi cum illo in his votis, utpotè, quæ officio Epiſcopali non obſtant, nec dignitatem decent, ſed magis ad perfectionem juvant. Ita D. Th. 2. 2. q. 88. art. 11. ad 4. & videtur definitum in Cap. de Monach. 16. q. 1. ubi dicitur de Monachis ad Clericatus Ordinem evectis: Statuimus non debere eos à priori propoſito diſcedere. Habent igitur Religioſi Epiſcopi eamdem obedientiam præſtandam, ubi voti obedientiæ, Summo Pontifici omnium Religionum ſupremo Superiori; eamdem caſtitatem ſervandam, ſimul & paupertatem, ſecundùm quam nullius rei verum dominium ſibi comparare poſſunt, ſed Eccleſiæ cui præſunt.

Quoad cæteras obſervantias Regulares communior, & probabilior ſententia eſt, quòd ad eas non teneatur, ſive ad culpam obligent, ſive non, niſi tantum ex quadam honeſtate ac decentiæ debito. Ratio eſt, quia ut obſervantia Regularis obliget aliquem ſub peccato, neceſſe eſt talem ſubjectum eſſe Regulæ, & Prælatis; Lex enim obligat tantùm ſubditum; At Religioſus factus Epiſcopus liberatur à jugo Regulæ, ex Can. Statutum 18. q. 1. Ergo, &c.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 4. Quis è Religione ejici poſſit, & ad quid teneatur ejectus?

℟. Communiter cenſetur, ſolos Religioſos incorrigibiles, peſtilentes & ſcandaloſos poſſe, ac debere è Religione expelli. Id cautum eſt in multis Religioſorum Regulis, maximè D. Auguſtini, & D. Benedicti; & ratio eſt, tum quia bonum commune Religionis bono cujuslibet particularis eſt præponendum; tum quia non eſt melior conditio unius Religioſi, quàm totius Religionis. Poſſet autem Religioſus eam deſerere, ſi diſpenſabiliter eſſet deformata; ergo a pari, ſi diſperſabiliter ipſe eſt incorrigibilis, poteſt à Religione ejici. Incorrigibilis autem cenſetur, qui tribus vicibus juridicè convictus, ac animadverſus de eodem crimine gravi, non ſeſe emendavit. Porrò Religioſus per juſtam ſententiam ejectus votis religioſis eſſentialibus manet obnoxius, eaque quantùm poteſt obſervare tenetur; ſed liber eſt a cæteris Regularibus obſervantiis, etiam ad culpam obligantibus, quia cùm non ſit ampliùs hujuſce Religionis membrum, nec tali Regulæ ſubjacet, non videtur teneri ad ejus ſpeciales obſervantias. Tenetur tamen ſub gravi peccato mortalem adhibere diligentiam, ut iterùm recipiatur; quia cùm ſe voto obſtrinxerit uſque ad mortem in ſua Religione manere, tenetur quantùm in ſe eſt id præſtare, & impedimenta removere; Superiores verò tales etiam emendatos, recipere regulariter, & abſolutè non tenentur, quia per ejectionem ſuam facti ſunt infames, &c.

QUÆR. 5. Quid ſit Religioſus Apoſtata & fugitivus, & utrùm Superiores eos requirere, & recipere teneantur?

℟. Fugitivus propriè eſt is, qui ſine Prælati ſui licentia è Monaſterio diſcedit, ut extra ejus poteſtatem exiſtens ad tempus liberè vagetur, interea animum habens redeundi. Apoſtata verò, qui ſponte à Religione recedit animo ad eam nunquam redeundi. Et ſic omnis Apoſtata eſt fugitivus, ſed non omnis fugitivus eſt Apoſtata. Licet in foro exteriori fugitivus pro Apoſtata habeatur, ſi propoſitum redeundi probare non valeat. Pœnæ autem Apoſtaſiæ non incurruntur, niſi per realem & notabilem extra Monaſterii ſepta egreſſionem. Qui enim paucis paſſibus animo apoſtatandi è Conventu exiret, & ſtatim pœnitens reverteretur; licèt ob malam intentionem mortaliter peccaret, has pænas non incurreret; quia modicus ac brevis receſſus in foro exteriori non cenſetur conſummatus. Item qui ſupra modum injuſtè ab iniquo Superiore gravatus, aut in carcere non ſervato ordine Juris detentus, aut ſi ſervato, rebus ad ſuſtentationem omninò neceſſariis iniquè privatus, abſque licentia & aufugere, & carcerem infringere poteſt, ut ad majorem Superiorem tamquàm ad Patrem confugiat. Nec obſtat Trident. ſeſſ. 25. c. 4. *de Regularibus*, prohibens nè ullus Religioſus a Monaſterio recedat, etſi cauſa Superiorem adeundi, ſine licentia in ſcriptis obtenta, qui intelligitur de eo qui ſine gravi, ſed tantùm levi cauſa, Superiorem adit.

Porrò Superiores ſtrictiſſimè & ſub graviſſimo peccato, Apoſtatas & fugitivos requirere tenentur, juxta Cap. *A nobis* extr. *de Apoſtatis* & Cap. *Ne Relig.* extra *de Reg.* Quando tamen fugitivus, aut Apoſtata, ita eſt ſcandaloſus & aliis Fratribus periculoſus ut nulla ſit ſpes ejus emendationis, nec abſque gravi ac verò ſcandalo, cogi ac retineri poſſit, non tenentur Superiores eum violenter reducere. Quòd ſi verò ſponte redeant, & aliqualis emendationis ſpes affulgeat, ovem perditam ſuper humeros benignè ſublevare tenentur, ne linum fumigans extinguentes, & calamum quaſſatum infringentes, viſcera Miſericordiæ Divinæ immanitate ſua ſuper ſe occludant.

QUÆR. 6. An Religioſus è Religione egredi teneatur, ut Parentibus, non ſolùm in extrema neceſſitate, de qua nullum eſt dubium, ſed etiam in gravi, conſtitutis ſubveniat.

℟. Nec teneri, etiamſi neceſſitas Profeſſionem præceſſerit, nec poſſe abſque legitima Superioris licentia. Ratio eſt. 1. Quia jam ſtatum mutavit, nec paternæ poteſtati ſubeſt ampliùs; unde obligationi Parentibus ſubveniendi non tenetur ſatisfacere, niſi quantùm poteſt ſalvo ſuo ſtatu: Pari modo ac uxoratus uxorem deſerere non teneretur, aut Clericus in Sacris conſtitutus non teneretur fieri miles, ad Parentibus ſubveniendum, eo quòd ſtatus eorum id non patiatur. 2. Quia per Profeſſionem Religioſus Prælato ſuo traditur, & in ejus poteſtatem tranſit; ita ut mortuus mundo cenſeatur; At res tradita non poteſt auferri, ut Parentibus ſubveniatur, quando eorum inopia non eſt extrema; Ergo. Ita D. Thom. 2. 2. q. 101. art. 4.

Poteſt tamen è Monaſterio egredi, ad Parentibus ſubveniendum, cum his conditioni-

tionibus. 1. Cum Prælati ſui licentia, ſi habitum non dimittat: quod ſi dimittere cogatur, neceſſaria eſt Summi Pontificis diſpenſatio. 2. Si in Monaſterio degens eis ſubvenire non poſſit, concionando, legendo, artem aliquam exercendo, &c. Quod ſi verò in Monaſterio id præſtare valeat, non ſolùm poteſt, ſed, & tenetur, etiam non obtenta Superioris licentia, in id pro viribus occultè adniti modis omnibus ſtatum ſuum, & profeſſionem decentibus, juxta D. Thom. citatum. 3. Modò extra Clauſtra exiſtens omnia Religionis ſuæ eſſentialia, & omnia quæ ſuſtentationem non impediunt, diligenter obſervet. 4. Tandem modò ad Monaſterium redire ſit paratus, poſtquam Parentum neceſſitas ceſſaverit; cùm ipſa ceſſante abſque vera Apoſtaſia in ſæculo remanere non poſſit.

QUÆSTIO VI.

De Prælaturis Religioſis.

QUÆR. 1. Utrùm liceat Religioſo Ordinis ſui Prælaturas expetere & ambire.

℞. Jam probavimus ex D. Thom. D. Raym. & Antonin. ut plurimum hoc eſſe illicitum, atque mortale *hujuſce Diſſertationis*, Cap. 1. q. 1. a. 1. Quibus addendum eſt, quod, ſi ex iiſdem SS. Doctoribus, Clericis illicitum ſit Beneficium Curatum expetere, ſed ipſos tantummodò poſſe Beneficium ſimplex ambire; poſito quod hujus Beneficii verè ſint capaces, & ipſo ad ſuam honeſtam ſuſtentationem opus habeant; à fortiori Religioſo illicitum eſt Ordinis ſui Prælaturam expetere; cùm præſumi non poſſit ipſam ambire, ut neceſſaria ad victum & veſtitum, quæ ipſi Monaſterium ſuppeditare tenetur, obtineat. Ideò jure merito convincitur eam appetere, principaliter propter ambitionem; qua ſi non ſtimularetur, ac moveretur, de Prælatura minimè curaret; quod utique juxta Doctores omnes, nullo excepto, omninò damnabile eſt, ac mortaliter peccaminoſum.

Verumtamen nè nimio damnemur Rigoriſmo, obſervandum eſt. 1. Religioſum (idem de Clerico reſpectu Beneficii Curati dicendum eſt) qui nihil de capacitate ſua temerariè præſumit, ſed in ſolo Dei auxilio confidit, qui circa ſortem ſuam Superiorum voluntati, ac Divinæ Providentiæ diſpoſitioni totaliter ſe committit, quique ſincero zelo flagrans, nihil aliud quàm bonum Religionis ſuæ, & gloriam Dei quærit; non ſolùm licitè, ſed & meritoriè in Orationibus ſuis dicere poſſe cum Iſaia Propheta; *Ecce ego; mitte me*. Et ſic exponitur illud Apoſtoli: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*: quia nimirùm ſic diſpoſitus non præeſſe præcisè, ſed prodeſſe exoptat.

Obſerv. 2. Quod licèt nullus abſque gravi peccato, & quidem Simoniæ, munuſcula, obſequia, preces, adulationes, &c. adhibete poſſit, ut ad Prælaturam promoveatur; poteſt tamen, ſi aliunde, ut mox dictum eſt, bene ſit diſpoſitus, promotionis ſuæ juſta ac rationabilia impedimenta removere. Dixi *juſta ac rationabilia*. Si enim ab obligationibus ac muneribus ſuis hoc intuitu abſtineret, proculdubio quæ ſua ſunt quærere, non quæ Jeſu Chriſti, evidenter convinceretur.

QUÆR. 2. Quinam è Prælaturis Religioſis jure excludantur?

℞. Sequentes excluduntur. 1. Illegitimi non tamen illegitimæ, ut Abbatiſſæ, Prioriſſæ, &c. cùm jura excludant tantummodò viros. 2. Deſcendentes intra quartum gradum à Judæis, Mahometanis, vel Hæreticis, quorum oſſa igni tradita ſunt. 3. Tranſeuntes de Mendicantibus ad non Mendicantes. 4. Infames. 5. Excommunicati, Interdicti, Suſpenſi, Irregulares. 6. Continui valetudinarii munus ſuum obire non valentes. 7. Monſtruosè, deformes, &c. quæ apud Auctores videnda ſunt.

QUÆR. 3. Quænam in Superiore requirantur virtutes?

℞. Tres præcipuas requiri. 1. Scientia, & quidem non modica, ut nedùm ſeipſum in difficultatibus occurrentibus regere poſſit, ſed ut eos, quorum ſibi cura commiſſa eſt, viam ſalutis ac debitam Regulæ promiſſæ obſervantiam valeat edocere. Unde ſi ſufficientis eruditionis ac inſtructionis defectu ipſemet, aut ſubditi, quibus præeſt, erraverint, ignorantia ejus non ſolùm non excuſabit, ſed & accuſabit in tremendo Dei Judicio. 2. Prudentia non carnalis, ſed cœleſtis, cujus lumine illuſtratus ſubditorum ſuorum qualitates perquirat, inclinationes bonas, vel malas inveſtiget, diſpoſitiones perſcrutetur, ut juxta perſonarum loci, ac temporis circumſtantias, correctiones attemperet, & diſſimulationes adhibeat, nè aut rigore nimio, aut indulgentia laxiori, bonum commune, & particulare patiatur detrimentum à quo excuſari non poterit, dicendo *non putabam*.

3. Cha-

3. Charitas fervida, ut omni cura ſubditis ſuis corporalia ac ſpiritualia, quantùm fieri poteſt, ſubminiſtret; cujus paternæ ſollicitudinis defectu, ſi quis ſubditorum in peccatum ruat, aut ad laxitates & irregularitates protrahatur, ejus iniquitates portabit coram Deo, qui ſanguinem ejus de manu ejus requiret.

QUÆR. 4. Quæ ſint Superiorum munia?

℞. Tria aſſignamus præcipua. 1. Exemplo cæteris prælucere, communem in omnibus victu, veſtitu, habitatione, vitam agendo, ſolitudinem ſectando, Refectorium cum cæteris, & maximè Chorum indeſeſſè frequentando, cæteraſque regulares obſervantias adamuſſim obſervando. Quæ tanta eſt in Superiore obligatio, ut communiter cenſeant Doctores irregularitatem, quæ in ſubdito levis eſt & venialis, in Superiore gravis, & mortalis evadat. 2. Inſtruere, & exhortari ſubditos in doctrina ſana; ideò graviter peccant Superiores qui, vel ex incuria, vel ignorantia, quæ eos nullatenus excuſat, aut raró, aut nunquam verbum habent exhortationis, aut inſtructionis ad ſuos ſubditos, maximè Juniores, Laicos & Clericos; quique Fidei Rudimenta, Regulæ præcepta, ſtatus Religioſi obligationes eos edocere negligunt. 3. Prudenter delinquentes corripere, ne ignavè omnia diſſimulantes, penitus ruat aut labefactetur regularis obſervantia; quam ita ſartam tectam, conſervare tenentur, ut ſi vel una, etiam leviſſima, eorum culpa ac negligentia deſueſcat aut pereat, ſecundùm omnes Doctores gravi peccati rei efficiuntur; quia, licèt hæc de ſe levis ſit inobſervantia, ejus tamen continuitas acervatim & in effectibus ſuis ſpectata, gravis eſt utique & per magna.

DISSERTATIO II.

De Statibus Sæcularibus.

TRes ſtatus Sæculares ſpecie in quibus cæteri ſtatus continetur, hìc nobis exponendi occurrunt. 1. Eſt ſtatus politicus & civilis. 2. Œconomicus & domeſticus. 3. Eſt diverſarum artium ad publicam utilitatem conducentium.

CAPUT I.

De Statu Politico & Civili.

STatus politicus ſeu civilis, tres item Status complectitur. 1. Principum & Magiſtratuum. 2. Ducum & Militum. 3. Judicum & eorum Miniſtrorum; de quibus ſingulis quæſtionibus.

QUÆSTIO I.

Quænam ſint Principum ac Magiſtratuum, & ipſis ſubditorum, præcipue obligationes?

TRes ſunt præcipue Principum, Magiſtratum & Poteſtatem ſæcularium obligationes.

Prima: Divinas leges, Religionem & Eccleſiam auctoritate ſua tueri, ſi quidem omnis Poteſtas, cùm ſit à Deo, ad ipſum Deum, à quo derivata eſt, & ad ejus Eccleſiam, cujus Principes ſunt filii, referri debet, juxta illud D. Aug. Tract. 11. in Jo: *Proprium officium Regum eſt, ut Eccleſia ſancta, cujus ſicut filii ipſi ſunt, habeat ipſorum tempore integram pacem, & quietem.* Et Cœleſtinus Papa ſcribens ad Theodoſium Imp. dicit, Principes *magis ſollicitos eſſe oportet de pace Eccleſiarum, quàm de ſuorum ſtatuum ſecuritate; cum enim primo eorum cura eſſe debeat, ut quæ Deo placent, conſerventur*: Hinc.

Reſol. Principes, Magiſtratus, &c. graviter peccare. 1. Qui ſcandaloſas Populi diſſolutiones, lupanaria, ludos alearum, uſuras publicas extirpare ac reprimere negligunt. 2. Qui diebus Dominicis & Feſtivis Officinas aperiri, Choreas publicas agi, Nundinas & Mercatus haberi vinum Divinorum Officiorum tempore, à Cauponibus miniſtrari, permittunt. 3. Qui Hæreticorum Conventicula diſſipare non curant. 4. Qui jura Eccleſiæ pro virili non defendunt. 5. Qui in Eccleſiaſticam Juriſdictionem attentat, &c.

Secunda Obligatio eſt Populi ſibi commiſſi ſaluti & incolumitati diligenter invigilare. Reges quippe & Principes non ſolùm à Scriptura ſacra, ſed à Sapientibus Ethnicis, Paſtores Populorum appellantur; quaſi qui eorum non ſuam, curam gerant; nec Rex à Tyranno differt, niſi quòd Tyrannus ſuum ipſius commodum quærat, Princeps verò ſubditorum: Hinc.

Reſol.

Digitized by Google

Reſol. Poteſtates ſæculares graviter peccare. 1. Qui Populum tributis nimiùm gravibus onerant. 2. Qui injuſtè vexatos non defendunt. 3. Qui vias ſecuras & à Sicariis liberas eſſe non curant. 4. Qui rerum ad victum & veſtitum neceſſarium copiam in Civitatem inducere notabiliter negligunt. 5. Qui res ſupradictas nimio pretio vendi permittunt, &c.

Tertia obligatio eſt juſtitiam, tum vindicativam in criminibus puniendis, tum diſtributivam in oneribus diſtribuendis, inviolabiliter ſervare. Juſtitia enim Regnorum omnium baſis eſt & fundamentum; & ſine ea, inquit Auguſtinus, lib. 4. de Civit. Omne Regnum non eſt, niſi magnum latrocinium. Hinc.

Reſol. Toparchas ſeu Dominos temporales, jus atque poteſtatem vitæ ac necis habentes, graviſſimè peccare. 1. Qui Officiarios ac Judices probos ac idoneos in ditionibus ſuis, ad juſtitiam cum timore Domini exercendam, non conſtituunt. 2. Qui utrùm dignè Officio ſuo fungantur, inquirere non ſatagunt. 3. Qui in ditionibus locum idoneum ad miniſtrandam juſtitiam, & carceres tutos, juxta Edicta Regia erigi aut conſervari non curant. 4. Qui vel ſumptibus parcentes, vel Amicorum aut Parentum commendationibus nimium indulgentes, crimina in ditionibus ſuis perpetrata ſecundum leges puniri negligunt. 5. Qui cum criminoſis de aliqua pecuniæ ſumma ſibi conferenda paſciſcuntur, ut liberos eos dimittant; quo caſu ad reſtitutionem, non quidem criminoſis ipſis, ſed pauperibus faciendam, ſtrictiſſimè tenentur, cum nullum in hanc pecuniam dominium habere poſſint.

Item contra juſtitiam, nedum diſtributivam, ſed & commutativam, graviter peccant, & ad damnum præteritum & futurum compenſandum, ſtrictè tenentur, Conſules, collectores, & cæteri, quibus tributorum impoſitio commiſſa eſt, qui de facultatibus Concivium ſuorum minimè inquirentes, nonnullos plus æquò onerant, quique huic injuſtæ impoſitioni, mandato, conſilio, commendationibus, & quovis alio modo efficaciter cooperantur.

Quoad Subditorum obligationes erga ſibi ſuperiores Poteſtates, tres præcipuæ annumerantur: Omnem nimirum reverentiam exhibere, obedientiam præſtare, & juſta tributa ſolvere, juxta illud Apoſtoli: *Cui vectigal vectigal, cui honorem honorem: & Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Propter primam; obligationem; detractiones, contumeliæ, maledictiones, in Poteſtates jactatæ, longè graviores ſunt, quàm ſi in privatos homines committerentur. Propter ſecundam, inobediens & protervus in ipſum Deum inſurgit, cujus ordinationi reſiſtit. Propter tertiam, tributa juſta defraudans injuſtitiam committit & ad reſtitutionem tenetur; cùm tributa jure naturali, divino & humano, Regibus & Principibus debeantur.

QUÆSTIO II.

Quænam ſint Ducum ac Militum obligationes?

QUi militiæ nomen dederunt, vi ſtatus ſui, triplici obligatione devicti ſunt. 1. Fidelitate & obedientia erga Principem & militiæ Præfectos. 2. Charitate & manſuetudine erga Populos, pro quibus militant. 3. Fide & juſtitia erga ipſomet hoſtes, adversùs quos pugnant.

Contra primam obligationem graviter peccant. 1. Qui militiam abſque miſſione deſerunt. 2. Qui ad partes inimicorum tranſeunt. 3. Qui militiæ ſecreta revelant. 4. Qui, etiam cum vitæ periculo, Miniſteria ſibi imperata non præſtant. Item mortaliter peccant, & ad reſtitutionem tenentur, Duces & Tribuni. 1. Qui ſuorum Militum numerum non complent, dum poſſunt & debent. 2. Qui in copiarum recenſione extraneos non Milites, gallicè, *Paſſe volans*, ſupponunt. 3. Qui annonam extorquent pro Militibus, quos non habent. 4. Qui Militibus annonam jam corruptam miniſtrant. 5. Qui Militibus debitum ſtipendium retinent. 6. Qui pecunias exigunt à locis, per quæ tranſeunt, nè diu morentur, aut in alios emigrent. 7. Qui Militibus plura ſyngrapha tribuunt ad illorum, vel proprium emolumentum, in damnum alterius, &c.

Contra ſecundam obligationem peccant mortaliter, & ad reſtitutionem tenentur Milites, qui hoſpites ſuos variis modis vexant, ut pecuniam aut aliquid indebitum ab eis extorqueant. Item & Duces, qui ſimilia permittunt Militibus ſuis, nec quæ furati ſunt, aut injuſtè extorſerunt, eos reſtituere cogunt.

Contra tertiam obligationem peccant graviter Duces & Milites. 1. Qui fidem datam hoſtibus frangunt, aut fraudulenter interpretantur. 2. Qui auctoritate propria,

& non

Digitized by Google

& non imperati, prædam in eos exercent. 3. Qui glandes, puteos, aquas, &c. veneno inficiunt. 4. Qui directè occidunt eos, qui nec arma geſtant, aut geſtare ſolent: v. g. Pueros, Mulieres, Senes, Religioſos, Clericos, Peregrinos, Ruſticos, Mercatores, etiamſi præda Urbis fuiſſet ipſis conceſſa. 5. Qui Eccleſias diripiunt, & rebus Divino Servitio conſecratis ſacrilegas manus injiciunt. 6. Qui ferro & neci non parcunt, dum ipſis a Militiæ Præfectis imperatum fuit. 7. Qui ex motu vindictæ & odii quoslibet hoſtes, etiam juſtè, trucidant, aut ipſis damnum inferunt, &c.

QUÆSTIO III.

Quænam ſint Status Judicialis obligationes.

PErſonæ ad Judicium concurrentes ſunt Judex, Actor, Teſtes, Reus, Advocatus, Referens, Procurator, Notarius, Scriba, Lictor ſeu Apparitor; de quorum obligationibus ſub diverſis agemus titulis.

De Judice.

Judex ſic dicitur, quatenus jus dicit, ſeu determinat ac definit quid unicuique ſit debitum ex juſtitia; ſive ea ſit commutativa, dum de bonorum reſtitutione agitur; ſive diſtributiva, dum de oneribus aut præmiis conferendis; ſive vindicativa, dum de criminibus plectendis. Hujus quatuor ſunt obligationes præcipuæ.

Prima eſt, ut auctoritate legitima, & competenti præpolleat. Ratio. D. Thom. eſt 2. 2. q. 67. a. 1. quia ſententia Judicis eſt lex particularis: At qui nulla lex niſi ſubditos obligare poteſt; ergo nemo poteſt ac debet ferre ſententiam in cauſam, vel perſonam, niſi ſubditam; & qui hoc attentare præſumit, nullam planè obligationem inducit, ſed & contra juſtitiam mortaliter peccat.

Secunda obligatio eſt, ut ſcientia ſufficienti ſit præditus, juxta illud Pſalmiſtæ: *Erudimini, qui judicatis terram.* Ideò nullus Officium Judicis aſſumere debet, niſi ſcientia competenti ſit inſtructus, vel brevi eam comparare poſſit & intereà à Judicio ferendo abſtineat: Alioquin mortaliter peccat, & damnum inde ſecutum reſtituere, & compenſare tenetur. Si autem non ex ignorantia vel fraude, ſed ex infirmitate ſapientioribus communi, injuſtam tulerit ſententiam; non tenetur quidem reſtitutionem facere ex propriis, ſed tantùm ſi aliquid commodi inde percepit: Tenetur tamen curam omnem impendere, ut ſententia reſcindatur, vel appellatione, vel alio modo poſſibili.

Tertia obligatio eſt, ut juſtitiam, & integritatem illibatam in omnibus conſervet, contra quam peccant Judices, & ad reſtitutionem tenentur. 1. Qui rationabilem diligentiam in Cauſis examinandis ac terminandis non adhibent, ſi inde Partes aliquid detrimenti patiantur. 2. Qui metu, avaritia, odio vel amore, vel quovis alio terreno reſpectu, ſententiam injuſtam ferunt, tum quoad litis ſubſtantiam, tum quoad ſumptuum adjudicationem. 3. Qui munera ſuſcipiunt, nedùm pro ferenda ſententia injuſta, ſed & juſtiſſima; quia ex officio ad hoc tenentur, nec quis poteſt, ſalva juſtitia, pro eodem labore duplex pretium recipere. Imò cenſent communiter Doctores, Judicem recipere non poſſe munera, etiam liberaliter oblata, licet ad reſtitutionem non teneatur; tum quia id à lege divina eſt inhibitum; tum quia gravi committit ſe periculo graviter peccandi: Juxta illud Deuter. 16. 18. *Non accipies perſonam nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.* 4. Peccant contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenentur, qui cùm poſſint ac debeant ferre ſententiam, ad aliud Tribunal, tamquàm novi Pilati, judicium transferunt. 5. Qui ſententiam ferunt ambiguam, ut ad novas interpretationes deveniatur. 6. Qui in re evidenter juſta unum litigantium ad compoſitionem, ſub dubii eventus prætextu, accedere fraudulenter inducunt. 7. Qui ſententiam non proferunt æque citò ac deberent, tricas atque cavillationes, & formalitates inutiles permittendo, ac diſſimulando, quibus litigantes defatigantur & exhauriuntur. 8. Qui judiciarias ſportulas, gallicè *epices*, tam pro ſe, quàm pro aliis, plutis quàm par eſt, contra leges faciunt, &c.

Quarta obligatio, ut in Judiciis ferendis ordinem Juris à legibus ſtatu tum religiosè ſervet. Cùm enim Judex non à ſe, ſed à legibus auctoritatem judicium exercendi acceperit, non juxta placitum & arbitrium ſuum, ſed juxta legum præſcripta, illud exercere poteſt ac debet. Ideò Judices graviter peccant, qui abſque legitima cauſa pœnam à legibus ſtatutam, vel notabiliter relaxant, aut augent; qui abſque præ-

præcedente infamia ſpecialem inquiſitionem inſtituunt, qui abſque gravibus indiciis, aut ſemiplenis probationibus Reum citant, detineri, aut torqueri jubent, &c.

Hic dubium grave occurrit: Utrùm ſcilicet, Judex teneatur Reum per Teſtes probatum condemnare, quem privata ſcientia novit innocentem, quemque nulla alia via liberare poteſt, vel Teſtes per varia intervalla ſtrictiùs examinando, vel eos minis terrendo, vel Judicium protrahendo, vel carcerem aperiendo, ſi citra gravius damnum fieri poſſit, vel cauſam ad Judicem ſuperiorem remittendo, ac depoſita perſona Judicis Teſtis officium aſſumendo, &c. Communior atque probabilior ſententia eſt, Judicem talem Reum exiſtimatum, ſaltem in cauſis gravioribus, ubi de vita, non de ſolis mulctis pecuniariis agitur, abſque gravi peccato damnare minimè poſſe.

Ratio eſt. 1. Quia lege divina & naturali prohibitum eſt, & intrinſece malum, occidere innocentem, adeoque nunquam licitum; Legitur enim Exod. 23. 1. *Inſontem & juſtum non occides, nec ſuſcipies vocem mendacii, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies.* Et ſicut nullus poteſt cognoſcere non ſuam, ut talem cognitam; eo quod non ſuam cognoſcere ſit intrinſecè malum; pari modo, & ob eadem rationem, nullus poteſt condemnare juſtum, ut talem cognitum. 2. Leges civiles veritatem cauſæ, & juſtitiam priùs & principaliùs intendunt, quàm probationem juridicam, quæ eſt tantummodò medium ad illam. Siquidem Teſtes ſecundùm leges non aſſumuntur, niſi ut de veritate Judici fidem faciant. Teſtes verò in præſenti caſu nullam Judici fidem faciunt, cùm manifeſtè ſibi contrarium conſtet: Ergo.

Dices. Judex perſonam publicam ſuſtinet, ſecundùm quam judicare debet. Deinde effatum eſt indubitatum à D. Amb. relatum, Serm. 20. in Pſalm. 118. *Bonum Judicem nihil ex arbitrio ſuo facere, ſed juxta leges, & jura pronuntiare.* R. Diſtinguo, Judex debet judicare; ut eſt perſona publica, Reipublicæ nomine, in his in quibus à Republica poteſtatem habet, C. in quibus non habet, N. Reſpublica autem nec potuit, nec voluit Judici conferre poteſtatem innocentem occidendi, de cujus innocentia conſtat, cùm hoc ſit intrinſecè malum. Et Judex juxta leges & jura pronuntiare tenetur, dum de facto pronuntiat; ſed in præſenti caſu poteſt & debet ſe habere negativè, nullatenus pronuncians, & tunc nec contra, nec juxta leges pronuntiabit, quod ipſi omninò licitum eſt.

De Referente.

Referens, ſeu Relator Cauſæ, Gallice, *Rapporteur*, mortaliter peccat, & ad reſtitutionem tenetur, qui culpabiliter malè refert, aliquid nimirùm ſubſtantiale ex incuria, aut fraude prætermittendo, unius Partis juſtitiam plus quàm alterius exponendo; & ſecretum uni in præjudicium alteriùs manifeſtando, uno verbo partialiter, negligenter, aut fraudulenter in Cauſæ expoſitione ſe habendo.

De Actore.

Licet Actor in genere dicatur, qui in qualibet Cauſa, tum criminali, tum civili, ad judicium provocat, & litem intentat; ſpecialiter tamen Actor ſeu Accuſator dicitur, qui aliquem coram Judice crimine accuſat, ad vindictam publicam obtinendam; quod crimen ſub pœna talionis ſe probaturum ſpondet; Quod ſi verò hoc non ſpondeat, dicitur tantummodò Denuntiator. In omni Actore tria requiruntur.

1. Veritas, nè alterum deferat vel accuſet de falſo crimine, & nihil in proceſſu litis proferat, quod veritati minùs ſit conſonum. 2. Juſtitia, nè aliquid injuſtum moliatur, Teſtes falſos adhibendo, Judices corrumpendo, aut de eorum ſententia juſta injuſtè appellando, &c. quæ omnia peccata ſunt mortalia, & ad reſtitutionem aut compenſationem damni illati obligantia. 3. Recta intentio; ita ut reum non accuſet aut deferat, niſi quia tenetur, aut ex juſtitia, ſi accuſandi vel ratione officii, vel pacti, vel ſtipendii ſibi incumbit obligatio; aut ex charitate, ſi crimen in malum publicum vergat, &c.

De Teſtibus.

Teſtium duplex eſt obligatio. 1. Teſtificari dùm à legitimo Judice legitimè ſunt interrogati; id eſt, dum de crimine aliquo præceſſit infamia, vel ſufficientia ſuppetunt indicia. 2. Verum abſque fuco teſtificari; ſiquidem falſum teſtimonium graviſſimum eſt peccatum, tenenturque falſi Teſtes ad reſti-

reſtitutionem damnorum, quæ ex falſo teſtimonio intulerunt, ut per ſe patet.

Quatuor autem titulis quilibet teſtificari tenetur, dum à legitimo Judice & legitimo ordine eſt interrogatus. 1. Titulo boni communis, cui omnes conferre tenentur; aliàs nunquàm ad veritatis cognitionem, & criminis punitionem deveniri poſſet. 2. Titulo charitatis, dum alterius innocentia periclitatur, vel ſi defectu teſtificationis aliquis grave damnum injuſtè pateretur. 3. Titulo obedientiæ Superioribus debitæ. 4. Titulo juſtitiæ juxta Doctorum communiorem ac probabiliorem ſententiam; quia poſito Judicis legitimo imperio, ſubditus eidem obtemperare tenetur, eodem titulo ac ſervus Hero ſuo: Servus autem ad id tenetur ex juſtitia: Igitur, ſi Teſtes legitimè citati, ex juſtitia Judici parere teneantur, & quilibet jus habeat auctoritatem Judicis implorandi, ſequitur Teſtes contra juſtitiam peccare, & ad reſtitutionem teneri, ſi ex reticentia veritatis in cauſa ſint, cur aliquis jus ſuum amittat.

Nonnulli tamen ſunt caſus, in quibus Teſtes, etiam legitimè imperati, contra reum teſtificari non tenentur. 1. Dum ſub ſecreto naturali crimen acceperunt; modò tamen crimen ſit præteritum, non autem futurum pro magno Reipublicæ, vel innocentis proximi malo avertendo. 2. Dum crimen per illatam injuriam, v. g. Litteras aperiendo, cognoverunt, quia hæc injuria conventioni de ſecreto ſervando æquivalet. 3 Dum rationabiliter præſumitur teſtimonium fore inutile. 4. Dum Accuſatus, Partibus ſatisfecit. 5. Dum ex teſtimonio ſibi & ſuis Parentibus uſque ad quartum gradum notabile damnum imminet, nec crimen Reipublicæ valde eſt perniciosum, ut crimen Hæreſis, læſæ Majeſtatis, Veneficiorum, &c.

De Reo.

Tres ſunt Reorum aut Criminoſorum obligationes.

Primo. Crimen proprium fateri, dum ſe novit à legitimo Judice, & legitimo ordine interrogatum; dum adſunt nempè gravia indicia aut ſemi plena probatio; & hoc, etiamſi ob hujus criminis confeſſionem morte plectendus eſſet, juxta communiorem ac probabiliorem Doctorum ſententiam. Ratio D. Thom. eſt 2. 2. q. 69. art. 1. quia *pertinet ad debitum juſtitiæ, quòd aliquis obediat ſuo Superiori in his, ad quæ jus Prælationis ſe extendit: Judex autem Superior eſt reſpectu ejus qui judicatur*, & jus Prælationis ejus ad hunc caſum ſe extendit; Ergo in tali caſu Reus ipſi parere tenetur. Siquidem obtemperandi obligatio a jure imperandi eſſentialiter dependet; ita ut ſi nulla adſit obtemperandi obligatio, nullum adeſt jus imperandi; ſicut vice verſa, ſi nullum adſit jus imperandi, nulla aderit obligatio obtemperandi; Atqui Adverſarii ultrò fatentur in tali caſu Judicem jus imperandi habere; ergo fateri coguntur Reum ipſi parere teneri, niſi ſibimet contradicere velint.

Dicunt. 1. Nullum teneri arma contra ſeipſum præbere, aut arma propriæ defenſioni neceſſaria deponere. 2. Teſtes etiam juridicè & cum juramento examinati veritatem dicere non tenentur, ſi inde ſibi aut ſuis grave detrimentum timeant; ergo multò minùs Reus contra ſeipſum teſtificari tenetur in mortis periculo. 3. Non obligat lex poſitiva humana cum vitæ periculo; Ergo longè minus lex privata Judicis.

℞. Ad 1. Dum quis injuſtè impugnatur, non tenetur arma deponere, C. dum juſtè, N. Reus autem à legitimo Judice, legitimo ordine interrogatus, juſtè impugnatur, nec abſque peccato per injuſtam inobedientiam ſeipſum defendere poteſt. Ad 2. Inter Reum & Teſtes id diſcriminis eſt, quòd Teſtes, utpote innocentes, jus habeant vitam ſuam, bona & conſanguineorum ſuorum conſervandi, non autem Reus, ob crimen à ſe perpetratum & ſemi-plenè jam probatum. Adde quod jus Prælationis Judicis in tali caſu non ſe extendat erga Teſtes, benè quidem erga Reum ſemi-plenè convictum. Ad 3. Ideò lex poſitiva humana cum vitæ periculo non obligat, quia tunc nullum hujuſce legis extat præceptum, nec Legiſlator humanus potuit aut voluit id præcipere. Judex autem verè poteſt, & de facto vult, Reo ſemi-plenè convicto præcipere, ut veritatem fateatur. Si enim id eidem præcipere non valeret, abſque gravi peccato ipſum interrogare non poſſet, cùm in hoc auctoritatis ſuæ limites excederet, quod nemo ſanè dixerit.

Eam ob cauſam cenſent communiter Doctores, Reum, quem Judex interrogat de facto, quod abſque culpa, ſaltem lethali, perpetravit, non teneri veritatem fateri. Si v. gr. Petrus Joannem occidit ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, aut certè abſque notabili exceſſu; quia videlicet Ju-

Bb 2 dex

dex nec poteſt, nec vult, niſi de criminoſa occiſione inquirere.

Secunda obligatio eſt, Complices detegere, niſi totaliter ſint occulti, & nulla de ipſis præceſſerit vel infamia, vel indicium; tunc enim cùm Judex nullum jus interrogandi habet, Reus Complices occultos manifeſtare nec tenetur, nec debet. Obſervandum eſt tamen, Reum teneri Judici reſpondere de Complicibus. 1. Dum de crimine valdè atroci & Reipublicæ nimis pernicioſo agitur, cujus modi ſunt Hæreſis, Civitatis proditio, in Principem conjuratio, Monetæ falſificatio, publicum latrocinium, viarum graſſatio, &c. 2. Dum id requirit damnum alicujus innocentis, quod aliter impediri non poteſt. 3. Dum crimen Complicem neceſſariò requirit, juxta communiorem Doctorum ſententiam. 4. Dum legitima conſuetudo obtinuit, ut etiam in privatis criminibus occultis, quæ detegi Reipublicæ intereſt, Reus de Complicibus interrogetur.

Tertia obligatio eſt, ſententiæ juſtæ parere. Ideò legitimè ad mortem damnato ſe defendere, aut vim vi repellere, non licet. *Qui enim poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Imò injuſtè damnatus ſeipſum tueri non poteſt, ſi ſcandalum vel gravis Reipublicæ turbatio timeatur. Ita D. Th 2. 2. q. 69. art. 4. Hinc tam in civilibus, quàm in criminalibus cauſis graviter peccat, ſi cauſa repellendæ vel differendæ juſtæ ſententiæ ad ſuperiorem Judicem appellet: Tunc enim & Judici rectè judicanti, & Actori injuriam infert. Hinc etiam fit, ut pœnam juſta ſententia Judicis decretam in ſeipſo exequi teneatur; dum nimis gravis non eſt, qualis cenſetur pœna carceris ad tempus, exilii, pecuniæ ſolutio, & ſimiles.

Dixi, dum nimis gravis non eſt; ſiquidem gravem pœnam, v. gr. perpetui carceris, mutilationis aut mortis, nullus in ſeipſum exequi tenetur. Imò ad hæc, etiam juſtè damnatus (ſecluſo tamen gravi ſcandalo, & juramento, aut Reipublicæ periculo) vincula & carcerem infringere, & effugere poteſt; modò nulli vim & injuriam directè inferat. Nec de damno tenebitur, quamvis Cuſtos Carceris aliquid incommodi inde patiatur, aut alii captivi per hoc fugiant, quia utenti jure ſuo nihil imputatur ad culpam.

Utrùm autem, qui vi tormentorum falſum crimen confeſſus eſt, teneatur ſub mortali hujuſmodi confeſſionem retractare, cum novi tormenti periculo; certum eſt ad illud teneri, ſi innocentem accuſavit; aut ſi cauſa Reipublicæ communis, aut ſalus ſpiritualis alicujus, aut fama cujuſdam familiæ, aliquid ex falſa ſua confeſſione patiatur, etiamſi exiſtimet ſe non fore audiendum, nec ampliùs ſibi credendum. Quod ſpectat ad ſeipſum, cenſent communiter Doctores, non teneri falſam confeſſionem in ſe factam revocare, ſi inde nova timeat atrocia tormenta; tenebitur tamen ſaltem in mortis articulo, cùm ad Patibulum ducitur, eam revocare, ut quantùm rationabiliter poteſt, propriæ & ſuorum famæ conſulat, aut ſcandalum Populi auferat, &c.

Pro Confeſſariorum praxi obſervandum eſt. 1. Abſolutionem ſacramentalem ordinariè Reis non eſſe concedendam, niſi poſtquàm in foro profano res ſint terminatæ. Vix enim priùs ſincerè confitentur; imò ſæpiùs expedit ob eamdem rationem, ut non concedatur, niſi poſtquàm ad ſupplicii locum perventum eſt. 2. Confeſſarius Reum non multum urgere debet, ut ſe externè talem fateatur qualis à Judicibus habetur, cùm fortè ſit innocens, nec Rei querelas, & de innocentia ſua proteſtationes facilè admittere debet. 3. Peccaret mortaliter Confeſſarius ſigillumque Confeſſionis violaret, qui poſt ſupplicium, Judicem aut quemlibet alium moneret, Reum denuntiationes à ſe factas, in Confeſſione revocaſſe. Nec expedit, etiam cum Rei defuncti licentia, hanc revocationem evulgare; ſed monendus eſt Reus, ut extra Confeſſionem coram teſtibus ſuam falſam denuntiationem revocet. 4. Confeſſarius, qui alicujus Rei innocentiam ex Confeſſione novit, nec tenetur, nec debet eam evulgare, aut ipſam Judici aperire, & pro ipſo intercedere, tum quia id vix abſque ſcandalo fieri poteſt; tum quia poſt publicam Rei Confeſſionem eidem ampliùs fides non adhiberetur; tum quia ſæpiùs unius innocentia aperiri non poteſt, quin alterius crimen appareat, ad quod Confeſſarius abſque ſigilli Confeſſionis fractione conferre non poteſt; tum tandem qui facinoroſi audientes, Confeſſarios ſic pro prætenſis innocentibus intercedere, inde facilè ſuaderentur facinora ſua callidè celare, & Confeſſionem ſacrilegam perpetrare. 5. Apud Principem ſupremum, qui gratiam abſque peccato conferre poteſt, pro Reo intercedere licet, non autem apud alios Judices; niſi tantummodo ad cujuſdam pœnæ relaxationem

tionem obtinendam, quæ nulli nec bono particulari, nec publico, nociva eſſe poteſt.

De Advocato, Procuratore, Notario, Scriba, & Apparitore.

Hi omnes, pro ſuo quiſque munere debitè exercendo, ſufficientem peritiam habere, juſtitiam ſectari, & fidelitatem in omnibus ſervare tenentur.

Defectu peritiæ graviter peccant, & ad reſtitutionem tenentur, *Advocati & Procuratores*, *Notarii & Scribæ*, &c. qui licet non ex malitia, ſed ex munium ſuorum ignorantia craſſa, nonnulla eſſentialia vel prætermittunt, vel faciunt quæ in cauſa ſunt, cur Clientes juſtam litem perdant, vel quodlibet damnum injuſtè patiantur.

Contra juſtitiam peccant, & ad damnum reſarciendum tenentur *Advocati & Procuratores*. 1. Qui cauſam quam noverunt injuſtam, defendunt, & de ejuſdem injuſtitia Clientes non monent. 2. Qui injuſtis dilationibus & cavillationibus partem adverſam vexant, & impediunt ne jus ſuum proſequatur. 3. Qui Clientibus juſtè damnatis ſuadent, ut de ſententia lata appellent. 4. Qui ſcripta ſua in immenſum extendunt, & vanis atque inutilibus rationibus reſarciunt, ut lucra ſua inde augeantur. 5. Qui majus ſtipendium, quàm à Regiis Edictis taxatum, vel communi timoratorum judicio debitum eſt, extorquent.

Item contra juſtitiam peccant *Notarii*. 1. Qui ſine cauſa inſtrumenta conficere renuunt, vel ea occultant, vel non exhibent juſtè petentibus, vel qui ea non produnt cùm ex officio tenentur, licèt Partes non exigant, & ea ignorent. 2. Qui in ſcriptis ſuis clauſulas ambiguas, quæ litis materiam ſubminiſtrent, inſerunt. 3. Qui inſtrumenta injuſta, v. g. Uſuram palliantia conficiunt. 4. Qui ſcienter Teſtamentum, aliumve contractum hominis ſufficienti rationis uſu deſtituti, ſuſcipiunt, &c. Eadem cum proportione dicenda ſunt de *Scribis* ſeu *Graffariis*.

Item contra juſtitiam peccant, & ad reſtitutionem tenentur *Apparitores* ſeu *Lictores*. 1. Qui plura extorquent ſtipendia pro uno itinere, quaſi pro pluribus, licèt illo uno itinere plura vadimonia ſibi mandata perfecerint. 2. Qui fingunt ſe vadimonia conſtituiſſe, licèt de facto non conſtituerint. 3. Qui falſum in Actis ſuis enuntiant. 4. Qui tempore præſcripto Acta juridica ſibi commiſſa non faciunt, ex quo damnum Partibus emergit. 5. Qui tempus neceſſarium ad Acta juridica facienda non concedunt. 6. Qui commiſſionum ſuarum occaſione pauperes vexant, & in eos violentias exercent, &c.

Contra fidelitatem graviter peccant, & ad reſtitutionem tenentur *Advocati*, & *Procuratores*. 1. Qui Clientes de dubio cauſæ ſuæ non monent, quo cognito non fuiſſent litigati, 2. Qui in cauſa manifeſtè juſta eoſdem Clientes ad compoſitionem injuſtam inducunt, ut adverſæ Parti faveant. 3. Qui cum adverſa Parte colludunt, vel ſecreta Clientum ſuorum revelantes, vel utrique Parti ſervientes. 4. Qui in negotiis & cauſis ſibi commiſſis curam & diligentiam debitam non impendunt; quo fit, ut Clientes injuſtè cauſam perdant, tempus terant, & magnas expenſas faciant, &c.

Item contra fidelitatem graviter peccant, & ad damni ſecuti compenſationem tenentur, *Notarii & Scribæ*. 1. Qui ſecretum quod ſervare debent, in alterius præjudicium produnt. 2. Qui ex negligentia, vel malitia falſum inſtrumentum condunt, nonnulla minus veritati conſentanea, vel inferendo, vel mutando, vel omittendo, &c. 3. Qui inſtrumentorum, aut ſententiarum Regiſtrum fideliter non ſervant, aut non referunt, &c.

Item contra fidelitatem graviſſimè peccant Capitalis Tribuni Satellites, Gallicè, *Archers du Prevot*, qui Criminoſos prehendere juſſi, iniquè cum ipſis colludentes, eos evadere ſinunt, nec ad eorum prehenſionem ſufficientem diligentiam adhibent; & ſi quid pro hac iniqua colluſione ſuſceperint, ad reſtitutionem tenentur.

CAPUT II.

De Statu Œconomico, ſeu Domeſtico.

IN Statu Œconomico, ſeu Domeſtico comprehenduntur. 1. Conjuges. 2. Parentes, & Filii. 3. Tutores, & Pupilli, 4. Domini, & Servi. 5. Magiſtri ac Diſcipuli. De primis commodiùs agemus in Tractatu de Matrimonio; De cæteris nunc nobis agendum incumbit ſingulis Quæſtionibus.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quænam ſint Parentum erga filios, & filiorum erga Parentes obligationes?

Parentes filiis ac filiabus ſuis quatuor ex juſtitia exhibere tenentur: Amorem nimirum, inſtructionem, exemplum, & correptionem. Dixi ex juſtitia; ideò ſi Parentes in his aliunde peccent, duplex peccatum committunt in Confeſſione declarandum.

Contra amorem filiis debitum, graviter peccant. 1. Qui vitam prolis conceptæ fovere notabiliter negligunt, aut qui immoderata itineratione, curſibus, ſaltibus, &c abortus periculo ſeſe committunt. 2. Qui prolem natam cautè nutriri diligenter non curant. 3. Qui abſque graviſſima & urgenti neceſſitate filios ſuos in Xenodochiis collocandos exponunt, & tenentur ad reſtitutionem ipſi Xenodochio faciendam, ſi poſſint. 4. Qui, vel tenaci avaritia obcœcati, vel bonorum ſuorum prodigi, vel in laborando pigri, neceſſaria ad victum, & veſtitum, ſtatui ſuo proportionatum, filiis ſuis non ſubminiſtrant; quique modicos redditus, dotem ſufficientem, ſcientiam aut artem, ut honeſtè vivere poſſint, quantùm licitè fieri poteſt, ipſis procurare minimè ſatagunt. 5. Qui quibuſdam ex filiis ſuis omninò dediti, alios negligunt, & acerbè tractant. 6. Qui filios ſuos ad aliquem ſtatum invitos cogunt, vel ab aliquo amplectendo invitos retrahunt.

Circa filios illegitimos obſervandum eſt, Matrem filium illegitimum uſque ad triennium completum alere teneri, niſi lacte careat, aut non lactandi juſtam cauſam habeat; quo caſu Pater tenetur ad lactationis expenſas. Tranſacto verò triennio, tenetur Pater filio illegitimo alimenta præbere, & ipſo deficiente obligatur Mater; neuter tamen eidem aliquid ultra neceſſariam ſuſtentationem, cauſa mortis, donare poteſt, vel relinquere, nè ſcilicet hæredum legitimorum minuatur hæreditas; quòd ſi fecerit, filii illegitimi, etiam non expectata Judicis ſententia, exceſſum hæredibus reſtituere tenentur, utpotè ipſis indebitum.

Contra inſtructionis debitum peccant graviter Parentes, qui Rudimenta fidei filios ſuos edocere negligunt, qui de rebus Divinis nunquàm aut rarò cum ipſis ſermonem habent, qui à peccandi occaſionibus eos non retrahunt, qui mane & veſpere eos Deum orare, cæteraque vitæ Chriſtianæ munera ritè obire, non invigilant.

Contra debitum filiis ſuis bonum exemplum exhibendi peccant graviſſimè, qui coram eis verba impudica proferunt, blaſphemias evomunt, maledicta congerunt, ebrietatem ſectantur, ludos frequentant, &c. Hoc quidem non ſolùm peccato ſcandali, ſed & injuſtitiæ, ut dictum eſt.

Contra correptionis debitum graviter peccant Parentes, qui in filios nimiùm indulgentes, parcunt virgæ, & verba tantùm exhibent, ubi veniendum eſſet ad verbera: Non ſecùs ac qui erga ipſos nimiùm ſeveri ad iracundiam ipſos provocant; quique magis iræ impetu, quàm charitatis affectu, magis phantaſia quàm ratione, in ipſos ſæviunt, & ab emendatis nequidem placari patiuntur.

Quoad filios, ipſi tenentur amorem, reverentiam & obedientiam Parentibus præſtare, juxta quartum Divinæ legis præceptum: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.*

Contra primum debitum peccant mortaliter filii; & hoc, peccato diſtincto ab eo quod aliunde committunt, eoque in Confeſſione aperiendo. 1. Qui Parentes ſuos odio & malevolentia proſequuntur, de eorum infortuniis gaudent, de eorum proſperitatibus dolent, eorum mortem exoptant, ſive ut ab eis citiùs liberentur, vel citiùs hæreditatem eorum obtineant. 2. Qui ſine juſta cauſa aliquid dicunt, faciunt aut omittunt, ex quibus prævident, aut prævidere debent, Parentes contriſtandos & in gravem iram excitandos eſſe, licèt id de ſe non ſit peccatum. Qui Parentes, ſi infirmi ſint, viſitare, conſolari, & curationem procurare; ſi captivi, liberationem ſollicitare; ſi vexati, cauſam defendere, ſi egeni, de neceſſariis providere; ſi peccatores ſint, reverenter admonere; ſi moribundi, Sacramenta ipſis adminiſtrari non ſatagunt, &c.

Contra ſecundum debitum mortaliter peccant filii. 1. Qui Parentes ſubſannant & illudunt, torvis oculis aſpiciunt, injuriis & contumeliis afficiunt. 2. Qui ipſos alloqui aut ſalutare detrectant, è ſocietate ſua expellunt, ipſos negant & tamquàm incognitos tractant: excipe tamen, ſi ex juſta cauſa, Parentibus tacitè conſentientibus, id faciant. 3. Qui ipſos etiam leviter percutiunt, imò qui manum contra ipſos elevant, aut ipſis minas intentant.

Con-

Digitized by Google

Contra tertium debitum mortaliter peccant. 1. Qui in his quæ ſpectant ad mores, Parentibus non obediunt; & hoc peccato, ut mox diximus, diſtincto ab eo quod aliunde adversùs bonos mores, aut Religionem perpetrant. 2. Qui in re gravi, quæ familiæ regimen & domeſticam adminiſtrationem pertinet, eorum præceptis parere nolunt. 3. Qui in contrahendo Matrimonio Parentum conſenſum non poſtulant, aut illud contrahunt ipſis rationabiliter invitis; Dixi rationabiliter, ſi enim injuſtè denegent conſenſum, licitè filii contrahere poſſunt.

QUÆSTIO II.

Quænam ſint Tutorum, Curatorum, Pupillorum, & Minorum obligationes.

TUtores dicuntur hi, qui impuberibus loco Parentum aſſignantur, ut eos tum in perſona, tum in bonis tueantur. Curatores verò, qui puberibus in ætate minori conceduntur, ut de eorum bonis curam habeant. Inter Tutores igitur & Curatores illud tantùm diſcriminis intercedit, quòd illorum officium curam perſonarum primariò ſpectet; iſtorum verò primario curam bonorum. Illis tamen, & iſtis, cum proportione, Pupillorum ac Minorum incumbit educatio corporalis, & ſpiritualis: ita ut, ſi in eis notabiliter deſint, mortaliter peccent, non ſecùs ac ipſimet Parentes, quorum vices jure publico agunt. Curam inſuper gerere tenentur Pupillorum bonorum; ita ut peccent mortaliter, & ad reſtitutionem teneantur, ſi illa in materia gravi dilapident, injuſtè administrent, ſi uſurpent, ſi negligentia ſua pereant, ſi illa dum honeſtè poſſunt, non augeant, ſi demùm debito tempore illorum rationem reddere detrectent.

Pupilli verò ac Minores debent reciprocè Tutoribus ac Curatoribus ſuis, tamquàm Parentibus, amorem, reverentiam, & obedientiam in iis quæ ad eorum tutelam ſpectant, & hoc ſub gravi peccato, ſi gravis ſit materia.

QUÆSTIO III.

Quænam ſint Dominorum ac Famulorum obligationes?

CUm Domini ſint ſervis ſuis inſtar Parentum, ex juſtitia tenentur illis præſtare, cum proportione, ſicut & filiis ſuis amorem, inſtructionem, exemplum, & correctionem; ſed cùm Famuli, ſicut filii, Dominis ſuis gratuitò inſervire non teneantur; Domini inſuper juſtum ſtipendium Famulis ſuis ſolvere debent.

Graviter igitur peccant Domini. 1. Qui Famulos ſuos pro levioribus defectibus, & culpis, verbis aſperis ac verberibus excipiunt, qui ad victum neceſſaria eis denegant, qui in ægritudine de his curam non habent, qui ſenes expellunt, qui debiles gravioribus laboribus onerant, &c. 2. Qui ipſos de Fidei Myſteriis, & moribus Chriſtianis; per ſe aut per alium inſtruere negligunt, qui utrùm Sacramenta frequententent, diebus Feſtis, & Dominicis Sacrum audiant, cæteraque vitæ Chriſtianæ munia obeant, non invigilant. 3. Qui verbis aut factis ad malus eos inducunt, & ſcandalizant. 4. Qui in gravibus delictis nec corripiunt, nec caſtigant, quique incorrectos è Domo ſua non expellunt. 5. Qui famulos infra infimum pretium conducunt, qui mercedem juſtam eis non ſuppeditant, qui ipſis invitis illam retinent, aut ſolvere diſferunt, qui damna abſque eorum culpa contingentia eos ſolvere cogunt, &c.

Famuli tenentur vice versa Dominis ſuis, quaſi Parentibus, amorem, reverentiam, obedientiam, & fidelitatem præſtare; Amorem, inquam, & reverentiam, quorum defectu graviter peccant Famuli, qui Heros ſuos negligunt, irrident, contemnunt, calumniantur, aut de ipſis abſentibus detrahunt, &c. Obedientiam item, & fidelitatem, quas non præſtantes, peccant graviter; qui in re gravi Dominis ſuis morem gerere detrectant; qui ipſis rationabile obſequium non reddunt, quique negligentia ſua in cauſa ſunt, cur Domini ſui damnum aliquod patiantur; qui ſecreta familiæ extraneis revelant; qui Heros ſuos de damnis ab aliis conſervis ſuis illatis monere negligunt; quibus, & ſimilibus caſibus ad reſtitutionem tenentur; cùm ex juſtitia Dominorum ſuorum bonis, & commodis invigilare debeant.

QUÆSTIO IV.

Quænam ſint Magiſtrorum, & Diſcipulorum obligationes.

MAgiſtri ſeu Præceptores Diſcipulis ſuis debent amorem, correctionem, exemplum, & doctrinam: Et Diſcipuli viciſſim

ciſſim Præceptoribus, & Magiſtris amorem reciprocum, reverentiam, & obedientiam in iis quæ ad eorum curam pertinent. Ideò Præceptores juxta gravitatem materiæ graviter, aut leviter peccant, qui Diſcipulorum ſuorum bonùm minimè curant, qui eos injuſtè, & indiſcretè puniunt, qui coram ipſis ſcandaloſè vivunt, qui Scholam ſine cauſa omittunt, qui ſcientiam, aut artem quam profitentur, eos diligenter edocere negligunt; ad quam edocendam ſi honorarium aut ſtipendium ſuſcipiunt, ad reſtitutionem tenentur erga Diſcipulos, aut eorum Parentes, &c.

Diſcipuli ſimiliter peccant, qui Magiſtros, aut Præceptores ſuos irrident, irritant, deſpectui habent, quique ipſis inobedientes ſcientiam, aut artem, quam edocentur, addiſcere negligunt, &c.

CAPUT III.

De diverſarum Artium Statibus.

HIc de Medicis, Chirurgis, Pharmacopolis, Ruſticis, aliiſque Artificibus, & Operariis, in duplici quæſtione nobis breviter agendum ſupereſt. De Mercatoribus enim agemus, dùm de emptione, & venditione.

QUÆSTIO I.

Quænam ſint Medicorum, Chirurgorum, & Pharmacopolarum obligationes?

QUatuor aſſignari poſſunt Medicorum, & aliorum, qui ex profeſſo ſanitati hominum inſerviunt, obligationes præcipuæ, ad quas cæteræ reducuntur.

Prima obligatio eſt, ut nullus Medicinæ Artem exercere præſumat, niſi fuerit ab habentibus auctoritatem approbatus. Ideò juxta D. Anton. p. 3. tit. 7. c. 2. §. 5. graviter peccant, niſi abſque Magiſtratus facultate Medicinam exercent. Ratio eſt, quia omnis in materia gravi præſumptio, & temeritas proculdubiò grave peccatum eſt. Gravem autem inibi eſſe materiam nullus non videt; cùm graviſſimum utique damnum Reipublicæ emergeret, ſi quilibet Artem arduam, à qua hominum vita pendet, pro libitu exercere poſſet.

Secunda obligatio eſt, ut qui morbos curare profitetur, ſufficienti ſcientia, & experientia ſit præditus; lex namque tam naturalis, quàm divina, & humana prohibet, nè quis Artem maximè periculis refertam, quam ignorat, exerceat. Ideò Medici, & alii, qui hanc Artem imperiti exercent, mortaliter peccant, tenenturque damna ex imperitia ſua orta compenſare.

Tertia obligatio eſt, ut fideliter Artem ſuam exerceant. Hanc fidelitatem exhibere tenentur, tum ex juramento ab ipſis Reipublicæ præſtito, tum ex pacto implicito cum ægrotis inito de eorum ſanitate fideliter curanda. Quocirca mortaliter peccant Medici & alii. 1. Qui in morbis curandis dubia adhibent remedia; cùm tuta habent. 2. Qui in viles, ut ajunt, perſonas remediorum dubiorum experimentum faciunt. 3. Qui nè videantur imperiti, in morbis periculoſis alios Medicos, dum neceſſarium probabiliter videtur, advocare negligunt. 4. Qui majoris quæſtus gratia ægroti curationem in longum protrahunt. 5. Qui ad ditandos Pharmacopolas, remedia inutilia præſcribunt. 6. Qui morbos ſecretos ægrotorum ſuorum, in famæ eorum aut bonorum perniciem, revelant. 7. Qui ſtipendium injuſtum extorquent. 8. Qui moralem diligentiam, tum in qualitatibus morbi ſedulò examinandis, tum in remediis neceſſariis perquirendis, non adhibent. Item contra fidelitatem graviter peccant Pharmacopolæ, qui præſcripta à Medicis remedia diligenter non conficiunt, ſive pharmaca minoris pretii ſubſtituendo, ſive pharmaca adhibendo, quæ propter nimiam vetuſtatem efficaciam ſuam amiſerunt, qui tandem pharmaca ſua à rudi plebe ignota, plus æquo faciunt. Quæ omnia, cùm contra juſtitiam militent, hæc & ſimilia perpetrantes ad damni illati reſtitutionem proculdubiò adſtringuntur.

Quarta obligatio eſt, ut Artem ſuam cum pietate, Religione & charitate exerceant. Contra has virtutes graviſſimè peccant Medici. 1. Qui mediis illicitis ac peccaminoſis utuntur ad ſanitatem procurandam, ebrietate, pollutione, &c. 2. Qui mulieri gravidæ Pharmacum præbent ad abortum procurandum, nè ipſa pereat; ſalus namque ſpiritualis fœtus præferenda eſt ſaluti temporali mulieris. 3. Qui ob levem rationem ægrotos à lege Jejunii temerariè ſolvunt. 4. Qui ipſos non monent de mortis periculo, in quo verſantur, ut abſque cunctatione Sacramenta ſuſcipiant. 5. Qui tempore peſtis è loco, ubi Medici auctoritate publica ſuſcepti ſunt, ignavè diſcedunt, 6. Qui pauperes in gravi ægri-

Digitized by Google

ægritudine verſantes gratis curare nolunt. Imò cenſent communiter Doctores, Medicos etiam curare ex charitate teneri divites graviter infirmos, ex quibus ob nimiam eorum avaritiam debitum non ſperatur ſtipendium, quia vitium infirmi divitis non tollit debitum charitatis Medici Chriſtiani. 7. Qui ut peritiam ſuam extollant, aliis Medicis, & Collegis ſuis detrahunt; quique doctrinam eorum carpentes, & vellicantes, quod ab eis rectè geſtum eſt damnant, aut abſque vera neceſſitate leviter immutant.

QUÆSTIO II.

Quænam ſint Ruſticorum, Artificum aliorumque Operariorum obligationes.

HI omnes tenentur. 1. Artis aut Profeſſionis ſuæ ſufficientem peritiam habere. 2. Illam ſine fraude exercere. 3. Debitam diligentiam ad opus ſuum perficiendum adhibere. Unde.

1. Graviter peccant, & ad reſtitutionem tenentur Ruſtici, qui imperitia notabiliter culpabili cauſa ſunt, cur in meſſibus, arboribus, vineis aut animalibus grave damnum eveniat; & Operarii quilibet, qui craſſa ignorantia in opere perficiendo damnum inferunt ei, pro quo operantur.

2. Graviter peccant, & ad reſtitutionem tenentur Coloni, qui Dominos ſuos defraudant, non tribuendo partem fructuum integram, de qua conventum eſt; vel non niſi de pejoribus frugibus, ſub falſo prætextu, quod Heri ſui nonnulla, prout mos eſt, officia ab illis exigunt. Item Paſtores, qui greges in alieno fundo, aut capreas in locis prohibitis paſcunt, aut id fieri permittunt. Item Laniones, & Piſtores, qui farinas aut carnes corruptas vendunt. Item Molitores, qui granum acceptum immutant, & minus bonum ſubſtituunt. Item Sartores, & Sutores, qui partem materiæ ſibi collatæ ſubtrahunt, quique vel veſtimenta, vel calceos non conſuunt, ut citiùs frangantur, aut diſſuantur, &c.

3. Graviter peccant, & ad damnum compenſandum tenentur Ruſtici, qui ob gravem negligentiam in cauſa ſunt cur fruges, aut pecus pereant, vel furto auferantur, vel à lupo devorentur. Item Mercenarii, pigritiæ dediti, qui ad oculum ſerviunt, nec juſtam operam diurnam, pro qua ſunt conducti, peragunt. Item Opifices, qui laboribus ſuis parcentes, opus imperfectum ac vitioſum reddunt; & cætera, quæ facilè docet uſus, & experientia.

Demùm pro hujus Tractatus Coronide inquirendum eſt, utrùm Artis Theatricæ exercitium ſit licitum. Hanc autem Artem exercentium triplex eſt genus. Primum eſt eximiorum Saltatorum: Secundum eſt Hiſtrionum ſeu Joculatorum, Gallicè, *Baladins ou Bateleurs*: Tertium Comœdorum, ſeu Mimorum.

Quoad primos, certum eſt eorum exercitium minimè eſſe illicitum, modò ſaltibus ſuis nullo mortis periculo ſeſe committant; benè quidem, ſi mortis adſit periculum, prout contingit in his, qui per extenſum funem volitant, aut ſe dant præcipites. Ratio eſt, quia omninò illicitum eſt, & grave contra charitatem ſibimet debitam peccatum, probabili mortis periculo ſeſe committere; ex quo colligitur eos etiam peccare, qui his ac ſimilibus interſunt ſpectaculis, utpotè alieno peccato communicantes.

Quoad ſecundos, qui cantilenis, ludis, præſtigiis, aut facetiis ſuis Populi lætitiam, & cachinnos movent; non videtur D. Thomæ eorum exercitium eſſe illicitum. *Ludus*, inquit S. Doctor. 2. 2. q. 168. art. 3. ad 3. *eſt neceſſarius ad converſationem vitæ humanæ. Ad omnia autem, quæ ſunt utilia converſationi humanæ deputari poſſunt aliqua officia licita; & ideò etiam officium Hiſtrionum, qui ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundùm ſe illicitum, nec ſunt in ſtatu peccati, dummodò moderatè ludo utantur, id eſt, non utendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum.* Quòd ſi ordinariè his utantur verbis, & factis illicitis, ut ſæpiùs contingit, tunc temporis proculdubiò mortaliter peccant, & qui hoc officium exercent, & qui eorum interſunt ſpectaculis.

Quoad tertios: Licèt Comœdia de ſe non ſit illicita; cùm ad Civitatis decorem, Populi recreationem, publicamque lætitiam ordinetur; imò & fuerit inventa ad morum reformationem, & rudium hominum inſtructionem; ut ſub variis velaminibus, & ſenſibilibus oblectationibus, indocti homines ad virtutem perducerentur: Verumtamen cùm hujuſce temporis Ars Theatrica penitùs videatur corrupta; quatenus utriuſque ſexus Comœdi in Sce-

Digitized by Google

nam non prodeant, niſi ut verbis, & geſtibus laſciviam ſpirantibus amoris impuri dolos, & artes occultas, cogitationes turpes obſcœnaque deſideria naturaliter excitantes, Spectatoribus exhibeant; Ideò officium iſtud & exercitium, tamquàm infamè & probroſum, ſemper ab Eccleſia fuit reprobatum; adeò ut & nunc jubeat Comœdos, tamquàm excommunicatos haberi, & Sacramentis atque Sepultura Eccleſiaſtica prorſus indignos, juxta illud Concil. Arel. Decretum 1. cap. 5. *De Theatricis, & ipſos placuit, quamdiù agant, à Communione ſeparari.*

Nec obſtat, quòd etiam in benè moratis Statibus, Comœdis officium ſuum exercendi à Principibus ac Magiſtratibus facultas & venia concedatur. Id enim facultas vera atque licentia vocitari non debet; ſed tantummodò prudens, aut coacta tolerantia, ad majus malum vitandum. Ex quibus cum D. Th. in 4. diſt. 16. q. 4. a. 2. & q. 2. in corp. *Dicendum eſt quoad hujuſmodi ſpectacula, ſi ſunt rerum turpium, & ad peccatum provocantium, ſtudioſa eorum inſpectio peccatum eſt; & quandoque in eis tanta poteſt libido adhiberi, ut ſit etiam mortale. Unde a tali inſpectione omnes ſe arcere debent.* Et addit, *Si quis autem ſuperflua in tales conſumunt, vel etiam ſuſtentant illos Hiſtriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quaſi eos in peccato foventes: Unde Auguſtinus dicit ſuper Joannem, quòd dare res ſuas Hiſtrionibus, vitium eſt immane.*

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS QUARTUS.

De Virtutibus, & Vitiis.

VIRTUTES, & vitia, tum in communi, tum in particulari in hoc Tractatu duplici diſſertatione, conſueta brevitate, perpendemus.

DISSERTATIO I.

De Virtutibus, & Vitiis in communi.

AB ipſo titulo hujus Diſſertationis diviſionem habemus; cujus primum caput de virtutibus in communi; Secundum verò de vitiis, aut peccatis item in communi diſſeret.

CAPUT I.

De Virtutibus in communi.

QUæ ad virtutes in communi ſpectant ad earum eſſentiam, diviſionem, & proprietates reduci poſſunt: ſit igitur.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit virtus?

Not. VIrtutis nomine communiter hic intelligitur, *perfectio quædam aut qualitas, qua rationalis creatura ad bene operandum prompta, & expedita efficitur*. Hujus variæ à variis definitiones adducuntur, quibus omnibus, brevitatis gratia, prætermiſſis.

Dico. Juxta mentem DD. Auguſtini, & Thomæ, Virtus recte definitur: *Bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, & nullus malè utitur*. Explicatur definitio.

Dicitur 1. Bona *qualitas*, id eſt habitus permanens, & à ſubjecto difficulter mobilis. Siquidem omni virtuti omninò eſt eſſentiale. 1. Quod actu ceſſante in ſubjecto, etiam dormiente, aut non cogitante, perſeveret. 2. Quod à ſtabili atque immutabili affectu prodeat.

Dicitur 2. *Mentis*, Creaturæ nimirum rationalis, cognitione atque electione præditæ; Cum, juxta Philoſophum, nulla ſit virtus, niſi bonum ſcientis, & illud liberè eligentis. Hinc quorumdam rejicitur ſententia Thomiſtarum docentium, appetitum ſenſitivum virtutis ſubjectum eſſe non poſſe; cum propriè dictæ cognitionis, & electionis, proindeque veræ virtutis omninò ſit incapax.

Dicitur 3. Qua *rectè vivitur*; quatenùs ſcilicet ad operandum juxta rectæ rationis regulas ſubjectum inclinat. Undè à Philoſopho virtus dicitur habitus, *qui bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit*.

Dicitur 4. Qua *nullus malè utitur*. Licèt enim homines virtutis exercitium in uſum vitii ſæpiſſimè vertant, ea tamen non malè utuntur, inquit D. Thom. 1. 2. q. 55. a. 4. ad 5. tamquam principio operationis electivo; ita ut malus ſit actus virtutis; ſed dumtaxat tamquam objecto, dum nempe quis virtutem aliquam odio habet, aut de illa ſuperbit. Per quod virtus propriè dicta differt à fide humana, opinione, & aliis habitibus, quibus quilibet per ipſius fidei, aut opinionis actum bene, vel malè uti poteſt; credens nimirum, vel opinans verum, aut falſum.

QUÆR. 1. Quotuplex ſit virtus?

R. Tres ſunt virtutis ſpecies. Nam aliæ ſunt intellectuales, aliæ Morales, aliæ Theologicæ.

Virtutes intellectuales eæ ſunt, quæ intellectum perficiunt in ordine ad cognitionem veri; & quinque numerantur; Videlicet *Intelligentia*, qua ſine diſcurſu, & ſola terminorum apprenhenſione prima morum principia dignoſcuntur, v. g. *Quod tibi fieri non vis alteri nè feceris*. *Sapientia*, qua rerum cognitio ex altiſſimis & univerſalibus cauſis deducitur. *Scientia*, qua ex cauſis particularibus eadem cognitio colligitur. *Ars*, qua rerum per potentias externas factibilium regulæ traduntur. *Prudentia* tandem, qua judicatur quid in quolibet negotio hic & nunc, independenter à potentiis externis, agendum ſit vel omittendum. Circa quod obſervandum eſt, has qualitates propriè dictas virtutes non eſſe; quia,

licèt per cognitionem veri bene operandi facultatem præbeant, earum tamen uſus de ſe non eſt ſemper bonus; cum intelligentia, ſcientia & ars ad pravum finem adhiberi poſſint. Excipienda eſt tamen prudentia, quæ præter cognitionem veri uſum etiam boni nobis præſtat; quatenus in omnibus actionibus appetitum noſtrum moderatur atque dirigit. Ideò annumeratur inter.

Virtutes Morales, quæ voluntatem inclinant ab bonum cujuslibet generis honeſtumque proſequendum: ſuntque numero quatuor: Prudentia, nimirum Fortitudo, Temperantia, & Juſtitia, quæ ideo Cardinales dicuntur; quia his veluti cardinibus ac principiis totius humanæ vitæ honeſta ratio inſtituitur.

Virtutes Theologicæ eæ ſunt, quæ circa Deum immediatè verſantur; vel quatenus eſt ſumma veritas, ut Fides; vel quatenus eſt ſummum bonum & finis ultimus, ut Spes; vel quatenus eſt ſumma bonitas infinitè propter ſe diligibilis, ut Charitas. Hinc virtutes Theologicæ à Religione, quæ eſt juſtitiæ ſpecies differunt, in hoc ſcilicet, quòd, licèt iſta Deum reſpiciat, non tamen immediatè eum reſpicit, ſed cultum divinum.

Cæterum virtutes, aliæ ſunt acquiſitæ, quæ humano ſtudio & labore per actus repetitos acquiruntur: aliæ infuſæ, quas Deus in nobis ſine nobis agentibus operatur. Deinde aliæ ſunt virtutes infuſæ per ſe, quæ nempe à ſolo Deo infundente haberi poſſunt, ut ſunt virtutes Theologicæ: Aliæ ſunt infuſæ per accidens, quæ humano quidem labore acquiri poſſunt, ſed ſpeciali Dei gratia in animam infunduntur; ut non humano & naturali, ſed cæleſti ac ſupernaturali modo ſuaviùs, promptiùs & efficaciùs operetur. Sic in juſtificatione tum puerorum, tum adultorum, præter gratiam ſanctificantem, virtutum moralium habitus à Spiritu Sancto in animam infundi docent, Conc. Vien. Clemen. 1. de S. Trinit. & Trid. ſeſſ. 6. c. 7. Circa quod.

QUÆR. 2. Quale diſcrimen intercedat inter virtutes infuſas, tum per ſe, tum per accidens, & virtutes acquiſitas?

℞. Inter ſe differre primò, quòd virtutis infuſæ motivum longè ſit perfectius, quàm motivum virtutis acquiſitæ. Siquidem virtus acquiſita ſolum reſpicit moralem honeſtatem, prout rectæ rationi conſentaneam: infuſa verò reſpicit divinam honeſtatem, quatenus cultui divino, & pietati chriſtianæ conformem. Ideò motus virtutis acquiſitæ purè naturalis eſt, infuſæ vero ſupernaturalis. Secundo differunt inter ſe, quòd virtutibus acquiſitis vitia directè ſint contraria, & invicem ex anima ſeſe expellant; quia inter ſe pugnant in eodem genere habitus naturalis. Virtutibus verò infuſis vitia non opponuntur propriè ac directè; quia, cum vitia ſint naturalia, & virtutes infuſæ ſupernaturales, in eodem genere habitus inter ſe non pugnant, ideo mutuò non ſeſe expellunt. Licèt enim peccator juſtificatus virtutes infuſas cum gratia ſanctificante accipiat, non tamen a vitiis quibus addictus erat, ſtatim eximitur, niſi ea per virtutum acquiſitarum ſtudium ipſemet expellere ſtudeat.

QUÆSTIO II.

Quid de virtutum proprietatibus ſit dicendum.

Not. 1. DUas eſſe virtutum præcipuas proprietates, mediocritas nimirum, & connexio. Certum eſt enim, hominis affectus ad juſtam mediocritatem eſſe reducendos; nè delinquat vel per defectum non ſatis agendo, vel per exceſſum nimis paſſionibus ſuis tribuendo. Medium autem illud ad quod reducendæ ſunt actiones noſtræ, vel reale eſt, vel rationis. Medium reale ſuam habet à parte rei quantitatem determinatam; ita ut ex una parte non magis quàm ex altera excedat, ſitque eadem ſemper in omnibus. Medium autem rationis non habet ex ſe quantitatem determinatam; ſed a ratione, & prudentia determinatur pro rerum, perſonarum, & circumſtantiarum diverſitate. Circa virtutum connexionem.

Not. 2. Virtutes in duplici ſtatu, perfecto vel imperfecto eſſe poſſe. Dicuntur in ſtatu perfecto, quando non ſolùm inclinant ad bonum ſibi proprium, ſed etiam ad illud bene, promptè fortiterque in ſingulis circumſtantiis exequendum. Dicuntur vero in ſtatu imperfecto, quando nondùm plenam rationem habitus difficilè amovibilis, ſed ſimplicis tantummodò diſpoſitionis ſunt adepti; quæ diſpoſitio inclinat quidem ſubjectum ad bene operandum, ſed non adeò fortiter, ut omnem difficultatem vincere poſſit. His notatis.

DICO. I. Non omnes virtutes ſed tantummodo aliquæ in medio tum reali, tum rationis conſiſtunt.

Prob.

Prob. 1. Pars. Illæ virtutes in nullo medio conſtunt, contra quas peccari non poteſt per exceſſum: arqui nonnullæ ſunt virtutes, contra quas per exceſſum peccari non poteſt; virtutes nimirum, Theologicæ, & Intellectuales. Siquidem nullus poteſt nimis Deo credere, nimis eum amare, nimis in eum ſperare, nimis eſſe intelligens, ſapiens, doctus, Ergo, &c.

Obſervandum tamen eſt quod licèt ſupradictæ virtutes nullum habeant medium, ex parte termini aut objecti ſui, circa quod nullus excedere poteſt; Medium tamen rationis aliquod habent ex parte ſubjecti, ratione exercitii; quatenus exerceri debent cum moderamine, juxta cujuslibet naturam, genium & conditionem.

Prob. 2. Pars. Multæ ſunt virtutes, contra quas peccari poteſt vel per defectum, vel per exceſſum: Ergo multæ ſunt virtutes, quæ in medio ſeu mediocritate conſiſtunt: tales ſunt omnes virtutes morales. Sic contra prudentiam peccari poteſt diffidentia, aut nimia ſollicitudine, media ad finem intentum conducentia inquirendo. Unde dicitur: *Prudentiæ tuæ pone modum*; & præcipitatione omnia ſufficienti diligentia non perpendendo. Sic contra temperantiam peccatur, vel nimis manducando, & bibendo, vel non ſumendo quæ neceſſaria ſunt ad vitæ conſervationem. Sic contra fortitudinem peccatur vel per ignaviam, pericula nimis pertimeſcendo, vel per temeritatem ipſis ſine cauſa ſeſe committendo. Sic contra juſtitiam peccatur, vel nimium, vel non ſatis tribuendo. In quo tamen juſtitia à cæteris virtutibus differt, quòd iſtæ in medio rationis conſiſtant, quatenus ſtrictè, ac rigidè omnibus præſcribi non poteſt modus prudentiæ, temperantiæ & fortitudinis; ſed diverſus eſſe debeat pro diverſitate temporis, loci, perſonæ, &c. Juſtitia verò, quæ jus alienum reſpicit, non tantum habeat rationis medium determinantis quando, quo medio, reddendum ſit debitum; ſed inſuper medium reale habeat; rei reſtituendæ qualitatem, & quantitatem accuratè ac rigidè determinando. *Tene igitur medium* inquit D. Bern. de Conſid. Lib. 3. c. 10. *ſi non vis perdere modum. De hoc medio dicitur, medio tutiſſimus ibis.*

Dico II. Nec virtutes intellectuales, nec Theologicæ, nec etiam morales in ſtatu imperfecto, bene quidem in ſtatu perfecto, neceſſariam habent inter ſe connexionem.

Prob. 1. Pars. Quotidiana experientia, qua videmus ſcientiam in homine reperiri poſſe abſque arte, & artem abſque ſcientia.

Prob. 2. Pars. Quia ex fide certum eſt, fidem & ſpem in multis gratia & charitate deſtitutis remanere, ut ſuo loco videbimus.

Prob. 3. Pars. Illi habitus inter ſe non ſunt connexi, quorum unus poteſt haberi ſine alio: atqui una virtus in ſtatu, ſaltem imperfecto, haberi poteſt ſine alia: Videmus enim, inquit D. Thom. 1. 2. q. 65. a. 1. quandoque hominem ex naturali complexione, vel ex aliqua conſuetudine eſſe promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non eſt promptus ad opera caſtitatis: Ergo, &c.

Prob. 4. Pars. Ex D. Hieronymo in c. 16. Iſa. *Philoſophorum ſententia eſt*, inquit, *hærere ſibi virtutes & Apoſt. Jacob. c. 2. dicit, cui una defuerit huic omnes deeſſe.* Idem teſtatur Auguſt. Epiſt. 29. *Perſuadent Philoſophi*, inquit, *qui unam habuerit virtutem habere omnes, & omnes deeſſe cui una defuerit; quòd prudentia nec ignava, nec injuſta, nec intemperans eſſe poteſt; nam ſi aliquod horum fuerit, prudentia non erit &c.*

Ratio D. Thomæ ſupra citati eſt. 1. Quia ut virtus promptè & fortiter in omnibus circumſtantiis bonum ſibi proprium exequatur, neceſſariò indiget aliarum virtutum ſubſidio, quo tollantur omnia obſtacula, quæ illius virtutis exercitium retardare vel impedire poſſunt. Sic, verbi gratia, ut mulier in caſtitate firmiter perſeveret, neceſsè eſt ut nec ſit avara, nec meticuloſa; ne vel metu mortis, vel ingentis pecuniæ oblatione à caſtitatis ſervandæ propoſito permoveatur, aut perturbetur. 2. Nulla eſt virtus in ſtatu perfecto, inquit S. Doctor, abſque perfecta prudentia, quæ omnes regulat ac dirigit virtutes. Perfecta autem prudentia omnes omninò complectitur virtutes; cum Prudentiæ proprium ſit appetitum efficere rectum circa omnia, quæ quis poteſt agere. At ſi deſit vel una virtus, appetitus rectus non erit circa omnia. Ergo tunc non erit perfecta prudentia, nec proinde ulla virtus in ſtatu perfecto.

Objic. Unius virtutis aquiſitio ab aliarum virtutum actibus minimè pendet: Ergo illa ſine aliis eſſe poteſt. Nam id quod ad alicujus productionem neceſſarium non eſt, ad ejus conſervationem omnino eſt indifferens.

℞. Verum quidem eſt unius virtutis acquiſi-

quiſitionem, & conſervationem ab aliis virtutibus minimè pendere, ſi ſpectetur in ſtatu imperfecto, non ſi in perfecto. Et ratio diſparitatis eſt; quia, ut habeatur virtus in ſtatu imperfecto, ſufficit ut appetitus ſit ordinatus circa aliquam materiam particularem, Sed ut habeatur in ſtatu perfecto, debet eſſe ordinatus circa omnia, nè in aliquo virtus infirma ſit ac debilis, & facilè amovibilis: ideoque, ut dictum eſt, aliarum virtutum conſortio omninò indiget.

CAPUT II.

De vitiis, & peccatis in communi.

DUplici modo vitium & peccatum ſumuntur; Latè, ſcilicet, pro quolibet ſive artis ſive naturæ defectu; & ſtrictè pro quavis naturæ rationalis deordinatione, in his quæ mores ſpectant. Licet autem vitium, & peccatum mortale quandoque promiſcuè accipiantur, propriè tamen inter ſe differunt. Vitium quippe eſt habitus, & diſpoſitio permanens, peccatum vero actus tranſiens. Vitium per pœnitentiam non tollitur, ſimulque cum gratia ſanctificante conſiſtere poteſt, ſecus autem mortale peccatum. Vitium opponitur virtuti, quatenus ad malum inclinat; ſed peccatum operi tantum virtuoſo opponitur, quatenus actione tranſitoria conſummatur. Conveniunt tamen vitium, & peccatum, tum ex eo quòd utrumque naturæ rationali, ut rationalis eſt, adverſetur, tum ex eo quòd ſicut ex peccato repetito vitium generatur, ita ex vitio generetur peccatum. Hìc peccati naturam ſeu eſſentiam, effectus, diſtinctiones varias ac diviſiones breviter diſcutiendum nobis incumbit, ſequentibus quæſtionibus, quibus quintam adjiciemus de peccato Originali.

QUÆSTIO I.

De natura, & eſſentia peccati.

Not. 1. PEccati nomen eſſe æquivocum. Sumitur enim quandoque pro cauſa, & pro effectu peccati. Sic concupiſcentia dicitur peccatum. *Quamvis jam non eo modo appelletur peccatum, quo facit reum*, inquit Aug. l. 2. cont. Jul. c. 9. *Sed quod ſit reatu primi hominis factum, & quod rebellando nos trahere nititur ad peccatum.* Item peccatum ſumitur aliquando pro pœna peccati, vel pro hoſtia ejuſdem. Sic Chriſtus *noſtra peccata tuliſſe, & pro nobis factum fuiſſe peccatum* dicitur. Hìc verò ſumitur peccatum pro eo quod nos facit reos, & ejus eſſentialis definitio inquiritur.

Not. 2. In peccato quod facit reum duo ſpectari poſſe, materiale nimirum, & formale. Materiale peccati eſt quilibet actus humanus, ex quo peccatum phyſicè conſtat. Formale vero eſt deordinatio ex hoc actu reſultans. De qua quæritur, an in aliquo poſitivo, vel in ſola rectitudinis privatione conſiſtat. His notatis,

Dico. I. Peccatum rectè definitur ab Aug. l. 22. cont. Fauſt. c. 27. *Factum, vel dictum, vel concupitum aliquod contra legem æternam.*

Prob. Quia hæc definitio omni & ſoli peccato, tum materialiter, tum formaliter ſumpto, perfectè congruit. Nullum quippe peccatum excogitari poteſt, quod vel opere, vel ore, vel corde non perpetretur: ergo materialiter ſumptum, vel factum, vel dictum, vel concupitum eſſe neceſſe eſt. Deinde hæc definitio peccato congruit ſecundùm ſuum eſſe formale. In eo enim ſita eſt peccati malitia, quòd ſit contra legem aliquam; cum teſte Apoſtolo Rom. 4. *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio. Neque peccatum erit*, inquit Aug. l. 2. de pec. merit. & rem. c. 16. *ſi non divinitus jubeatur, ut non ſit.* Poſito igitur quod omne peccatum ſit contra legem aliquam, legi æternæ adverſari conſequens eſt, ſaltem mediatè; cum omnis lex ab æterna derivetur, ſitque aliqualis ejus participatio.

Objj. 1. Hæc definitio non convenit omni peccato; nec originali, ut pote non factum, ſed hominibus congenitum; nec omiſſionis, quod eſt negatio actus debiti; nec habituali, habitus quippe actui opponitur: ergo peccatum non eſt factum, vel dictum, &c.

℟. Ad 1. Peccatum originale non eſt factum voluntate propria, bene quidem voluntate aliena; Adami ſcilicet, in quo omnes peccaverunt. Ad 2. Juxta communem loquendi modum, in omni facto & dicto includuntur eorum negationes. Sic enim rectè dicitur non bene feciſſe, qui ſacrum omiſit. Ad 3. Peccatum habituale eſt factum, aut dictum, aut concupitum aliquod moraliter perſeverans, quatenus non retractatum, ut ſuo loco videbitur.

Objic. 2. Peccatum veniale verè ac propriè dictum peccatum eſt; ſed juxta D. Th.

&

Digitized by Google

& D. Bonav. peccatum veniale non eſt contra, ſed præter legem. Ergo.

℞. Sanctos Doctores eo ſenſu intelligendos eſſe, quod peccatum veniale non ſit contra finem à lege intentum; id eſt charitatem, quæ à peccato veniali non auſertur. *Et ſi in aliquo recedit*, inquit D. Thomas *ab ordine legis*. Qui enim prohibet, v. g. alienum ſubripi, etiam prohibet unum aut alterum teruncium (1) ſubripi; cujus tamen ablatio, cum venialis ſit ob materiæ levitatem, charitatis legem non infringit.

Dico II. Peccatum non conſiſtit formaliter in aliquo poſitivo, ſed in ſola privatione rectitudinis actui debitæ.

Prob. 1. Peccatum eſt malum morale, atqui malum nihil eſt, niſi boni privatio. *Quæcumque enim ſunt*, inquit Aug. l. 7. Conf. cap. 2. *bona ſunt*, *malumque illud*, *quòd quærebam unde eſſet*, *non eſt ſubſtantia*; *quia ſi ſubſtantia eſſet*, *bonum eſſet*. Et Tract. in Joan. ait *Peccatum nihil eſt*; *& nihil faciunt homines*, *cum peccant*. Ex D. Anſel. l. de Conc. præſc. & prædeſt. c. 1. *Non eſt injuſtitia qualitas*, *aut actio*, *aut aliqua eſſentia*, *ſed tantum abſentia debitæ juſtitiæ*.

Prob 2. Omne ens poſitivum à Deo eſt creatum; ſed peccatum formaliter ſumptum à Deo non eſt creatum. Ipſum enim ſummo odio habet Deus, qui nihil odit eorum quæ fecit. Ergo. Unde Auguſt. l. 2. de Civit. c. 7. ait: *Peccatum eſt nihil*, *quia per Verbum factum non eſt*. *Fruſtra requiritur principium mali*, *cum malum nihil ſit*, *nec quærenda eſt cauſa efficiens humanæ pravitatis*; *non enim eſt effectus*, *ſed defectus*, *quia nec illa effectio eſt*, *ſed defectio*.

Prob. 3. Sicut omnis Artifex in eo dicitur contra legem ſuæ artis peccare; quia opus ejus regulis artis non concordat: ſic homo peccare cenſetur, dum actio ejus æternæ legi non eſt conformis: Ergo hac non conformitate poſita peccatum conſtituitur, independenter à quovis alio, quod excogitari poteſt. Hinc D. Thom. ait, 1. part. q. 14. a. 10. *Peccatum nihil eſt aliud*, *quàm actus humanus malus*. *Habet autem actus humanus quod ſit malus*, *ex eo quod caret debita commenſuratione*.

Obji. 1. Contrariorum eadem eſt ratio: Atqui peccatum contrarium eſt virtuti, quæ aliquid eſt poſitivum: Ergo & peccatum.

℞. Diſtinguo minorem: Peccatum contrarium eſt virtuti in concreto ſumptum, quatenus ſcilicet eſt actio debita rectitudine privata. C. In abſtracto ſumptum, quatenus eſt privatio rectitudinis. N. Sic enim ſumptum, privativè tantum virtuti opponitur. Eadem diſtinctione aliis difficultatibus reſponderi poteſt. Peccatum producit habitum poſitivum; ſed privatio nihil poſitivi producere poteſt. Item peccatum eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam; converſio autem ad creaturam eſt quid poſitivum. Reſpondendum eſt hìc ſumi peccatum concretivè, non autem abſtractivè.

Objic. 2. Lex peccatum prohibet; ſed lex non prohibet nihil: ergo peccatum eſt aliquid.

℞. Diſtinguo. Lex prohibet peccatum fundamentaliter, aut materialiter, ideſt actionem, ex qua reſultat formale peccati, deformitas ſcilicet, & diſconvenientia. C. Prohibet peccatum formaliter, N. Pari modo actus tendens in objectum rationi contrarium eſt peccatum; talis autem actus aliquid eſt poſitivi: ergo. Diſtinguendum eſt, actus tendens in objectum rationi contrarium eſt peccatum fundamentaliter, & materialiter, non autem formaliter.

Objic. 3. Si peccatum eſſet privatio nullum eſſet gravius altero; cum privationes magis, aut minus non ſuſcipiant.

℞. Diſtinguo: Privationes abſolutæ, & adæquatæ, magis, aut minus non ſuſcipiunt, C. Privationes particulares, & inadæquatæ, N. Mors v. g. quæ omninò vitam aufert, magis vel minus non ſuſcipit: bene quidem ægritudo, quæ non totum, ſed aliquid tantummodò de neceſſariis ad vitam tollit. Idem de peccato dicendum venit; nam licèt furtum ſimplex v. g. totam rectitudinem juſtitiæ tollat, non auſert tamen totam naturæ rationalis rectitudinem: Unde furtum rei ſacræ longè gravius eſt; licèt utrumque ſit privatio rectitudinis debitæ, utpote partialis, & inadæquatæ.

Objic. 4. Nonnulli ſunt actus, ut odium Dei, mendacium, & cæteri intrinſecè mali, qui rectitudinis ſunt incapaces: ergo hi non conſiſtunt in rectitudinis privatione; cum privatio non dicatur, niſi de ſubjecto apto ad formam recipiendam.

℞. Odium Dei, mendacium, & cæteri actus

(1) Teruncius, *nummus perexigui valoris*, *a tribus unciis*, *quarta ſcilicet*, *libellæ parte*, *ſic dictus Italice vulgo*: Bagattino.

Digitized by Google

actus intrinſecè mali, rectitudinis ſunt incapaces, reduplicative ut tales, C. Sic enim ſunt eſſentialiter charitati, aut veritati difformes: Quatenus verò tendunt in hoc vel illud objectum, N. Poſſent enim debito ordine ad illud tendere.

QUÆSTIO II.

Quinam ſint effectus peccati.

Not. 1. Quatuor vulgo concipi poſſunt effectus peccati perſonalis. (De Originali dicetur ſuo loco) 1. Naturæ vulnus ſeu corruptio. 2. Macula in anima peccatrice poſt peccatum commiſſum remanens. 3. Reatus tum culpæ tum pœnæ. 4. Aliud peccatum ex primo ſubſequens.

Not. 2. Per peccatum naturam humanam vulnerari, & corrumpi; quatenus, ſcilicet, inquit D. Thom. 1. 2. q. 85 a. 1. 2. 3. per ipſum *ratio hebetatur præcipuè in agendis, voluntas induratur ad bonum, major difficultas bene agendi accreſcit, & concupiſcentia magis exardeſcit.* Quod utique maximè præſtant bonorum habituum privatio, & malorum productio, quæ à peccato ſubſequuntur.

Not. 3. Macula peccati, quæ & dicitur peccatum habituale, eſt quædam deformitas, quam per peccatum anima contrahit, qua verè ac propriè peccatrix denominatur. Hanc in anima poſt peccatum remanere conſtat ex Scriptura, ubi peccatum ſordes, macula, & immunditia dicitur. Ut Joſue: *Uſque in hodiernum diem macula hujuſce ſceleris in vobis manet*, Ezech. 24. 13. *Non es mundata à ſordibus tuis*; id eſt peccatis: *Immunditia tua execrabilis eſt*, &c. Sed in quo hæc macula conſiſtat, gravis eſt inter Theologos controverſia mox dirimenda.

Not. 4. Hominem per peccatum verè ac propriè reum fieri. Reus autem dicitur, quicumque propter actionem inordinatam, odium atque vindictam Dei promeretur. Unde reatus culpæ nihil eſt aliud, quàm jus quod habet Deus ad odio habendum peccatorem: & reatus pœnæ jus quod habet ad ſumendam de ipſo vindictam. Licèt autem reatus pœnæ reatum culpæ præſupponat, & ipſum conſequatur; ex fide tamen conſtat contra Sectarios, unum ab altero ſeparari poſſe; ut in Davide cæteriſque peccatoribus pœnitentibus, qui graviſſimas tulerunt pœnas pro peccatis jam ſibi remiſſis. Imo contra Bajum, & Queſnellum definivit Eccleſia graviſſimis pœnis non quidem ſtrictè ſumptis, & vindicativis, Deum innocentes affligere poſſe, tum ad eorum probandam patientiam, & augenda merita, tum in peccati antidotum, ac remedium. Quæſtio eſt igitur tantummodò inter Theologos, an aliqui pro peccatis alienis puniri poſſint.

Not. 5. Nihil in doctrina Sanctorum Patrum maximè Auguſtini fundatiùs eſſe, quàm quædam peccata, ſimul eſſe peccata, & peccatorum præcedentium pœnas. Nam S. Doctor illud Apoſtoli exponens Lib. 5. cont. Julian. c. 3. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum* &c. Ait *Hic utique vides cauſam, propter quam traditi ſunt ſine ulla ambiguitate monſtratam . . . . proinde præcedentis eſt hæc pœna peccati, & tamen etiam ipſa peccatum.* Sed quo ſenſu peccatum ex parte Dei ſit pœna præcedentis peccati, exponendum incumbit.

Dico I. Macula peccati formaliter, ac præcisè conſiſtit in voluntaria, & habituali converſione ad creaturam, & in voluntaria, & habituali averſione à Deo, ſi actus fuerit mortaliter malus.

Prob. 1. Rejectione aliarum ſententiarum in variis rebus maculam peccati conſtituentium.

Primo. Non conſiſtit macula peccati in habitu vitioſo ex præcedenti actu culpabili relicto; tum quia unico actu macula producitur; habitus verò, non niſi actibus repetitis; tum quia habitus malus in homine juſtificato, in quo peccati mortalis macula non inhæret, ex parte ſaltem remanet.

Secundo: Non conſiſtit in quadam qualitate morbida; tum quia nec dici nec concipi poteſt, quid ſit hæc imaginaria morbida qualitas; tum quia abſtracta quacumque qualitate, peccator impœnitens ſemper manet peccator.

Tertio: Non conſiſtit in reatu ſeu obligatione ad pœnam; tum quia hæc obligatio peccati maculam præſuponit; nec quis ad pœnam obligatur, niſi quia hanc maculam contraxit; tum quia, licèt Deus nullam peccatori pœnam infligere ſtatuiſſet, peccati macula in peccatore ſubſiſteret.

Quarto: Non conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis; tum quia id non convenit peccato veniali, licèt veram inducat maculam; tum quia privatio gratiæ eſt

pœna

Digitized by Google

pœna à Deo juſtiſſimè inflicta, non autem peccatum habituale; tum quia una & eadem eſt in omnibus peccatoribus gratiæ privatio, diverſæ verò maculæ pro peccatorum diverſitate, tum quia in ſtatu naturæ puræ fuiſſent profecto peccata habitualia, non fuiſſet tamen privatio gratiæ.

Adnotatio 31.

[*]

Hic, & alibi Author noſter poſſibilem præſupponit, vel præſupponere videtur ſtatum naturæ puræ; contra Theologos illos, qui D. Auguſtini *doctrinis inhærentes, ejus impoſſibilitatem acriter propugnant. Si P. P.* Belleli, *&* Berti, Auguſtiniani *Theologi; & nuper Author* Syſtematicæ Inquiſitionis, *de celebri hac controverſia fusè, atque methodicè inter Recentiores differentes, peſſima conſectaria a tali ſuppoſita poſſibilitate dimanare oſtenderunt, Pelagianiſmum, Manicheiſmum, Epicureiſmum, Phyloſophiſmum, & tandem ipſum quoque Atheiſmum in ipſa hypotheſi radicaliter contineri, ultimus ex eis indigitat. Quid in re ſenſerit Author de hac perdifficili quæſtione, hic data opera non inquirimus; ſed ejus tantum hypotheſim, ab* Auguſtinianis *Theologis diſcrepantem, innuimus. Dictos Authores conſulat, qui de his inſtrui cupit.*

(*)

Quinto: Non conſiſtit in actu malo præterito non condonato, & moraliter adhuc perſeverante; quia inde ſequeretur hominem conſtitui peccatorem extrinſeca denominatione, orta ab actu præterito, & ſolummodò ſecundùm prudentem exiſtimationem; ſicque remiſſionem peccatorum fieri per extrinſecam Dei condonationem abſque renovatione interiori, quod eſt hæreticum.

Prob. 2. Qualis eſt actus, talis eſt habitus ab illo productus: atqui peccatum actuale eſt actualis averſio à Deo & converſio ad creaturam; Ergo peccatum habituale eſt habitualis averſio à Deo, & converſio ad creaturam. Deinde omne peccatum eſt voluntatis inordinatio: ſi actuale, inordinatio actualis: ſi habituale, inordinato habitualis, per quam habitualiter adhæret objecto illicitè amato: atqui voluntas non eſt deordinata, proindeque formaliter maculata, niſi per averſionem à Deo & converſionem ad creaturam: ergo peccati macula, ſeu peccatum habituale in hac habituali averſione, & converſione conſiſtit.

Dico II. Deus non poteſt pœnam propriè dictam, propter peccatum alienum alicui infligere.

Prob. Scriptura Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit ipſa morietur: & filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* Galat. 6. *Unuſquiſque onus ſuum portabit.* Et ipſemet Dominus prohibet Deut. 24. *Ne occidantur patres pro filiis, nec filii pro parentibus*, quia nempe id injuſtum eſt.

Confirm. ex D. Aug. Lib. 1. Retract. c. 9. *Omnis pœna*, intellige pœna vindicativa, & propriè dicta, *ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur*; id eſt non infligitur, niſi propter peccatum: ergo juſtum eſt, ut qui peccatum perpetravit pœnam ſubeat, non quivis alius.

Objic. 1. Deus eſt ſupremus vitæ & necis dominus: ergo vitam filiorum propter peccata parentum, imò etiamſi nullum peccatum præceſſerit, eripere poteſt.

℟. Deum ſe ipſum negare non poſſe: Negaret autem ſe ipſum, id eſt æquitatem, ſapientiam ac bonitatem ſuam, ſi ſupremum ſuum dominium injuſtè, irrationabiliter, & crudeliter exerceret. Sic autem exerceret, ſi de peccato, in eo qui peccatum non habet, vindictam ſumere vellet. Deinde ex argumento ſequitur Deum hominem juſtum damnare poſſe; quia videlicet vitæ & necis æternæ, ſicut & temporalis, ſupremus eſt Dominus, quod tamen expreſsè negat Aug. Lib. 3. cont. Jul. c. 8. *Juſtus eſt Deus*, inquit, *bonus eſt Deus. Poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.*

Objic. 2. Iſtud. Deut. 5. *Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam, & quartam generationem his qui oderunt me.* Quod utique plurimis hiſtoriæ Sacræ exemplis confirmatur. Siquidem Chanaam propter peccatum Cham punitur; totus Iſraeliticus exercitus propter furtum Achan cæditur; Populus Dei propter vanitatem Davidis peſtilentia percellitur, &c.

℟. Filii, vel ſubditi, qui puniri dicuntur propter parentum, aut Principum ſcelera, vel ſunt innocentes, vel ſunt rei. Si primum, pœna illis inflicta reſpectu illorum non eſt pœna propriè dicta, ſed tantummodò reſpectu parentum & Principum, qui in illis tamquam in perſonis ſibi pertinentibus puniuntur; quo fit ut hæc Pœna filiis, ac ſubditis innocentibus occaſio ſit ad augenda merita, aut medicina ſalutaris

ad peccatum vitandum. Si ſecundum, tunc pro propriis peccatis pœna propria puniuntur: dicuntur tamen propter parentum & Principum peccata puniri; tum quia non tam citò pœnas peccatorum ſuorum dediſſent, nec tam graves, non tamen pluſquam mererentur, tuliſſent, niſi parentum ac Principum ſuorum menſuram, viis pravis eorum adhærendo, impleviſſent.

Dico. III. Peccatum formaliter ſumptum pro reatu culpæ, non eſt ex parte Dei pœna præcedentis peccati, ſed tantùm per accidens & permiſſivè.

Probatur & exponitur concluſio. Quia alioquin Deus eſſet auctor, & cauſa efficiens formalis peccati, quod ſummæ ejus ſanctitati adverſatur. Deinde pœna peccati juſtiſſima eſt, peccatum autem formale ſummè injuſtum: ergo peccatum formale non poteſt eſſe pœna peccati. Deinde culpa formalis eſt actio voluntaria, pœna vero eſt paſſio involuntaria: Ergo unum & idem ſimul eſſe non poſſunt. Reſtat igitur, quòd unum peccatum ſit pœna præcedentis per accidens & permiſſivè duntaxat; quatenus Deus peccatorem à quo deſertus eſt, deſerit; non quidem, inquit Aug. impertiendo malitiam, ſed ſubtrahendo gratia efficacem, ad nova peccata vitanda.

QUÆSTIO III.

Quomodò peccata ab invicem diſtinguantur.

Not. Duplicem eſſe peccatorum diſtinctionem, numericam ſcilicet, & ſpecificam: numericam, in quantum peccata plura ſunt numero intra eandem ſpeciem; ſic adulterium ab alio diſtinguitur adulterio: ſpecificam, in quantum peccata ſunt eſſentialiter diverſa, ſic adulterium differt ab homicidio. Inde oritur quæſtio, quam accuratè diſcutere omninò neceſſarium eſt, ad ritè confeſſiones ſuſcipiendas: unde ſcilicet deſumenda ſit peccatorum diſtinctio tum numerica, tum ſpecifica.

Dico I. Peccatorum ſpecifica diſtinctio deſumenda eſt ex ſpeciali, & alterius rationis malitia; id eſt ex diverſa & ſpeciali oppoſitione ad rationis dictamen.

Probatur & explicatur concluſio. Omne peccatum eſt privatio rectitudinis debitæ, ergo tot ſunt peccata ſpecie diverſa, quot adſunt ſpeciales & alterius rationis ad debitam rectitudinem, quæ in conformitate cum recta ratione ſita eſt, oppoſitiones. Intelligitur autem ex quadruplici regula diverſas ac ſpeciales adeſſe ad rectam rationem oppoſitiones. 1. Dum actio peccaminoſa diverſis virtutibus eſt oppoſita. 2. Dum ejuſdem virtutis diverſis functionibus opponitur. 3. Dum eidem virtuti opponitur contrario modo. 4. Tandem dum eidem opponitur diverſo modo, licèt non contrario: Hinc.

Reſolvitur. 1. Jejunium infringens ab Eccleſia, & à Superiore ſimul præceptum, modò tamen Superior illud non præceperit virtute ſanctæ obedientiæ, unicum peccatum committit; quia licet præcepta materialiter ſint diverſa ob legiſlatorum pluralitatem, uterque tamen legiſlator idem præcipit ſub unico virtutis temperantiæ intuitu. Item qui Sacrum audire prætermittit die Dominica, ubi incidit Feſtum alicujus Sancti, unius peccati reus efficitur; quia, licèt duplex videatur obligatio, una & eadem eſt, ratione unius ejuſdem motivi, Religionis ſcilicet, propter quam auditio Sacri præcipitur. E contra duplex eſt peccatum ſpecie diverſum non jejunare eo die, quo jejunium alicui à Confeſſario injunctum eſt, & ab Eccleſia præceptum, propter diverſa motiva & diverſas ſpecies virtutis, pœnitentiæ nimirum, & Religionis, propter quas jejunium præcipitur.

Reſolv. 2. Hæreſis & omiſſio actus fidei, odium Dei & omiſſio charitatis, Idololatria & ſuperſtitio &c. peccata ſunt ſpecie diverſa; quatenus diverſas infringunt ejuſdem virtutis tum Fidei, tum Charitatis, tum Religionis functiones. Fidei, inquam, quæ jubet, ut nihil contrarium divinæ revelationi credamus, & eidem poſitivum aſſenſum præbeamus; Charitati, quæ præcipit, ut Deum toto corde diligamus, & prohibet ne ipſum odio habeamus, Religioni, qua tenemur Deum cultu legitimo colere, & alteri numini hunc cultum non exhibere.

Reſolv. 3. Prodigalitas & avaritia, deſperatio & præſumptio ſpecie inter ſe differunt, quamvis eidem virtuti repugnent, liberalitati nimirum & ſpei; quia cum virtus conſiſtat in medio, duobus modis contrariis, proindeque ſpecie diverſis, ab illa deflectere poſſumus, ſcilicet defectu, & exceſſu.

Reſolv. 4. Detractio, furtum, rapina, homicidium ſpecie ſunt diverſa; licet eidem virtuti juſtitiæ oppoſita, quia contra ipſam diverſimodè pugnant.

Dico II. Peccatorum diſtinctio numerica deſu-

deſumenda eſt ex multitudine eidem rationis dictamini oppoſitionum.

Probatur, & explicatur concluſio. Si ex his oppoſitionibus ſpecie diverſis diſtinctio ſpecifica deſumenda eſt, conſequens eſt ut ex eiſdem numero multiplicatis, intra eamdem ſpeciem, diſtinctio numerica deſumatur. Et ut intelligatur quando numericè multiplicantur oppoſitiones, accuratè diſtinguendum eſt: vel enim quæſtio eſt de unica actione circa plura objecta materialia, vel de pluribus actionibus circa idem objectum. Si agatur de unica actione circa plura objecta, tunc unicum eſt numero peccatum, dum circa ea verſatur per modum unius, quatenus inter ſe ſunt connexa; ſed plura numero ſunt peccata, dum circa ea verſatur, ut ſunt plura, ſeu diſtributivè, aut diſparatè ſumpta. Hinc.

Reſolv. 1. Qui domum multis conſtantem partibus comburit, omnes unius gregis oves ſubripit, omnes unius Bibliothecæ libros furatur; unicum tantum peccatum committit; quia omnes domus partes, gregis oves, Bibliothecæ libri ſumuntur hìc per modum unius. Item qui de unica familia, pluribus conſtante perſonis, unica detractione detrahit, aut unica blaſphemia contra univerſum Apoſtolorum collegium blaſphemat, aut unico actu jejunium totius quadrageſimæ non obſervare proponit, unum dumtaxat numero peccatum committit; quia actio hæc unica ad plura quidem tendit; ſed quatenus ad invicem aliquam habent inter ſe connexionem. Ubi tamen obſervandum eſt obiter hos & ſimiles caſus, circa quos controvertunt auctores parvi ad praxim intereſſe; cum certum ſit blaſphemiam adversùs univerſum Apoſtolorum collegium, idem dic de cæteris, longe graviorem eſſe, proindeque in Confeſſione aperiendam, quam blaſphemia contra unum Apoſtolum.

Reſolv. 2. Unico actu occidens decem perſonas, etiam ejuſdem familiæ, decem peccata committit; quia jus cujuslibet particularis violatur, & unum ab altero diverſum eſt atque independens. Item unica adminiſtratione baptizans, & abſolvens in malo ſtatu ſex perſonas, ſex numero peccata committit; quia Abſolutio & Baptiſmus unius cum altero non eſt connexus. Item conjugatus copulam habens cum conjugata non ſua, duplex numero adulterium perpetrat; quia jus duplex diſparatum infringit, ſcilicet uxoris ſuæ, & mariti conjugatæ, quam cognovit.

Quod ſi verò agatur de pluribus actionibus circa idem objectum, tot ſunt peccata, quot ſunt actiones moraliter diverſæ. Dignoſcitur autem actiones phyſicè multiplices, moraliter eſſe vel non eſſe diverſas, duplici regula.

Prima Regula: Si actiones phyſicè multiplicem ordinem & connexionem moralem inter ſe habeant; ita ut ad unam principalem concurrant, unicum erit numero peccatum. Si autem nullam connexionem habeant; ita ut quælibet actio opus ſit integrum & conſummatum, tot erunt numero peccata, quot erunt actiones. Hinc.

Reſolv. 1. Qui in uno & eodem congreſſu tria aut quatuor oſcula omnino ſucceſſivè mulieri præbet: qui in una & eadem rixa tres aut quatuor ictus alteri impingit, aut ipſum pluribus ejuſdem ſpeciei injuriis afficit, unum duntaxat numero peccatum committit; quia hæc omnia ad unam & eamdem actionem protendunt. Item unicum numero peccatum committit, qui ex intentione fornicandi puellam ſollicitat, impudicè reſpicit, oſculatur, tangit; quique ex intentione furandi inſtrumenta parat, defert, applicat &c. Ob eamdem rationem.

Reſolv. 2. Multiplex peccatum committit, qui omninò ſucceſſivè ſemel & iterum fornicatur; quia quælibet fornicatio opus eſt integrum atque conſummatum. Similiter Sacerdos ſucceſſivè pluribus communionem adminiſtrans in malo ſtatu, plura perpetrat ſacrilegia; quia quælibet communio individualis eſt & completa actio, nec ullam ad aliam communionem ordinem habet.

Secunda Regula: Tot ſunt numero peccata intra eamdem ſpeciem, quot ſunt actus voluntatis circa idem objectum, moraliter diſcontinuati aut interrupti. Hæc regula ex præcedenti ſubſequitur; quia ſcilicet per moralem interruptionem fit, ut actus nullam inter ſe connexionem moralem habeant; ſicut & per moralem continuationem fit ut actus, licet phyſicè multiplices, unus ſint moraliter actus. Porrò ex triplici capite deſumitur moralis interruptio. 1. Ab actus revocatione, ſive per pœnitentiam, ſive per aliud motivum humanum. 2. A voluntaria actus ceſſatione, dum nempe agens ad alia expreſsè divertitur. 3. A naturali inadvertentia ſatis longa, ut juxta prudens judicium actionem ceſſaſſe, & alteram incepiſſe cenſeatur. Ex primo capite.

Reſolv. Duplex peccatum committeret, qui mane furari ſtatuiſſet, & poſtea pecca-ti pœnitens, hanc voluntatem abjiciens, illam deinceps reſumeret; aut qui proximum tunc odio haberet, poſtea amare proſequeretur, ac deinceps odium reiteraret. Et ideò malam voluntatem, modo abjiciendo, modo reſumendo, intra unius horæ ſpatium, centum numero peccata committere poſſet.

Reſolv. Ex ſecundo capite: Si quis viſa puella in aliqua delectatione voluntariè perſeveret; & poſtea ſe ad alia cogitanda, aut agenda voluntariè ſe divertat; & ſtatim viſa altera puella, aut eadem, ad priorem delectationem redeat, duplex peccatum committit.

Reſolv. Ex tertio capite. Si quis ex intentione fornicandi trium aut quatuor dierum iter conficiat, unicum peccatum fornicationis committit, licèt in itinere nunc de peccato committendo, nunc de aliis rebus cogitet, & ſæpius dormiat. Imo fieri poſſet, ut per totam hebdomadam fornicationis appetitum proſequeretur, & tamen unicum numero peccatum committeret: Si nempe toties quoties de eo cogitat, ſemper fornicationem expeteret. Secus dicendum eſſet, ſi ad reflexionem advertens ſeſe negativè haberet. Ratio primæ reſolutionis eſt, quia prima voluntas itinerantis, licèt phyſicè interrupta, cenſetur perſeverare ſaltem virtualiter, in actione itinerandi ſuſcepta. Ratio ſecundæ eſt, quia dum quis negativè ſe habet erga propoſitum peccandi ad id quod reflectit, tunc illud propoſitum moraliter ceſſare videtur.

Si quis verò per horam integram in pravo conſenſu perſeveret, aut de re turpi voluntariè cogitet, non niſi unicum numero peccatum committit, etiam ſi breves contingant interruptiones: Sed duplex eſſet peccatum ſi interruptio longior eſſet, per quadrantem ſcilicet, aut ſi intra cogitandum ſomno correptus fuiſset, & poſt ſemi horam, aut quadrantem, priſtinum conſenſum renovaret, aut turpem cogitationem reſumeret. Similiter, ſi quis inimicum trucidare decreverit; ſed propoſiti ſui poſt hac oblitus, ipſum occidere non tentet; & inde aliqua interjecta mora propoſitum renovet, duo numero peccata committit. Ratio utriuſque reſolutionis eſt, quia prior voluntas ob motam interpoſitam non cenſetur virtualiter perſeverare, proindeque tum phyſicè tum moraliter ceſſaſſe. Ubi.

Obſerv. 1. Illud diſcriminis intereſse inter peccata externa & purè interna, quòd priora non adeò facilè multiplicentur, poſteriora longè faciliùs & frequentiùs; quia actus interni in actibus externis virtualiter perſeverant, niſi retractentur; actus verò merè interni, cum nihil habeant vi cujus virtualiter perſeverent, longe breviori tempore ceſſant.

Obſerv. 2. Quòd licèt quandoque unicum ſit numero peccatum, eamdem peccandi voluntatem longo tempore continuare, circumſtantia tamen durationis, quæ ſæpius peccatum notabiliter aggravat, in confeſſione eſt aperienda; maximè cùm duratio actionis peccaminoſæ ordinarium modum excedit. Ad perfectè cognoſcendam peccatorum diſtinctionem, hic breviter.

QUÆR. Undenam deſumatur peccatorum inæqualitas?

Ante reſponſionem ſupponendum 1. Tamquam ex fide certum contra Stoicos, & quoſdam Hæreticos, peccata alia aliis graviora; dicitur enim Thren. 4. *Major eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum*: Et ipſemet Chriſtus Pilato dicebat: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Ratio conſonat: nullus quippe mentis compos negare poteſt, beſtialitatem & Sodomiam graviora eſſe peccata, quàm fornicatio ſimplex; & vitam homini eripere, quàm unum aut alterum aſſem.

Sup. 2. Duplicem eſſe peccatorum gravitatem, eſſentialem nimirum, quam habet peccatum ex ſpecie ſua, & accidentalem quæ actui advenit in ſua ſpecie conſtituto, ex circumſtantiis ſcilicet aggravantibus, de quibus jam ſermonem habuimus: unde gravitatem peccatorum eſſentialem, non accidentalem hic inquirimus: igitur.

℞. Eſſentialem peccatorum gravitatem ab objecto, ad quod actus ſe extendit deſumendam eſſe. Si enim actus humanus moralitatis ſpeciem ab objecto deſumat, ut alibi dictum eſt, neceſſariò ſequitur, ut gravitas eſſentialis ſeu ſpecifica actus peccaminoſi ab eodem objecto deſumatur. Igitur quò nobilius eſt objectum peccati, eo, cæteris paribus, gravius eſt peccatum. Ideò graviora ſunt peccata, quæ Deum reſpiciunt, ut blaſphemia, Idololatria, &c. quàm quæ reſpiciunt proximum, ut furtum homicidium, &c. Item graviora ſunt quæ reſpiciunt perſonam ipſam proximi, ut ipſummet homicidium, quàm quæ bona ipſius, ut furtum, detractio, &c.

Dixi *cæteris paribus*. Siquidem modus diverſus, quo actus peccaminoſus tendit ad

obje-

objectum, gravitatem peccati auget, vel minuit. Sic homicidium gravius eſt quàm omiſſio Sacri in die feſto; licèt illud proximum reſpiciat, & iſtud cultum divinum; quia peccatum commiſſionis de ſe gravius eſt, quam peccatum omiſſionis, quo fit etiam, ut odium Dei longe gravius ſit, quàm omiſſio actus charitatis, licet utrumque peccatum Deum reſpiciat. Similiter graviùs peccatur contra aliquam virtutem per defectum, quam per exceſſum. Sic deſperatio gravior eſt quàm præſumptio, avaritia quàm prodigalitas, ſuperbia quàm nimia abjectio, &c. quia nimirùm graviùs peccatur contra aliquam virtutem, dum peccatur contra id ad quod primariò virtus inclinat. Primariò autem ſpes inclinat ad ſperandum in Deum; & ſecundariò ad non nimium in ipſum ſperandum: & liberalitas primariò inclinat ad dandum, & ſecundariò ad non excedendum in donis ſuis: Idem dic de cæteris virtutibus.

QUÆSTIO IV.

Quænam ſint peccati diviſiones.

PEccatum dividitur ſtatim in Originale, quod aliena voluntate, Adami ſcilicet, commiſſum, per viam generationis derivatur; & perſonale, quod propria cujuſlibet voluntate perpetratur. Perſonale autem ſubdividitur in actuale, quod eſt ipſemet actus malus commiſſus; & habituale, quod dicitur macula remanens in anima ex peccato actuali. De iſto præcipuè hìc agitur; & multipliciter ſubdividitur.

1. Ratione præcepti; Aliud eſt peccatum commiſſionis, quo præceptum negativum aliquid prohibens infringitur, ut furtum: aliud omiſſionis, quo affirmativum aliquid præcipiens violatur, ut omiſſio Sacri die Feſto.

2. Ratione ſubjecti: Aliud eſt carnale, quod in carne ſeu carnali delectatione perficitur: ut gula, luxuria: aliud ſpirituale, quod abſque carnali delectatione in anima conſummatur, ut ſuperbia, invidia, &c.

3. Ratione cauſæ: Aliud eſt peccatum infirmitatis, quòd ex ignorantia aut paſſione, aut ſubreptione committitur: aliud malitiæ, quod ſola perverſitate voluntatis ex plena cognitione, & deliberatione, ſine ulla urgente neceſſitate, perpetratur.

4. Ratione objecti: Aliud eſt contra Deum; quod amori vel reverentiæ Deo debitæ ſpeciali ratione opponitur, ut Hæreſis, deſperatio, &c. Aliud contra proximum, quòd proximo nocumentum infert, ut homicidium, calumnia, &c. Aliud ſpecialiter contra ſe ipſum, per quod homo violat rationis ordinem, quem ſervare tenetur erga ſe ipſum pro recta ſui gubernatione, ut Ebrietas, Fornicatio, &c.

5. Ratione modi: aliud eſt peccatum cordis, quod ex natura in corde conſummatur, ut Hæreſis, Odium, &c. Aliud Oris quod ſolo ore perpetratur, ut perjurium, blaſphemia, &c. Aliud Operis, quod opere externo perficitur, ut furtum, fornicatio, &c.

6. Ratione qualitatis offenſæ Dei: Aliud eſt mortale; quod graviter Deum offendit, & mortem animæ infert; Aliud veniale, quod leviter Deum lædit, quodque cum animæ vita, & gratia ſanctificante conſiſtere poteſt.

De his omnibus peccatorum ſpeciebus hìc nobis breviter agendum incumbit, ſequentibus Articulis.

ARTICULUS I.

De peccato commiſſionis, & omiſſionis.

Not. 1. LIcèt conveniant omnes Theologi, peccatum commiſſionis & omiſſionis inter ſe differre, in eo quòd illud per actum poſitivum efficiatur, iſtud verò per ejuſdem actus, carentiam; cum nullus prærequiratur actus ut præceptum non impleatur, ſed ſufficiat ejus negatio, gravis tamen eſt controverſia inter eos, utrùm omiſſio poſſit eſſe voluntaria, & libera, proindeque peccaminoſa, circa ullum voluntatis actum: Circa quod.

Not. 2. Omiſſionem actus præcepti triplici modo voluntariam eſſe poſſe. 1. Expreſsè, dum quis expreſsè dicit interiùs: *Nolo ſacro intereſſe*. 2. Indirectè, dùm quis vult expreſsè aliquid facere, quo impediatur, quominus Sacro intereſſe poſſit; ludere v. g. aut venari tempore Sacri. 3. Negativè dum quis propoſito ſibi ab intellectu Eccleſiæ præcepto omnem actum voluntatis ſuſpendit; ita ut nec ſe velle, nec ſe nolle illud adimplere dicat. De qua omiſſione ſic expoſita, quæritur utrùm voluntaria ſit libera & peccaminoſa.

Dico. Omiſſio voluntaria, & libera & peccaminoſa eſſe poteſt, abſque omni voluntatis actu.

Prob. Multiplici auctoritate & ratione:

1. D.

Digitized by Google

malum propoſitum; ſed per affectatam Breviarii projectionem, medium Officium recitandi malitiosè ſibi abſtulit. Similiter graviter peccat, qui voto caſtitatis emiſſo uxorem ducit, licèt ante ſupradictum votum nunquam ſervare ſtatuerit; quia per contractum Matrimonium adimpletionem voti præcedentis impoſſibilem reddidit.

Reſolv. 2. Si propoſitum ab aliquo emiſſum Miſſam non audiendi tam longè diſtet ab ipſa omiſſione, ut facilè poſthac propoſitum mutare poſſit, & ſe mutaturum probabile ſit, novum proculdubiò peccatum committit, ludo aut venationi dando operam; cum per hanc operam revocationem probabiliter ſubſecututam inutilem voluntariè efficiat; ex quo ſequitur eos qui cum ipſo ludunt, aut venantur in tali caſu, peccati ejus participes fieri.

QUÆR. 2. Utrum actus, qui omiſſionis eſt cauſa, peccatum ſit diſtinctum ab ipſa omiſſione peccaminoſa?

℟. Diſtinguendo; vel actus eſt de ſe jam alioquin malus, vel eſt indifferens. Si de ſe jam eſt malus; evidens eſt peccatum eſſe diſtinctum. Si indifferens, ab ipſo omiſſionis peccato minimè diſtinguitur; quia totam malitiam ſuam trahit, nec ullam aliam habet niſi ab omiſſionis malitia. Hinc.

Reſolv. 1. Ponens voluntariè actum, ex quo prævidet probabiliter præceptum non adimplendum, ſomno v. gr. indulgens, dum Sacrum eſt audiendum, graviter peccat, licèt rebus mutatis Sacrum deinceps audiat.

Reſolv. 2. Peccatum omiſſionis incipit, cum incipit actus qui eſt cauſa vel occaſio, cur præceptum deinceps non adimpleatur. Completur autem eo tempore, quo præceptum quod omittitur eſt adimplendum. Quod ſi verò tunc temporis omittens ſui non ſit compos, vel quia dormit, vel quia ebrius eſt; conſummatur omiſſio ipſo inſtanti, quo voluntariè poſita eſt cauſa ſubſecutæ omiſſionis; nec enim quis peccare poteſt, dum ſui compos non eſt.

QUÆR. 3. Utrùm omnes omiſſiones ſequentes ex infirmitate, & impoſſibilitate contracta imputari debeant ei, qui has voluntariè contraxit?

℟. Si has omiſſiones prævidit aut prævidere debuerit, ipſi ſunt imputandæ; quia tunc ſunt vel formaliter, vel interpretativè ab ipſo in cauſa volitæ. Certum eſt autem voluntarium in cauſa ad peccandum ſufficere. Quod ſi vero nec eas prævidit nec prævidere debuerit, ipſi non ſunt imputandæ; cum nihil volitum quin præcognitum. Hinc.

Reſolv Qui Baccho & Veneri nimium indulgens ita ſit infirmus, ut poſthac jejunare non poſſit, peccat non jejunando, niſi tamen facti ſincerè coram Deo pœniteat.

ARTICULUS II.

De peccatis carnalibus, & ſpiritualibus, infirmitatis, & malitiæ.

Not. 1. Circa peccata carnalia, quòd licèt peccata omnia dicantur ab Apoſtolo *opera carnis*; quatenus ſcilicet ſecundùm naturam totius hominis corruptam conſiderantur; peccatum tamen carnale proprie dicitur, quod ſpirituali opponitur. Illud cæteris paribus carnali gravius eſt, quia nempe vehementiùs hominem ad peccatum ſollicitat & allicit: Illud vero ſpirituali periculoſius eſt, quia rationis judicium obtundit, & mentem hebetat.

Porrò inter peccata tum carnalia, tum ſpiritualia, ſeptem capitalia numerantur; ſic dicta, quia radices ſunt & capita, ex quibus alia omnia peccata prodeunt. *Luxuria* & *Gula* inter carnalia deputantur: reliqua vero inter ſpiritualia; videlicet *Superbia*, *Avaritia*, *Invidia*, *Ira*, *Acedia*, de quibus ſuo loco ſermonem faciemus.

Not. 2. Circa peccata infirmitatis, ignorantiæ, & malitiæ; quòd, licèt nullum ſit peccatum, quod toti SS. Trinitati non adverſetur, peccatum tamen infirmitatis contra Patrem dicitur, cui tribuitur ſpecialiter Potentia; Peccatum ignorantiæ contra Filium, cui Sapientia: & peccatum malitiæ contra Spiritum Sanctum, cui Bonitas aſſignatur. Ad peccata malitiæ reducuntur quatuor peccata præcipua in cœlum clamantia: nimirum *Homicidium* voluntarium, Peccatum *Sodomiticum*, *Oppreſſio* pauperum, & *merces Operariorum* defraudata; quia videlicet malitiam adeò manifeſtam præ ſe ferunt, ut divinam vindictam vehementiùs quàm cætera peccata provocare cenſeantur. Item ad peccata malitiæ maximè reducuntur ſex peccata, quæ contra Spiritum Sanctum ſpecialiùs eſſe dicuntur. 1. *Præſumptio* de miſericordia Dei, qua inaniter freti peccatores ad peccandum fiunt audaciores. 2. *Deſperatio* divinæ miſericordiæ, qua ſpes omnis tum impetrandæ veniæ, tum ſalutis conſequendæ abjicitur.

Digitized by Google

citur. 3. Agnitæ veritatis *impugnatio*, qua Fidei catholicæ veritas non ex ignorantia, ſed ex malitia oppugnatur. 4. Fraternæ charitatis *invidentia*, qua dolemus de donis ſpiritualibus, quibus proximus eſt exornatus. 5. *Obſtinatio* eorum, qui pertinaciter in peccatis perſeverantes à quibuſvis gratiis tum internis, tum externis ſe moveri non ſinunt. 6. *Impœnitentia* eorum, qui nunquam pœnitentiam agere propoſuerunt. De quo peccato proprie dicitur non haberi remiſſionem neque in hoc ſæculo, neque in futuro; *quia* nimirùm, inquit Aug. *pœnitentia impetrat remiſſionem in hoc ſæculo, quæ valeat in futuro.*

ARTICULUS III.

De peccatis contra Deum, proximum, & noſmetipſos, ubi de peccato Philoſophico.

Not. NOs ſuperiùs adnotaſſe, peccata adverſùs Deum perpetrata ea eſſe, quæ amori, vel reverentiæ Deo debitæ *ſpeciali ratione* adverſantur. Certum quippe nobis videtur, nullum eſſe omninò, aut eſſe poſſe peccatum tum adverſùs proximum, tum adverſùs noſmetipſos, quòd ſuo modo in Deum non pugnet, ipſum que non offendat, contra nonnullos Theologos arguè diſtinguentes peccatum Theologicum à Philoſophico, quorum ut ſyſtema intelligatur.

Not. 2. In actu peccaminoſo malitiam duplicem conſiderari poſſe: Primam, quatenus præcisè rectæ rationi adverſatur: Alteram, quatenus cum lege divina pugnat. Dùm igitur, inquiunt, peccatum perpetratur ab homine advertente ſolummodò ad rectam rationem, cujus conſideratio Philoſophorum eſt, peccarum eſt Philoſophicum, quod quantumlibet ſit grave ac turpe, Dei amicitiam non diſſolvit, nec pœnam incurrit æternam. Quod ſi perpetretur ab advertente ad Legem, & offenſam Dei, quarum conſideratio Theologos ſpectar, erit Theologicum, amicitiam Dei diſſolvens, & peccatorem, dùm gravis eſt materia, pœnis æternis addicens. Contra hanc ſententiam.

Dico. Culpa moralis à Theologica minimè diſtinguitur, nec ullum eſſe poteſt peccatum rectæ rationi contrarium, quod ſimul contra Legem æternam, & ipſum Deum non pugnet.

ADNOTATIO 32.

(*)

Ecce in terminis propoſitio ab Alexandro *damnata, ab Authore noſtro citata*: Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale, eſt tranſgreſſio libera Divinæ legis. Philoſophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque æterna pœna dignum. *Hanc propoſitionem innumeris laxitatibus viam ſternere; infinitaque abſurda ex ipſa dimanare, Scriptores pæne innumeri demonſtrarunt. Et jure merito quidem; cum per ipſam Æthices Chriſtianæ fundamenta fere omnia concutiantur, & evellantur. Ab imo igitur, & a radice arborem peſſimam eradicare Pontifex* Alexander *neceſſarium duxit.*

(*)

Prob. 1. Sententia contraria damnata eſt ab Alex. VIII. Die 24. Aug. an. 1690. & à Clero Gallicano an. 1700. tamquam ſcandaloſa, temeraria, piarum aurium offenſiva, & erronea.

Prob. 2. Ex variis Scripturæ textibus, quibus convincitur inadvertentiam ad Legem & offenſam Dei nullatenus excuſare à vero formali, atque Theologico peccato. 1. Pſal. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*; Id eſt noluit ſincerè credere Deum eſſe, aut ſaltem ab eo mentis oculos avertit: Attamen pergit Pſalmiſta, *corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt*, certè coram Deo per peccata formalia facti ſunt corrupti & abominabiles. Unde Pſal. 9 ſic ait: *Exacerbavit Dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret. Non eſt Deus in conſpectu ejus, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore: Auferuntur judicia tua à facie ejus.* Ubi apertè declaratur, peccatorem Deum exacerbare atque offendere, licèt de ipſo non cogitet.

Prob. 3. Ratione; quia qui advertit ſe actionem perpetrare dictamini rationis contrariam, eo ipſo advertit ſaltem implicitè eam Legi æternæ adverſari; cum rationis dictamen, ut alibi dictum eſt, radius ſit atque effluvium ipſiuſmet Legis æternæ. Deinde licèt qui in peccatum rationi contrarium cœco modo impingit, ad offenſam Dei non advertat, planè ſufficit ad formaliter & Theologicè peccandum, quod advertere potuerit ac debuerit: Unde D. Th. 12. q. 74. art. 7. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd ex hoc ipſo quod ratio ſuperior non dirigit actus humanos ſecundum legem divinam,*

Digitized by Google

nam, impediens actum peccati, dicitur ipſa conſentire, ſive cogitet de lege æterna, ſive non. Cum enim cogitat de lege Dei, actu eam contemnit: cum verò non cogitat, eam negligit per modum omiſſionis cujuſdam.

Prob. 4. Ex abſurdis, quæ ex doctrina contraria manifeſtè ſequuntur.

1. Sequitur, horrenda quæque flagitia in viris perditiſſimis, qui in peccando de Deo minimè cogitant, & in Atheis & Idololatris, qui Deum non noverunt, non eſſe vera peccata morte æterna digna: Imo ſequitur peccatores eo magis excuſabiles eſſe, quo flagitioſiores ſunt & minus de offenſa Dei cogitant; quo nihil abſurdiùs atque horribiliùs excogitari poteſt.

2. Sequitur, pejorem eſſe conditionem eorum qui Dei notitiam habent, quàm Gentium quæ, ut ait Apoſtolus, *ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ in illis eſt propter cœcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes tradiderunt ſe impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis*. Cum rariſſimè peccare poſſent Theologicè.

3. Sequitur quod qui vita diſcederet poſt peccatum turpiſſimum atque graviſſimum, ſed, ut ajunt, duntaxat Philoſophicum, nec fore damnandum, nec ſalvandum. Non damnandum quidem juxta mentem adverſariorum; nec utique ſalvandum, cum ſcriptum ſit, quod *qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt*. Numquid ad lymbum talis peccator deſtinaretur? ſed hæc fictio manifeſtè eſt erronea; cum de fide ſit ſolos pueros, qui non propria ſed aliena voluntate peccaverunt, ad hunc lymbum deſtinari poſſe.

Objic. Illud D. Thom. 1. 2. quæſt. 71. art. 6. ad 5. *A Theologis conſideratur peccatum præcipuè, ſecundùm quod eſt offenſio contra Deum. A Philoſopho autem morali ſecundùm quod contrariatur rationi*. Ergo D. Thom. agnovit, & docuit diſtinctionem peccati Theologici, & Philoſophici.

℞. Diſtinguo Conſeq. D. Thom. agnovit diſtinctionem formalem per intellectum peccati Philoſophici, & Theologici C. diſtinctionem realem N. Idem agnovit & docuit peccatum conſiderari poſſe, vel quatenus eſt offenſio contra Deum, vel quatenus contrariatur rationi; ſed nuſpiam docuit aliquod eſſe peccatum rationi contrarium; quod non ſimul in Deum pugnet, nec ſit offenſa Dei.

ARTICULUS IV.

De peccatis cordis, oris, & operis, ubi de delectatione moroſa.

Not. 1. TRibus modis, inquit, D. Gregor. Pap. *tentatio agitur, ſuggeſtione, delectatione, & conſenſu*. Propoſito ab intellectu objecto jucundo, vel injucundo, naturaliter exurgit in corde erga illud objectum complacentia, vel diſplicentia: ſubſequitur denique conſenſus, quo rem excogitatam, de qua delectamur, aut triſtamur aſſequi, vel refugere exoptamus.

Not. 2. Duplicem eſſe delectationem; involuntariam ſcilicèt, & indeliberatam, quæ in appetitu ſenſitivo independenter à voluntate ex mala cogitatione ſuboritur? Voluntariam ac deliberatam, quæ ab intellectu percepta, à voluntate approbatur. Et hæc moroſa delectatio nuncupatur; non quidem ex temporis diuturnitate, cum unico inſtanti poſſit quilibet huic delectationi voluntariè adhærere; ſed ex mora voluntatis, quæ poſt hujuſce cogitationis ac delectationis advertentiam, eam non repellit; ſed in ea immoratur, ac quaſi quieſcit, abſque deſiderio ulterius ad opus malum procedendi.

Not. 3. Triplici modo voluntas huic malæ delectationi adhærere poteſt, atque in ea immorari & ipſam approbare. 1. Expreſsè & poſitivè, dum voluntas delectationem perceptam per actum poſitivum vult atque intendit. 2. Interpretativè & negativè; dum ipſa non quidem delectationem poſitivè approbat, ſed eam advertens non repellit aut coercet. 3. Virtualiter, dum cauſa influens in delectationem, & talis cognita, liberè à voluntate ponitur, ſive intendatur talis delectatio, ſive non.

Not. 4. Circa triplex objectum delectationem verſari poſſe; vel circa ipſammet cogitationem rei malæ, quatenus eſt utilis ad aliquid; vel circa modum mirabilem, ingenioſum aut ridiculum, quo res eſt peracta; vel denique circa rem ipſam cogitatam. Si delectatio verſetur tantum circa cogitationem rei malæ, vel circa modum quo peracta eſt, conſenſus in hanc delectationem non eſt de ſe mortalis. Siquidem talis eſt delectatio, quale eſt objectum ex quo oritur: cogitatio autem alicujus rei, & modus mirabilis aut ridiculus, quo res peragitur, de ſe utique non ſunt mala: ergo nec eorum delectatio. Imo delectatio orta

ex cogitatione rei malæ meritoria eſse poteſt; ut ſi quis de peccatis cogitaret, concionandi aut diſputandi gratia. Dixi *per ſe*, nam per accidens, ratione periculi conſenſus in ipſam rem, delectatio de cogitatione, ſicut & de modo, mala ſæpius evadit.

Quæſtio eſt igitur tantummodò de delectatione, quæ verſatur circa ipſam rem malam cogitatam. De qua quæritur. 1. Utrùm ſit de ſe peccatum mortale. 2. Utrùm ad delectationem moroſam & mortalem ſufficiat conſenſus interpretativus, aut negativus; circa quod.

Dico I. Moroſa delectatio de objecto repræſentato mortaliter malo peccatum eſt mortale, licet nulla adſit voluntas rem malam aſsequendi.

Prob. 1. Ex Scriptura Proverb. 15. v. 26. *Abominatio Domini cogitationes malæ*, & Sap. 1. 3. *Perverſæ cogitationes ſeparant à Deo*. Et D. Aug. Lib. 12. de Trin. c. 12. dicit, *quod totus homo damnabitur, niſi hæc quæ ſine voluntate operandi, ſed cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per Mediatoris gratiam remittantur*. Ideo Doctrina eorum qui cenſent hanc pravam delectationem peccatum eſse tantummodò veniale, damnata eſt à Clero Gallicano an. 1700. tamquam falſa, temeraria, ſcandaloſa, in praxi periculoſa, concupiſcentiam fovens, in tentationem & in gravius peccatum inducens, contraria & injurioſa S. Aug.

Prob. 2. Ratione: quia dum aliquis de re mala cogitata delectatur & ei voluntariè immoratur, proculdubiò convincitur aliquo affectu teneri erga talem rem: Atqui affectus erga rem mortaliter malam peccatum eſt mortale; ergo & de ipſa voluntaria delectatio. Porrò quod dicitur de delectatione in re mala, non abſimili ratione dicendum eſt de diſplicentia in re bona; ut dum quis triſtatur de bono Dei vel proximi, vel de bono aliquo virtutis opere, Religionis, miſericordiæ, temperantiæ, obedientiæ, &c. cum hæc triſtitia aut diſplicentia affectum malum & peccaminoſum, ex quo oritur, evidenter arguat.

Dico II. Moroſa delectatio de re mortaliter mala peccatum eſt mortale; Dum advertente ratione voluntas circa illam ſe habet negativè, licèt eam poſitivè non approbet.

Prob. Ratione multiplici. 1 Quia ſi quis poſset abſque culpa gravi in hac delectatione immorari, & eam non repellere, dum advertit, poſset etiam ſine gravi culpa eamdem poſitivè appetere, quod falſum eſt. Certum quippe eſt nos poſitivè appetere poſse, quod de ſe eſt indifferens: illud autem de ſe eſt indifferens, quod abſque ulla neceſſitate licitè in nobis pati poſſumus, dùm illud facili negotio repellere valemus.

2 Illa moroſa delectatio, quam non repellimus, dùm eam advertimus voluntaria eſt: ergo peccaminoſa. Illud namque voluntarium eſt ſaltem interpretativè, quod non repellimus cum poſſumus ac debemus: Debemus autem delectationem de re mala repellere, quia ad malum nos impellit, & peccandi periculo proximo nos committit. Moraliter enim impoſſibile eſt, ut qui ſic delectari ſe ſinit, abſque ulla utili aut honeſta ratione, delectationem poſitivè non approbet, ipſique formaliter non aſsentiatur.

3. Per præceptum *non concupiſces* tenemur utique nedum concupiſcentiis noſtris non conſentire, ſed & eas cohibere, cum præceptum illud ſimul negativum ſit atque affirmativum. Ubi tamen obſervandum eſt præceptum illud, quatenus poſitivum ſemper quidem obligare, ſed non pro ſemper: Ideò caſus evenire poteſt, ubi delectationis hujus occaſionem (idem dicito de motibus ſenſualitatis in corpore ſuſcitatis) vitare non tenemur, dùm nempè propter eam aliqua actio neceſsaria, utilis & honeſta foret omittenda; modò tamen ulterioris conſenſus nullum plane adſit periculum. Ex dictis.

Reſolv. 1. Qui moroſè delectatur de quocumque malo, hic & nunc ſibi illicito, ſive à ſe, ſive ab alio commiſso, aut committendo, quodque committi poteſt, vel non poteſt, tale peccatum perpetrat, quale eſt malum de quo delectatur.

Reſolv. 2. Nefas eſt delectari de actu intrinſecè malo, etiam per accidens citra culpam commiſso v. gr. de pollutione nocturna, aut de homicidio caſu perpetrato.

Reſolv. 3. Omninò viduis illicitum eſt, delectari de copula præterita, & Sponſis de futura, imo & ipſiſmet Conjugatis de copula vel præterita, vel futura cum ſua comparte abſente. Nec audiendi ſunt Caſuiſtæ, qui carni & ſanguini nimium indulgentes, Conjugatos de talibus voluntariè ſe delectantes, à mortali excuſant. Ratio eſt. 1. Quia ſimiles delectationes vehementem corporis commotionem habent ſibi annexam, & ex natura ſua ad pollutionem

Digitized by Google

tionem inclinant. 2. Quia, licet harum delectationum objectum licitum fuerit aut futurum ſit, tunc tamen temporis, & in tali circumſtantia non eſt licitum, quatenus actualiter cogitatum. 3. Quia hæ delectationes ſunt initium quoddam carnalis copulæ, & quaſi quædam copula imaginaria, & in animo facta extra Matrimonium, proindeque ſub peccato mortali prohibita.

Adnotatio 33.
(*)

Cum hæc Auctoris de Conjugatis Opinio nimiæ rigiditatis a non paucis damnetur, utpote ſtatui Conjugali, ajunt ipſi, gravis nimium, & onroſa, ad ejus confirmationem, & elucidationem pauca addere neceſſarium duximus. Et primo quidem, ſeveritatis nimiæ damnari minimè poteſt Author noſter, quin cum ipſo damnari pariter debeant Sapientiores Theologi, & bene multi. Unum, vel alterum hic tantum referemus. Sit primus Natali ab Alexandro, *qui in Tractatu* de peccatis *Reg. 50. p. m. 191. poſtquam ſtatuit minime licere Viduis de Opere Conjugali præterito, & Sponſis de futuro abſque gravi culpa delectationem captare*; maximè cum hujuſmodi voluptatis recordatione, aut prægustatione quadam nefarios in ſe libidinis motus excitant, & periculo pollutionis ſe exponunt, *ſic addit, quod attinet ad caſum noſtrum*. Idem eſto judicium de Marito cujus uxor, aut de uxore cujus maritus eſt abſens; cum delectationes illæ ad opus conjugale non diſponant, & in ſimile periculum conjiciant cogitantes. *Sit Secundus* P. Antoine, *qui in Tract.* de Obligationibus Conjugum *Quæſt. IX. p. m. 296 ſic ſe habet*: An peccat mortaliter Conjux, ſi in abſentia compartis, ſecluſo periculo pollutionis, captet delectationem veneream, vel ſe libidinoſe tangat? Reſp. Affirmativè: quia tactus impudicus, & delectatio venerea valde commovent Spiritus genitales, eorumque motum excitant; quæ commotio Spirituum genitalium ex natura ſua tendit, & ordinatur ad ſeminis effuſionem, ideoque abſente Comparte ad pollutionem. At ſicut pollutio eſt lethalis, ita & omnis actus voluntarius natura ſua ad illam ordinatus. *Ecce Authoris noſtri clarioribus adhuc verbis ſententiam. Sed quid plura? Veritatis inquirendæ gratia* Sancheſium *ipſum conſulere placuit, & licet ipſe ex parte negativa ſe teneat, attamen fundamenta non diſſimulat oppoſitæ Partis, pro qua citat decem Authores & quidem non rigidioris doctrinæ. Ecquis* Sancheſium *de Rigoriſmo carpere audebit? Vide Lib. IX. de Deb. Conjug. diſput. 44. n. 1. 2. 3. 4 &c.*

A nota nimiæ rigiditatis vindicato Authore, Adverſariorum ſententia ponderanda foret; qui ro ſe ſtare D. Thomam *acriter contendunt, videamus quid ſcripſerit S. Doctor. Quærit ipſe Quæſt. XV. de malo a. 1. de Lux.* Utrum omnis actus luxuriæ ſit peccatum mortale? *Antequam ſententiam propriam proponat, atque confirmet, Adverſariorum Oppoſitionibus more ſuo præjactis, decem & octo hic Objectiones recenſet, quarum 17. talis eſt.* Præterea: illud quod non eſt peccatum mortale uni, non eſt peccatum mortale alteri. Sed conſenſus in delectatione non eſt peccatum mortale viro habenti uxorem, quia nec etiam ipſe actus eſt ei peccatum mortale. Ergo neque aliis conſenſus in delectatione luxuriæ eſt peccatum mortale. *His poſitis ad Concluſionem procedit, in qua ſtatuit, quod luxuriæ actus omnes ſunt peccatum mortale &c. eamque authoritatibus, atque rationibus firmat. Deſcendens poſtea ad diluenda Objecta, ſic reſpondet ad 17. quod ſupra retulimus:* Ad decimum ſeptimum dicendum, quod ſicut Philoſophus dicit in decimo Ethicorum, delectationes in bonitate, & malitia conſequuntur Operationes delectabiles. Et ideo, ſicut Carnalis commixtio non eſt peccatum mortale Conjugato; eſt autem peccatum mortale non Conjugato: ſimilis etiam differentia eſt de delectatione, & de conſenſu in delectationem. Non enim poteſt, eſſe gravius peccatum conſenſus in delectationem, quam conſenſus in actum, ut patet per Auguſtinum &c. *Hæc ſunt verba S. Doctoris, quibus inniti contrariæ ſententiæ Patroni aſſerunt, quod illicitum graviter non ſit Conjugatis delectari de copula vel præterita, vel futura abſente Comparte. Nec juvat opponere, quod hic expreſsè non loquatur* Angelicus *de delectatione captata, abſente, aut impedita Comparte: cum non alio modo, ajunt ipſi, quam de delectatione in abſentia, aut impedimento loquutum fuiſſe S. Doctorem clariſſimè pateat. Quis umquam ſomniavit illicitam eſſe Conjugatis delectationem in actuali concubitu, cum illa ad hoc data ſit, ut per ipſam ad finem a Creatore intentum facilius conducat? Quid opus eſſet reſpondere quod* ſicut carnalis commixtio non eſt peccatum mortale Conjugato, ſic pariter eſt dicendum de delectatione, & conſenſu in delectatione: *& ſic realem opinari diſtinctionem ubi non eſt, nec fere eſſe poteſt: cum concubitus abſque delectatione aliqua, communiter loquendo haberi nequeat; Sic ipſi ratiocinantur.*

Quid igitur dicendum inter contrarias opiniones in re tam gravi, atque frequenti? Quid ſi prudens Theologus mediam iniret viam? Pro quo advertendum; duplicem conſiderari poſſe in caſu noſtro delectationem: unam rationalem, irrationalem, ut ita dicam, alteram. Prima conſiſtit in conſenſu, & approbatione actuum præcedentium, vel futurorum prout liciti repræſentantur, abſque eo quod ad alios effrænes, inordinatos, periculoſoſque motus ſe extendat. Secunda vero in ſenſibili, brutali, & venerea volitione, conſenſu, aut approbatione motuum a concupiſcentia excitorum, ex ſe ad ulteriora turpia tendentium. Si igitur delectationem in Conjugatis pri-

mo modo ſpectemus, ea non illicita ipſis videtur. Si vero ſecundo modo; turpem illicitamque proculdubio eam ſpectare opus erit. His ſtatutis nil vetat dicere, quod Author noſter illicitam aſſerens Conjugatis delectationem, loquatur de delectatione ſecundo modo ſpectata, cum ipſa revera ad effectus ab ipſo enumeratos proximè tendat. Angelicus *vero, quando videtur contrarium aſſerere, loquatur de delectatione ſecundo modo intellecta. An hæc ad veritatem expoſita fuerint, judicium eſto apud Sapientiores Theologos. Hæc paulo fuſius dicta ſint in obſequium Viri Docti, cui Authoris noſtri non arridens ſententia, opinionem noſtram hac ſuper re humaniter quæſivit; cui obſervationes noſtras qualeſcumque libenter ſubmittimus. De cætero Confeſſarii, Pœnitentes conjugatos ſeriò monere debent, ut quantum fieri poteſt a talibus cogitationibus ſe ſe contineant, ne a delectatione, ut ajunt rationali, & licita, ad irrationalem, atque illicitam paulatim tranſitum faciant.*

[*]

QUÆR. 1. Qua ratione dignoſci poſſit, utrùm habeatur delectatio potius de cogitatione rei malæ, & de modo quo peracta eſt, quàm de re ipſa mala.

℟. Id duobus potiſſimum ſignis poſſe dignoſci. 1. Præſumendum eſt delectationem eſſe potius de re mala, quàm de cogitatione & modo; ſi quis de pravo objecto cogitet non ex bono fine ſtudendi, docendi, concionandi, confeſſiones audiendi, &c. ſed ex lectione curioſa, colloquio vano, aſpectu inhoneſto, &c. Sic moroſa delectatione damnantur, qui frequenter & libenter abſque neceſſitate colloquia miſcent de occultis corporum partibus, de uſu ac debito Matrimonii, qui libros fabuloſis & amatoriis narrationibus refertos legunt, qui Comœdiis amoris profani artes occultas, & dolos exhibentibus interſunt, &c.

2. Dùm quis magis in re turpi quam in honeſta delectatur, præſumendum eſt potius ab ipſa re delectationem ſuſcipere, quam à cogitatione & modo. Unde ſi quis de muſica aut poeſi circa res turpes aut amatorias magis afficiatur, quàm ſi verſaretur circa pias aut honeſtas; convincitur non de artificioſo carmine aut ſuavitate muſicæ, ſed ipſa re delectari. Item ſi Theologiæ Candidatus, caſuum conſcientiæ ſtudio dans operam, caſus ad luxuriam ſpectantes potius atque curioſius, quàm cæteros perquirat. Si Confeſſarius, qui in aliis materiis non multum ſollicitus, in materia carnis minutiſſima quæque diligenter perſcrutatur, quique libentius fœminarum quàm virorum, puellarum quam vetularum confeſſiones excipit; hi omnes magis de re turpi, quàm de cogitatione aut modo delectari convincuntur; cum hæc prælectio pravum affectum evidenter denotet.

QUÆR. 2. Utrùm delectatio ab objecto ejuſque circumſtantiis ſpecificetur? Et utrùm hæ circumſtantiæ in Confeſſione ſint aperiendæ?

℟. Affirmativè cum D. Anton. 2. part. Tit. 5. c. 1. §. 6. quia, ut jam dictum eſt, tale eſt proculdubio delectationis peccatum, quale eſt objectum à parte rei ab intellectu, ut præſens repræſentatum: Ergo ſi objectum malis, ac diverſæ rationis circumſtantiis veſtitum repræſentetur, harum circumſtantiarum malitiam neceſſariò induet.

Nec refert, quòd ſæpius eveniat pravam circumſtantiam delectationis non eſſe motivum; ut dùm quis delectatur de occiſione inimici ſui Sacerdotis, aut de copula cum Moniali. Nam planè ſufficit, ut hæc circumſtantia objecto ſit annexa, & ab intellectu ſit repræſentata. Alioquin nec ipſummet deſiderium, Sacerdotem v. gr. inimicum occidendi, & cum Moniali copulam habendi, rationem ſacrilegii indueret (quòd ſanè nemo dicet) licet Sacerdotis aut Monialis caracter non ſit etiam motivum illius deſiderii.

QUÆR. 3. An delectari liceat de re mala; ſub ea conditione, ſi non eſſet mala, aut non prohibita?

℟. 1. Moroſa delectatio in qualibet materia intrinſecè mala & jure naturæ prohibita peccatum eſt mortale, quacumque facta præciſione & ſuppoſitione. Unde peccaret mortaliter, qui actu delectaretur de perjurio, furto, vindicta, fornicatione &c. etiam cum hac ſuppoſitione, ſi hoc non eſſet malum, offenſa Dei; aut ſi Deus hanc facultatem mihi concederet; tum quia hæc ſuppoſitio aut præciſio malitiæ ab objecto intrinſecè malo eſt impoſſibilis & omninò repugnat; tum quia id quod eſſentialiter malum eſt, bonum eſſe nequit; tum quia hæc delectatio oritur ex pravo rei malæ affectu, quem proculdubiò non tollit quæcumque facta ſuppoſitio, aut prohibitio.

℟. 2. In rebus malis, quia ſunt prohibitæ, ſuppoſitio aut præciſio malitiam moroſæ delectationis, imò deſiderii, tollere poteſt v. gr. vellem carnes comedere, ſi non eſſet Quadrageſima; cum in hac ſuppoſitione carnium comeſtio mala non ſit, & hæc ſuppoſitio omninò ſit poſſibilis; modò tamen nulla ſit complacentia de ea

re,

Digitized by Google

re, quatenus tunc illicita & prohibita, nec ullum ulterioris conſenſus ſubſit periculum, deſiderii ſcilicet, præceptum non implendi.

QUÆR. 4 Utrùm liceat gaudere de peccato propter effectum bonum ab eo ſecutum?

℞. Cum ex Apoſtolo non ſint facienda mala, ut eveniant bona, nefas eſt proculdubio de peccato gaudere, propter quodlibet bonum ex ipſo ortum; ſed omninò gaudere licet, quod peccatum alicujus boni cauſa fuerit aut occaſio; tunc enim voluntas in peccatum non fertur, ſed in bonum ab ipſo ortum: unde canit Eccleſia. *Felix culpa, quæ tantum & talem meruit habere Redemptorem* Non peccat igitur, qui gaudet, quòd poſt mortem inimici ab ejus perſecutione ſit expeditus, vel quòd poſt nocturnam pollutionem tranquillitatem animi, aut corporis ſanitatem comparaverit. Sed diligenter cavendum eſt, ne in hoc gaudio periculum ſubſit de ipſamet morte inimici, aut pollutione gaudendi.

ARTICULUS V.

De Peccato mortali, & veniali.

MUlta de peccato mortali, & veniali occurrunt exponenda. 1. Utrum inter peccata, alia ſint de facto venialia, alia mortalia. 2. Quæ requirantur ad peccatum tum mortale, tum veniale. 3. Qua ratione hæc inter ſe differant. 4. Quæ ſint pœnæ peccati tum mortalis, tum venialis. Hæc omnia diſcutiemus ſequentibus Paragraphis.

§. 1. *De peccati mortalis, & venialis exiſtentia.*

Not. LUtheranorum & Calviniſtarum, imò & inter Catholicos, Gerſonis & Almaini error fuit, omnia peccata ex natura ſua mortalia eſſe; cum hoc diſcrimine, quod Lutherani & Calviniſtæ cenſeant omnia peccata in Infidelibus ac Reprobis mortalia eſſe, in Fidelibus verò & Prædeſtinatis venialia. Gerſon autem & Almainus docuerint peccata venialia fieri, non quidem reſpectu ad certas perſonas, ſed ex quadam lege Dei, & pura ejus miſericordia, pro ſua bonitate nolentis, quod æquiſſime poſſet, peccata quælibet privatione gratiæ ac pœna æterna puniri: contra quos.

Dico. Dantur peccata venialia à mortalibus diſtincta, non ex perſonarum qualitate, nec ex ſola divina miſericordia, ſed ex ſe & natura ſua.

Prob. 1. Pars. Qui magis Deum cognoſcunt, potioraque ab eo beneficia ſuſcipiunt, juxta communem exiſtimationem, gravius in Deum peccant: Atqui Fideles & Prædeſtinati ordinatiè magis Deum cognoſcunt, potioraque ab eo beneficia ſuſcipiunt: Ergo tantum abeſt, ut eorum peccata levia reputentur, quinimo longè graviora eſſe concludendum eſt. Deinde, nonne Adamus, Eva, David, &c. Fideles erant atque Prædeſtinati? quis tamen audeat dicere, ipſos mortaliter non peccaſſe?

Prob. 2. Pars. 1. Ex Conciliis & Patribus qui in explicandis peccatis venialibus nuſquam ad divinam miſericordiam recurrerunt; ſed ad ſolam materiæ levitatem, aut ad inconſiderantiam & ſubreptionem. 2. Ex Chriſto Domino, qui mortalia vocat Trabes & Camelos de ſe graves; & venialia feſtucas & culices ex natura ſua leves. 3. Ex cenſura Pii V. & Greg. XIV. qui hanc Bajanam propoſitionem damnarunt *nullum eſt peccatum natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Conf. Ratione, quia, ſi ex ſola Dei voluntate peccata eſſent venialia, nihil in his diſcernendis certi habere poſſemus; cum nulla adſit revelatio, qua conſtet unum peccatum potius quàm alterum veniale à Deo reputari. Deinde nonne ipſa ratio, & æquitas naturalis nobis ab ipſomet Deo indita dictat, ne arctam cum amico diſſolvamus amicitiam, nec eum ad mortem uſque perſequamur ob minimam quamlibet culpam? Quod ſi verò id ratio dictet & æquitas naturalis, idipſum profectò ex natura rei, non ex ſola miſericordia proficiſci, neceſſe eſt.

Obji. 1. Plurima Scripturæ loca: Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Jacob. 2. *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus.* Matth. 5. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in Regno Cœlorum.* Joan. 13. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Sap. 1. *Os, quod mentitur occidit animam.* Deuter. 17. *Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis.*

℞. Ad 1. Loquitur Propheta de atrocibus peccatis, non de omni prorſus peccato. Ad 2. Senſus eſt, quòd qui vel unum peccatum mortale commiſerit, perinde pœnam æternam mereatur, ac ſi omnia peccata

cata

Digitized by Google

cata mortalia perpetraſſet. Ad 3. Ibi reprehendit Chriſtus Dominus Scribas & Phariſæos, qui ſic præcepta Dei interpretabantur, ut exteriora tantùm opera prohiberi vellent, non iram, non concupiſcentiam, &c. Ad 4. Ibi Chriſtum Dominum minari Petro excluſionem à Regno Cœlorum, ſi pedes ſuos lavare non ſineret, ob gravem inobedientiam; Vel ibi agitur de minimis peccatis, quibus vel hic, vel in Purgatorio, mundari neceſſe eſt. Ad 5. Hoc dicitur de mendacio damnum grave proximo inferente. Ad 6. Agitur ibi de cæremoniis legalibus, quarum vel minima Judæos ad mortale obligabat.

Obji. 2. Nonnullos SS. Patres docentes nullum eſſe leve peccatum.

℞. Diſtinguendo nullum eſt leve peccatum in ſuis conſecutionibus. C. De ſe ex natura ſua, N. Vel nullum eſt leve peccatum, quatenus eſt offenſa Dei Optimi Maximi. C. Quatenus omne peccatum, quantumvis leve, amicitiam Dei diſſolvit & pœnam meretur æternam N. Ideò concludunt Patres nullum peccatum contemnendum eſſe, aut impunè committi poſſe.

Obji. 3. Omne peccatum pugnat cum præcepto omnium maximo: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo*; Ergo omne peccatum grave eſt.

℞. Diſtinguo: Omne peccatum pugnat cum præcepto, *Diliges Dominum &c.* ſecundum quid, quatenus Charitatis ardorem remittit, C. Abſolutè, & ſimpliciter quatenus ipſam extinguit, N. Juſtus quippe venialiter peccans ita eſt diſpoſitus, ut ſi actio qua venialiter peccat vinculum Charitatis dirumperet, eam utique non committeret: Ideò in ipſomet actu venialiter peccaminoſo Deum non quidem actualiter, ſed habitualiter diligit.

Obji. 4. Nulla eſt pœna tantumvis magna, quantùm quælibet Dei offenſa; ſed omnis pœna potius eſſet toleranda, quàm quantùmlibet parva Dei offenſa committenda: Ergo nulla eſt Dei offenſa, vel leviſſima, quæ de ſe non ſit mortifera, quæ que ex natura ſua pœnam non mereatur æternam.

℞. Diſt. Ant. Nulla eſt pœna tantum vis magna, quantum quælibet Dei offenſa ratione mali. C. Ideò omnis pœna potius eſt toleranda, quàm Dei offenſa, vel leviſſima. Ratione demeriti, aut ſecundùm juſtitiæ vindicativæ exigentiam. N. Quia ſecundum hanc exigentiam pœna correſpondere debet culpæ, nec parvæ culpæ niſi parva pena debetur.

Obji. 5. Si peccatum vel leviſſimum non remitteretur, à gloria æterna proculdubio repelleret, & in æternum puniretur. Non remittitur autem, niſi ex Dei miſericordia: Ergo ex ſola divina miſericordia habet, quòd pœna non puniatur æterna.

℞. Nego Min. Siquidem levis culpa, non ſolùm ex miſericordia remittitur, ſed & ex quadam juſtitia, quæ exigit, ut juſto in Dei amicitia perſeveranti, & ſatisfacere volenti, remittatur peccatum, quod ipſum à Regno Cœlorum, ſibi jure debito, in perpetuum excluderet. De fide enim certum eſt, quemlibet juſtum, licet nonnullis levioribus culpis irretitum, ex condigno, propter Charitatem in eo dominantem, vitam mereri ſempiternam.

Obji. 6. Bonum opus vel leviſſimum, vitam meretur æternam: Ergo & peccatum leviſſimum mortem æternam.

℞. Nego paritatem & conſequentiam. Diſparitas eſt, quòd opus bonum, vel minimum, ex charitate fiat, cui ſanè debetur vita æterna. At leve peccatum ex odio Dei non committitur, cum juſtus illud committens in amicitia Dei habitualiter perſeveret. Quod ſi verò ab injuſto committatur, meretur quidem pœnam æternam, non per ſe præciſè, ſed per accidens, propter odium Dei cum ipſo conjunctum.

Obji. 7. Omne peccatum, vel leviſſimum, infinitam Dei bonitatem offendit: Ergo meretur pœnam infinitam, ſeu æternam.

℞. Diſt. Ant. Offendit leviter, C. graviter; N. Gravitas quippè peccati à ſola Perſona offenſa non delumitur, ſed maximè à rebus ipſis, quæ ex ſe graves ſunt vel leves. Circa quod obiter.

QUÆR. Utrùm malitia peccati ſit infinita, quatenus eſt offenſa Dei.

℞. Eſſe tantummodò ſecundùm quid, non ſimpliciter & abſolutè infinitam; id eſt, objectivè duntaxat & denominativè per reſpectum ad Deum ad quem tendit, & cujus infinitatem extrinſecè participat: Non autem formaliter & intrinſecè, per reſpectum ad ipſumet actum peccaminoſum. Si enim malitia peccati eſſet ſimpliciter & abſolutè infinita, nullatenus intelligi poſſet, qua ratione unum peccatum altero gravius eſt; cum nihil infinito majus eſſe poſſit. Deinde gravitas malitiæ; non

ſolùm

ſolùm ex dignitate Perſonæ offenſæ deſumitur, ſed ex ipſuſmet offendentis cognitione, quæ cum ſit finita, malitia actionis ejus non niſi finita eſſe poteſt. Perinde igitur dicendum eſt de malitia peccati, ac de merito boni operis: quod, licet ſecundùm quid infinitum ſit, quatenus verſatur circa objectum infinitum; ſimpliciter tamen & abſolutè finitum eſt, quatenus eſt actio hominis finita.

§. 2. *De requiſitis ad peccatum tum mortale tum veniale.*

Not. 1. AD quodlibet peccatum actuale, ſeu ad culpabilem Legis tranſgreſſionem, tria neceſſario requiri, advertentiam ſcilicet, conſenſum & libertatem, ultrò omnes concedunt Catholici. De libertate jam ſatis ſuperque dictum eſt in Tractatu de actibus humanis. De advertentia & conſenſu nonnulla gravis momenti hic nobis exponenda occurrunt. Circa quod.

Not. 2. Multiplicem eſſe advertentiam. 1. Ratione objecti, alia eſt advertentia ad ſolum actum; dùm quis v. g. advertit quidem ſe carnem comedere, ſed non advertit id tunc eſſe prohibitum: Alia eſt advertentia ad actum ſimul & ad malitiam ejus; dùm quis reflectit ſe carnem comedere die prohibita. 2. Ratione modi; alia eſt expreſſa & formalis, dum quis actionem ponit, quam hic & nunc advertit prohibitam: Alia virtualis & implicita ſeu interpretativa; Dùm nempe adeſt dubium aliquod, vel ſuſpicio peccati, aut periculi ejus: Item dùm adeſt prævîſio, ſaltem confuſa, actus mali in ſua cauſa, aut negligentia culpabilis illud cognoſcendi & advertendi. 3. Ratione perfectionis; alia eſt plena; dùm agens omninò ſibi præſens eſt ac ſui compos: Alia ſemiplena, dum omninò ſibi præſens non eſt, nec penitùs ſui compos, ſive propter ſomnum, aut aliud quodvis impedimentum.

Not. 3. Quoad conſenſum, alium eſſe expreſſum, alterum interpretativum: alium poſitivum, alterum negativum: alium formalem, alterum virtualem: alium directum, alterum indirectum, & cætera, quæ jam alibi expoſuimus. Item conſenſus alius eſt plenus & perfectus, quo voluntas cum plena deliberatione objectum ab intellectu propoſitum firmiter amplectitur: Alius ſemiplenus & imperfectus, quo non cum omni deliberatione, nec cum omni affectus propenſione ei adhæret, qualis eſt in ſemiſopitis, aut eſſe poteſt etiam in vigilantibus ratione inadvertentiæ, ſubreptionis, præcipitationis, turbationis, &c. his notatis.

Dico I. Nullum quidem adeſſe poteſt peccatum abſque advertentia tum ad actum, tum ad malitiam ejus; non tamen neceſſariò requiritur formalis & expreſſa, ſed ſufficit virtualis, implicita, ſeu interpretativa. Idem de conſenſu dicendum eſt.

Prob. 1. Pars. Ex hoc trito axiomate, nihil eſt volitum quin præcognitum; Ergo ſi malitia actus omninò eſt incognita, erit involuntaria, proindeque non peccaminoſa. Unde Auguſt. Lib. 3. de lib. arb. c. 19. ait. *Peccatum, quod propriè vocatur peccatum, libera voluntate, & ab ſciente committitur.* Id eſt, ab eo qui novit malitiam ejus; cum peccatum non ſit, niſi quia malum & prohibitum eſt.

Prob. 2. Pars. Quia eo ipſo, quo quis dubitat vel ſuſpicatur de malitia actus, vel de malitiæ periculo, vel qui cum facilè de ipſa advertere poſſet ac deberet, ex paſſione culpabili non advertit, cenſetur interpretativè & ipſam malitiam velle. Hinc.

Reſolv. 1. Carnes comedens die jejunii, quia obligationem non advertit, non peccat, quamvis ad hujuſce comeſtionis delectationem attendat. Aliud eſſet, ſi voluntariè neglexiſſet Parochiam adire, aut aliunde obligationes ſuas inquirere omiſiſſet.

Reſolv. 2. Impios, in plurimis ſceleribus habitualiter ſeſe volutantes, numquam à mortali excuſare defectu advertentiæ, dum mentis compotes operantur; quia debent & facilè poſſent advertere ad ſuorum operum malitiam.

Reſolv. 3. Tale eſt peccatum, qualis eſt malitia, quæ advertitur, aut adverti poſſet ac deberet: Unde ſi advertatur levis malitia, leve peccatum; ſi gravis advertatur, erit utique grave. Nec eſt neceſſe ad grave & lethale peccatum, ut diſtinctè conſideretur eſſe mortale aut veniale; ſed planè ſufficit, ut gravitas offenſæ divinæ confusè apprehendatur, aut apprehendi poſſit ac debeat; quia advertentia ad peccatum requiſita, non verſatur circa pœnam peccato debitam; ſed circa gravem vel levem malitiam ejus, per quam in ratione peccati formaliter conſtituitur.

Dico II. Ad peccatum mortale requiritur perfecta advertentia, & plenus conſenſus.

Prob.

Digitized by Google

Prob. Tum quia cum peccatum mortale ſit graviſſimum, requiritur in peccante talis rationis præſentia, qualis in negotio magni momenti requiritur; tum quia divina bonitate minus dignum videtur, quod aliquem æternis addicat ſuppliciis ob peccatum, cujus malitiam non plenè advertit, aut eidem non perfectè conſentit: Hinc.

Reſolv. 1. Semiſopitos, infantes, plenum rationis uſum non habentes, turbatos vehementi paſſione, ſubitò agitatos, defectu plenæ advertentiæ perfectique conſenſus, non niſi venialiter, in re etiam gravi, perſæpe peccare. Verumtamen cum in praxi difficillimum ſit cognoſcere, utrùm ſufficiens advertentia atque conſenſus adfuerit ad peccatum mortale conſtituendum, graviter ſunt objurgandi pœnitentes, qui in gravia peccata, blaſphemias, verba obſcœna, &c. proruperunt, licet non ſatis advertiſſe proteſtentur.

Reſolv. 2. Qui, ob habitum pravum contractum, in hæc, & ſimilia peccata, abſque actuali advertentia ſubitò prolabuntur, non peccant, ſi per pœnitentiam habitum retractaverint, & ſufficientem diligentiam adhibuerint ad hunc pravum habitum deſtruendum; quia tunc nec in cauſa ſua, nec in ſe hæc peccata ſunt voluntaria. Quod ſi verò nec retractaverint habitum, nec ad ipſum auferendum ſufficientem diligentiam navaverint: haud dubiè indirectè ſunt voluntaria. Ut ut ſit, hæc & ſimilia confiteri omninò neceſſarium eſt; cum vix contingere poſſit, ut quædam non adfuerit advertentia, vel ſaltem advertendi negligentia; nec ullus pro certo habere poſſit, ſe ſufficientem ad hunc habitum deſtruendum diligentiam adhibuiſſe.

§. 3. *Qua ratione mortale & veniale inter ſe differant?*

Not. 1. Certum eſt, peccatum mortale & veniale eſſentialiter differre; quod mortale non autem veniale, importet averſionem, tollatque ordinem ab ultimo fine; quatenus homo per illud ſic a Deo avertitur, ut ſaltem virtualiter interpretativè finem ſuum ultimum conſtituat in creatura; cum appretiativè magis eam diligat, quàm Deum ipſum, cujus pro ipſa amicitiam negligit & contemnit; ſed qua ratione id fiat, hic nobis eſt breviter exponendum, proquo.

Not. 2. Peccatum tum mortale tum veniale, aliud eſt tale ex genere ſuo, aliud per accidens. Ex genere ſuo dicitur, quod intra ſpeciem ſuam manendo, & ſpectato præcisè objecto indipendenter à circumſtantiis ſuis, grave eſt vel leve: ut furtum peccatum eſt mortale ex genere ſuo, & mendacium jocoſum veniale. Per accidens autem dicitur, quod ex aliqua accidentali circumſtantia, non autem ab objecto, mortale ſit aut veniale: ſic furtum & perjurium, quæ ſunt mortalia ex genere ſuo, venialia fiunt ob materiæ levitatem, & imperfectam deliberationem: ſic mendacium jocoſum, quod veniale eſt ex genere ſuo, fieri poteſt mortale ob grave ſcandalum v. g. ex ipſo ortum: Hinc.

Dico. Duplici ratione peccatum mortale & veniale inter ſe potiſſimùm differunt; primariò ex objecto in ſe præcisè ſpectato; ſecundariò ex circumſtantiis quibuſdam actum, vel objectum comitantibus.

Explicatur concluſio. Peccatum mortale & veniale inter ſe primario & eſſentialiter ex objecto differre dicuntur, in eo ſc. quod, ſi talis ſit præcepti obligatio, ut ejus inobſervantia gravem importet deformitatem, peccàtum erit mortale: veniale è contra, ſi levis ſit tantummodò obligatio levemque deordinationem inducat. Item peccatum mortale & veniale ſecundariò & accidentaliter inter ſe differunt ex circumſtantiis; quatenus nimirùm nonnullæ adeſſe poſſunt circumſtantiæ, quibus fit ut peccatum ex natura ſua, ſeu ex objecto ſuo mortale, evadat veniale; & veniale in mortale tranſeat.

Porrò tres aſſignantur circumſtantiæ peccatum mortale in veniale mutantes. 1 Imperfecta advertentia. 2. Conſenſus non omninò liber ac plenus. 3. Parvitas materiæ; cum certum ſit tria oppoſita ad mortale neceſſariò requiri; plena ſcilicet advertentia, perfectus conſenſus, & materia gravis. Sex autem aſſignantur circumſtantiæ peccatum ex natura ſua veniale, in mortale transferentes. 1. Actualis agentis prava diſpoſitio. 2. Finis ab eo intentus. 3. Periculum gravioris peccati. 4. Contemptus legiſlatoris. 5. Adjunctum grave ſcandalum. 6. Materiæ multiplicatio & unio. Hæc omnia nunc enucleatius ſequentibus quæſtiunculis ſunt exponenda.

QUÆR. 1. Ex quibus capitibus colligendum ſit peccatum ex genere ſuo mortale eſſe aut veniale?

℟. Id colligendum eſſe ex quatuor potiſſimum capitibus. 1. Ex ſcriptura; dum nempe de aliquo dicit, *Væ*, *Abominabile*, *Exe-*

Digitized by Google

Execrandum, *Morte dignum*, *Excludens à Regno Dei Gehennæ ignis reum efficere*, ſignum eſt apertum illud ex genere ſuo eſſe mortale. 2. Ex Eccleſiæ auctoritate, ad quam reducuntur Decreta Conciliorum aut Sum. Pontificum, & SS. Patrum, & communis Fidelium timoratorum ſenſus. 3 Ex communi Theologorum ſententia, à qua recedere, maximè in morum Regulis, omninò periculoſum ac temerarium eſt, & cui in praxi poſtponenda eſt quælibet argutia & ratiocinatio quorumdam particularium. 4. Ex rectæ rationis dictamine; dum ſc. per ipſum dignoſcitur peccatum gravem Deo injuriam, aut grave proximo damnum inferre, aut naturæ rationali gravem vel levem inordinationem inducere. Sed cum, teſte Aug. lib. 21. de Civ. cap. 27. *Quæ ſint peccata quæ impediunt perventionem ad Regnum Dei invenire difficillimum ſit ac periculoſiſſimum definire .... Quæ ſint levia, & quæ gravia peccata divino potiùs quàm humano*, ait idem Sanctus Doctor Enchir. cap. 78. *penſanda ſunt judicio*.

QUÆR. 2. Undenam materiæ gravitas deſumatur?

℟. Cenſeri materiam eſſe gravem aut levem, dum ipſa gravis, aut levis eſt momenti; quia tunc gravem, vel levem importat deformitatem atque inordinationem. Quod ut probè dignoſcatur, non ſolum attendenda eſt quantitas materiæ, ſed & maximè natura peccati, & finis præcepti, cæteræque circumſtantiæ.

Dixi 1. Obſervandam eſſe peccati naturam: Plurima namque ſunt peccata, quæ nullam materiæ parvitatem admittunt, quæque in re quamtumvis leviſſima magni ſunt momenti, & gravem important deformitatem. Ut Infidelitas, Deſperatio, Odium Dei, Perjurium, Blaſphemia, Simonia, Magia, & Superſtitio, adjuncto pacto cum Dæmone, Sacramentorum irritatio, Sigilli confeſſionis fractio, Violatio jejunii naturalis in ſumenda Euchariſtia, Formalis Superioris contemptus; tandem Luxuria; quia omnis actus libidinoſus, vel leviſſimus, inchoata eſt, & vera fornicatio, gravemque jam in luxuriante importat deformitatem & corruptionem. Unde damnata eſt hæc prop. 40. ab Alex. VII. *Probabilis eſt opinio, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis*.

Dixi 2. Obſervandum eſſe finem præcepti, qui ſi gravis ſit, & materia peccati ad illum multùm conducat, peccatum proculdubio erit mortale; ſin verò, veniale. Sic, ſuppoſito fine gravis momenti à ſuperiore intento, graviter peccaret Religioſus, qui in alienam cellam, in hanc vel illam domum intraret, hanc mulierem alloqueretur, in Civitate biberet, aut comederet: Sic Clericus ob ſupradictum finem, gravis peccati reus eſt, qui tabernas ingreditur, arma defert, aleis ludit, negotiationem exercet, &c.

Dixi 3. Cæteras obſervandas eſſe circumſtantias, quæ materiam aggravare vel minuere poſſunt, ſiquidem materia gravis eſſe poteſt reſpectu unius, quæ levis eſt reſpectu alterius. Plebejum hominem mendacio accuſare, aut aſſem unum diviti ſubripere, leve peccatum eſt; ſed grave, Religioſum aut Sacerdotem eadem injuria afficere, & eamdem pecuniæ quantitatem pauperi defraudare, & ſic de cæteris.

QUÆR. 3. Quæ ſint indicia imperfectæ advertentiæ, & ſemipleni conſenſus, à mortali excuſantium?

℟. Dubitans, utrùm perfectè adverterit & plenè peccato conſenſerit, rationabiliter præſumere poteſt ſe non ſatis advertiſſe, aut conſenſiſſe. 1. Si experientia noverit, ſe reprimere ſolere pravos motus in appetitu ſuo inſurgentes, dum ſibi præſens eſt ac ſui compos. 2. Si ordinariè ita ſit diſpoſitus, ut potius mortem quàm peccatum mortale eligeret. 3. Si oblata commoda occaſione peccatum exterius exequendi, non ſolùm illam non fuerit amplexus; ſed fortiter eam abjecerit. Quæ ſi contraria contigerint, & ſufficienter advertiſſe, & verè conſenſiſſe, abſque dubio cenſendum eſt.

QUÆR. 4. Quomodò veniale fiat mortale ex prava diſpoſitione, ex fine intento, ex periculo gravioris peccati, cæteriſque ſupradictis circumſtantiis?

℟. 1. Ratione pravæ diſpoſitionis agentis, veniale tranſit in mortale: vel quandò agens ita eſt actualiter diſpoſitus venialiter peccando, ut illud committere non prætermitteret, etiamſi ipſum eſſe mortale probè ſciret: Vel quando ex conſcientia erronea exiſtimat peccatum eſſe mortale, quod re ipſa duntaxat eſt veniale. Ratio eſt, quia Deus affectum potiùs quàm actum penſat; & ipſemet actus ab objecto ſpecificatur, non prout eſt realiter, ſed ut objectivè ab intellectu exhibetur.

2. Ratione finis intenti mortaliter mali: Ut ſi quis verba proferat otioſa, ut mulierem ad fornicandum inducat, quia medium a fine ſpecificatur, induitque malitiam ejus.

3. Ratione periculi gravioris peccati; non omnis quidem periculi, ſed ſaltem proximi. Qui enim vult cauſam, & effectum interpretativè velle cenſetur: proximum autem periculum, peccati mortalis eſt cauſa; Ergo qui vult periculum proximum mortalis peccati, ipſum mortale interpretativè velle dicitur, modò tamen illud prævideat, aut prævidere poſſit ac debeat. Sic graviter peccant Adoleſcentes cum alio ſexu colludentes, ob incontinentiæ periculum: Sic quilibet Fidelis, maximè Religioſus aut Sacerdos, peccaret mortaliter, qui omnia peccata venialia paſſim occurrentia ſemper perpetrandi voluntatem haberet; non quidem propter venialia ſecundùm ſe ſpectata, cum infinita peccata venialia in unum peccatum mortale coaleſcere nequeant; ſed ratione periculi proximi, in quo evidenter verſaretur, ob pravam hanc diſpoſitionem, prima data occaſione peccandi mortaliter.

4. Ratione adjuncti gravis ſcandali. Si quis nempè prævideat, aut prævidere poſſit ac debeat, ex actione ſua alios ad grave peccatum pertrahendos eſſe; quia, ut ſupradictum eſt, cauſa prævisa effectus ſui rationem induit. Sic Sacerdos aut Religioſus verba otioſa proferens, ex quibus ſæculares ad verba inhoneſta proferenda inducuntur, mortaliter peccat.

5. Ratione contemptus legiſlatoris; formalis, ſcilicèt, & expreſſi, ut jam alibi expoſuimus.

6. Ratione multiplicationis atque unionis materiæ; qua licèt peccata venialia ſeorſim ſumpta unum peccatum mortale conſtituere nequeant, propter ſolam actus multiplicationem; per accidens tamen in mortale tranſeunt, dùm materiæ leves inter ſe moraliter adunantur, vel per intentionis affectum, vel per ordinem quem habent materiæ ad unam numero obligationem, vel ſic tandem per effectum totalem, quem producunt, ſeu per ſummam integram quam conſtituunt.

Dixi 1. Leves materias inter ſe adunari per intentionis affectum: pro ut ſi quis per minuta furta ab initio diteſcere, aut per parvas comeſtiones jejunium defraudare intenderet; proculdubiò toties mortaliter peccaret, quoties parvum quid aut furaretur, aut comederet; cum hæc omnia, per intentionem agentis adunata, in gravem materiam coaleſcant.

Dixi 2. Leves materias adunari, per ordinem, quem habent ad unam numero obligationem, & per effectum totalem, quem producunt. Sic qui in materia furti multoties modicum quid furatur, aut eodem die jejunii modicum quid comedit, aut eodem die Feſto per modicum tempus laborat, aut in Officio unius diei modicum quid omittit, peccat mortaliter; dùm advertit aut advertere potuit ac debuit, in ultimo furto, in ultima comeſtione, &c. ſe ad notabilem quantitatem perveniſſe. Aliud foret dicendum; ſi quis ſingulis jejunii diebus modicum quid comederet, ſingulis diebus feſtivis per modicum tempus laboraret, &c. quia præcepta jejunandi, non laborandi, &c. reſpiciunt præciſè ſingulos dies in particulari; & uno quoque expirante, expirat præceptum; quo fit, ut materia peccati diei unius non conjugatur cum materia alterius.

Petes. Quid circa hoc de votorum materia ſit dicendum?

R. Semper obſervandum eſt, utrùm votorum leves materiæ moralem inter ſe connexionem habeant: Hinc qui obligatus ex voto quotidie per menſem B. V. Roſarium recitare, vel quotidie jejunare; ſingulis diebus unum *Pater* omitteret, vel modicum quid deguſtaret, numquam mortaliter peccaret; quia votorum materiæ ſe habent ut materiæ præceptorum, quæ non cenſentur has leves materia unire. Secus eſſet; ſi quis obligatus ex voto quotidie Orationem Dominicam recitare, aut aſſem unum pauperibus erogare, pluribus diebus illa omitteret; iſte proculdubiò mortaliter peccaret, ſtatim ac ad quantitatem notabilem perveniſſet; quia hæ omnes leves materiæ, licèt ſingulis diebus affixæ, per intentionem voventis inter ſe coadunantur, & velut objectum totale unum quid morale efficiunt.

§. 4. *Quænam ſint pœnæ peccati mortalis & venialis?*

Not. 1. Quinque vulgò inter Catholicos aſſignantur pecca ti mortalis pœnæ. 1. Habitualis juſtitiæ, omniumque virtutum, donorum & habit uum ipſi annexorum totalis privatio; exceptis tamen fide & ſpe, quæ per ſolum infidelitatis, ac deſperationis peccatum amittuntur. 2. Om-

2. Omnium meritorum antehac comparatorum amiſſio. 3. Specialis protectionis, quam Deus erga filios & amicos ſuos exercet, privatio. 4. Ad cœleſtem hæreditatem juris privatio. 5. Damnationis æternæ, omniumque malorum ipſi annexorum, reatus. Circa quod quæritur, qua ratione peccatum mortale pœnam mereatur æternam; cum ex ſupradictis conſtet, malitiam ejus non eſſe ſimpliciter & abſolutè infinitam.

Not. 2. Quatuor peccati venialis pœnas communiter aſſignari. 1. Omnia hujus vitæ adverſa, dolores, morbi, & mors temporalis. 2. Gratiæ copioſioris, qua infallibiliter mortalia devitamus ſubtractio. 3. Diminutio, non quidem ipſiuſmet Charitatis, quæ tandem per peccatorum venialium multiplicationem omninò periret; ſed ejus fervoris ac cum Deo familiaritatis. 4. Graviſſimi ignis Purgatorii dolores, temporales ſaltem, in his qui in Domino moriuntur. Dixi *ſaltem in his*; *&c.* Siquidem controverſia eſt inter Theologos, an peccatum veniale in damnatis æterna pœna puniatur: his notatis.

Dico I. Omne mortale peccatum pœna in inferno punitur æterna, & quidem juſtè, licèt malitia ejus ſimpliciter non ſit infinita.

Prob. 1. Pars. Ex perpetuo atque indubitato conſenſu Eccleſiæ, quæ teſte Aug. lib. 1. de Hær. c. 45 Origenem reprobavit docentem, ignem infernalem fore quidem æternum, ſed Reprobatos in æternum non cruciaturum, contra Chriſti Domini expreſſum Oraculum, Matth. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum*, & *vermis eorum non morietur*.

Prob. 2 Pars, & exponitur. Non ideò præcisè peccatum mortale pœna æterna juſtè punitur, quòd Perſonam offendat infinitam: Sic enim ipſummet veniale peccatum pœnam mereretur æternam; cum Perſonam item infinitam, non ſecus ac mortale, offendat. Non 2. quòd nulla ſit creatura rationalis, quæ propriis viribus à peccato mortali ſeſe expedire, & pro eo ſatisfacere valeat; eadem quippe valeret ratio pro veniali peccato. Sed ideò juſtè pœna punitur ſecundùm durationem infinita; quia in inferno peccatum mortale eſt æternum: tùm ex parte Dei, qui illud condonare nec vult, nec tenetur; tum ex parte ipſiuſmet Reprobati, qui defectu gratiæ, quam voluntariè amiſit ab eo nunquam reſipiſcere vult nec poteſt. Quo fit, ut culpa in perpetuum perſeverante, remaneat ſemper & pœna ipſi debita.

Dices cum Origene: Deus; cujus proprium eſt miſereri, & parcere, & cujus *in æternum miſericordia ejus*, condonabit tandem peccatum, & gratiam conferet.

℟. Deum in hac vita præſertim bonitatem ſuam exercere; in altera autem juſtitiam ſuam, non prætermittendo tamen miſericordiam; cum, juxta Theologorum communem ſententiam, peccatum mortale minori pœna, quàm de facto mereatur in Inferno puniat, ibique *in ira ſua miſericordias ſuas contineat*.

Dico. II. Peccatum veniale damnatorum non remiſſum in hoc ſæculo, quoad culpam, in alio ſæculo pœna æterna punitur; ſecùs verò, ſi quoad culpam fuerit remiſſum.

Prob. 1. Pars. Tandiu remanere debet pœna peccati, quandiu ejus culpa. Atqui culpa peccati venialis remanebit in æternum: ergo & ejuſdem pœna. Ant. patet: tum quia nulla prorſus culpæ dimiſſio eſſe poteſt, abſque alia meritorum Chriſti applicatione, quæ haud dubiè nullum in Inferno locum habere poteſt; tum quia culpa non dimittitur abſque ejuſdem deteſtatione, cujus damnati, defectu gratiæ ipſis indebitæ, omninò ſunt incapaces.

Prob. 2. Pars. Quia nulla eſt alia ratio, cur pœna peccati venialis non remiſſi in æternum ſit duratura; niſi quia ejus culpa in æternum ſit permanſura. Ergo ſi in hoc ſæculo culpa fuerit dimiſſa, ejus pœna in æternum non perſeverabit. Idem propter eamdem rationem dicendum eſt de peccatis mortalibus remiſſis, quoad culpam, ſed non dimiſſis quoad pœnam, & quibus non niſi temporalis pœna debetur.

Obji. Contra primam partem. Pœna propter malitiam infligitur, & major pœna propter majorem culpam; ſed veniale majorem malitiam non contrahit, eo quòd ſit damnationi æternæ, & peccato mortali conjunctum: Ergo.

℟. Ideò pœna propter malitiam infligi dicitur, quòd malitia ſemper perſeverante, perſeverare debet & pœna: non autem quod ſemper malitia, etiam levi permanente ceſſare debeat & pœna. Deinde major quidem pœna majori culpæ debetur, & ideò peccatum mortale pœnis longe gravioribus, quàm veniale in Inferno plectitur; ſed inde non ſequitur, quod non ceſſante ejus culpa, ceſſare tandem poſſit ejus pœna. Ad illud quod dicitur, peccatum veniale majorem malitiam in inferno non contrahere; Diſt. majorem intenſivè,

vè, C. extenſivè, N. cum inde fiat, ut ſit æterna.

Obji. Contra 2. partem: Non poteſt relaxari pœna abſque meritis Chriſti, quorum nulla in Inferno fieri poteſt applicatio. Deinde ex noſtra ſententia ſequeretur pœnam damnatorum fore tandem mitigandam, quod repugnat communi Theologorum doctrinæ.

℞. Peccatis jam ex meritis Chriſti dimiſſis, nulla niſi temporalis pœna debetur, qua tandem ſoluta uſque ad noviſſimum quadrantem, nulla eſt neceſſaria gratuita relaxatio. Deinde, juxta D. Thom. in 4. ſent. Diſt. 11. q. 1. a. 1. ad 5. *Non eſt inconveniens, quòd, quantùm ad aliquid accidentale, pœna Inferni minuatur uſque ad diem judicii, ſicut etiam augetur.*

QUÆSTIO V.

De peccato Originali.

Circa hanc difficillimam, & magni momenti quæſtionem, quatuor juxta morem noſtrum breviter ſunt exponenda; peccati ſc. Originalis exiſtentia, eſſentia, transfuſio, & pœnæ tum in præſenti, tum in futura vita.

ARTICULUS I.

Utrùm exiſtat Originale peccatum.

Not. Circa peccati Originalis exiſtentiam, non unus Pelagianorum, ſed multiplex error fuit. Primò docuerunt Adæ peccatum ipſi ſoli nocuiſſe, tum in anima, tum in corpore: Ideoque ejus poſteros, non ſolum in anima nullum contrahere peccatum, ſed nec ullos in corpore defectus, quos ipſis connaturales eſſe aſſerebant. Ex quo principio deducebant Baptiſmum neceſſarium quidem eſſe pueris, quos ab omni labe puros arbitrabantur, ad Regnum Cœlorum obtinendum in Sanctorum ſocietate, non autem ad conſequendam vitam æternam, qua ipſos ſtui à Regno Cœlorum excluſos, & æterna damnatione liberatos fingebant. Hanc hæreſim jam multis ſæculis ſopitam denuò ſuſcitaverunt Armeni, Albigenſes, Anabaptiſtæ, & Calviniſtæ, qui ipſiſmet Pelagianis pejores docuerunt Fidelium liberos, antequam Baptiſmo initientur, jam eſſe ſanctos, ideoque Baptiſmum ad vitam conſequendam ipſis abſolutè non eſſe neceſſarium; quod diverſimode diverſi Calviniſtarum Principes pro ſuo cujuſque beneplacito exponunt, ut videre eſt apud Controverſiſtas.

Dico. Datur peccatum Originale; hoc eſt verum ac propriè dictum peccatum, quod in conceptione contrahimus, & in quo naſcimur.

Prob. 1. Ex Scrip. Job. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine; Nonne tu qui ſolus es?* Immunditia autem illa aliud non eſt quàm peccatum; nihil enim eorum, quæ Deus fecit, coram ipſo ſordidum eſt aut immundum. Pſal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Verbum autem illud, *in iniquitatibus*, in Hæbræo dicitur in ſingulari: quæ iniquitas, cum actualis in naſcentibus eſſe nequeat, Originalem eſſe neceſſe eſt. Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Nec explicari poteſt Apoſtolus, dicendo peccatum Adami in mundum intraſſe imitatione, non propagine: Si enim hic fuiſſet Apoſtoli ſenſus, potius dixiſſet per Angelum, quàm per unum hominem peccatum in mundum intraſſe: Ergo hic agitur de peccato nobis per generationem tranſmiſſo.

Prob. 2. Ex SS. Patribus. Ex innumeris, quæ citare non vacat, Auguſt. locis, maximè lib. 3. de peccat. mer. & rem. cap. 6. Aſſerentis hanc eſſe antiquam, & univerſalem Eccleſiæ Traditionem, peccatum, & mortem ab Adamo in ejus poſteros propagine tranſmitti. 2. Ex Cypr. Epiſt. 59. *Qui recens natus nihil peccavit, niſi quòd ſecundùm Adam, carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit.* Ex Irenæo lib. 4. adv. Hær. c. 5. docente homines *non ſalvari ab antiqua ſerpentis plaga*, niſi per fidem in Chriſtum, nec niſi per eamdem fidem *reſolvi eos vinculis, per quæ Protoplaſti peccato alligati eramus*. Ita Tertul. lib. de teſtim. animæ c. 3. Baſil. ſerm. 1. de jejunio Chriſt. Epiſt. ad Olympiam. Ambroſ. lib. 1. in Lucam & cæteri, qui apud Controverſiſtas videri poſſunt, non ſecus ac plurimorum Conciliorum citationes permultæ Paleſtin. Milevitan. Arauſic. Florent. Trid. &c.

Prob. 3. Tum ex neceſſitate Baptiſmi, qui à Chriſto Domino fuit inſtitutus non præcisè, uti volebant Pelagiani, ut hæredes fiamus Regni Cœlorum, ſed præcipuè in remiſſionem peccatorum, ut dicitur

Act. 2. tum ex officio Salvatoris ac Redemptoris, quod Chriſtus non minus erga pueros quàm erga adultos exercet. *Quis enim*, inquit Aug. lib. de pecc. mer. & remiſſ. c. 24. *audeat dicere non eſſe Chriſtum infantium Salvatorem, nec Redemptorem? Unde autem ſalvos facit, ſi nulla in eis eſt originalis peccati ægritudo? Unde redemit, ſi non ſunt per originem primi hominis venundati peccato?*

Prob. 4. Ex miſeriis, quibus homo à vitæ ſuæ introitu uſque ad exitum premitur; maximè ignorantia, & ad bonum difficultate; quæ in aliam cauſam, quàm in peccatum Originale juſtè refundi nequeunt; cum Scriptura teſte Dominus hominem juſtum, ac rectum fecerit; ex qua rectitudine, niſi in pœnam cujuſdam peccati deficere non potuit, ut fusè probat Auguſtinus multis in locis, maximè lib. 4. cont. Jul. cap. ult.

Objic. 1. Plurima S. Scripturæ loca: Ezechiel. c. 18. *Anima quæ peccaverit ipſa morietur: Filius non portabit iniquitatem patris:* quod falſum eſſet, ſi daretur Originale peccatum. Rom. 4. *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio*: Infantes autem legem non acceperunt. Rom. 5. *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſem, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.* Qui igitur non peccaverunt, morti quidem ſunt obnoxii, non peccati rei; & ſubdit Apoſt. *Si unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei in plures abundavit.* Atqui ſi juxta Apoſtolum plures ſunt qui in Chriſto juſtificantur, quàm qui in Adamo peccaverunt: Ergo pauciſſimi ſunt, ad quos ejuſdem Adami peccatum pertranſiit; cum pauci ſint qui in Chriſto ſunt juſtificati, reſpectu Infidelium, abſque Baptiſmo decedentium. 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur*: ſed in Chriſto non omnes vivificantur, ergo neque in Adamo omnes moriuntur. 2. Cor. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis ſui, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*: ſed parvuli nihil mali in corpore geſſerunt; ergo nullam pœnam referent.

℞. Ad 1. Anima quæ peccaverit, vel in ſe, vel in alio, ipſa morietur. Omnes autem, teſte Apoſtolo, in Adamo peccavimus. Deinde Filius non portabit Patris iniquitatem, ſi iniquitatis paternæ non fuit particeps, C. ſecus N. Participes autem omnes ſumus Protoplaſti iniquitatis; quæ quidem unicuique noſtrum propria eſt, *non proprietate actionis*, inquit Aug. lib. 6 cont. Jul. c. 32. ſed contagione propagationis. Inſuper evidens eſt ex contextu, Prophetam non de peccato Originali, ſed ſolummodò de actuali ſermonem facere.

Ad 2. Dicendum eſt legem non fuiſse datam parvulis in ſua conceptione & nativitate; ſed in primo Parente, in quo continebantur, & qui Perſonam eorum gerebat.

Ad 3. Textus iſte propugnat potius, quam impugnat veritatem Catholicam. Nam ſi mors regnavit ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ; ideſt propria voluntate ſicut Adam; Evidens eſt jam prius in aliena voluntate peccaſse, cum mors peccatum præſupponat, utpote pœna juſta.

Ad 4. Termini. *Multi & plures* ab Apoſtolo ſumuntur pro *Omnes*. *Ipſi ſunt multi qui & omnes*, inquit D. Aug. lib. 6. cont. Jul. cap. 24. ut dicitur Geneſ. 22. *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes, & Patrem multarum gentium poſui te*, ubi evidens eſt eaſdem gentes multas, & omne eſse.

Ad 5. Senſus eſt, quod ſicut omnes, qui ex Adamo generantur, mortis & peccati reatum contrahunt; ita omnes qui in Chriſto regenerantur, juſtitiam atque vitam ſpiritualem percipiunt; percepturi vitam æternam, ſi in bono perſeverent.

Ad 6. Loquitur ibi Apoſtolus de adultis, non de parvulis: Alias enim nec parvuli poſt Baptiſmum decedentes, Regnum Cœlorum perciperent; cum nihil in corpore ſuo geſserint, quod tamen nolunt adverſarii.

Objic. 2. Nonnullos SS. Patres Greg. Niſs. Chryſoſt. Theodor. qui docent Infantes ab initio nullo peccato eſse coinquinatos.

℞. Cum D. Aug. lib. 2. cont. Jul. c. 6. quoſdam SS. Patres *Infantes innocentes merito nuncupare, ſecundum id quod ait Apoſt. nondum natos nihil egiſſe boni ſive mali; non ſecundùm id quod ait, per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi.*

Objic. 3. Multa argumenta ex ratione petita. 1. Deus eſset cauſa peccati Originalis; quia quidquid convenit alicui rei ab origine, producenti tribuitur. 2. Uſus Matrimonii eſset illicitus, utpote cauſa peccati. 3. Sicut Chriſti juſtitia non prodeſt his qui non credunt, ita nec peccatum Adæ non

pecca-

Digitized by Google

peccantibus nocet. 4. Non peccat naſcendo qui naſcitur. 5. In hominibus Baptizatis peccatum Originale deletum eſt: Ergo ipſum in poſteros transfundi nequit. 6. Omne peccatum voluntarium eſſe neceſſe eſt; id autem non eſt voluntarium, quod à principio non prodit intrinſeco; ſed ab extrinſeco, voluntate ſcilicèt Adami.

℟. Ad 1. Quidquid alicui rei ab origine convenit, producenti quidem tribuitur, ſi ei conveniat præcisè ex virtute producentis, non verò ſi ab alia cauſa ei conveniat: Peccato autem Originali anima non inficitur ex virtute creationis ſuæ; ſed quia unitur corpori, quod ratione ſeminis eſt pars ipſius Adæ peccatoris: Anima ſiquidem, inquit Aug. lib. 5. cont. Jul. c. 3. licet ex creatione puriſſima in carnem ſordidam infuſa fœdatur, ſicut aqua in vaſe vitiato corrumpitur.

Ad 2. Uſus matrimonii non eſt cauſa peccati Originalis, ſed tantummodò occaſio, ſeu conditio ſine qua peccatum Originale non traduceretur: Ideò, inquit Aug. citat. ſicut creanti Deo illud non imputatur, ſic nec parentibus gignentibus; cum nulla ipſis inſtet obligatio illud peccatum impediendi; & naturæ humanæ commune bonum, ipſius ſcilicèt propagatio, Matrimonium exercendi parentibus cauſam præbeat ſufficientem.

Ad 3. In adverſarios retorquendum eſt argumentum. Nam ſicut juſtitia Chriſti prodeſt, non ſolum propria voluntate credentibus, ſed & qui aliena; eorum, ſcilicèt, à quibus aut offeruntur, aut baptizantur, aut ipſius Eccleſiæ; ita Adami iniquitas nocet his, qui aliena voluntate, in primo nimirùm parente, peccaverunt.

Ad 4. Non peccat quidem naſcendo, qui naſcitur; ſed naſcendo peccatum contrahit, quòd in Adamo commiſit. Præceptum namque non comedendi de ligno ſcientiæ boni, & mali datum fuit Adamo, non ut Perſonæ ſingulari, ſed ut Capiti totius generis humani, ita ut ipſo obediente, ejus poſteri obedientes, & ipſo tranſgrediente, tranſgredientes cenſerentur. In quo nulla prorſus apparet iniquitas, ſi diligenter attendatur. 1. Quia Reſpublica inconſultis pupillis ſæpius ſtatuat Tutoris voluntatem pro voluntate eorum; quanto magis Deus ſupremus Dominus id juſtè facere poterit. 2. Quia ſi Deus dona ſua nobis tranſmittenda in Adamo obediente juſtè reponere potuerit; quidni, & in ipſo inobediente pœnas tanto peccato debitas?

Ad 5 Sicut triticum, licet purgatum, aliud non purgatum, & paleis obvolutum generat; quia hoc, & illud eodem modò naſcuntur; ita Parentes mundati immundos filios producunt, quia hi & illi eodem modo generantur, nempe ex virtute ſeminis in Adamo vitiati.

Ad 6 Omne peccatum eſt voluntarium, vel phyſicè, propria, & perſonali voluntate, vel moraliter aliena voluntate, ſeu voluntate naturæ, C. Phyſicè tantum, & propria voluntate, N. Peccatum autem Originale non poteſt eſſe voluntarium phyſicè, & perſonaliter; quia infantes non ſunt capaces voluntatis actus, quo peccatum eligitur; ſed voluntarium eſt moraliter, quia infantes electionis moralis ſunt capaces, quatenus ſcilicet membra ſunt moralis Capitis, eorum voluntatem moraliter includentis. Ideò juſtum eſt, ut malum ab hoc Capite electum ipſis imputetur, quemadmodum juſtum eſt, inquit Aug. lib. 4. oper. imp. c. 90., ut pacta conventa inter populi Majores ab omnibus Civibus ſerventur, licet eorum voluntate propria non fuerint celebrata.

ARTICULUS II.

Quid ſit Originale peccatum, & in quo formaliter conſiſtat.

Not. Adeò abſtruſa eſt peccati Originalis eſſentia, ut mirum non ſit, quòd in tot tamque varias abierint ſententias Auctores, tum Hæretici, tum Catholici circa formalem ejus rationem. Septem præcipuæ numerantur ſententiæ, quas breviter exponemus, minus probabiles explodendo, & eam quæ probabilior videtur nobis, quæque communior eſt ſtatuendo: Igitur.

Dico. Peccatum Originale nihil aliud formaliter eſſe videtur, quàm habitualis averſio à Deo, propter prævaricationem, quæ in Adamo præceſſit.

Prob. 1. Aliarum ſententiarum rejectione.

1. Peccatum Originale non eſt, uti ſomniavit Origenes, peccatum, jam à ſingulis animabus commiſſum ante corporis generationem. Hunc craſſum errorem jam diu damnavit Eccleſia in Concil. Braca. Adde quod in Trid. ſeſſ. 5. can. 3. definitum eſt, peccatum Originale eſſe *unum origine*. Non eſſet autem unum origine, ſed multiplex in hac ſententia.

2. Non

2. Non eſt ſubſtantia mala quam effinxit Matth. Illiricus Lutheranus, à Diabolo producta, qua homo ita ſubſtantialiter mutatus eſt, ut ex imagine Dei in imaginem Diaboli fuerit tranſmutatus. 1. Quia hæc ſubſtantia, qualiſcumque foret, eſſet ab eo per quem omnia facta ſunt; peccatum autem a Deo eſſe nequit. 2. Hæc ſententia coincidit cum ſententia Manichæi, qui docebat malam aliquam eſſe ſubſtantiam naturæ noſtræ admixtam. 3. Quia inde ſequeretur peccatum Originale per Baptiſmum non auferri, cum per illum nihil a nobis ſubſtantiale auferatur.

3. Dici non poteſt cum Lutheranis, & Calviniſtis peccatum Originale eſſe formaliter ipſammet concupiſcentiam, ſeu fomitem qui nos ad malum inclinat; cum ex Trid. ſeſſ. 5. can. 5. de fide certum ſit, *nihil damnationis eſſe his*, qui per Baptiſmum *ſunt in Chriſto Jeſu*; & *ſanguinem ejus*, in hoc Sacramento nobis applicatum, *mundare nos ab omni peccato*. Certum eſt autem ex eodem Trid. citato *manere in Baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem*; ergo hæc peccatum Originale non eſt. Quod ſi verò ſubdit Concilium, *hanc concupiſcentiam aliquando Apoſtolus peccatum appellat; numquam intellexit peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis ſit; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat*.

4. Irridenda potius eſt quam ſerio expugnanda ſententia Gregorii Ariminenſis, fingentis peccatum Originale qualitatem eſſe morbidam, qua ſerpens halitu ſuo, veluti quodam contagio, Adamum infecit. Serpens ſiquidem cum Adamo non egit, ſed cum Eva. Deinde quæ illius qualitatis morbidæ cauſa eſſe poſſet? non Deus, cum ipſe peccati cauſa eſſe nequeat; non pomum vetitum, quod natura ſua bonum erat; non tandem ipſemet Diabolus, qui cum ſit ſpiritualis, nihil materiale, qualem Ariminenſis, hanc qualitatem ſupponit, producere valet.

5. Peccatum Originale non eſt ipſummet Adæ peccatum in nobis moraliter perſeverans, quamdiu non eſt remiſſum aut condonatum. Probatur evidenter ex Concilio Trid. definiente ſeſſ. 5. can. 3. peccatum Originale *propagatione transfuſum fuiſſe, omnibus ineſſe, & unicuique proprium eſſe*, quæ in hac ſententia ſalvari non poſſunt: Nam 1. Implicat actum immanentem atque individualem aliis transfundi; atqui ipſummet Adæ peccatum eſt actus immaneus atque individualis; formalis ſcilicet & ſingularis ejus inobedientia, ergo: Deinde quod in aliquo moraliter tantummodò perſeverat, ipſi proculdubiò extrinſecum eſt, non intrinſecum, nec ipſi verè ac realiter ineſt. Demùm quod uni & ſoli proprium eſt, cæteris proprium eſſe nequit; ipſum autem Adami peccatum uni & ſoli Adamo proprium eſt, ergo cæteris proprium eſſe nequit. Nec dici poteſt ipſum Adæ peccatum poſteris ejus moraliter transfundi, ipſis moraliter ineſſe, aut moraliter unicuique proprium eſſe; cum de fide certum ſit peccatum Originale, verum ac reale peccatum eſſe; proindeque verè ac realiter transfundi, ineſſe, ac proprium eſſe.

Confirm. Ex Apoſtolo, qui Epiſt. ad Rom. 5. confert peccatum, quod ab Adamo trahimus, cum juſtitia quam à Chriſto haurimus: Atqui hæc juſtitia non eſt utique ipſamet Chriſti juſtitia moraliter in hominibus juſtis perſeverans; ſed juſtitia ipſis intrinſecè ac realiter inhærens, & ſingulis phyſicè propria, uti fides docet: Ergo à pari Originale peccatum non eſt ipſummet Adæ peccatum moraliter perſeverans in parvulis, ſed aliud individualiter ac realiter diſtinctum, juxta illud D. Anſelmi oraculum lib. de conceptu Virgin. c. 4. *Aliud fuit peccatum Adæ, aliud peccatum parvulorum*.

6. Peccatum Originale non eſt formaliter juſtitiæ originalis privatio, ſi hæc juſtitia ſumatur pro gratia Adamo infuſa, & poſteris ejus, ſi non peccaſſet, infundenda; tum quia, uti de peccato perſonali habituali dictum eſt, peccatum Originale eſt propriè peccatum; privatio autem juſtitiæ originalis non eſt propriè peccatum, ſed pœna juſtiſſimè à Deo inflicta; tum quia quis poteſt juſtitia originali privatus eſſe, quin peccatum habeat; tùm quia hanc juſtitiam Deus Adamo auferre potuiſſet citra peccatum, cum omninò fuerit gratuita.

Dixi: Si juſtitia originalis ſumatur pro gratia Adamo infuſa; ſumitur quippe adhuc pro debita voluntatis ad Deum ſubjectione, & conſequenter pro integra virium inferiorum ad rationem ſubordinatione; quo ſenſu nihil vetat quominus dicamus peccatum Originale privationem eſſe originalis juſtitiæ; cum habitualis averſio à Deo ipſa ſit hujuſce ad Deum ſubjectionis privatio. In hac autem à Deo averſione peccatum Originale formaliter conſiſtere.

Prob. 2. Auctor. & ratione D. Th. 1. 2. q. 82. art. 3. *Oppoſitorum oppoſitæ ſunt cauſæ. Eſt igitur attendenda cauſa Originalis pecca-*

peccati ex cauſa originalis juſtitiæ, quæ ei opponitur. Tota autem ordinatio originalis juſtitiæ ex hoc eſt, quòd voluntas hominis erat Deo ſubjecta; quæ quidem ſubjectio primò & principaliter erat per voluntatem, cujus eſt movere omnes alias partes in finem. Unde ex averſione voluntatis à Deo conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis juſtitiæ, per quam voluntas Deo ſubdebatur, eſt formale in peccato Originali.

Confir. Ex D. Anſel. lib. de concep. Virg. c. 26. dicente: *Hoc peccatum, quod Originale dico, aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus; niſi ipſam, quam ſupra poſui, factam per inobedientiam Adæ juſtitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes filii ſunt iræ.* Juſtitiæ nimirùm, qua voluntas hominis ad Deum converſa ipſi perfectè ſubdebatur.

Prob. 3. Illud eſt in pueris Originale peccatum, quod in Adamo habitualiter manſit poſt ejus actuale peccatum; atqui habitualis averſio à Deo manſit in Adamo poſt ejus actuale peccatum, Ergo hæc habitualis averſio eſt peccatum Originale in pueris. Minor patet ex dictis de peccato habituali perſonali; quia nimirum qualis eſt actus, talis eſt habitus ab eo productus; peccatum autem actuale Adami, actualis fuit averſio à Deo; proindeque habitualis eadem averſio in eo manſit poſt ejus actuale peccatum. Major item evidens eſt; quia cum Adamus totius naturæ humanæ perſonam gereret, ratio formalis ejus peccati in tota natura per modum habitus remanere neceſse fuit.

Prob. 4. In eo formaliter conſiſtit peccatum Originale, ex quo omnia, quæ ad peccatum Originale pertinent, tamquam à radice promanant: Atqui ex habituali deordinatione voluntatis, quæ à Deo eſt averſa, omnia quæ ad peccatum Originale pertinent profluunt: Ergo. Profluit ſiquidem privatio gratiæ infuſæ, qua indignus eſt, qui Deo non eſt ſubditus, aut ab ipſo eſt averſus: Profluit inferiorum facultatum inordinatio, & earum adverſus rationem rebellio; cum juſtum ſit, inquit Aug. ut quæ deſeruit ſuperiorem, pœnam patiatur per inferiorem: Profluunt tandem infirmitas, malitia, ignorantia; concupiſcentia, labores, morbi, mors prima & ſecunda; ut pote hujus nequiſſimæ averſionis juſtiſſimæ pœnæ.

ARTICULUS III.

Quomodo tranſmittatur Originale peccatum?

Not. TRanſfuſionis peccati Originalis duplicem eſse cauſam, remotam nimirum, & proximam. Patet ex dictis ipſum Adami peccatum hujus eſse cauſam remotam; Cum juxta Apoſtolum in ipſo, utpote totius generis humani Capite à Deo conſtituto, omnes homines peccaverunt. Sed in aſſignanda hujuſce transfuſionis cauſa proxima laborant plurimum Doctores Catholici. Circa quod duæ ſunt præcipuæ ſententiæ, quarum primam rejicimus, & ſecundam velut communiorem & probabiliorem adoptamus: Igitur.

Dico I. Cauſa proxima Originalis peccati in parvulis non eſt libido ſeu concupiſcentia, cum qua à Parentibus generantur.

Prob. Quia homo in ſtatu naturæ puræ conditus proculdubiò generaret cum libidine ac concupiſcentia; attamen peccatum non tranſmitteret. E contra filius Adam, qui ex ſpeciali gratiæ privilegio, abſque motu concupiſcentiæ generaret filios, nihilominus peccatum Originale eis tranſmitteret: Ergo hæc libido ſeu concupiſcentia non eſt cauſa proxima hujus transfuſionis. Deinde, ſi per ſolam hanc in generando libidinem, independenter à quolibet Dei decreto, peccatum Originale in parvulos tranſmitteretur, nulla afferri poſset cauſa, cur potius Adæ peccatum quam aliorum avorum noſtrorum in nos transfunditur.

Obji. Auctoritatem SS. Patrum, maximè D. Aug. dicentis lib. 1. de pecc. merit. & remiſ. c. 9. *Illum in quo omnes moriuntur, occulta tabe carnalis concupiſcentiæ ſuæ tabificaſſe in ſe omnes de ſua ſtirpe venientes.* Ex quo principio infert lib. 5. cont. Jul. c. 9. Conceptionem Chriſti Domini fuiſse ſine peccato; quia in ea nullus fuit concupiſcentiæ motus.

R. Ideò D. Aug. dicit Adamum concupiſcentiæ ſuæ tabe poſteros ſuos tabificaſſe; non quòd hæc concupiſcentia cauſa ſit phyſica hujuſce tabificationis; ſed quòd ipſa ſit ſignum evidens ac infallibile, quòd natura humana, quam ex Adamo haurimus, ab ipſo fuerit vitiata; unde unum ex altero deducens, quod ſoli naturæ vitiatæ convenit, tribuit concupiſcentiæ, quæ ab ea velut neceſsarius effectus, naturaliter eſt

eſt inſeparabilis; ſicque conceptionem Chriſti Domini abſque peccato fuiſse colligit, quòd ſine ullo concupiſcentiæ motu facta fuerit.

Vera autem, & formalis ratio ex D. Anſelmo lib. de concep. Virg. cap. 23. cur in Chriſtum Dominum peccatum Adæ tranſmiſſum non fuerit eſt, quòd in ſua generatione *nec voluntas creaturæ prolem ſeminavit, nec natura germinavit; ſed Spiritus Sanctus de Virgine virum mirabiliter procreavit. Valde itaque diverſo modo*, ſubdit Sanctus Doctor, *Chriſtus erat in Adam, quandò peccavit quàm erant alii, qui voluntario, & naturali curſu procreantur*. Erat quippe in eo materialiter tantùm, ſicut Adam erat in limo, & Eva in coſta Adami. *Iſtos quodammodò facit Adam, quos per acceptam poteſtatem humana voluntas ſeminando, & natura germinando, procreavit: Iſtum vero, non niſi Deus fecit; quamvis de Adam, quia non per Adam, ſed per ſe velut de ſuo*; eodem fere modo, quo Adam de limo formavit, & Evam è coſta Adami eduxit, Unde.

Dico. II. Peccatum Originale traducitur per ſeminalem generationem, & naturalem Maris, & Fœminæ conjunctionem, ſuppoſito tamen Dei Decreto, ſeu pacto, quo ſtatuit, ut voluntas Adami pro voluntate poſterorum ejus haberetur, quoad obſervationem, aut tranſgreſſionem præcepti de non comedendo de ligno ſcientiæ boni, & mali, ex quo pendebat juſtitiæ Originalis conſervatio, vel amiſſio.

Prob. 1. Ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 3: *Sicut reverà homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti; cum ea propagatione per ipſum dum concipiuntur, propriam injuſtitiam contrahunt.*

Prob. 2. Auctor. SS. Patrum. Ex Anſelmo mox citato aſſerente veram cauſam, cur Chriſtus peccatum Originale non contraxerit eſſe, quia non fuerat ex ipſo via generationis ordinaria procreatus. Ex D. Aug. lib. 2. de nupt. & concupiſc. c. 5. ubi ait: *Ideò illos homines eſſe ſub Diabolo, quia de ſexus utriuſque commixtione naſcuntur*. Ex D. Thom. 1. 2. q. 81. a. 4. *Peccatum Originale à primo Parente traducitur in poſteros, in quantum moventur ab ipſo per generationem; ſicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale . . . . . . Unde illi ſoli peccatum Originale contrahunt, qui ab Adam deſcendunt per virtutem activam in generationem, originaliter ab Adam derivatam, quod eſt ſecundum ſeminalem rationem ab eo deſcendere.*

Prob. 3. Et explicatur concluſio. Suppoſito Decreto ſeu pacto divino; non ob aliam rationem per Adamum peccantem peccatores conſtituti ſumus, & per ipſum obedientem juſti conſtituti fuiſſemus; niſi quia filii ejus naturales ſumus; ſed ideò ejus filii naturales ſumus, quia ab ipſo via naturali generationis deſcendimus: Ergo per hanc generationem, peccatum ejus nobis tranſmittitur. Deindè ideò peccatum Originale ab Adamo contrahimus; quia ab Adamo communicamus naturam humanam in ipſo, tamquam in Capite contentam, & ſimul juſtitia Originali orbatam; ſicut ex Dei ordinatione ab Adamo juſtitiam ſuſcepiſſemus, ſi ab ipſo naturam humanam juſtitia ornatam communicaſſemus; Atqui per generationem naturalem naturam humanam ab Adamo communicamus; ſiquidem eo ipſo quo anima unitur corpori ſic generato, incipit ad genus humanum pertinere, & una cum corpore illo Adami filium naturalem conſtituere; Ergo per hanc naturalem generationem peccato Originali inficitur.

Dixi in concluſione: *Suppoſito tamen Decreto ſeu pacto*, per hæc verba Geneſis. 2. Expreſſo. *In quacumque die comederis, morte morieris*. Hinc D. Baſil. Hom. de jejunio ait: *Quoniam non jejunavimus*, id eſt in Adamo pomum vetitum manducavimus, *exulamus à Paradiſo*. Hinc D. Aug. lib. 16. de Civit. c. 19. & lib. 2. de nupt. c. 11. illud Gen. exponens: *Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, peribit anima ejus de populo Dei, quia teſtamentum meum diſſipavit*, ait: *Tunc diſſipavit teſtamentum Dei, non hoc de imperata circumſione, ſed illud de ligni prohibitione*. Item de hoc pacto D. Hieronymus exponit iſtud Oſee. 6. *Ipſi, ſicut Adam, tranſgreſſi ſunt pactum meum, ubi prævaricati ſunt in me*. Item D. Chryſ. & Theophilactus de eodem intelligunt iſtud Apoſt. ad Coloſſ. 2. *Delens quod adverſus nos erat chyrographum decreti*; ex quibus patet quam inſcitè decipiantur, & decipiant Janſeniſtæ dicentes, nullum ejuſmodi pacti veſtigium extare in Scripturis, & Traditione, & D. Auguſt. illud penitùs ignorasse.

Obji. Semen humanum, ut pote corporeum, animam ſpiritualem, quæ ſola peccati ſubjectum eſt, nullatenus attingit, ſed à ſolo Deo immediatè creatur: Ergo ipſam pec-

peccato non inficit: Deinde nulla eſt culpa in ſemine; Ergo nullam animæ communicare valet.

℟. Ut peccatum Originale per ſeminalem generationem in animam transfundi dicatur minimè neceſse eſt, ut ſemen ipſam attingat; ſed planè ſufficit, ut virtute ſeminis natura producatur humana, quæ cum Adami peccato infecta ſit, abſque hac infectione communicari nequit. Quod autem virtute ſeminis natura producatur humana, patet ex eo quòd homo verè ac propriè hominem generare dicatur; quatenus virtute ſeminis in materiam inducat diſpoſitiones, quas ex Dei ordinatione anima infallibiliter conſequatur. Non igitur per ſemen anima formaliter peccato inficitur; ſed virtualiter duntaxat, & inſtrumentaliter; quatenus nimirùm, poſitis diſpoſitionibus à ſemine in materiam inductis, anima conjungitur cum carne ex Adamo educta; quia per hanc conjunctionem hæc anima pars evadit hominis, qui in Adamo peccavit. Hæc utique conceptu ſunt difficilia; ſed ſi facilè conciperentur, non forent Myſteria.

ARTICULUS IV.

Quænam ſint peccati Originalis pœnæ?

Not. Circa peccati Originalis pœnas duo errores inſurrexerunt è diametro oppoſiti. Primus eſt Pelagianorum, qui ſtatim negaverunt Adami poſteros ullum prorſus ab ejus peccato malum ſuſcepiſse. Secundus eſt Lutheranorum, Calviniſtarum, ac ſimilium Hæreticorum docentium, totum penitus naturæ bonum ab hoc peccato ablatum fuiſse. Mediam ſectantes viam Catholici docent, Adamum, & in ipſo poſteros ejus, omnibus donis gratuitis per peccatum Originale fuiſse ſpoliatos, & vulneratos tantummodo in naturalibus, quibus, Adamo non peccante, abundè fuiſsent donati.

Spoliatus igitur fuit Adamus, & in ipſo ejus poſteri, Originali juſtitia, quæ, præter gratiam ſanctificantem, habitus Fidei, Spei & Charitatis, cæteraque Spiritus Sancti dona, importabat ſecum virium inferiorum ad rationem perfectam ſubordinationem, & corporis ad animam omnimodam obedientiam, per quam corpus corruptibile nec animam gravabat, nec ullis moleſtiis premebat.

Porrò ex privatione Originalis juſtitiæ ſubſecuta ſunt vulnera, tum in corpore; tum in anima. Prodiit in corpore moriendi neceſſitas, morbus, dolor, aliæque ærumnæ, quibus totæ vitæ decurſu jactamur ac premimur; In potentiis verò animæ quadruplex vulnus inflictum habemus. 1. Ignorantia in intellectu, quæ non ſolum importat privationem ſcientiæ rerum ſupernaturalium & multarum naturalium, ſed ad ſectandos errores pronitatem, & ad veritatem aſsequendam difficultatem. 2. Malitia in voluntate, ratione cujus tanta nobis ineſt difficultas ad bonum, & facilitas ad malum, ut iſtud naturale, & illud à natura noſtra alienum eſse quaſi videatur. 3. Concupiſcentia in appetitu concupiſcibili, ex qua oriuntur quandoque motus contra rationem, & voluntatem ipſam vehementer ad carnalia & ſenſibilia allicientes. 4. Infirmitas in appetitu iraſcibili, qua fit ut maximè debiles ſimus, tum ad ardua conſequenda, tum in adverſis ſuſtinendis, &c. Hæc ſunt in hac vita pœnæ Originalis peccati. Nunc reſtat agendum de pœnis, quibus punitur in altera. Circa quod.

Not. 2. Quatuor recenſeri pœnas peccato Originali in altera vita debitas. 1. Excluſio à Regno Cœlorum. 2. Privatio vitæ æternæ. 3. Dolor internus, qui tum ex excluſione à Regno Cœlorum, tum ex privatione vitæ æternæ naſcitur. 4. Denique pœna ſenſus ſeu gehennæ ignis. Sententia quæ docet, parvulos abſque Baptiſmo mortuos vitam æternam alicubi, vel in Regno Cœlorum, vel extra illud percipere, jam dudum in Conciliis, tum Romæ, tum in Africa, tum in Paleſtina contra Pelagium habitis, damnata eſt. Cum autem circa cæteras pœnas Eccleſia nihil definierit; Auctores Catholici in varias abiere ſententias, quarum probabiliores ac communiores hic breviter attingemus.

Dico I. Parvuli ex hac vita, ſine Baptiſmo decedentes, pœnam ſensûs ſeu gehennam ignis minimè patiuntur.

Prob. 1. Ex cap. *Majores:* Ubi Inn. III. definivit *pœnam peccati Originalis eſſe carentiam viſionis Dei, actualis verò peccati pœnam eſſe gehennæ perpetuæ cruciatum*. Ex D. Ambroſ. comment. in Epiſt. ad Rom. 5 *Eſt etiam alia mors*, inquit, *quæ ſecunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ, ſed ejus occaſione propriis peccatis acquiritur*. Huc accedit auctoritas Greg. Nazianſeni Orat. 40. in Sanct. Bapt. & Gregor. Niſſen. Orat. 1. de infantibus, quorum

Digitized by Google

rum textus in ſequenti concluſione afferemus.

Prob. 2. Auctoritate, & rationibus D. Thom. & D. Bonav. *In peccato Originali*, inquit D. Thom. q. 5. de malo art. 2. *non eſt converſio* ad creaturam, *ſed ſola averſio* a Deo, *vel aliquid averſioni correſpondens, ſcilicet deſtitutio animæ à juſtitia originali; & ideo peccato Originali non debetur pœna ſenſus, ſed ſolum pœna damni, ſcilicet carentia viſionis divinæ*. Et D. Bonav. ait 2. Diſt. 33. a. 3. q. 1. *Pœna ſenſus correſpondet culpæ pro delectatione, quam cauſat juxta illud* Apoc. 18. *Quantùm glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantùm date ei tormentum & luctum Atqui in peccato Originali nulla datur delectatio*: Ergo, &c.

Obji. 1. Illud Apocal. 20. *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu Throni; & libri aperti ſunt . . . . Et qui non eſt inventus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*. Sed pueri abſque Baptiſmo decedentes in libro vitæ non ſunt ſcripti: Ergo. Accedit Conc. Florentini auctoritas in Decreto unionis definientis: *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo Originali, decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas*.

℞. In hoc loco Apoc. ſermonem non eſſe de puſillis ætate, ſed dignitate; cum ibidem dicatur hos, ſive puſillos, ſive magnos ſecundùm opera eorum eſſe judicandos. Quoad Conc. Florentini definitionem; potius favet nobis, quam nocet; Diſpares ſiquidem pœnæ diverſi profectò ſunt generis: non eſſent autem diverſi generis, ſi pueri & adulti eodem igne cruciarentur. Quod ſi Concilium dicat pueros Originali peccato reos, non ſecus ac adultos, damnatos in Infernum deſcendere; vox *Infernum* commodè intelligi poteſt de loco quodam ſubterraneo, in quem ſtatim poſt mortem deſcendunt pueri non Baptizati, non expectato ultimo judicii die. Hæc enim ſola erat in Concilio definienda controverſia: Utrùm nimirùm animæ ultimum judicii diem expectarent, ut ſua ſorte fruerentur.

Obji. 2. Auctoritatem, & rationem D. Aug. Serm. 14 de Verb. Apoſt. *Venturus eſt Dominus*, inquit, *& judicaturus de vivis & mortuis, ſicut Evangelium loquitur, duas partes facturus eſt, dexteram & ſiniſtram . . . . Nullus relictus eſt medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis judicabitur. Alii erunt ad dexteram, alii ad ſiniſtram, non novi aliud. Qui in dextera non eſt, erit in ſiniſtra. Quid erit in ſiniſtra;* Ite in ignem æternum: *Ergo qui non in Regno: procul dubio in ignem æternum ibit*.

℞. D. Auguſtinum nunquam determinaſſe pueros, ſine Baptiſmi Sacramento decedentes, ſupplicio ignis cruciari; cum ea de re nulla prorſus eſſet quæſtio inter Catholicos, & Pelagianos, ſed ſolummodò ſupradictos infantes ſuo modo comprehendi in ſententia ſupremi Judicis. *Ite maledicti, &c.* proindeque æterna gloria extra Sanctorum ſocietatem in quodam loco intermedio, Infernum inter & Paradiſum, uti fingebant Pelagiani, non perfrui.

Conſtat autem hoc numquam, & nuſquam determinaſſe ex plurimis ejuſdem S. Doctoris textibus, in quibus ſolita ſua humilitate circa hanc difficillimam quæſtionem ſe fatetur ignarum. 1. Epiſt. 28. ad S. Hieron. *Cum ad pœnas*, inquit, *ventum eſt parvulorum, magnis mihi crede coarctor anguſtiis, nec quid reſpondeam prorſus invenio*. Et lib 3. de lib. arb. c. 23. reſpondens Hæreticorum objectioni dicentium nullum locum inveniri poſſe pueris ſine baptiſmo decedentibus; neque inter juſtos, cum nihil rectè fecerint; nec inter malos, cum nihil peccaverint, ſic reſpondet: *Sanè ſuperfluò quæritur de meritis ejus, qui nihil meruerit. Non enim metuendum eſt, nè vita eſſe potuerit media quædam inter rectè factum, atque peccatum, & ſententia judicis media eſſe non poſſit inter præmium, atque ſupplicium*. Et lib. 5. contr. Julian. cap. 11. *Quis*, inquit, *dubitaverit parvulos non baptizatos in damnatione omnium leviſſima futuros. Quæ, qualis & quanta erit, quamvis definire non poſſim, non tamen audeo dicere; quòd eis, ut nulli eſſent, quam ut ibi eſſent potius expediret*.

Obji. 3. Nonnullos SS. Patrum textus, ubi dicitur pueros abſque Baptiſmate decedentes pœnam ignis, gehennam, &c. perpeti.

℞. Cum D. Thom. qu. 5. de malo a. 2. ad 1. *Hoc nomen tormenti, ſupplicii, gehennæ, & cruciatus, vel quid ſimile, ſi in dictis Sanctorum Patrum inveniatur, eſſe largè accipiendum, pro pœna; ita ut ponatur ſpecies pro genere. Ideò autem Sancti tali modo loquendi uſi ſunt, ut deteſtabilem redderent errorem Pelagianorum, qui aſſerebant in parvulis nullum peccatum eſſe, nec eis aliquam pœnam deberi. Et D. Bonav. ait in 2. Diſt. 33. a. 3. q. 1. Sanctos Patres maximè*

mè August. hujuſmodi verbis aſperis, carentiam viſionis Dei indicare voluiſſe. Et hoc valdè abundanter exprimunt, plus dicentes, & minus volentes intelligi, hoc enim faciebant ad extirpandam hæreſim, quæ dicebat, parvulos nulla pœna puniri.

Obji. 4. Peccatum Originale pœna ſenſus puoitur in hac vita, fame, ſiti, morte, variiſque doloribus: Ergo à fortiori pœna ſenſus punietur in altera, cum ſit locus juſtitiæ. Deinde peccatum veniale in altera vita gehenna ignis mulctatur; Ergo à fortiori peccatum Originale, quod majus eſt.

℟. Diſting. Ant. Peccatum Originale punitur in hac vita pœna ſenſus, directè; ita ut præcisè propter illud ſit inflicta N. indirectè, quatenus ſcilicet conſequitur privationem juſtitiæ originalis, quæ hos naturales effectus impediviſſet, C. & nego conſequentiam. Deinde diſtinguo inſtantiam, peccatum Originale peccato veniali majus eſt; quatenus amicitiam Dei excludit, C. quatenus non propria, ſed aliena voluntate committitur, N. Hoc ſenſu veniale ipſo Origioali gravius eſt; ideoque illud, non iſtud, pœna ſenſus punitur.

Dico II. Parvuli in peccato Originali mortui nulla, vel modica, afficiuntur triſtitia propter viſionis beatificæ carentiam.

Prob. 1. Variis SS. Patrum textibus, Greg. Nazien. jam citati. *Exiſtimo futurum ut nec Cœleſti gloria, nec ſupplicìis à juſto judice afficiantur; utpote, qui licet Baptiſmo conſignati non fuerint, improbitate tamen careant; atque hanc jacturam paſſi potius fuerint quam fecerint*. Et D. Greg. Niſſen. item ſup. citatus: *Immatura mors infantium, neque in doloribus ac mœſtitia eſſe eum, qui ſic vivere deſit, intelligendum eſſe nobis ſuggerit*.

Prob. 2. Auctoritate, & rationibus DD. Thom. & Bonav. ſupra cit. 1. Quia nullus prudens dolere poteſt de abſentia boni, ad quod omnino eſt improportionatus; pueri autem ad beatificam viſionem proportionati non ſunt. 2. Quia voluntas eorum, utpote nullo actuali peccato depravata, divinæ voluntati erit conformis, non eſſet autem conformis, ſi aliqua ob hoc triſtitia aſficerentur. 3. Quia dolor ille ſicut pœna ſenſus, pœna delectationis debitæ correſpondere debet; cum igitur nulla fuerit in pueris peccati delectatio; Ergo &c. 4. Quia dolor de amiſſione tanti boni, abſque ulla ſpe recuperationis, non modicus eſſe poteſt, ſed longè vehementior omni dolore ſenſibili, ab igne Inferni cauſato, cum igitur ex SS. Patribus ſit probatum, pueros ſine Baptiſmate decedentes, vel minimum ignis dolorem non pati, à fortiori concludendum eſt nullam ex amiſſione viſionis beatificæ triſtitiam experiri.

Objı. Illud Aug. lib. 6. contra Julian. *c.* 4. *Si hoc pueris non erit malum, non ergo amabunt Regnum Dei. Si ergo amabunt; & tantùm amabunt, quantùm innocentes amare debent Regnum ejus, à quo ad ejus imaginem creatur, nihil nè mali de hac ſeparatione patientur*.

℟. Auguſtinum hæc dicere ad mentem Pelagianorum docentium, pueros ſine Baptiſmate decedentes, nullius peccati reatu eſſe obnoxios: in qua hypotheſi ſummè triſtari deberent de excluſione ſua a Regno Cœlorum, ipſis ob ſuam innocentiam debito; quod utique in Catholicorum ſententia locum non habet, cum ſupradicti pueri juſtitia originali privati viſioni Beatificæ ipſis non debitæ minimè ſint proportionati. Conſtat autem Divum Auguſtinum nihil de hac triſtitia fixum determinaſſe iiſdem textibus, quibus probavimus ipſum non determinaſſe pueros abſque Baptiſmo decedentes pœnam ignis experiri. Si enim crediſſet ipſos de Regni Cœleſtis amiſſione affici triſtitia, quæ modica proculdubiò eſſe non poteſt, certè non dixiſſet ſupradictos pueros in damnatione leviſſima futuros eſse; nec dubitaſset utrùm nulli eſsent, quam ut ibi eſsent, potius expediret.

QUÆR. Quid erit igitur poſt extremum judicii diem de pueris abſque Baptiſmatis lavacro mortuis?

℟. Cum de Domino in bonitate ſentire debeamus; dicendum eſt cum D. Thom. in 2. diſt. 33. quæſt. 2. art. 2. *quod participabunt multum de divina bonitate & perfectionibus naturalibus*. Hac auctoritate freti multi Theologi probabiliter cenſent. 1. Hos parvulos perfectum temperamentum, ac magnitudinem viri perfecti habituros. 2. Fore immortales ac impaſſibiles, tum Dei conſervatione, tum defectu exterioris agentis ſibi contrarii. 3. Fore impeccabiles ex Dei Optimi Maximi providentia, concurſum ad peccatum denegantis. 4. Naturali quadam beatitudine fruituros. 5. Deum, ut auctorem naturæ dilecturos, amore ſcilicet naturali & imperfecto; non autem perfecto, qui cum peccato Originali, utpote qui averſionem Dei importat, ſtare non poteſt. 6. His boois naturalibus fruituros, vel in ſuperficie terræ, vel, ut alii dicunt probabilius,

...abilius, in loco quodam ſubterraneo, luce quadam illuſtrato.

ADNOTATIO 34.
(*)

Licèt verum ſit, quod de Domino in bonitate ſentire debeamus; *non adeo tamen, ut per hoc Theologicas veritates, & multo minus Fidei capita vel tantillum lædere licitum ſit. An propter bonitatem, quam de Domino ſentire debemus, Juſtitia, & cætera ejus Attributa ſunt parvi facienda? Placita Authoris noſtri circa ſtatum Puerorum ſine Baptiſmo decedentium ab* Auguſtinianæ *Doctrinæ Defenſoribus unanimiter rejiciuntur. Quod Parvulis iſtis vita æterna, id eſt, Beatitudo ſupernaturalis vel in* Regno *Cælorum, vel extra illud, ut* Pelagiani *blaſphemabant, deneganda ſit, jam Dogma Catholicum eſt: Ex hoc ſequitur quod pœna Damni, quæ nec* nulla *quidem, nec modica dici poteſt, torqueri infallibiliter debeant. An autem pœna etiam ſenſus, ſicut cæteri Damnati, licèt reſpectivè mitiſſima, controvertitur quidem inter Theologos, ſed Auguſtiniani Profeſſores, D. eorum Præceptoris veſtigiis inhærentes, affirmativè ſuſtinent.* Auguſtinus *quidem aliquando anceps fuit circa ſtatum Parvulorum; ſed poſtquam rem accuratiùs ex Scripturis perpendit, totus ſemper fuit in tollendo medio illo loco, quem ſtatuebant* Pelagiani, *ubi Infantes non baptizatos ponerent; aſſerens pluribus in locis, & maximè lib.* 1. de Pec. mer. & remiſ. *c.* 28., *&* ſerm. 294., *aliàs* 14. *de* Verb. Apoſt., *quod qui non erit in Regno cum Chriſto, erit proculdubio cum Diabolo in ignem æternum.* Epiſt. *deniq.* 217. *aliàs* 107. *inter duodecim ſententias, quas ad Catholicam Fidem pertinere docet, hanc quoque numero Octavam ſtatuit, his verbis:* Scimus etiam Parvulos ſecundum ea, quæ per corpus geſſerunt recepturos, vel bonum, vel malum. Geſſerunt autem non per ſe ipſos, ſed per eos, quibus pro illis reſpondentibus & renunciare Diabolo dicuntur, & credere in Deum, unde & in numero Fidelium computantur, pertinentes ad ſententiam Domini dicentis: Qui crediderit; & baptizatus fuerit ſalvus erit. Propter quod & illis, qui hoc Sacramentum non accipiunt contingit quod ſequitur: qui autem non crediderit, condemnabitur. *Hæc clariora ſunt, quàm ut expoſitione indigeant. Sic loquitur pariter* D. Fulgentius, Auguſtini *Diſcipulus, qui inter Fidei capita, fideliter credenda, fortiter tenenda, veraciter, patienterque defendenda, hanc ponit regulam ordine* 24. Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites non ſolum homines, jam ratione utentes, verum etiam Parvulos, qui, ſive in uteris Matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, ſive jam de Matribus nati, ſine Sacramento Sacri Baptiſmatis ... de hoc Sæculo tranſeunt, ignis æterni, ſempiterno ſupplicio puniendos, quia etſi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, Originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & nativitate traxerunt (*lib. de Fid. ad Petr. c.* 3.; *& lib. de verit. Prædeſt. & Grat. c.* 14.) S.S. P.P. *adſtipulantur Concilia, inter quæ* Lugdun. *II. ſub* Greg. X., *e* Florent. *ſub* Eug. *IV., a quibus definitum eſt:* Illorum Animas, qui in actuali mortali peccato, vel cum ſolo Originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Pœnis diſparibus, *inquam, quo ad intenſionem, non quo ad qualitatem, ut ajunt* Auguſtini *Diſcipuli. Si igitur Parvuli, de quibus eſt quæſtio, mox* deſcendunt in infernuum, *ubi nulla eſt redemptio; &, ſi omnis medius locus inter Cælum, & Infernum ab* Auguſtino *conſtanter rejicitur, ubi eſt* naturalis illa quædam Beatitudo? *Ubi, illa ſuperficies terræ vel* locus quidam ſubterraneus, *in quo* his bonis *naturalibus fruantur Parvuli, ſicut adſtruere conatur Author benignæ oppoſitæ ſententiæ plus æquo addictus?* Natalis *ab* Alex. *lib.* 3. *c.* 1. *de pec.* Theol. Dogm. *ſic acuit calamum:* „ *In damnatione quidem, „ omnium mitiſſima, & leviſſima erunt, qui „ cum ſolo Originali peccato decedunt, ut S. „* Aug. *docet; ſed miſeros tamen, æternumque „ damnatos, ſub Diaboli poteſtate, in ejus Do„ mo, & atrio perpetuò manſuros, Fides do„ cet. Unde nullatenus tolerari poteſt quorum„ dam Theogolorum error, qui ſcribere auſi ſunt, „ Pueros ſine Baptiſmo decedentes meliorem in „ naturalibus vitam in perpetuas æternitates „ ducturos, quam ullus umquam mortalium „ duxerit. Hic enim error, & a Conciliis „ Generalibus* Lugdun. 2. *&* Florent. *damnatus eſt, & jam olim ab univerſali Con„ cilio totius Africæ, Sedis Apoſtolicæ auctori„ tate, & totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſu „ roborato, confixus his verbis &c.* „. De Domino *igitur, nimis* in bonitate *ſenſit Author noſter, dum Parvulis ſine Baptiſmo decedentibus omnem fere pœnam, nedum ſenſus, ſed etiam damni denegavit; & inſuper Beatitudinem quamdam naturalem poſt diem judicii ipſis elargitus eſt. Hæc ſcripta ſint, ne videamur cùm* Pelagianis *nec a longè, vel aliquantulum ſentire.*

(*)

DISSERTATIO II.

De Virtutibus, & Vitiis oppoſitis in Particulari.

GEnus omne virtutum in tribus Theologicis, & quatuor Cardinalibus comprehenditur. De his omnibus capitibus hic nobis agendum incumbit.

CA-

CAPUT I.

De Fide & Vitiis oppoſitis.

✠

(*)

Propoſitiones Damnatæ in materia Fidei.

1. „ Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. Damnata fuit ab Innocentio XI. an. 1699. Ordine 4.
2. „ Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe. Ab eodem. Ordine 16.
3. „ Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere. Ab eodem. Ordine 17.
4. „ Si a Poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo; tacere, ut peccaminoſum per ſe, non damno. Eſt 18.
5. „ Voluntas non poteſt facere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium. Eſt 19.
6. „ Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habet ſupernaturalem: Eſt 20.
7. „ Aſſenſus Fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis: immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus. Eſt 21.
8. „ Nonniſi Fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris. Eſt 22.
9. „ Fides latè dicta ex teſtimonio Creaturarum, ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit. Eſt 23.
10. „ Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Eſt 64.
11. „ Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe. Eſt 65.
12. (*Religio Chriſtiana eſt evidenter credibilis; nam evidens eſt prudentem eſſe quiſquis eam amplexatur: non evidenter vera; nam aut obſcure docet, aut quæ docet obſcura ſunt. Immo qui ajunt, Religionem Chriſtianam eſſe evidenter veram, fateantur neceſſe eſt falſam evidenter eſſe. Infer hinc evidens non eſſe. 1. Quod exiſtat nunc in terris aliqua vera Religio. Unde enim habes non omnem carnem corrupiſſe viam ſuam? 2. Quod omnium, quæ in terra ſunt, veriſimillima ſit Chriſtiana. An enim omnes terras peragraſti, aut peragratas ab aliis eſſe noſti? 3. Quod ab Apoſtolis, & Dæmonibus manifeſtata fuerit Divinitas Chriſti: id enim ſi doces, docere te oportet, Chriſtum manifeſtè Deum eſſe. 4. Quod afflante Deo fuſa ſint Prophetarum Oracula: quid enim mihi opponas, vel ſi negem illa fuiſſe vera vaticinia, vel affirmem conjecturas? 5. Quod vera fuerint, quæ a Chriſto edita fuiſſe commemorantur miracula: quamquam negare hæc nemo prudenter poteſt.* „ Damnata fuit a Clero Gallicano an. 1730.)
13. Evidens non eſt evidentia morali propriè dicta, & phyſica Religionem Chriſtianam veram eſſe. „ Ab eodem.
14. „ Infidelitas pure negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus peccatum eſt. Damnata fuit a Pio V. & Gregorio XIII.
15. „ Nihil credendum eſt, quod excedat noſtri intellectus virtutem. Damnata eſt a Concilio Rhemenſe an. 1148.
16. „ Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides: & etiamſi videantur credere, non eſt Fides divina, ſed humana. Damnata fuit ab Alex. VIII. 1690. Eſt 12.

(*)

ÆQuivocum eſt Fidei nomen & multiplex ejus acceptatio. 1. Sumitur pro fidelitate, unde juſtus dicitur *ſervus fidelis*. 2. Pro veracitate in dictis & promiſſis, ſic Deus *fidelis in omnibus verbis ſuis*. 3. Pro fiducia poſtulata aſſequendi, unde D. Jac. dicit *Poſtulet in fide nihil hæſitans*. 4. Pro conſcientia, ut *quòd non eſt ex fide peccatum eſt*. 5. Pro doctrina Catholica, quo ſenſu laudat Chriſtus Epiſcopum Pergami, quòd *non negaverit fidem ſuam*. 6. Tandem pro credulitate, qua aſſentimur dictis alicujus propter ejus auctoritatem; quæ ſi ſit hominis, fides erit humana, ſi Dei, erit divina.

Hujus fidei naturam, diviſiones, objectum, ſubjectum, proprietates, vitia oppoſita breviter perpendemus.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Fides?

Not. FIdem ab Apoſtolo definiri. Hæbr. 11. *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Verbum *ſubſtantia* hìc non ſumitur pro ut accidenti opponitur, cum fides verum ſit accidens, ad genus qualitatis pertinens; ſed ſumitur juxta textum Græcum, *Hypoſtaſis*, pro fulcimento ſeu baſi ſpei noſtræ, ita ut

Apo-

Apoſtoli ſenſus ſit, quòd fides ita ſuſtentet ſpem noſtram, ut illa deficiente iſtam cadere neceſse ſit. Item verbum, *Argumentum*, non ſumitur pro argumentatione & diſcurſu; cum fides omnem excedat ratiocinationem, ſed ſumitur ex eodem textu Græco, pro convictione ſeu forti perſuaſione, qua intellectus adeò firmiter revelatis adhæret, ac ſi evidentiſſimè ſibi apparerent. Dicitur deinde *ſperandarum rerum*, non quod ſola ſperanda credamus; cum plurima credere teneamur, quæ ſpei noſtræ objectum eſse nequeunt; ſed quia Deus, quem ſperamus, præcipuum eſt fidei objectum, ad quod cætera omnia reducuntur. Dicitur denique *non apparentium*; quia proprium fidei juxta Aug. Tract. 4. in Joan. *eſt credere quod non videt*, ſive illud ex ſeſe ſit inevidens, ſive ex principiis ex quibus aſsenſus deducitur. Verùm cum hæc Apoſtoli definitio deſcriptiva potius ſit, quàm eſsentialis, utpote quæ fidei effectus exponat, firmitatem nempe & obſcuritatem, aliam juxta ſcholaſticam methodum proferunt Theologi, cum quibus.

Dico. Fides eſt *virtus Theologica divinitus infuſa, qua firmiter aſſentimur iis, quæ à Deo revelata ſunt propter auctoritatem ipſius revelantis.*

Prob. & explicatur concluſio. Hæc definitio genere conſtat & differentia, ergo bona eſt & accurata. Priores illæ voces, *virtus Theologica divinitus infuſa*, continent id quod fides habet commune cum virtutibus omnibus Theologicis, quæ nobis divinitùs infunduntur: poſteriores verò voces continent quod fides habet ſibi peculiare, utpote quæ Deum tamquam veritatis fontem reſpiciat; cum è contra reliquæ eum, tamquam ſummum bonum, intueantur.

Obji. Manca eſt illa definitio; ipſi quippe deeſt clauſula, *quæ nobis per Eccleſiam credenda propoſuit*, quam addunt multi Theologi.

℟. Ideò non additam fuiſſe hanc clauſulam; quia fidei eſſentialis non eſt. Poteſt enim adeſſe vera fides Theologica circa ea, quæ Deus per ſe ipſum independenter ab Eccleſia revelavit, ſic fides Adami, & Abrahami vera fuit fides Theologica, licèt articulorum, quos credebant revelatio ab Eccleſia ipſis non fuerit propoſita. Item ex Concil. Tridentino ſeſſ. 6. can. 16. poteſt quis certitudine fidei credere ſe in gratia perſervaturum, ſi ſpeciali revelatione id ab ipſo Deo immediate acceperit.

QUÆR. Quænam ſint præcipue fidei diviſiones?

℟. Fides dividitur: In actualem & habitualem: Prior eſt actus, quo intellectus ex imperio voluntatis aſſentitur alicui veritati propter auctoritatem Dei revelantis; poſterior eſt habitus ſeu qualitas nobis permanenter inhærens, qui nos in actualem fidei aſſenſum inclinat; quippe in juſtificatione cum cæteris donis infunditur. Porrò ſicut fides habitualis eſſe poteſt ſine actuali, ut in Infante baptizato, & in Fidelibus dormientibus, ita actualis poteſt eſſe ſine habituali; ut ſæpe contingit in Cathecumeno ante Baptiſmi ſuſceptionem.

2. Dividitur in explicitam, qua alicui ſpeciali & determinato fidei articulo credimus, & implicitam, qua omnibus à Deo revelatis & ab Eccleſia propoſitis aſſentimur, nulla determinatione facta ad aliquem particularem articulum.

3. Dividitur in vivam ſeu formatam, quæ in homine adjunctam habet charitatem & gratiam ſanctificantem; & in mortuam ſeu informem, quæ has non ſibi habet adjunctas. Diciturque mortua & informis; non quod careat forma fidei, ſecundùm quod eſt virtus; ſed ſolùm ſecundùm quod eſt virtus gratuita ſeu meritoria, ut ſuo loco videbitur.

QUÆSTIO II.

Quid ſit Fidei objectum?

Recolendum eſt ex Logica duplex eſſe objectum; materiale ſcilicet & formale. Objectum materiale fidei eſt omne revelatum, quod creditur; formale verò eſt motivum, propter quod id à nobis creditur: de utroque objecto ſingulatim agere neceſſe eſt.

ARTICULUS II.

De objecto materiali Fidei.

Not. Objectum materiale, aliud eſt præcipuum & primarium, ſeu attributionis ad quod cætera omnia reducuntur: aliud ſecundarium, ſeu minus præcipuum, quod ad primarium reducitur, circa hoc duplex objectum.

Dico.

Digitized by Google

Dico. Objectum fidei præcipuum eſt Deus; minus autem præcipuum ſeu ſecundarium eſt quilibet articulus revelatus.

Prob. Ex Aug. lib. 4 de civ. cap. 20. *Primum*, inquit, *& maximum Fidei officium eſt, ut unus credatur Deus*. Et D. Th. 2. 2. qu. 2. art. ait: *Ea quæ pertinent ad humanitatem Chriſti, ad Sacramenta Eccleſiæ, vel ad quaſcumque creaturas, cadunt ſub fide, in quantum per hæc ordinamur ad Deum*. Unde ſic argumentari licet: illud eſt objectum fidei primarium alicujus habitus, ad quod omnia, quæ hic habitus reſpicit, referuntur; ſed id omne quod fides reſpicit, ad Deum, vel Creatorem, vel Redemptorem, vel Sanctificatorem, &c. refertur, ergo. Deinde objectum ſecundarium alicujus virtutis eſt illud, circa quod præter primarium virtus aliqua verſatur; atqui præter Deum ipſum fides verſatur circa plures articulos, qui ad Deum referuntur, Ergo.

Obji. Multa ſunt in Scriptura, quæ nullatenus ad Deum referuntur v. g. quod Tobias canem habuerit, quod cauda blanditus fuerit & cætera hujuſmodi, quæ nullius momenti eſſe videntur.

R. Hæc & ſimilia ſuo modo ad Deum referri, vel mediatè, vel immediatè, vel directè, vel indirectè, vel realiter, vel figurativè. Sic canis Tobiæ cauda blandiens fidelitatem Dei in promiſſis & veracitatem ejus in dictis figurabat.

QUÆR. 1. Quinam ſint articuli ex quibus conſtat objectum materiale fidei?

R. Quidquid de fide eſt, id propriè loquendo fidei Articulus non dicitur, per articulum quippe fidei propriè intelligitur veritas quædam Catholica, quæ primariò ad fidem ſpectans ſpecialem præ aliis ad credendum difficultatem continet. Sic articulus de Verbi incarnatione eſt diſtinctus ab articulo de Paſſione Chriſti; & Articulus de ejus Paſſione, ab Articulo de ejuſdem Reſurrectione; quia hi Articuli in credendo difficultatem includunt. Hi autem Articuli, ſeu præcipuæ veritates Catholicæ, in Symbolis continentur, ſicut præcipua morum principia in Decalogo.

QUÆR. 2. Quid & quotuplex ſit fidei Symbolum?

R. Symboli nomine intelligitur, *ſumma quædam præcipuos fidei articulos explicitè continens*. Hæc ſumma Symbolum dicitur; tum quia eſt nota, qua veri Fideles ab Heterodoxis dignoſcuntur; tum quia eſt collatio quædam quam plures Patres de præcipuis fidei Articulis inter ſe habuerunt: Quatuor fidei Symbola numerantur.

1. Apoſtolorum, quod à cunctis Fidelibus in oratione quotidiana recitatur, quodque ab ipſiſmet Apoſtolis conditum fuiſſe de fide certum eſt. Diſceſſuri namque ab invicem normam prius veræ fidei in commune conſtituerunt, nè ſcilicet prædicatores alii diverſi diverſam doctrinam Gentes docerent, & hac profeſſione Fideles ab Hæreticis diſcerni poſſent.

2. Nicænum, hoc eſt editum in primo Nicæno Concilio habito ann. 325. occaſione impietatis Arii, qui blaſphemarat Dei Verbum non eſſe Deum, ſed creaturam, factam quidem ante omnes alias, ſed tamen, ut aliæ creaturæ, ex nihilo eductam.

3. Conſtantinopolitanum, ubi Conſtantinopolitani Patres fidem prolixius expoſuerunt, ad coercendas varias, quæ in Eccleſia graſſabantur & graſſatæ fuerant, Hæreſes. Hoc eſt Symbolum, quod inter Miſſarum ſolemnia publicè decantari ſolet.

4. Athanaſianum, quod his verbis incipit: *Quicumque vult ſalvus eſſe ante omnia &c.* ſic dictum ab ejus Authore, ut communiter creditur, D. Athanaſio Alexandrino Epiſcopo, qui tanta conſtantia adverſus Arianos verbi conſubſtantialitatem propugnavit.

QUÆR. 3. An fidei Articuli ſucceſſu creverint; ita ut nunc ſint plures veritates credendæ, quàm olim?

R. In nullo Eccleſiæ ſtatu ſive naturæ, ſive Legis ſcriptæ, ſive gratiæ, nullum ſubſtantialiter incrementum factum eſt in Articulis fidei ad ſalutem neceſſariis. Quidquid enim ad ſalutem eſt neceſſarium ad exiſtentiam Dei & Incarnationem Verbi reducitur, juxta illud Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſſti Jeſum Chriſtum*. Atqui in quolibet ſtatu Eccleſiæ fides adfuit Dei exiſtentis & Verbi in carne venturi, ut eſſet Mediator inter Deum & homines; ergo. Unde Aug. in Pſal. 50. dicit *Tempora variata fuiſſe, non fidem*; & Serm. 7. de ſanctis: *Unam eſſe fidem novi & veteris Teſtamenti*, & lib. 1. Retract. c. 13. *Eamdem Religionem, quæ nunc eſt, fuiſſe apud Antiquos, nec defuiſſe ab initio generis humani, quouſque ipſe Chriſtus veniret in carnem*. Deinde extra dubium eſt Apoſtolos per revelationem, vel ab ipſo Domino immediate, vel a Spiritu Sancto in die Pentecoſtes, de omnibus ad ſalutem neceſſa-

tiis

Digitized by Google

riis perfectè inſtructos fuiſse, ſecundùm illud Jo. 16. *Cum venerit ille* Spiritus veritatis, *docebit vos omnem veritatem*; Ergo, &c.

Dixi *ſubſtantiale incrementum*. Nam multa nunc explicitè habemus credenda, quæ tantum implicitè credenda erant in Lege naturæ & in Lege ſcripta, ut ſuo loco videbitur. Adde quod dici poſſit cum D. Bon. in 3. diſt. 25. art. 2. q. 2. fidem *creviſſe quoad luminis plenitudinem, ſecundùm ſtatum communem, propter veritatis exhibitionem, propter majorem gratiæ diffuſionem, atque pleniorem inſtructionem*.

Dices. Plurima ab ortu Eccleſiæ definita ſunt fidei capita à Conciliis & à ſummis Pontificibus, adversùs inſurgentes hæreſes.

℞. In his definitionibus Concilia & Pontifices novos non condidiſse fidei Articulos, nec novas accepiſse revelationes; ſed diligenti inquiſitione facta & aſſiſtente Spiritus ſancti gratia, apertiùs declaraſse quidquid in Scripturis ac Traditione jam contentum erat ac revelatum, & Fidelibus credendum abſque dubitatione exhibuiſse.

ARTICULUS II.

De objecto formali Fidei.

Not. CONſentiunt omnes Theologi ſummam Dei veritatem eſse objectum formale fidei, ſed cum in Deo triplex agnoſcatur veritas; in eſsendo ſcilicet, qua Deus verus eſt; in cognoſcendo, qua omnia abſque errore cognoſcit; & in dicendo, qua neminem fallere poteſt; ideò controvertuntur, qualis veritas ſit objectum formale fidei. Circa quod.

Dico. Prima Dei in dicendo veritas eſt fidei objectum formale.

Prob. Ex Scriptura, quæ, ut nos ad credendum inducat, ſemper nobis veracitatem Dei proponit. Joan. 3. *Qui accepit ejus teſtimonium ſignavit: quia Deus verax eſt*, &c. 1. Epiſt. can. ejuſdem c. 5. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum; quia non credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt de Filio ſuo*. Ad rationem ſiquidem fidei in communi ſpectat, ut alicui fidem adhibeamus, quia verax eſt; Ergo de Deo idem dicendum eſt. Unde D. Th. ait in 3. diſt. 20. q. 1. art. 2. ad 1. *Objectum fidei*, ſcilicet formale, *non eſt veritas prima, ſecundùm quod eſt in ſe exiſtens tantùm, ſed ſecundum quod eſt nobis divinitus annuntiata*;

Obji. 1. Motivum formale fidei non minus importat veritatem Dei in cognoſcendo, quam ejus veritatem in dicendo; non enim minus firmiter alicui fidem adhibemus quia falli, quam quia fallere non poteſt: Ergo utraque Dei veritas, tum in cognoſcendo, tum in dicendo eſt objectum formale fidei.

℞. Fides importat quidem veritatem Dei in cognoſcendo, mediatè, non autem immediatè; Non enim ad credendum formaliter movemur; quia Deus omnia ut ſunt cognoſcit; ſed quia omnia cognoſcendo, dùm ea nobis revelat, fallere non poteſt: unde ejus in cognoſcendo veritas antecedenter fidei præſupponitur, ſed non eſt ejus formale & immediatum motivum, de quo hìc agitur.

Obji. 2. Ratio propter quam Articulos fidei credimus, eſt, quia Deus vult ut credamus, & ſub jugo fide intellectum noſtrum captivemus: Ergo Dei auctoritates eſt objectum formale fidei.

℞. Similiter diſtinguendo: Ratio remota & mediata, propter quam credimus eſt, quia Deus vult ut credamus, C. ratio proxima & immediate, N. Deus quippe non vult, ut Articulos fidei credamus; niſi quia vult ejus in revelando veracitati plenam fidem adhibeamus.

Obji. 3. Illud eſt objectum formale fidei, quod eſt ultima ratio propter quam credimus; Atqui veritas Dei in eſſendo talis eſt. Nam interroganti, cur Deo revelanti credamus, rectè quidem reſpondemus quia verax eſt; ſed rurſus interroganti, cur Deus verax ſit, rectè iterùm reſpondemus, quia Deus eſt, & ſummè perfectus: Ergo.

℞. Interroganti, cur Deus verax ſit, reſpondemus, ut Theologi, non autem quatenus Fideles, quia Deus eſt & ſummè perfectus, ſiquidem non eſt credentis ſimpliciter, ſed Theologi ratiocinantis; explicare, cur Deus ſit verax. Unde Fidelis credens, ſe habet, ſicut homo videns parietem, à quo ſi quæratur, cur parietem videat, reſpondebit, quia eſt albus; & ſi ulterius quæratur cur paries ſit albus, reſpondebit quidem, quia partes, ex quibus conſtat parietis ſuperficies eo modo ſunt diſpoſitæ, ut lucem ita reflectant: ſed ſic reſpondebit ut Phyſicus, non verò ut videns ſimpliciter.

Obji. 4. Ipſamet & ſola revelatio eſt objectum formale fidei, cum non credamus, niſi quia Deus revelavit, Ergo, &c.

℞. Credimus quidem, quia Deus revelavit;

Digitized by Google

lavit; ſed hæc non eſt ratio ultima fidei noſtræ. Non enim credimus homini quia loquitur, ſed quia ipſum eſſe veracem perſuaſum habemus.

Obji. 5. Sola Eccleſiæ auctoritas ad credendum nos movet, juxta illud Auguſtini cont. Epiſt. fund. c. 5. *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas*; Ero ſola Eccleſiæ auctoritas eſt objectum formale fidei.

℟. Sola Eccleſiæ auctoritas ad credendum nos movet, tamquàm cauſa directiva ſeu inſtrumentalis, per quam applicatur nobis revelatio, C. tamquam formale & ultimum credendi motivum, N. Undè perindè ratiocinandum eſt de auctoritate Eccleſiæ revelata proponentis, ac de auctoritate Præconis legem promulgantis. Nam ſicut Populus legi latæ non obtemperat, præcisè propter Præconis auctoritatem, ſed propter auctoritatem Principis; ita & Fidelis non propter Eccleſiæ auctoritatem Articulum fidei exponentis, ſed propter auctoritatem Dei veracis, hunc Articulum credit. Attamen & Populus obediens & Fidelis credens quodammodò, & obedire & credere propter Præconis, & Eccleſiæ auctoritatem dicitur; quia nempe nec Lex populo, nec Articulus revelatus Fideli, innoteſcere poſſent, niſi & Præco & Eccleſia ea ipſis declararent. Circa hanc materiam nonnullæ occurrunt hìc breviter quæſtiones enodandæ.

QUÆR. 1. In quo ultimo fides reſolvatur, ſeu quæ ſit cauſa ultima, cur Fidelis credat?

℟. Cum ſint diverſæ fidei cauſæ, diverſa eſt ultima fidei reſolutio; vel enim agitur de cauſa formali, vel de effitiente, vel de inductiva, vel de directiva ſeu inſtrumentali. Si primum, fides reſolvitur ultimò, & in revelationem Dei ſummè veracis, ut dictum eſt; ſi ſecundum, in piam voluntatis motionem, & gratiam Spiritus ſancti; actus enim fidei liber eſt & ſupernaturalis, proindeque a voluntate libera & Spiritus ſancti illuſtratione procedere neceſſe eſt: ſi tertium in credibilitatis motiva, quibus prudens habetur certitudo Articulos fidei à Deo eſſe revelatos: ſi quartum, in Eccleſiæ auctoritatem, quæ omnium credendorum ultima eſt regula infallibilis. Ex quo patet nullum adeſſe circulum, vitioſum, quem nobis improperant Hæterodoxi, dùm auctoritatem Eccleſiæ ex revelatione divina, & revelationem divinam ex auctoritate Eccleſiæ probamus; quia ex diverſo genere cauſæ utrumque probamus; Auctoritatem ſcilicet Eccleſiæ ex revelatione divina, tamquam ex cauſa formali aſſenſûs; & revelationem divinam ex auctoritate Eccleſiæ, tamquam ex cauſa directiva ſeu inſtrumentali, applicante nobis divinam revelationem.

QUÆR. 2. Quid & quotuplex ſit revelatio?

℟. Revelatio nihil aliud eſt in genere, quàm rei abſconditæ manifeſtatio à Deo facta. Alia eſt publica, quæ Propheris vel Apoſtolis facta eſt pro univerſa Eccleſia: Alia privata, quæ alicui privatæ Perſonæ facta eſt pro ſe ipſa, vel pro aliquo particulari. Item alia eſt formalis & immediata revelatio, dum aliqua veritas ſeu propoſitio in ſe ipſa explicitè revelatur; alia virtualis & mediata, dùm aliqua veritas ex alia formaliter revelata per ratiocinium evidenter deducitur. Ut *Chriſtus eſt homo*: hæc veritas eſt immediatè & formaliter revelata; ſed *Chriſtus eſt riſibilis* eſt veritas tantummodò virtualiter & mediate revelata; quia per bonam conſequentiam deducitur ex duabus præmiſſis, quarum una eſt de fide, non altera, licet de ſe evidens; nempe *Omnis homo eſt riſibilis, Chriſtus eſt homo, ergo Chriſtus eſt riſibilis*. Circa quod.

QUÆR. 3. Utrùm virtualis revelatio ſufficiat, ut aliquid de fide ſit?

℟. Certum eſt. 1. Propoſitiones quæ ſunt de primario conceptu propoſitionis immediatè revelatæ eſſe de fide, ut Chriſtus eſt animal, Chriſtus eſt rationalis; quia impoſſibile eſt concipi hominem, quin concipiatur animalitas ſimul & rationalitas. Certum eſt. 2. Omnes propoſitiones particulares ſub aliqua univerſali immediatè revelata contentæ eſſe de fide, v. g. Petrum moriturum, aut Joannem reſurrecturum; quia immediatè revelatum eſt omnes homines morituros ac reſurrecturos. Si enim hæ particulares de fide non eſſent, nulla generalis eſſet de fide; cum generalis ex particularibus conſtet. Certum eſt. 3. Propoſitionem in Scripturis mediatè ſolummodò revelatam eſſe de fide, dum accedit Eccleſiæ definitio; ſic Filii conſubſtantialitas, ejus perſonæ unitas, &c. licet in Scripturis tantùm implicitè revelata, ſunt de fide credendæ. Certum eſt. 4. Propoſitionem deductam ex duabus præmiſſis de fide immediatè revelatis eſſe de fide; quia tunc diſcurſus applicat tantummodò revelationem, nec eſt ratio aſſenſus, v. g. Deus eſt bonus, atqui Chriſtus eſt Deus; ergo Chriſtus eſt bonus; Quòd ſi verò propoſitio deducatur

Digitized by Google

ducatur ex præmiſſis, quarum una eſt revelata, altera naturaliter tantummodò cognita, erit quidem Theologica propoſitio; ſed non formaliter de fide; quia concluſio ſequitur debiliorem partem. Unde cum una ex præmiſſis de fide non ſit, Concluſio vi ratiocinationis humanæ ex ipſa partialiter deducta, de fide eſſe non poteſt.

QUÆR. 4. Quibus indiciis revelationum privatarum veritas cognoſci poſſit?

℟. Conſideranda eſt primò ipſa revelatio; utrùm nempe aliquid vanitatis, inutilitatis, aut publicæ revelationi, ideſt, fidei Catholicæ contrarium admixtum habeat, tunc enim falſa omninò cenſenda eſt: Secundo conſideranda eſt Perſonæ, cui facta eſt revelatio, fidei puritas, morum integritas, in dictis veracitas, innocentiæ ſimplicitas, humilitatis ſinceritas, quæ ſi deſint, rejicienda eſt revelatio. Ut ut ſit; ſicut revelationes privatæ temerè non ſunt admittendæ; ita nec temerè ſunt rejiciendæ. Qui enim omni revelationi citò credit, levis eſt corde, & deceptionis periculo ſe committit; & qui omnem revelationem reſpuit, ſimplicitatem Chriſtianam deſerit, & ipſummet Dei verbum omni reverentia dignum, quovis modo manifeſtetur, injuria afficit.

QUÆR. 5. Quid intercedat diſcriminis inter credere Deum, credere Deo, & credere in Deum?

℟. Credere Deum eſt credere, quod ipſe ſit Deus, ſic Deus eſt objectum quod creditur. Credere Deo eſt credere vera, quæ loquitur, & ſic Deus eſt objectum formale, propter quod creditur. Credere in Deum eſt credendo Deum amare; & ſic eſt credere ipſum tamquam in finem ultimum, ad quem fidei aſſenſus dirigitur.

QUÆSTIO III.

Quid ſit Fidei ſubjectum.

Not. DUplex eſt fidei ſubjectum, mediatum ſcilicet & immediatum. Iſtud eſt potentia actum fidei immediatè eliciens, & cui habitus ejus inhæret. Illud verò eſt Perſona, in qua fides reperitur, & qui Fidelis nuncupatur. Hic de ſubjecto immediato non agitur; cum omnes ultrò concedant intellectum ſubjectum eſſe fidei immediatum. Sed quæſtio eſt de ſubjecto mediato, in quibus nimirùm Perſonis fides fuerit, adſit, permaneat; aut pereat, de quibus.

DICO I. In Angelis viatoribus, primiſque Parentibus vera fuit fides Theologica.

Prob. 1. Quia in ſtatu viæ, in quo fuerunt, Deo placuerunt; *ſine autem Fide*, inquit Apoſt. Hæb. 11. *impoſſibile eſt placere Deo*, Ergo. 2. Angeli viatores beatitudinem promeruerunt, & primi Parentes promereri potuerunt; ſed nullum unquam in creatura fuit meritum, niſi à fide, totius meriti radice, procedat; Ergo. 3. Quamvis Angeli & primi Parentes naturali lumine exiſtentiam Dei multaſque illius perfectiones cognoverint; non potuerunt tamen ſolo hoc lumine Perſonarum Trinitatem cognoſcere, ſed per ſolam revelationem, ac proinde per ſolam fidem.

Objic. Angelorum ac primorum Parentum ſtatus perfectus fuit; non fuiſſet autem perfectus, ſi in fide ambulaſſent; cum fides ſit cognitio imperfecta. Ergo.

℟. Fidem reſpectu viſionis beatificæ eſſe quidem imperfectam, non verè in ſe & abſolutè; cum ſit vera virtus, bonum faciens quicumque eam habet.

DICO II. Nec in Dæmonibus, nec in hominibus damnatis, nec in Beatis fides remanet; bene tamen in animabus, quæ igne torquentur purgatorio.

Prob. 1. Pars: Actus fidei in Dæmonibus & Damnatis eſt impoſſibilis; cum à gratia & pio affectu, quibus carent, procedere neceſſe ſit; Ergo. Quod ſi Dæmones dicantur Jac. 2. *credere & contremiſcere*; hoc non de vera fide, ſed de naturali & terribili experientia intelligendum eſt.

Prob. 2. Pars. Obſcurum eſt fidei objectum; in patria autem nihil obſcurum erit, ſed omnia patentia & aperta, juxta illud Cor. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt*, nempe beatitudo, *evacuabitur quod ex parte eſt*; ſcilicet fides. Nec obſtat, quòd Deus plura futura beatis revelare poſſit: Reſpondetur enim, quod ea clare, non obſcurè, eis revelabit, ipſa vel in Verbo, vel per proprias ſpecies, eis manifeſtando.

Prob. 3. Pars. Spes remanet in animabus in Purgatorio languentibus; Ergo & fides, ejus fundamentum. Deinde hæ animæ adhuc ſunt in via, & à Domino peregrinantur; nec ad ſtatum pervenerunt, in quo per viſionem Dei intuitivam evacuatur fides.

DICO III. Tota perit Fides per infidelitatem contra unum, vel minimum, fidei Articulum.

Prob. 1. Ex Trident. ſeſſ. 5. cap. 15. Ubi definitur peccato mortali amitti quidem

gratiam, ſed non amitti fidem, niſi per ſpeciale infidelitatis peccatum; Atqui infidelitas circa unum vel minimum fidei articulum, eſt vera infidelitas: Ergo.

Prob. 2. Quod eſt indiviſibile, totum ſimul perire neceſſe eſt; Atqui fides eſt indiviſibilis; cum licet plures veritates credat, eas tamen credit ſub uno atque indiviſibili motivo, ſcilicet Dei veritate in revelando, Ergo. Unde D. Thom. 2. 2. q. 5. a. 3. ait *Manifeſtum eſt, quod talis hæreticus circa unum Articulum, fidem non habet de aliis Articulis*.

Objic. 1. Hæreticus circa unum fidei Articulum eamdem experitur facilitatem in credendis aliis Articulis, poſtquam in Hæreſim lapſus eſt, ac antea; Ergo reſpectu illorum remanet fidei habitus.

℟. Diſtinguo: remanet habitus fidei naturalis per actus fidei repetitos acquiſitus. C. Remanet ſupernaturalis. N. Dùm enim quibuſdam fidei Articulis frequenter aſſentimur, formatur quidam habitus naturalis, magis inclinans ad hos credendos Articulos, quàm alios: & habitus iſte naturalis remanere poteſt, ſublato habitu fidei infuſo. Quod ſi dicatur, actus virtutis infuſæ, prout eſt fides Theologica, habitum naturalem non poſſe producere; reſpondendum eſt, ipſos habitum naturalem non producere, quatenus naturales ſunt; ſed quatenus ſunt actus vitales in Deum tendentes; quæ vitalitas purè naturalis eſt, proindeque naturalem habitum producere poteſt.

Obji. 2. Hæreticus aliquem fidei Articulum non reſpuit, quia veritati Dei non vult acquieſcere; ſed ſolummodò, quia non credit hunc Articulum à Deo eſſe revelatum; Ergo fidem non amittit; cum in ipſo ſemper vigeat formale fidei motivum.

℟. Dum aliquis Articulus ab Eccleſia proponitur, tamquam ſufficienter revelatus, Hæreticus illum pertinaciter non credens, credit fallibilem eſſe Deum, qui ſufficienter revelavit, Eccleſiam firmamentum eſſe veritatis, proindeque formale fidei motivum dimittit.

Dico IV. Fides non amittitur per aliud peccatum ab infidelitate diſtinctum.

Prob. Ex Apoſt. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem; ita ut montes transferam . . . charitatem autem non habuero, &c.* accedit Tridentini auctoritas ſeſſ. 6. can. 28. *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia ſimul & fidem ſemper amitti, aut, fidem quæ remanet non eſſe veram fidem, anathema ſit.* Ratio eſt evidens: Ideò quippe habitus fidei deſtruitur, quia ratio ejus formalis & motivum voluntariè reſpuitur; ſed hoc motivum per quodlibet peccatum minimè reſpuitur: nec enim Adulter, per hoc quod mœchatur, veracitatem Dei in revelando reſpuit. Igitur ſi nonnulli Sancti Patres aſſerant, fidem peccatoris veram fidem non eſſe; ſenſus eſt, ut jam notavimus, non quòd hæc fides forma fidei careat, ſed quòd non ſit virtus perfecta fidelem hominem gratum faciens.

QUÆSTIO IV.

Quænam ſint Fidei proprietates.

TRes vulgò numerantur fidei proprietates; veritas ſcilicet, obſcuritas, neceſſitas; de quibus ſequentibus Articulis.

ARTICULUS I.

De Fidei veritate.

Not. CIrca fidei veritatem duo potiſſimùm quæri ſolent. 1. An objectum fidei ita ſit verum, ut nulla poſſit ei ſubeſſe falſitas. 2. Utrùm Fidelis fide divina credere poſſit ut verum, quod à parte rei falſum eſt.

Dico I. Omnes fidei Articuli ita ſunt veri, ut nulla in ipſis poſſit ſubeſſe falſitas.

Prob. Ex Scrip. Num. 23. *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur*, & Hæbr. 6. *Impoſſibile eſt mentiri Deum*, & D. Athan. lib. de Incarn. *Abſurdum eſt, dicere Deum poſſe mentiri*. Nam ſi mentiretur, id vel ex ignorantia, vel ex malitia. Non primum, cum ſit omniſcius: non ſecundum, cum ſit infinitè bonus.

Objic. Deus prædixit in Scripturis nonnulla, quæ non evenerunt, ut ſubverſionem Ninives Jon. 3. Imò Job. 12. dicitur immutare cor Principum, ut decipiat eos.

℟. Deus prædixit, quæ non evenerunt, prædixit conditionatè, C. abſolutè: N. Subverſionem autem Ninives prædixit, ſub conditione quòd non reſipuerint; qua non poſita, effectus non eſt ſubſecutus. Deinde Deus dicitur Principes decipere, non poſitivè, ſed vel permiſſivè, vel negativè, ſubtrahendo eis nimirùm lumen prudentiæ.

Dico II. Nihil fide divina credi poteſt quod à parte rei falſum eſt.

Prob. Ex præcedenti concluſione, qua

con-

Digitized by Google

conſtat Deum auctoritate ſua nos inducere non poſſe, ad falſo aſſentiendum; ſed ſi fide divina falſum crederemus, Deus auctoritate ſua nos induceret ad falſo aſſentiendum; cum Dei auctoritas ſit motivum formale fidei divinæ; Ergo. Deinde lumen fidei eſt quædam divini luminis participatio; lumen autem divinum, utpote ſummè verax, ad falſo aſſentiendum nos inducere non poteſt.

Obji. 1. Qui propter Divinam auctoritatem aliquid credit, id fide divina credit; ſed Fidelis propter auctoritatem divinam aliquid falſum credere poteſt; ſi nempe exiſtimet invincibiliter illud Deum revelaſſe, quod tamen non revelavit: Ergo fide divina aliquid credi poteſt, quod à parte rei falſum eſt.

℞. Dùm Fidelis exiſtimat invincibiliter Deum revelaſſe quidpiam, quod non revelavit, id fide tantum humana non divina exiſtimat; quia tunc non nititur Dei, ſed hominis teſtimonio, ut patet in Ruſtico qui aliquid falſum crederet, quia Paſtor ejus dicit eſſe revelatum.

Obji. 2. Fide Divina credimus conſecratam eſſe Hoſtiam, quam Sacerdos elevat, cum ipſam adoramus; ſed Hoſtia illa poteſt non eſſe conſecrata: Ergo.

℞. Fide divina credimus omnem Hoſtiam ritè conſecratam eſſe adorandam. Utrùm autem hæc aut illa ritè ſit conſecrata prudentiæ judicio committitur; cum Deus id non revelaverit: Unde ſemper adoratur ſub tacita conditione, quòd ritè ſit conſecrata, ac proinde nulla in credente, & adorante ſubeſt falſitas.

Obji. 3. Judæi, qui poſt Nativitatem Chriſti nihil de illa audierant, fide divina credebant ipſum eſſe naſciturum; quod tamen erat falſum: Ergo.

℞. Cum D. Thom. 2. 2. q. 1. a. 3. Duos fuiſſe actus in Judæis circa Domini Nativitatem, ante ſufficientem Evangelii promulgationem. Primus circa Nativitatis ſubſtantiam, ſecundus circa temporis circumſtantiam: Prior ad fidem divinam pertinebat, & huic non poterat ſubeſſe falſum; cum apertè fuerat revelatum. Poſterior ex humana fide, & probabili conjectura pendebat; cum, licèt ex Prophetis conſtaret Chriſtum eſſe brevi venturum; tempus tamen Adventus ejus non erat ita apertè præfixum: ideò in iſto actu poterat ſubeſſe falſum. *Hoc ad fidem credentis pertinet poſt Nativitatem Chriſti*, inquit S. Doctor, *quòd crederet eum quandoque naſci, ſed illa determinatio temporis, in qua decipiebatur, non erat ex fide, ſed ex conjectura humana.*

ARTICULUS II.

De Fidei obſcuritate.

Not. Fides ſub duplici ratione obſcura dici poteſt, vel ratione Articuli revelati, qui non evidenter cognoſcitur; vel ratione ipſiuſmet revelationis, quam eſſe veram evidenter non conſtat. Circa quod quæritur. 1. Utrùm Articuli fidei ita neceſſariò ſint obſcuri, ut quod evidenter, vel ſcitur, vel videtur objectum fidei eſſe non poſſit. 2. Utrùm fides eſſe poſſit circa Articulum, quem evidenter cognoſceremus eſſe revelatum.

Not. 2. Latum eſſe diſcrimen inter propoſitionem evidenter veram, & evidenter credibilem. Prior ea eſt, quæ clarè dicitur aut videtur; ita ut de ea evidentiam habeamus Phyſicam: Poſterior ea eſt, de qua ita manifeſtè conſtat ipſam credi poſſe, ut oppoſitum ejus prudenter credi non poſſit, diciturque moraliter evidens: circa quod quæritur, utrùm fidei objectum debeat eſſe evidenter credibile.

Dico I. Quod evidenter ſcitur aut videtur, objectum fidei eſſe poteſt.

Prob. 1. Non ſolùm ex D. Bonav. huic ſententiæ apertè ſubſcribente in 3. diſt. 24. a. 2. q. 1. 2. & 3. ſed ex D. Thom. docente 1. 2. q. 2. a. 4. *Neceſſe eſſe homini accipere per modum fidei, non ſolùm ea, quæ ſunt ſupra rationem, ſed etiam ea, quæ per rationem cognoſci poſſunt. Et hoc propter tria. 1. Quidem, ut citiùs homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat. 2. Ut cognitio Dei ſit communior. 3. Propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus divinis eſt multum deficiens.*

Prob. 2. Fidè divina tenetur quilibet credere Dei exiſtentiam, unitatem, omnipotentiam, &c. juxta illud Apoſt. Hæbr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt*; & quotidie profitemur in Symbolo, *nos credere unum Deum omnipotentem*, quæ tamen evidenti demonſtratione cognoſcimus. Nec valet dicere, nos fide divina Deum credere, ut auctorem gratiæ, non quatenus auctorem naturæ, quia certum eſt Deum in Symbolo nobis proponi tamquam creatorem viſibilium, proindeque ut auctorem naturæ. Adde quod ejus unitas, exiſtentia & omnipotentia, quæ utique in Sym-

Symbolo nobis proponuntur divina. fide credendæ ad naturalem ſpectent cognitionem; ita ut, qui eas negaret; non minus infidelis quàm inſipiens eſſet; utpote qui non minus contra fidem, quàm contra rationem peccaret.

Prob. 3. Ratione multiplici. 1. Catholicus, qui poſtea fit Philoſophus; & per Philoſophiam evidenter cognoſcit Deum eſſe unum; quod antea credebat; non ideò habitum fidei amittit. 1. Non enim minus eſt inclinatus ad credendum Deum eſſe unum propter auctoritatem Dei revelantis. 2. Ex ſententia oppoſita ſequeretur pejorem hominis docti, quam indocti, eſſe conditionem; utpote, qui non tantam de objecto revelato certitudinem habere poſſet, quantam indoctus; cum certitudo fidei certitudini ſcientiæ longè prævaleat. Adde quod vir doctus meritum duntaxat habere poſſet bonæ diſpoſitionis; quia nimirùm paratus eſt, ut ſupponitur, ad credendum Articulos fidei, quos aliunde non cognoſceret; ſed non habere poſſet, ut indoctus, meritum ipſam fidem actualiter exercendi, quod de ſe præſtantius eſt.

Obji. 1. Fides ex Apoſtolo *argumentum eſt non apparentium*, & SS. Patres paſſim docent cum Greg. Hom. 26. in Evangelia *quæ apparent fidem non habere, ſed agnitionem.*

℞. Fides eſt non apparentium, vel quoad ſe, vel quoad modum ſeu motivum cognoſcendi, C. quoad ſe ſemper, N. Licèt enim fides objectum jam apparens, & evidens attingere poſſit, ipſum tamen, prout eſt evidens, & apparens, non attingit; ſed prout eſt à Deo revelatum. Sic Catholicus Philoſophus Deum credit omnipotentem, non quia id eum ratio naturalis convincit, ſed quia id eum fidei Symbolum docet.

Obji. 2. SS. Patres docent fidem ideò in Cœlis ſuperſtitem non fore, quod Beati clarè videant id quod viatores credunt: juxta illud Apoſt. *Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.*

℞. Non ideò præcisè in Cœlo fides evacuabitur, quia habitus fidei cum viſione actuali eſt impoſſibilis; ſed quia perſeverante clara & intuitiva viſione habitus fidei omninò eſt inutilis; cum in actum exercere non poſſit. In nobis autem habitus fidei non eſt inutilis, circa ea etiam quæ naturali evidentia cognoſcimus; cum demonſtrationes evidenter convincentes ad manum ſemper non habeamus; & ad eas eliciendas animi conatu, labore & induſtria indigeamus; ideòque identidem ad fidem recurrere nobis ſit opus.

Dico II. Fide divina credere poſſumus, quod evidenter ſcimus à Deo eſſe revelatum.

Prob. Ex eo quòd revelationis evidentia formale motivum fidei minimè tollat, nec impedit quominus quis credat propter revelantis auctoritatem. Alias nec Apoſtoli, nec Prophetæ, nec Angeli, priuſquam in gratia eſſent confirmati, fidem Theologicam habuiſſent, cum myſteria à Deo immediatè edocti, de divina ipſis evidenter conſtaret revelatione.

Obji. Ideò Beati fidem non habent circa ea quæ ipſis Deus revelat, quæque cum ejus eſſentia divina neceſſariam non habent connexionem, quia nimirum ipſis de ejus revelatione evidenter conſtat: Ergo.

℞. Neg. Antecedens: vera ſiquidem ratio, cur circa ea fidem non habeant, eſt, quia Deus hæc objecta ipſis revelando ſpecies claras eorum objectorum, & evidentes ipſis infundat; quo fit, ut nec revelatio, nec objecta revelata, nec motivum aſſentiendi ullam patiatur obſcuritatem.

Dico III. Motiva credibilitatis neceſſariò debent eſſe, prout verè ſunt, evidentia.

Prob. 1. Pars. Aſſenſus fidei debet eſſe prudens juxta illud Eccl. 19. *Qui citò credit, levis eſt corde*, & iſtud Apoſtoli 1. Joan. 4. *Nolite omni ſpiritui credere*: Atqui non eſſet prudens, ſi motiva credendi eſſent tantummodò probabilia, non evidentia; cum iſte aſſenſus immobilis ac firmiſſimus eſſe debeat; nec prudenter talis eſſe poſſit, ſi aliqua ſupereſit ratio probabilis dubitandi de revelatione, cui firmitas aſſenſus innititur.

Confir. Ex Chriſto Dom. dicente de Judæis: Joan. 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*; De peccato ſcilicet infidelitatis; quia cum evidentia ſigna ſeu motiva credendi habuerint, non tamen crediderint. Unde D. Thom. ait 2. 2. qu. 1. art. 4. *Non crederet quis; niſi videret*, hoc eſt evidenter cognoſceret, *ea eſſe credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid hujuſmodi.* Hinc jure merito damnata eſt ab Innoc. XI. hæc propoſitio: *Aſſenſus ſupernaturalis fidei, & utilis ad ſalutem, ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, & cum formidine,*

Digitized by Google

dine, qua quis formidat ne non ſit locutus Deus.

Prob. 2. Pars. Ex Pſalm. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*, id eſt ut exponit gloſsa, *magis quàm prima ſcientiarum principia* ob ſigna & prodigia, quibus fuere confirmata. His enarratis ab Aug. motivis credibilitatis Manichæos alloquitur lib. 12. cont. Fauſtum cap. 43. *Quid ad hæc reſpondetis inſani? Nempe iſta manifeſta ſunt; nempe omnes, non dico calumnias contradictionis, ſed etiam nebulas dubitationis expellunt* & cap. 12. ait: *Quis tam demens, ut non videat? Quis tam impudens, ut videre ſe diſſimulet?* Unde hæc propoſitio: *Evidens non eſt, evidentia morali propriè dicta & Phyſica, Religionem Catholicam eſſe veram*, damnata eſt à Clero Gallicano an. 1700. tamquam temeraria & in errorem inducens.

Objī. 1. Si motiva credibilitas eſsent evidenter credibilia, nullus unquam fuiſset vir cordatus, qui Religionem noſtram negare potuiſset. is namque eſt evidentiæ effectus, ut ad aſsenſum neceſſitet; atqui multi fuere omnibus ſæculis viri ſapientiſſimi atque acutiſſimi, qui Religionem noſtram negaverunt & impugnaverunt, Ergo.

℞. Viri ſapientiſſimi Religionem noſtram negaverunt culpa ſua, C. Ex defectu evidentiæ motivorum, N. *Excæcavit enim malitia eorum; Dilexerunt magis tenebras quàm lucem, & ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* Ad illud autem, quod dicitur, eum eſse evidentiæ effectum, ut ad aſsenſum neceſſitet, diſtinguendum eſt ſi agatur de evidentia ab intrinſeco procedente, C. ſi ab extrinſeco, N. tunc enim adhuc requiritur pius voluntatis motus, & gratia præveniens.

Obji. 2. Rudes & Idiotæ motiva credibilitatis expendere non valent; attamen veram habent Myſteriorum fidem; Ergo non eſt neceſse, ut motiva credibilitatis ſint evidentia.

℞. Non eamdem in omnibus neceſsariam eſse evidentiam, ſed pro majori, vel minori capacitate, majorem, vel minorem. *In Catholica* namque *Eccleſia* inquit Aug. contra Epiſt. fund. cap. 4. *pauci ſpirituales ad ſinceriſſimam ſapientiam perveniunt in hoc ſtatu; cæteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimas facit.* Hæc tamen ſimplicitas debita prudentia non vacat, cum facili negotio a Paſtoribus edoceantur; tum de magnitudine miraculorum ad confirmationem fidei Catholicæ patratorum; tum de veritate Eccleſiæ, quæ inter Sectas hinc inde exortas prælucet, tamquam ſol inter nebulas opertas caligine, quem nullus, niſi cæcutiens, non videt.

ARTICULUS III.

De Fidei neceſſitate.

Duplex eſt actus fidei, internus ſcilicet, qui eſt aſsenſus alicui veritati revelatæ in ſola mente elicitus, & externus, qui eſt externa fidei profeſſio, ore, vel opere, vel aliquo ſigno prolata. Utriuſque neceſſitatem ſequentibus paragraphis examinabimus.

§. 1. *De neceſſitate interioris actus Fidei.*

Not. Neceſſitas fidei duplex eſt: alia medii, altera præcepti. Prior ea eſt, ſine qua ſalus obtineri nequit, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter, ſive ſcienter, ſive ignoranter omittatur. Poſterior eſt illa, quæ rationis capaces obligat; ſed non ita rigidè, ut ſi inculpabiliter, & ignoranter omittatur, ſalus obtineri non poſſit, hoc poſito.

Dico I. Quovis tempore actus fidei internus omnibus Adultis neceſsarius fuit, neceſſitate medii.

Prob. 1. Ex Apoſt. Hæbr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*; 2. Ex Trident. ſeſs. 6. c. 7. *Sine Fide nulli unquam contigit juſtificatio*. 3. Ex Aug. ſerm. 38. de temp. *Sine Fide ad Filiorum Dei conſortium nullus poteſt pervenire*. Ratio eſt, quia finis obtineri non poteſt abſque medio ſibi proportionato; cum igitur finis noſter ſit ſupernaturalis, ad eum obtinendum indigemus fide, & charitate ſupernaturali; ſuppoſita tamen abſoluta voluntate Dei, qui non vult ipſum à nobis poſſideri, niſi prius eum cognoſcamus, & diligamus.

Obji. 1. Apoſtolus nihil ad ſalutem aliud exigit, quam ut credatur Deum exiſtere & remuneratorem eſse; Atqui id cognoſci poteſt lumine naturali; imò eodem lumine cognoſci poteſt eum eſse ſummè bonum, ſummèque amandum: Ergo.

℞. Apoſtolum ibi loqui, non ſolum de Deo ut auctore naturæ, ſed maximè ut auctore gratiæ & gloriæ, quæ procuÀ dubiò abſque lumine ſupernaturali cognoſci non poteſt.

Obji.

Obji. 2. Licet dicatur Joan. 5. *Niſi quis renatus fuerit, &c. non poteſt introire in Regnum Dei*; Sufficit tamen Baptiſmus in voto: Ergo licet Apoſtolus dicat ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ſufficit etiam aliquando fides in voto.

R. Negatur paritas: & diſparitas eſt, quòd Baptiſmi votum in aliquo actu includi poteſt, ut in ipſa fide & perfecta contritione; non autem votum fidei, quæ omni actui ſupernaturali præſupponitur; cum ſit totius humanæ ſalutis initium, & omnis juſtificationis radix & fundamentum. Unde in textu allato; dum dictum eſt: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; non additur: *Qui non crediderit, & non baptizatus fuerit*; ſed ſimpliciter *qui non crediderit condemnabitur*; ut indicetur omnem non credentem fore condemnandum; non verò omnem non realiter Baptizatum, modò ſit baptizatus in voto.

Dico II. Actus fidei internus Adultis eſt neceſſarius neceſſitate præcepti.

Prob. Ex Scipt. Joan. 3. *Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus.* Et *qui non crediderit condemnabitur*. Hæc autem condemnatio apertè præceptum arguit; cum nulla ſit condemnatio abſque tranſgreſſione, nec tranſgreſſio abſque præcepto. Deinde quæ ex Dei ordinatione neceſſaria ſunt neceſſitate medii ad ſalutem; ſunt etiam neceſſaria neceſſitate præcepti. Qui enim finem imperat, imperat & media, ſine quibus finis obtineri nequit: Imperat autem Deus omnibus, ut innitantur ad ſalutem acquirendam: Ergo.

Objic. Ut præceptum fidei adimpleatur, ſufficit, ut credat quis habitualiter quæ revelata ſunt; cum fides habitualis ſit vera fides, & qui eam habet verè ſit fidelis & non incredulus.

R. Fides habitualis eſt quidem vera fides, ſed non eſt fides præcepta. Ratio eſt quia dantur ſolummodò præcepta de actibus virtutum, non de earum habitibus; cum à nobis non pendeant, utpote à Deo immediatè infuſi.

QUÆR. 1. Quænam myſteria neceſſariò credenda ſunt neceſſitate medii, tum ante, tum poſt Evangelii promulgationem?

R. Ante Evangelii promulgationem ſemper neceſſarium fuit neceſſitate medii, explicitè credere, Deum eſſe, eumque eſſe unicum; cum deorum pluritas divinitatem tollat; & remuneratorem eſſe, proindeque malorum vindicem. Sicut enim juſtitia exigit, ut remuneret bonos, pariter exigit ut puniat impios. Id expreſsè docet Apoſt. citatus Hæbr. 11. Unde hæc prop. *Non niſi Fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non explicita remuneratoris*, damnata eſt ab Innoc. XI.

Item omni tempore neceſſaria fuit neceſſitate medii fides, non quidem explicita, ſed ſaltem implicita, in Chriſtum. Ait enim D. Petrus Act. 4. *Non eſt in aliquo alio ſalus, neque eſt aliud nomen ſub Cœlo, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Igitur Chriſti nomen invocare ſemper neceſſarium fuit: at quomodò, ait Apoſt. invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo inquam, antiqui juſti Chriſtum invocaſſent, niſi in illum ſaltem implicite, credidiſſent? Hæc veritas ex præcedenti concluditur. Si enim omni tempore neceſſitate medii fuerit neceſſarium, credere Deum eſſe remuneratorem, & quidem ſupernaturalem; eadem neceſſitate neceſſarium fuit credere venturum aliquem Mediatorem, cujus meritis homines poſſent à peccatis liberari; gratiam, & ſalutem æternam conſequi.

Ex quo iterùm evidenter ſequitur, Fidem ſaltem implicitam, & confuſam Trinitatis eadem neceſſitate ſemper fuiſſe neceſſariam. Futurus ſiquidem Mediator alius non excogitabatur, niſi Perſona quædam divina, ab ipſomet Deo ad ſalutem hominum miſſa; quod ſanè, ſaltem ſubobſcurè, Trinitatem innuebat.

Dixi in reſponſione; fidem explicitam Incarnationis, & Trinitatis non fuiſſe omni tempore neceſſariam. Teſtatur enim Apoſt. Col. 1. *Myſterium* Incarnationis ac Trinitatis *abſconditum fuiſſe à ſæculis, & generationibus, nunc autem manifeſtum eſſe ſanctis ejus*. Abſconditum, inquam, non penitus, ſed non clarè, & explicitè cognitum, & poſt hac nobis clarè, & explicitè revelatum. Quòd ſi igitur Myſterium iſtud explicitè non fuit revelatum, evidenter ſequitur non fuiſſe neceſſarium illud explicitè credere; cum Deus Optimus in mediis ad ſalutem neceſſariis minimè deſit.

R. 2. Poſt Evangelii promulgationem neceſſaria eſt neceſſitate medii fides explicita, non ſolùm Dei exiſtentis ac remuneratoris, ſed & Incarnationis, & Trinitatis; id eſt ſecundam perſonam divinam pro nobis fuiſſe incarnatam & mortuam, & tres eſſe perſonas divinas realiter diſtinctas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum in unica natura, & eſſentia. Primum probatur ex ipſo Domino Jeſu Chriſto dicente Joan. 7.

Digitized by Google

Joan. 7. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Ubi Chriſtus eamdem Fidem in ſe ipſum ad ſalutem requirit, ac in Deum; atqui fides explicita in Deum neceſsaria eſt neceſſitate medii; Ergo. Secundum patet; tum quia ſine fide Trinitatis haberi nequit fides Incarnationis explicita; Incarnatio ſiquidem ſine Verbo intelligi nequit; tum quia Baptiſmus omnibus confertur cum expreſsa, & diſtincta trium perſonarum SS. Trinitatis invocatione.

QUÆR. 2. Quænam ſciri ac credi debeant, neceſſitate præcepti?

℞. 1. Sciri & credi debere explicitè ea omnia, quæ neceſsaria ſunt neceſſitate medii, ut patet ex ratione jam allata. 2. Symbolum Apoſtolorum, ſaltem quoad ſubſtantiam, cum ad hujus ſymboli Articulos præcipua fidei capita reducantur; nec ſufficit illud idiomate ignoto memoriter recitare; ſed neceſsaria eſt Articulorum explicita notitia. 3. Præcepta decalogi, in quibus continentur communia juris naturalis principia; cum eorum obſervantia ad ſalutem ſit neceſsaria, nec ſi ignorentur obſervari poſsunt. Idem dicendum eſt de præcipuis, & ordinariis, quæ ad omnes ſpectant, Eccleſiæ præceptis ob eamdem rationem. 4. Ea Sacramenta, quæ ad ſalutem neceſſitate medii ſunt neceſsaria, necnon illa, quæ quilibet recipit: Ad illorum namque receptionem parare ſe ipſum non poteſt, niſi noverit quæ ſint & quid contineant. 5. Orationem Dominicam, in qua omnia à Deo petenda continentur; quia oratio omnibus neceſsaria eſt neceſſitate, tum medii, tum præcepti. His omnibus accedunt, juxta communiorem ac probabiliorem Doctorum ſententiam, forma Crucis, qua in Baptiſmo ſignati ſumus, & Salutatio Angelica, ubi expreſsè, ac diſtinctè Incarnationis Myſterium profitemur; & hoc tum ex Eccleſiæ praxi immemorabili; tum ex communi ſenſu Fidelium, qui gravem deformitatem in negligentia hæc addiſcendi agnoſcunt.

Porrò obligatio addiſcendi ſupradicta, pro cujuslibet capacitate majori, vel minori, viget in primo inſtanti morali uſus rationis. Dixi *morali*, non metaphyſico; id eſt, dùm juxta vi prudentis, ac timorati exiſtimationem, Adultus quilibet ſacram doctrinam intelligere, & opportunè comparare poteſt.

QUÆR. 3. Quandonam obliget fidei præceptum?

℞. 1. Duplex eſt Fidei præceptum; Negativum ſcilicet, & affirmativum. Primum obligat ſemper & pro ſemper, cum nullus Fidei Myſteriis diſsentiri, vel de illorum veritate poſitivè, ac deliberatè dubitare poſſit, quin gravi injuria Deum afficiat. Quatenus autem affirmativum dicitur, certum eſt omnes teneri aliquoties in vita actum fidei elicere, nec ſufficit Myſteria fidei ſemel credidiſse prout definierunt Alex. VII. Prop. I. Inn. XI. Prop. 16. & 17. Et hoc quidem non ſolum per accidens; dùm ſcilicet aliud urget præceptum, quod ſine actu fidei obſervare nequit; ſed etiam per ſe, quatenus eſt præceptum ſpeciale & ab aliis diſtinctum, ſæpius in ſacris Scripturis commendatum & inculcatum. *Juſtus* ſiquidem *ex fide vivit*, ſeu vita juſti fidei actibus nutritur & conſervatur. Ideò ſicut præcepto naturali de vita conſervanda tenemur ſæpius alimenta ſumere, ita præcepto divino tenemur aliquoties, imò & ſæpius, actus fidei elicere.

℞. 2. Præceptum fidei obligat per ſe. 1. Infideles & Hæreticos, dùm fides eis ſufficienter eſt propoſita. 2. Pueros Catholicorum in primo uſu rationis, moraliter ſumpto, ſi ſufficienter fuerint inſtructi; quia, ut mox dictum eſt, tenetur quilibet Fidem ac Legem Chriſti ſuſcipere, dùm ipſi ſufficienter eſt promulgata, nec poteſt in aliud tempus abſque infidelitatis peccato differre. 3. Omnes fideles in mortis articulo non ſolùm ratione Spei & Charitatis tunc obligantis, ſed ratione ſui, quia tunc quiſque tenetur omnem, quam poteſt adhibere curam, ut ſuæ ſaluti conſulat, quod fit maximè fidei exercitio.

℞. 3. Præceptum Fidei obligat per accidens. 1. Dum nos ad juſtificationem præparamus, quæ ſine fide explicita & actuali non obtinetur. 2. Dùm ad aliquod Sacramentum, maximè Euchariſtiæ, quæ eſt Myſterium fidei accedimus. 3. Dùm gravis urget contra fidem tentatio, quæ abſque actu fidei, ut plurimum, expelli non poteſt. 4. Dum occurrit occaſio Fidei externè profitendi, quòd utique ſine actu interiori fieri nequit. 5. Dùm præcipua anni Feſta, & dies Dominica celebrantur, quia hæc ad Dei cultum ſpecialiter ſunt inſtituta, & Deus ſecundum Auguſt. non ſolum Spe & Charitate, ſed & Fide colatur.

Digitized by Google

§. 2. *De neceſſitate actus exterioris Fidei.*

Not. DUplex eſt actus exterioris Fidei neceſſitas, juxta duplicem Fidei confeſſionis obligationem: alia negativa, qua prohibemur negare fidem, verbis, ſignis, factis, ſilentio, tergiverſatione, aut quibuſvis aliis modis, ſive explicitè aut formaliter, ſive implicitè aut virtualiter: Altera poſitiva, qua tenemur aliquandò eam exterius profiteri, his breviter notatis.

Dico I. Nullo unquam caſu fidem, quocumque modo, exteriùs negare licet, etſi corde retineatur.

Prob. Concluſio, quæ eſt de fide, contra Gnoſticos & Priſcillianiſtas oraculo Chriſti Domini: Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo.* Ratio eſt, quia fidem negare perinde eſt ac affirmare falſos eſſe fidei Articulo; proindeque mendacem eſſe Deum, qui eos revelavit.

Obji. 1. Exemplum Jehu qui cultorem Baal ſe eſſe ſimulavit, ut ejus cultores agnoſceret & deleret, qui tamen ob hoc à Domino laudatur.

℟. Laudatur Jehu, quod juxta voluntatem Domini cultores Baal deleverit; non verò quòd ad eos delendos hanc adhibuerit ſimulationem, quam jure merito D. Aug. lib. contra mendacium cap. 2. *vocat mendacium impium, & ſacrilegum ſacrificium.*

Obji. 2. Tolerantiam Eliſei: 4. Reg. c. 5. qui rogatus à Naaman Syro, ut ſibi ignoſceretur, *ſi adoraret in templo Remmon, adorante Rege in eodem loco, illo innitente ſuper manum ſuam. Dixit ei, vade in pace.*

℟. Hæc adoratio à Propheta permiſſa merus fuit Cultus civilis & politicus, quem Naaman ex officio dignitatis ſuæ Regi præſtabat; non ſolum in templo, ſed etiam in omnibus aliis locis, in quibus lex ſolemniter aliquam cæremoniam peragebat. Hoc notum erat omnibus Syriis qui non cenſebant hunc cultum Deo Remmon exhiberi à Naaman, quem probè ſciebant Judæorum Religionem publicè profiteri.

QUÆR. Quibus in caſibus fides negari cenſeatur aut non cenſeatur?

℟. Fidem negare cenſetur, & infidelitate reus eſt, quicumque aliquid agit quod vel de ſe natum eſt, vel ab hominibus eſt inſtitutum ad falſæ Religionis profeſſionem ſignificandam, aut qui aliquid agit, vel omittit in his circumſtantiis, ubi communiter ac rationabiliter creditur veram fidem negare, & falſam profiteri, vel quodammodò approbare.

Reſolv. 1. Peccat graviter qui Idolo thus adolet, aut Cœnam Calviniſticam celebrat, licet Idolum interius deſpiciat, aut Cœnam Calviniſticam deteſtetur. Imò licet, omnes ſciant nec Idololatriam, nec Calviniſmum per hoc profiteri intendere; quia hæ & ſimiles actiones Cultum ſuperſtitioſum intrinſecè continent, nec alium habent uſum moralem: omnis autem Cultus ſuperſtitioſus intrinſecè malus eſt.

Reſolv. 2. Graviſſimo infidelitatis peccato reus eſt, qui adorationem externam Idolis exhibet, licet eam dirigat interius ad verum Deum in imaginem depictum, vel ſub veſtibus, vel prope Idoli Altare latitantem, in his circumſtantiis, ubi communiter & rationabiliter Idolum adorare cenſetur.

Reſolv. 3. Grave peccatum eſt Idolotytis uti, ſeu cibis Idolo immolatis, formaliter ſumptis; id eſt quatenus Idolo ſunt immolati, & in Cultum Idoli; aut in his circumſtantiis, in quibus prudenter judicatur uſum hunc in Cultum Idoli referri. Aliud eſt ſi id fiat materialiter tantùm, ad famem ſedandam abſque ſcandalo, & ulla ſpecie Ethnicæ cooperationis.

Reſolv. 4. Catholicus per loca Hæreticorum tranſiens poteſt carnibus veſci die Veneris ad vitandam mortem, vel grave aliud periculum. Non poſset autem abſque gravi infidelitatis peccato, ſi comeſtio illa habeatur communiter, tamquam Hæreſis proteſtatio; vel ſi cederet in contemptum ac deriſionem Catholicæ Religionis.

Reſolv. 5. Idem dicendum eſt de Catholicis deferentibus veſtem, vel utentibus ſignis aut factis, quæ ex uſu communi falſam Religionem denotant. Aliud eſset, ſi hæc ſolam nationem deſignatet; tunc enim non abnegatur, ſed occultatur, quòd ex juſta cauſa licitum eſt.

Reſolv. 6. Hæreticorum precibus aut Cæremoniis, quibuſcumque Religioſis, formaliter participare, grave infidelitatis peccatum eſt, & implicita fidei negatio; tum quia hæc participatio ſignum eſt naturale conformitatis Religionis cum Hæreticis, tum quia hæc cedit in majorem Hæreticorum auctoritatem & fidei Catholicæ injuriam: ita omnes Theologi, nullo excepto, dixi formaliter: Hinc.

Reſolv. 7. Peccatum non eſt infidelitatis inte-

intereſse materialiter Hæreticorum Cæremoniis, eorum templum adire, Concionibus intereſse: unde id ex juſta cauſa fieri poteſt; modò abſit omne ſcandali, aut ſubverſionis periculum, nec ullæ adſint circumſtantiæ, quibus appareat eos, qui his interſunt Cæremoniis, fidem negare & falſam profiteri; ſic ſamuli & famulæ, qui ex ſine politico honoris, & obſequii gratia commitantur Dominos & Dominas ſuas ad Hæreticorum templa euntes, ab infidelitate excuſantur; ut patet ex ſupra allato exemplo Eliſei erga Naaman Syrum.

Reſolv. 8. Qui Hæreticis pſallentibus organa taugeret, campanam ad eos in Templum convocandum pulſaret, templi hæretici officium æditui exerceret, fidem catholicam implicitè negaret; quia Hæreticorum Ritibus cooperari & hæreſim promovere, jure merito cenſeretur.

Dico II. Tenemur aliquando exterius fidem profiteri.

Prob. Ex Apoſt. Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam; ore autem fit confeſſio ad ſalutem* &c. Ex Auguſtin. *Lib. de fid.* & ſym. c. 1. *Fides efficium à nobis exigit & cordis, & linguæ* conclusio eſt de fide, ſed.

QUÆR. Quibus in caſibus teneamur fidem exterius profiteri?

R. Cum D. Th. 2. 2. q. 3. art. 2. *Quando ſcilicet per omiſſionem hujus confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo, aut etiam utilitas proximis impendenda.* Quia Deum, qui hujus confeſſionis omiſſione exhonoraretur, toto corde diligere & colere, & proximum ſicut nos ipſos amare, ejuſque ſalutem pro viribus promovere, tenemur. Hinc.

Reſolv. 1. Poteſtate publica interrogatus, tenetur ſub gravi peccato fidem clarè profiteri, etiamſi mors, graviſſimaque eminerent tormenta, ſive privatim, ſive publicè interrogatur, ſive qui interrogat Tyrannus ſit ſive Princeps legitimus ſive ſit Princeps proprius ejus qui interrogatur, ſive ſit alienus; quia per hujus confeſſionis omiſſionem ſubtraheretur honor Deo debitus: contraria ſententia damnata eſt ab Innoc. XI prop. 18.

Dixi 1. *Poteſtate publica*; nam à privato interrogatus, per ſe loquendo, non tenetur profiteri fidem; ſed aut tacere, aut confeſſionem eludere poteſt; niſi id requirat ſalus proximi aut magnum religionis emolumentum. Dixi 2. *Clare*, quia non licet, in tali caſu, verbis uti ambiguis, cum id ſit Chriſtum erubeſcere.

Reſolv. 2. Tenetur quilibet dicto vel facto Fidem profiteri; dùm hæreticus coram aliis fidelibus, aut infidelibus injuriis fidem afficit, ipſum charitativè corripiendo, & fidem catholicam prudenter propugnando, modò tamen inde fructum aliquem ſperet, nec majus malum timeatur; ſi enim tunc fidei profeſſionem omitteret, honorem Deo debitum ſubtraheret.

Reſolv. 3. Interrogatus, utrùm Sacerdos ſit vel Religioſus, poteſt citra infidelitatis peccatum id negare; non enim fidem negaret, ſed ſtatum & ordinem. Non poſſet tamen negare ſe eſſe Catholicum & Papiſtam; ſi per hoc interrogans de Chriſtianitate & fide intenderet inquirere, non de alia qualitate quæ non Religionem, ſed ſtatum politicum ſpectaret; ut ſi, graſſante bello inter Catholicos & Hæreticos, aliquis interrogaretur, utrùm ſit Papiſta; id eſt utrùm ſi de Papiſtarum exercitu, id negare poſſet, citra, non quidem mendacii, ſed infidelitatis peccatum.

Reſolv. 4. Fuga, graſſante perſecutione, potius eſt fidei profeſſio, quam negatio; quam ipſemet Chriſtus docuit verbo, & exemplo. Illicita tamen eſſet Paſtoribus, ubi eorum reſidentia ovibus ſuis eſſet neceſſaria, etiamſi mors ipſis immineret: tunc enim ſubtraheretur utilitas proximi ex juſtitia & charitate ipſis impendenda.

Reſolv. 5. Fidem occultare licet, quandò nulla honori divino irrogatur injuria, nec ullum proximorum ſaluti damnum inde emergit. Imò licet pecunia redimere ſe, ne de fide ſua quis inquiratur. Quod probatur exemplo Diſcipulorum Pauli, qui ſic a vexatione Gentilium ſe redemerunt, ut habetur Act. 17.

Reſolv. 6. Rege Hæretico, Catholicis præcipiente, ut in Templo hæreticorum eorum Cæremoniis Religioſis etiam materialiter interſint, ad decernendos Catholicos ab hæreticis, tenetur quiſque Catholicus ſub gravi infidelitatis peccato fidem ſuam implicitè profiteri, fugiendo & inobediendo, etiamſi mors ipſis immineret.

Reſolv. 6. Tenetur quilibet fidem apertè profiteri; cum ex circumſtantiis adeſt certitudo moralis, imò & dubium, quòd per hanc profeſſionem infidelis ſit convertendus, & fidelis vacillans confirmandus; & infirmamus in fide, iſtius profeſſionis defectu graviter ſcandalizandus; quia *debemus pro fratribus noſtris animas ponere.*

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

Quænam ſint vitia Fidei oppoſita.

DUo ſunt præcipua vita fidei oppoſita: Infidelitas nimirum, quæ actui interno fidei præcepto adverſatur: & Blaſphemia, quæ actui externo Fidei, ſcilicet profeſſioni opponitur. De utraque ſequentibus articulis.

ARTICULUS II.

De Infidelitate.

Not. 1. INfidelitas, quæ eſt *carentia fidei in ſubjecto apto*, tripliciter ſumitur. 1. Negativè, eſtque fidei carentia in eo qui nihil de fide audivit, nec audire potuit. 2. Privativè, eſtque carentia fidei in eo, cui fides ſufficienter promulgata fuit, vel qui prædicationem Evangelii audire neglexit, quippe tamen nullo contra fidem errore poſitivo laborat. 3. Poſitivè ſeu contrariè, eſtque judicium contra fidem vincibiliter erroneum in eo, cui veritas catholica ſufficienter propoſita fuit vel fuiſſet, ſi quod in ipſo erat feciſſet.

Not. 2. Triplex eſt poſitiva infidelitas. *Paganiſmus*, ſcilicet, qui eſt error illorum, qui nullomodo Chriſtum nec veniſſe, nec venturum profitentur. *Judaiſmus*, qui eſt error eorum, qui credunt ipſum venturum, ſed nondum veniſſe: & *Hæreſis*, eſtque error eorum, qui credunt quidem Chriſtum veniſſe, ſed alioquin veritati à Chriſto revelatæ credere detrectent. Ad Paganiſmum *Mahumetiſmus* reducitur; tum quia, licet Deum profiteantur; Deum eſſe Creatorem Cœli, & Terræ aliaſque plurimas veritates catholicas, non eas tamen profitentur ut à Chriſto, ſed à Mahumete revelatas; tum quia licet Chriſtum agnoſcant, ut magnum Prophetam, non eum tamen Redemptorem eſſe credunt. Item ad hæreſim reducitur *Apoſtaſia*, nec ab ea differt, niſi accidentaliter; quatenus Hæreſis importat receſſum ab una, aut altera fidei veritate. Apoſtaſia autem ſtrictè ſumpta importat receſſum ab omnibus fidei Catholicæ veritatibus. Dixi *ſtrictè*; qui enim ab Eccleſia Romana recedit, ut Calviniſmum, aut Lutheraniſmum ſectetur, verè quidem ſed *latè* dicitur, Apoſtata. Circa hæc plurima quæruntur breviter elucidanda.

QUÆR. 1. Utrùm omnis infidelitas peccatum ſit, & quale?

℞. 1. Infidelitas purè negativa non eſt peccatum. Dicit enim Chriſtus Dominus Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*; peccatum ſcilicet infidelitatis, ut exponit Auguſtinus Tract. 89. & 91. in Joan. Unde jure merito à Pio V. & Greg. XIII. damnata eſt hæc Bajana Prop. *Infidelitas negativa, in his, quibus non eſt prædicatus Chriſtus, peccatum eſt.* Ratio eſt; quia ignorantia eorum, qui nihil de fide audierunt, vel potuerunt audire, invincibilis eſt & involuntaria. Quod ſi igitur Pſalmiſta dicat: *Effunde iram tuam in Gentes quæ te non noverunt*, intelligendus eſt de his, qui ignorantia laborant privativa aut poſitiva, non verò purè negativa.

℞. 2. Infidelitas tum privativa tum poſitiva peccatum eſt ex genere ſuo mortale, & quidem graviſſimum; quodque ex ſola indeliberatione, non verò ex levitate materiæ, à mortali excuſari poteſt; quia directè pugnat contra divinitatem, de cujus veracitate dubitare, vel eam negare, vel contemnere in re, vel minima, maxima eſt irreverentia. Porrò inter diverſas infidelitatis poſitivè ſpecies, peſſimus quidem eſt quoad extenſionem Paganiſmus; cum utrumque rejiciat Teſtamentum; minus gravis Judaiſmus, qui vetus admittit; & leviſſima hæreſis, quæ nullum penitus rejicit. Dixi *quoad extenſionem*; nam quoad malitiam, cæteris paribus, pejor eſt Judaismus, & peſſima hæreſis; cùm credenda, & credendi motiva Judæis, & Hæreticis ſæpius ſint notoria.

QUÆR. 2. Quid ſit Hæreſis formalis?

℞. Hæreſis formalis eſt error pertinax contra fidem hominis Chriſtianiſmum profitentis.

Dicitur 1. *Error* id eſt judicium erroneum, quo quis verum pro falſo, aut falſum pro vero exiſtimat, vel incertum judicat: qui enim poſitivè dubitat, utrùm articulus ab Eccleſia ſufficienter propoſitus, certus ſit, nec ne, hæreticus eſt, cum ſine ejus auctoritatis contemptu de eo dubitare non poſſit. Dixi *poſitivè*; ita ut expreſsè dubitare velit, non autem mere negativè, vel quatenus aſſenſum tantummodò ſuſpendit, quia non eſt omninò certus, utrùm propoſitio aliqua ſit ſufficienter revelata; vel quatenus involuntariis dubitationis motibus agitur. Talis enim, nec peccat, nec hæreticus eſt, modò pro viribus tentationi reſiſtat.

Di-

Digitized by Google

Dicitur 2. Error *pertinax*; ita ut quis voluntariè, & firmiter propriæ opinioni ſuæ adhæreat contra ſibi notum Eccleſiæ judicium; ad quod utique longior non requiritur temporis mora, quam ea, quæ ad plenam rationis advertentiam eſt neceſſaria, ut qui advertere poſſit veritatem eſſe ſufficienter ab Eccleſia propoſitam, quo non obſtante judicio ſuo obſtinatè velit adhærere.

Dicitur 3. *Contra Fidem*; id eſt contra veritatem revelatam ac ſufficienter propoſitam: Nec eſt neceſſe, ut quis Hæreſeos crimen incurrat, quod propoſitionem, tamquam hæreticam damnatam, pertinaciter teneat; ſed planè ſufficit, quod hæc ſub quacumque qualificatione ſive tamquam temeraria, ſive tamquam ſcandaloſa, male ſonans, pernicioſa, &c. Ab Eccleſia ſit damnata, quia huic propoſitioni ſic damnatæ pertinaciter adhærere non poteſt; quin gravi injuria Eccleſiam afficiat, eamque in decidendo fallibilem credat, quod utique eſt hæreticum.

Dicitur 4. *Hominis chriſtianiſmum profitentis*, licet invalidè baptizatus fuerit. Ariani enim verè dicebantur hæretici, qui tamen in nomine individuæ Trinitatis non erant baptizati; & ſexta Synodus ſtatuit quinam *Hæretici* ad Eccleſiam venientes ſint baptizandi, quinam non.

QUÆR. 3. An ignorantia, & qualis, ab Hæreſi formali excuſet?

℞. Ignorans, etiam vincibiliter, & culpabiliter, imò & craſsè Eccleſiam ſufficienter propoſuiſſe articulum fidei, cui diſſentitur, reus eſt quidem gravi omiſſionis peccato, ſed non formalis hæreſis; quia cum ſit animo diſpoſitus, ut ſupponitur, Eccleſiæ determinationi, ſi eam cognoſceret, acquieſcere, fidem non amittit, cum ab ejus objecto formali non recedat. Secus dicendum eſſet, ſi ex affectu liberius errandi & errori ſuo adhærendi, Eccleſiæ determinationem ignorare affectaret; tunc enim Eccleſiæ judicio adhærere non eſt paratus, verèque eſt pertinax; cum poſitivè nolit illud cognoſcere, ut ei non adhæreat. Nec eſt neceſſe, ut de facto & actu errorem & malitiam hæreſis ſuæ cognoſcat; ſed ſufficit, quòd eam cognoſcere nolit licet ſe poſſe advertat. Pari modo ratiocinandum eſt de eo, qui exiſtimans aliquid ab Eccleſia definitum eſſe, quod tamen non eſt, illud pertinaciter diſcredit ac rejicit; talis verè eſt hæreticus, quia Eccleſiam in definiendo fallibilem cenſet. Hinc.

Reſolv. 1. Vere esse hæreticos hujus ſæculi Novatores, qui fidei dogmatibus ab Eccleſia propoſitis contradicunt ſub prætextu, quod ignorent utrùm ſatis ſolemne fuerit Supremorum Paſtorum judicium; dum ex obſtinato erga novitates affectu, de hujus ſufficienti ſolemnitate inquirere minimè ſatagunt; licet Eccleſiæ judicio adhærere ſe paratos esse proteſtentur, mendax eſt ſiquidem hæc proteſtatio.

Reſolv. 2. Multos rudiores, in hæreticis Regionibus commorantes, ab Hæreſi formali videntur poſſe excuſari; quia magis ignorantia quam pertinacia quandoque laborant. Dixi *in hæreticis Regionibus commorantes*: Difficillimum eſt enim, licèt abſolute ſit poſſibile, eos qui in ſinu Eccleſiæ catholicæ ſunt educati, & inter medios Catholicos verſantur, ab hæreſi formali excuſari; cum ipſis omninò pateant credibilitatis motiva.

QUÆR. 4. Quotuplex ſit hæreſis?

℞. Hæreſis alia eſt merè interna, quæ in ſola mente conſummatur: alia externa tantùm, quæ verbo aut ſigno proditur: alia interna & externa ſimul, quæ utrumque complectitur. Hæc iterum vel occulta eſt, quæ in ſecreto aut coram pauciſſimis fuit prolata, vel publica, notoria & manifeſta, quæ palam prodiit. Interna nullis pœnis afficitur Eccleſiaſticis; cum Eccleſia de internis non judicet. Merè externa, licet propriè non ſit hæreſis, pœnis tamen puniri poteſt Eccleſiaſticis, quibus ſubdere ſe quiſque tenetur. Interna ſimul & externa, quæ eſt Hæreſis ſimpliciter dicta, multis pœnis Eccleſiaſticis eſt obnoxia.

QUÆR. 5. Quænam ſint Hæreticorum pœnæ, & quinam ab ea abſolvere poſſint?

℞. In jure canonico plures numerantur Hæreticorum pœnæ ext. tit. de Hæreticis & in 6. eod. Titulo, quarum pars maxima locum non habet in Gallia, nec uſu eſt recepta, etiam poſt edicti Nannetenſis revocationem. Nec enim Hæretici ad fidem converſi apud nos irregulares cenſentur, nec eorum filii, fautores, receptatores &c. 2. Bonorum confiſcationem non incurrunt. 3. Ad Officia publica non ſunt inhabiles. 4. Nulla juridica infamia afficiuntur, &c. Sola ipſo facto excommunicatione majori innodantur, cæteriſque inhabilitatibus ac privationibus ipſam conſequentibus. A qua excommunicatione Galliæ Epiſcopi jure communi, in cujus poſseſſione eorum pars maxima ſemper perſeveravit, per ſe & per delegatos abſolvere poſsunt, non obſtante Bulla Cœnæ, quæ Galliam non afficit, &

De,

Digitized by Google

Decreto Trident. Concilii, cujus hoc jus novum uſu apud nos non eſt receptum.

Adnotatio 35.

(*)

Hanc facultatem abſolvendi Hæreticos ab excommunicatione majori, quam nulla facta diſtinctione Auctor noſter elargitur Galliæ Epiſcopis, non ita facile agnoſcit Benedictus *XIV. in opere* de Syn. *lib. 9. cap. 5. per totum. Ipſe enim fundamentis in medio prolatis, quibus evincitur Epiſcopos ipſos Gallicanos, & quidem non paucos, in Synodis congregatos, talem facultatem ſibi non competere aliquando agnoviſſe, & declaraſſe; ſic poſtea concludit num.* 4. Judicent nunc alii Antiſtites, an ipſi valeant ſine temeritatis nota, tot Illuſtrium, & Ampliſſimorum Præſulum exemplis contraire: eamque auctoritatem ſibi arrogare, atque etiam in Synodo oſtentare, quam Primæ Sedi reſervatam Sacræ Urbis Congregationes, ac ipſimet Summi Pontifices non ſemel declararunt: omneſque ferè Theologi ſacrorum Canonum periti, paucis quiſdam exceptis, Epiſcopis per Bullam Cœnæ ablatam docent.

Sic de Epiſcopis Gallicanis loquitur Benedictus *XIV. Sed quid de Epiſcopis Italis, aliarumque Nationum? Jam patet, quod ſi facultatem iſtam in Gallia minimè vigere autumat Pontifex, multo magis hoc dicendum eſt de aliis Regionibus. Itaque de hac quæſtione generatim ſumpta cap. 4. præcedenti diſſeruerat Pontifex. Et primo quidem de Hæretico publico reſipiſcente, vel ſponte coram Epiſcopo comparente, vel quocumque alio modo ad forum ſuum deducto, pro certo decernit, poſſe ipſum ab Epiſcopo ipſo reconciliari Eccleſiæ, & pro utroque foro abſolvi a cenſuris, in quas propter hæreſim inciderat: immo poſſe ab ipſo, poſtquam ſuos ejuravit errores remitti ad ſimplicem Confeſſarium, ut ab eo abſolvatur. 2. Fatetur Epiſcopis datam fuiſſe a Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. de reforma: facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta. 3. Obſervat facultatem iſtum ademptam poſtea ipſis fuiſſe per Bullam Cœnæ: addita a Gregorio XIII. clauſula:* non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, & cujuſvis Concilii decretis. *4. Refert fundamenta oppoſitæ ſententiæ, & ea refellit. 5. Tandem recenſitis deciſionibus a Sacris Urbis Congregationibus non ſemel datis, ſic quæſtionem firmat, verba Cardinalis* de Lugo *ſect. 3. §. 1. num. 46. uſurpans:* mihi moraliter certa eſt (*ait. de* Lugo) Pontificis mens, & ſenſus Romanæ Curiæ, in qua omnes Pontificis miniſtri pro certo ſupponunt, ſingulis annis denuo facultatem Epiſcopis auferri, & ea ſolum de cauſa, ad eumque finem addita eſſe in Bulla Cœnæ verba illa, quibus revocantur facultates conceſſæ etiam per cujuſvis Concilij decreta. *Ac denique (proſequitur Pontifex)* Fagnanus *in cap.* dilectus, *num. 31., poſtquam indicatam retulit declarationem editam a Sacra* Congregatione *Concilij, ait:* Unde fruſtra nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controverſiam adducunt, cum habeamus claram determinationem Sacræ Congregationis.

Firmato quod Epiſcopis, generaliter loquendo minimè liceat ab hæreſi occulta abſolvere, videndum reſtat, num vel Regulares prætextu privilegiorum ſuorum, vel ſimplices Confeſſarij tempore Jubilei hoc poſſint. Pro utraque parte negativè reſpondet Benedictus *ipſe in cit. cap. n. 5. his verbis:* „ *Enim verò extra controverſiam*
„ *eſt, per illam (Bullam Cœnæ) ademptum eſſe*
„ *Regularibus, aliiſve privilegium, ſi quod an-*
„ *tea habuerint, quempiam abſolvendi ab hæ-*
„ *reſis crimine: quin immò, quamvis ab ipſo-*
„ *met Pontifice, tempore Jubilei, cuilibet Con-*
„ *feſſario ex adprobatis a locorum Ordinariis,*
„ *ampliſſima concedatur facultas omnia remit-*
„ *tendi facinora, atque in foro ſacramentali*
„ *quaslibet relaxandi cenſuras, ſibi quomodo-*
„ *cumque etiam virtute Bullæ Cœnæ reſerva-*
„ *tas; per eam tamen aliaſve ſimiles conceſſio-*
„ *nes, numquam collatam cenſeri auctoritatem*
„ *abſolvendi a Crimine hæreſis, niſi hoc ſpe-*
„ *cialiter, & nominatim fuerit expreſſum de-*
„ *claravit Alexander VII. in ſuo decreto . . .*
„ *quod ejuſmodi eſt:* SS. D. N. Alexander Pa-
„ pa VII. ſub die 23. Martii 1656. inhærendo
„ declarationibus alias a Prædeceſſoribus ſuis
„ factis, ad removendam omnem dubitandi
„ occaſionem, & ne circa id in poſterum ul-
„ lo tempore hæſitari contingat, cum crimen
„ hæreſis, præ cæteris graviſſimum, ſpeciali
„ nota dignum ſit, decrevit, facultatem ab-
„ ſolvendi ab hæreſi in Jubileis, vel aliis ſi-
„ milibus conceſſionibus, non cenſeri compre-
„ henſam, niſi expreſſis verbis concedatur fa-
„ cultas abſolvendi ab hæreſi. „

(*)

QUÆR. 6. Quid in receptione hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium ſit obſervandum?

℟. 1. Cum ſæpius contingat, quoſdam è partibus Hæreticorum ad noſtras transmigrantes non ſincerè, ſed fictè, ad Eccleſiam reverti, in Religionis catholicæ contemptum ac deriſum; prius quam audiantur ac recipiantur, ſtudioſè examinandi ſunt, quo ſpiritu ducti Eccleſiæ aggregari cupiant, quæ fuerit converſionis occaſio, qualem ſibi proponant finem, an ſalutem æternam aut aliquod temporale commodum, cur in has partes potius quàm in viciniores tranſierint; qua tranſierint, quibus mediis, quid ipſis in via contigerit, &c. Quod ſi poſt plurimas prudentes interrogationes, vacillantes aut mendaces reperiantur, rejiciendi ſunt, ſcriptum eſt enim; *Nolite ſanctum*

dare

Digitized by Google

dare canibus, nec margaritas veſtras mittatis ante porcos, ne fortè, &c.

2. Cognita ac probata eorum ſinceritate inſtruendi ſunt in fidei Articulis ad ſalutem neceſſariis; maximè in his, in quibus antea diſſidebant; item de præceptis Decalogi ac Eccleſiæ, de Sacramento Baptiſmi, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ; & ſi adſit juſta cauſa dubitandi utrùm ritè ſuerint baptizati; iterum ſub conditione baptizandi ſunt.

3. Ante Sacramentalem Confeſſionem abjurationem hæreſis ſuæ, juxta formam in Ritualibus præſcriptam, prius debet emittere; & quidem publicam, ſi publicè hæreſim fuerint profeſſi ad fidelium ædificationem, quæ tamen excipi non debet abſque Ordinarii facultate. Item priuſquam in Confeſſione audiantur, vel ſaltem abſolvantur, prius ab excommunicatione majori ſunt abſolvendi; cum hæc ſit Sacramentalis abſolutionis impedimentum.

4. In confeſſione interrogandi ſunt, a quo tempore ſectæ ſuæ ſalſitatem agnoverint, ut confiteantur ſaltem in genere Eccleſiæ præceptorum tranſgreſſiones, in Sanctam Virginem & Sanctos blaſphemias, contumelias in Catholicos, contemptum imaginum, & ſimilia. Quod ſi verò ſuæ ſectæ falſitatem non agnoverit, ſed quoſdam tantummodò leves ſcrupulos paſſi fuerint, de his eos interrogare non erit neceſſe, ſed duntaxat de peccatis jure naturali prohibitis.

Demùm facta confeſſione, & abſolutione conceſſa, non ſtatim ad ſacram Synaxim ſunt admittendi, ſed longiori tempore, pro ut dictaverit prudens judicium ſunt probandi; cum ad hanc ſuſcipiendam longè major requiratur diſpoſitio, & his qui ſemel hoſtes ſuerunt Eccleſiæ ſemper diffidendum ſit: experientia ſiquidem conſtat rariſſimam eſſe talium ſinceram converſionem.

QUÆR. 7. Quid de Hæreticorum librorum lectione ſit dicendum?

R. 1. Jure naturali librorum Hæreticorum lectio interdicitur iis, quibus hæc lectio peccati ac ruinæ ſpiritualis occaſio eſſe poteſt, quales ſunt imperiti, vel ſemidocti, imò & eruditi viri plurimi, quorum fides interdum infirmior eſt, quam ſimplicium & rudiorum. Ratio per ſe patet; ſed quæſtio eſt utrùm aliqua Lege poſitiva hæc lectio omnibus ſit prohibita.

R. 2. Non deeſſe auctores Gallos, qui aſſerant nullam eſſe Legem poſitivam in Gallis receptam, quæ abſolutè ac generaliter lectionem quorumlibet librorum hæreticorum prohibeat; quia Bulla *in Cœna Domini & Indicis* Regulæ, ubi hæc generalis lata eſt prohibitio ſub pœnis gravioribus, non vigent in Gallia. Certum eſt tamen juxta communiorem, etiam Doctorum Gallorum, ſententiam, apud nos vigere diſtrictam prohibitionem, ſi non ſub excommunicationis pœna, ſaltem ſub pœna peccati mortalis Hæreticorum omnium libros legendi (idem dicendum eſt de libris Magicam artem, Aſtrologiam judiciariam, Chiromantiam, cæteraſque artes curioſas docentibus) & hoc quidem non in virtute Bullæ *in Cœna Domini*, aut regularum Indicis, ſed aliarum plurium tum Pontificum Conſtitutionum, tum Decretorum Conciliorum in Gallia habitorum, quæ in hoc obligare in conſcientia, Paſtores Eccleſiæ Gallicanæ ſemper & ubique docuerunt.

R. 3. Docent Auctores Galli ad facultatem libros Hæreticorum legendi obtinendam, ad ſummum Pontificem recurrere non eſſe neceſſarium; ſed ad ſolos Epiſcopos, qui in poſſeſſione hanc facultatem, quibus libuerit, concedendi ſemper perſeveraverunt.

R. 4. Si quis obtenta facultate legitima; non ex neceſſitate, ſed ex ſola curioſitate, libros legat Hæreticos, graviter peccat, facultate, quæ non niſi ad refutandas hæreſes conceditur, abutendo. Etſi quis ex librorum illorum lectione ſubverſionis periculum fidei ſuæ imminere advertat; quòd nempe dubia circa fidem in animo ſuo excitet, quibus graviter concutitur, mortaliter peccat, ſi in illorum lectione perſeveret, quamvis licentiam hujuſmodi libros legendi habeat.

ANNOTATIO 36.

(*)

Iſta facultas generaliter non competit Epiſcopis in Italia, ubi pro Librorum prohibitorum lectione regulariter recurrendum eſt ad S. Indicis, vel S. R. Univerſalis Inquiſitionis Congregationem; vel ad id ſpecialiter a Sum. Pontif. Deputatos; ſervatis tamen ſemper Principum, Statumque quorumdam Concordatis, & Privilegiis.

Opinio vero Authoris aſſerentis in Reſp. ſeq. graviter eos peccare *qui obtenta legitima facultate Libros Hæreticos legunt* non ex neceſſitate, ſed ex ſola curioſitate *nimis rigida videtur Authori* Theol. Chriſt., *& proinde falſitatis eam redarguit.* Licentia legitima, *ait ipſe T. 1. Lib. 1. diſſ. 2. c. 10. q. 7.* conceſſa tollit omnem prohibitionem. Qua ergo ratione dici poteſt gravioris culpæ ream eſſe lectionem

ctionem ex ſola curioſitate? Graviter ergo peccabunt omnes, qui ob ſolam curioſitatem quoſque libros minimè vetitos legerit? Hoc nemo dicere auſit. Ut falſa itaque rejicicenda eſt hæc opinio.

Notandum inſuper, & Tridentini Decreta, & Bullam Cœnæ, quæ quoad multa in Gallia non fuiſſe recepta aſſerit Author, ea plenè & integrè vigere in Italia, ubi & Concilium, & ſupradicta Bulla in eorum totali extenſione recepta fuerunt.

(*)

ARTICULUS II.

De Blaſphemia.

Not. 1. Blaſphemiam rectè definiri contumelioſam in Deum, vel in ſanctos locutionem. Dicitur 1. *Contumelioſa*; quia blaſphemia propriè dicta virtuti Religionis opponitur, quatenus detrahit honori, qui per virtutem Religionis Deo exhibetur 2. *In Deum*, quia Deus eſt objectum principale blaſphemiæ: unde ſi addatur. 3. *In ſanctos* intelligenda eſt hæc particula, quatenus ſancti, Dei ſunt vel amici, vel Miniſtri, vel excellentes ejus creaturæ; ita ut contumelia ad ipſum Deum referatur; Aliàs eſſet quidem peccatum contra Duliam, ſed non contra Latriam, nec proinde vera ac propriè dicta blaſphemia. Dicitur 4. *Locutio*; quia licet quis blaſphemare poſſit; vel ſigno externo, ut in Cœlum ſpuendo, dentibus infrendendo, manum in Cœlum tendendo, &c. vel etiam contra Deum aut Sanctos ejus internè contumelias concipiendo; hæ non ſunt ſtrictè ſumptæ blaſphemiæ, ſed laiè, licèt ex genere ſuo graviſſimæ.

Not. 2. Duplicem eſſe blaſphemiam; ſimplicem unam, Hæreticalem alteram. Prima nullam contra Fidem falſitatem continet: Secunda aliquam, vel formaliter, vel virtualiter falſitatem exprimit; ut ſi quis dicat Deum eſſe injuſtum, improvidum, aut crudelem, act impoſſibilia jubere, &c. His notatis.

QUÆR. 1. Quot modis committatur blaſphemia.

℞. Hæreticalis triplici modo perpetratur. 1. Affirmando aliquid de Deo, quod ipſi non convenit v. g. injuſtum eſſe, injuſtè nobiſcum agere, omnia caſu contingere, &c. Auctorem eſſe peccati, &c. 2. Negando convenire Deo quod convenit ipſi v. gr. eſſe omnipotentem aut omniſcium. 3. Tribuendo creaturis quod ſoli Deo convenit, dicendo v. gr. Regem eſſe omnipotentem. Blaſphemia ſimplex quadruplici modo committitur. 1. *Enunciativè*; ut dum quis proteſtatur, ſe aliquid velle facere in Dei contemptum & injuriam. 2. *Deteſtativè* Deo malum imprecando, ut maledictus Deus, vel ipſum ejurando, ut Deum ejuro. 3. *Juratoriè* dum quis jurando blaſphemat; ut pereat Deus, ſi non eſt vel non erit ita, vel hoc ita verum eſt ac verum eſt Deum exiſtere, Chriſtum eſſe Deum, verum eſſe Evangelium. 4. *Irreverenter* dùm qui cum irriſione & contemptu, Deum, Chriſti membra, mortem, &c. indignè uſurpat; ut dùm quis per Deum, per membra Chriſti, Caput, Sanguinem, vel jurat, vel alicui maledicit & imprecatur; per hæc ſiquidem & ſimilia honori Deo debito derogat, & res ſacras vilipendit.

QUÆR. 2. Quænam blaſphemiæ ſpecies ſint diverſæ, in Confeſſione exponendæ.

℞. 1. Blaſphemia Hæreticalis proculdubio ſpecie differt à ſimplici: cui ſi aſſenſum præbuit intellectus, vera ac propriè dicta eſt infidelitas, à qua nullus abſolvi poteſt, niſi ab habente facultatem ab hæreſi abſolvendi. 2. Specie differunt blaſphemiæ in Deum ipſum, in B. Virginem, & in Sanctos, ob diverſum Cultum eiſdem debitum. Licet enim omnes in Deum tendant, diverſimodè tamen, directè ſcilicet & indirectè, tendunt. 3. Deteſtatoria blaſphemia ſpecie à cæteris differt, ut quæ formale odium Dei involvat. Demùm omnes in Confeſſione ſunt exponendæ; quia intra eamdem ſpeciem aliæ aliis longè ſunt graviores.

QUÆR. 3. Utrùm blaſphemia ſemper ſit mortalis.

℞. Cum ſummus honor ſtrictiſſimo jure Deo Opt. Max. debeatur, omnis blaſphemia; qualiſcumque ſit, ſemper eſt peccatum mortale, & quidem graviſſimum, nec ullam parvitatem materiæ admittit, & ob ſolam actus imperfectionem à mortali excuſari poteſt.

Dixi. *Qualiſcumque ſit*, ſive quis Deum exhonorare expreſsè intendat, ſive non, quia licèt id formaliter non intendat, intendit tamen virtualiter, & interpretativè; dùm advertit, aut advertere poteſt ac debet, verba quæ profert in grave Dei vilipendium vergere, ſaltem ex audientium aprehenſione. Qui tamen ex puro joco aliquid de Deo minus decens proferret v. gr. Deum eſſe bonum, ſenem vel magnum Virum, magno præſtantem ingenio, blaſ-

blaſphemiam non perpetraret; quia nec apud loquentem nec apud audientes Deus contumelioſè tractatur à quibus tamen coram rudioribus abſtinendum eſt ob ſcandali periculum.

Dixi, iterum blaſphemiam *à ſola actus imperfectione à mortali excuſari poſſe*. Dum nempe D. Thom. 2. 2. q. 13. a. 2. ad 3. *aliquis ſubitò ex aliqua paſſione in verba imaginata prorumpit quorum ſignificationem non conſiderat; & tunc eſt peccatum veniale, & non habet propriè rationem blaſphemiæ*. Quod ſi adverlat ſubdit S. Doctor *hoc eſſe blaſphemiam; conſiderans ſignificata verborum; & tunc non excuſatur à peccato mortali; ſicut nec ille, qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit juxta ſe ſedentem*. Quia eo ipſo, quo advertit, ad id quod facit, aut dicit, gravitas rei eum cogit ad deliberationem: nec à mortali excuſantur qui ex peſſima, qua ſunt obnoxii, blaſphemandi conſuetudine, verborum ſignificationem non conſiderant, niſi compuncti pœnitentia, hanc pravam conſuetudinem omni cura corrigere ſatagant.

CAPUT II.

De Spe Theologica.

✠
(*)

Propoſitiones Damnatæ in materia Spei.

1. „ Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiſo, nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem expurgare debet. Damnata fuit ab Innocentio XI.

2. „ Reſignato Deo libero arbitrio eidem Deò relinquenda eſt cogitatio, & cura de omni re noſtra; & relinquere ut faciat in nobis ſine nobis ſuam divinam voluntatem. Ab eodem.

3. „ Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere eſt imperfectio, cum ſit actus propriæ voluntatis, & electionis, & eſt velle, quo divina voluntas noſtræ conformetur, & non quod noſtra Divinæ. Et illud Evangelii, *petite, & accipietis* non eſt dictum a Chriſto pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Immò hujuſmodi Animæ eo perveniunt, ut non poſſint a Deo rem aliquam petere. Ab eodem.

4. „ Sicut non debent a Deò rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque eſt actus propriæ voluntatis. Ab eodem.

5. „ Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt Charitas pura, & ſine ulla mixtione motivi proprii intereſſe; Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando. Damnata fuit ab Innocentio XII. an. 1699.

6. „ In ſtatu vitæ contemplativæ, ſeu unitivæ omittitur omne motivum intereſſatum timoris, & ſpei. Ab eodem.

7. „ In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non habet amplius deſideria voluntaria, & deliberata propter ſuum intereſſe, exceptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur. Ab eodem.

8. „ In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum; ſed eam volumus voluntate plena ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem quam ipſe vult, & quam nos vult velle propter ipſum. Ab eodem.

9. „ Derelictio non eſt niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, poſtquam omnia externa reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe proprium . . . . . extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt tentationes quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perfugium, *neque ullam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium etiam æternum*.

10. „ In hoc ſtatu amittit *omnem ſpem* ſui proprii intereſſe, ſed numquam amittit in parte ſuperiori, ideſt in ſuis actibus directis, & intimis. *ſpem perfectam*, quæ eſt deſiderium diſintereſſatum promiſſionum.

11. „ Director tunc poteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquieſcat jacturæ ſui proprii intereſſe, & juſtæ condemnationis, quam a Deo ſibi indictam credit.

12. „ Poteſt dici in hoc ſenſu, quod anima paſſiva, & diſintereſſata nec ipſum amorem vult amplius, quatenus eſt ſua perfectio, & ſua felicitas, ſed ſolum quatenus eſt id, quod Deus a nobis vult.

13. „ In confirendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari, & condem-

„ mare ſe, & deſiderare remiſſionem pec-
„ catorum ſuorum, non *ut propriam* puri
„ ficationem, & liberationem, ſed ut rem
„ quam Deus vult, & vult nos velle pro-
„ pter ſuam gloriam.

(*)

SPes non ſecus ac Fides multifariam ſumitur, 1. Pro objecto ipſo, quo ſperatur: *Expectantes beatam ſpem*. 2. Pro eo, in quem ſperamus: *Dominus ſpes mea*. 3. Pro eo, per cujus interceſſionem ſalutem noſtram ſperamus: *Maria ſpes noſtra*. 4 Demum ſumitur propriè pro ſperandi actu vel habitu: Hujus ſpei ſic ſumptæ inquiruntur natura, objectum, ſubjectum, neceſſitas, ejus effectus, timor, ac demùm vitia contraria.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Spes Theologica.

Not. SPei nomine generaliter ſumptæ intelligitur *motus efficax appetitus alicujus boni abſentis ardui quidem, ſed poſſibilis*. Dicitur *motus appetitus*; ſive ſenſitivi, ſi quæſtio ſit de paſſione; ſive rationalis, ſi agatur de actu libere tendente in bonum, quod ſolius appetitus, non intellectus objectum eſſe poteſt. Dicitur *efficax*, per quod à ſimplici complacentia & volitione inefficaci diſtinguitur. Dicitur *boni*; quia objectum ſpei non poteſt eſſe niſi bonum, ſicut objectum timoris eſt malum. Dicitur *abſentis*, ut diſtinguatur, tum ab amore, qui circa bonum præſens & abſens verſari poteſt, tum à fruitione quæ non verſatur niſi circa præſens. Dicitur *ardui*, per quod diſtinguitur à ſimplici deſiderio, cujus objectum eſt quidem bonum abſens, ſed obtentu facile. Nec enim dives eſuriens v. g. ſperat, ſed deſiderat alimenta, quæ dùm juſſerit apponentur menſæ ſuæ. Pauper autem deſiderat ſimul & ſperat alimenta, quæ non niſi labore, induſtria, aut precibus comparare poteſt. Dicitur *poſſibilis*: Nullus ſiquidem movetur, ad quod ſibi vel phyſicè, vel moraliter impoſſibile videtur. Nec enim quis Regiam ſperat dignitatem, quam obtentu impoſſibilem novit. Expoſita ſpe in genere, ſciendum eſt quid ſit ſpes in ſpecie; circa quod.

Dico, Spes eſt *vera virtus ſupernaturalis Theologica ab aliis diſtincta, per quam certa cum fiducia æternam beatitudinem Dei auxilio ac meritis noſtris comparandam expectamus*.

Explicatur ſimul & probatur Concluſio. Dicitur 1. *vera virtus*, ſive ſit informis, ſive charitate ſit formata, cum ad actum bonum ac virtuoſum inclinet; quod.

Prob. 1. Ex Scriptura & SS. Patribus Pſam. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*, id eſt, æternam Beatitudinem. Unde D. Greg. in Reg. c. 2. *Deo*, inquit, *in veritate ſervimus, quando ejus præcepta pro ſola, ſola æterna retributione perficimus*, & Div. Aug. in Pſam. 102 & lib. de Trin. c. 13. &c. *Quandò facis bonum opus, propter vitam æternam fac, noli facere, niſi propter vitam æternam*; id eſt noli facere propter bona temporalia, hoc enim mercenarium eſt; *Si ideò facis ſecurus facies; hoc enim mandavit Deus* Adſtipulantur Ambroſ. in c. 5. ad Rom. Nazian. Orat. 3. num. 56. DD. Thom. & Bonav. &c.

Prob. 2. Auctorit. Eccleſiæ Trid. 56. can. 31. *Si quis dixeris juſtificatum peccare, dùm intuitu æternæ mercedis benè operatur, anathema ſit*, & Alex. VII. hanc damnavit prop. *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur*. Et Greg. IX. iſtam damnaverat: *Illi qui amant Deum, propter hoc, ut Deus det illis vitam æternam, eorum intentio eſt prava*.

Dicunt. Adverſarii, Concilium, & Pontifices ſic Operantem à peccato excuſare, quatenus quidem intuitu beatitudinis operatur; non quatenus charitatis actum tunc omittit, & operationum ſuam in Deum propter ſe dilectum non refert. Sed hæc reſponſio inane eſt effugium ac fallax evaſio; cum Concilium, & Pontifices non ſolùm definiant operantem intuitu beatitudinis non peccare, ſed & ſic operantem abſque charitate & in Deum relatione.

Prob. 3. Ratione multiplici. 1. Quia Deus præcipit variis in locis, ut beatitudinem æternam concupiſcamus. 2. Quia Deus vitam æternam nobis in præmium non proponeret, ſi illius intuitu operari vitioſum eſſet. 3. Quia de fide eſt, Spem ad Charitatem diſponere, non autem diſponeret, ſi motus ejus eſſet inordinatus.

Obji. 1. Nonnullos Sanctos Doctores docentes, Deum eſſe amandum gratis, abſque præmii intuitu.

℞. Sanctos Patres hoc docere, non ut ſpem

Digitized by Google

ſpem reprimant, ſed ut nos ad charitatem inflamment.

Objì. 2. Vitioſum eſt atque inordinatum Deum ad nos ipſos referre, ſolum commodum noſtrum inquirere, & ex ſolo noſtri amore operari: Atqui talis eſt ſpei motus: Ergo vitioſus eſt.

℞. 1. Inordinatum eſt Deum ad nos referre, tamquam in finem *propter quod* illum ad nos referimus; ita ut Deum non velimus, niſi quia nobis commodus, & utilis eſt, C. tamquam in finem *cui* beatitudinem exoptamus; ita ut conjunctionem noſtram cum Deo, prout eſt ultimus finis noſter, velimus, N. Si enim inordinatum eſſet motivum illud, inordinatum eſſet etiam motivum Incarnationis Filii Dei, *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & homo factus eſt.* Unde ſicut intentio Filii Dei inordinata non fuit, licet Incarnationem ſuam tamquam in finem *cui*, & ad commodum atque utilitatem noſtram referret; ita licèt ad nos, tamquam bonum noſtrum, Deum referamus, nihil inordinatum facimus. Deinde abſolutè negatur motum Spei Deum ad nos, quin potius nos ipſos ad Deum, referat, cum beatitudo, ad quam motus Spei nos inclinat, ſit Deus ipſemet.

2. Inordinatum eſt ſolum commodum noſtrum inquirere; ita ut poſitivè relationem in Deum propter ſe dilectum excludamus, C. Ita ut negativè tantùm excludamus, nec relationem poſitivè intendendo, nec eam poſitivè excludendo, N. vel ſic diſtingue: inordinatum eſt ſolum commodum noſtrum inquirere, in quo quieſcamus, C. Quo in Deo quieſcamus, N. Per virtutem namque Spei in commodo noſtro quieſcere non volumus; ſed per commodum noſtrum, id eſt beatitudinem æternam, ſeu Dei fruitionem in Deo ipſo quieſcere exoptemus, quod longè diverſum eſt.

3. Inordinatum eſt ex ſolo amore ſui operari, ſiquis in amore ſui ſiſtat, C. Si amorem ſui ad ipſum Deum referat, & ipſummet Deum poſſidendum pro objecto habeat, N.

Dicitur 2. Virtus *ſupernaturalis, & Theologica*; quia Deum immediatè reſpicit, nec niſi inſpirante Dei gratia in illum ſperare, ſicut nec credere, prout oportet, valemus.

Dicitur 3. Ab aliis diſtincta, quòd patet ex Apoſt. 1. Cor. 12. *Nunc, autem manent Fides, Spes, & Charitas, tria hæc; major autem horum eſt Charitas.* Ubi Apoſtolus *tria* numerans nedum eadem ab invicem diſtinguit, ſed & unum alteri conſerens expreſſiùs diſtinctionem denotat; cum nihil majus ſe ipſo eſſe poſſit. Deinde eæ facultates realiter ſunt diſtinctæ, quæ diſtinctos habent actus, ac diſtincta objecta formalia; atqui Fides, Spes & Charitas diſtinctos habent actus, & diſtincta objecta formalia, ut videbitur infra: Ergo.

Dicitur 4. *Per quam certa fiducia:* Non quòd certò credere debeamus: ut inſaniunt Heterodoxi, quemlibet Fidelem eſſe infallibiliter ſalvandum; ſed quòd de promiſſionis divinæ infallibilitate firmiter perſuaſi credamus beatitudinem nobis eſſe donandam, ſi cum Dei auxilio, nobis ſemper parato, in finem uſque perſeveraverimus.

Dicitur 5. *Dei auxilio ac meritis noſtris comparandam*; quia ſalutem æternam conſequi non poſſumus, niſi operemur, nec operari abſque gratiæ auxilio illius, cujus erga homines, inquit Concil. Trident. tanta eſt bonitas; *ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.*

Adnotatio 37.

(*)

Ne iſta ultima verba: Dei auxilio, & meritis noſtris &c. *ad Spei definitionem ſpectantia in alienum & minimè legitimum ſenſum ab aliquibus detorqueantur, æquum reputamus ea breviter explicare. Cum igitur aſſerit Author Spem Theologicam eſſe veram virtutem ſupernaturalem &c. per quam æternam Beatitudinem* Dei auxilio, & meritis noſtris comparandam exſpectamus; *diſtinguendum eſt. Vel iſta merita noſtra accipiuntur ut ſunt puri effectus Divinæ gratiæ, atque gratuita dona Dei; vel ut ſunt operationes, ut ita dicam humanæ, atque Arbitrii noſtri Conatus. Si primum; Dogma Catholicum eſt, & firmiter proinde tenendum. Si ſecundum;* Pelagianiſmum *ſapit, & per conſequens omnimode rejiciendum. Spes, ait D. Thom. 2. 2. q. 17. a. 4. in corp.* reſpicit Beatitudinem æternam, ſicut finem ultimum; divinum autem auxilium, ſicut primam, inducentem ad Beatitudinem. *Et alibi a. 6. quæſt.* 17. Spes facit Deo adhærere, prout eſt in nobis principium perfectæ bonitatis; in quantum ſcilicet, per ſpem Divino auxilio innitimur ad Beatitudinem obtinendam. *Conſona ſunt Oracula Prophetarum*: Perditio tua Iſrael, *ait Oſeas*, tantummodo in me auxilium tuum. *Hæc adeo certa ſunt, ut Eccleſia a Spiritu Sancto edocta hilariter canat, quod*: In ſola ſpe gratiæ Cœleſtis innititur. *Cum igitur hic de* meritis noſtris *nullum habeatur verbum, reſtat, quod talia merita, illa tantum reputari debeant, de quibus ajebat* Auguſtinus, *quod*

quando Deus præmiat merita noſtra, Coronat Dona ſua. *Nec per hoc ſequitur, quod Homo nihil agat, aut agere debeat in ordine ad conſequtionem Beatitudinis, aut ſine meritis ipſum exſpectare, & conſequi valeat. Adſunt quidem merita, ſed prout ſunt* Dona Dei, *ejuſque bonitatis effectus*. Abſit tamen, *loquitur Tridentinum ſeſſ. 6. c.* 16. ut Chriſtianus Homo in ſe ipſo, vel confidat, vel glorietur, & non in Domino; cujus tanta eſt erga Homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius Dona. *Adſunt inſuper bonæ Operationes, ſed ſenſu a D. Thom. explicato*. Non tamen per hoc excluditur, *ait S. Doctor lect. 3. in cap. 8. ad Rom.*, quin veri ſpirituales per voluntatem, & liberum arbitrium Operentur: quia ipſum motum voluntatis, & liberi arbitrii Spiritus Sanctus in eis cauſat, ſecundum illud: Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere. *Reſtat ergo dicendum, quod* merita noſtra *objectum ſpei efficere nequeant, niſi ſupra tradito ſenſu; & quod ſolus Dei auxilio Spes noſtra inniti debeat*. A Deo in me perfici, *humillimus* Auguſtinus *dicebat*, fideliter ſpero, quod ab eo inchoatum eſſe humiliter gaudeo; nec in eo, quod adhuc donavit, incredulus, nec in eo, quod jam donavit, ingratus (*Epiſt. 97.*). *Ad omnes igitur ambages, atque æquivocationes tollendas dicamus oportet, quod Spes, vera Virtus ſupernaturalis Theologica ſit, ab aliis diſtincta, per quam certa cum fiducia æterna Beatitudinem Dei auxilio; & meritis noſtris*, per gratiam comparatis *exſpectamus*.

(*)

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit Spei objectum.

Not. OBjectum Spei, non ſecus ac aliarum virtutum, duplex eſt, materiale & formale. Item aliud eſt primarium, quod per ſe à Spe appetitur: aliud ſecundarium, quod appetitur in ordine ad aliud: De his.

Dico I. Objectum materiale Spei primarium eſt Deus poſſidendus: ſecundarium autem ſunt omnia ad eum conſequendum neceſſaria.

Prob. 1. Pars. Contra quoſdam contendentes ſolum Deum, id eſt beatitudinem objectivam, eſſe objectum materiale Spei; & alios docentes ſolam eſſe poſſeſſionem ejus, beatitudinem ſcilicet formalem. Nam illud eſt objectum Spei primarium, quòd primò & per ſe expectatur, & cætera propter illud: Atqui primò & per ſe expectamus Deum ſimul & poſſeſſionem ejus; cum Dei poſſeſſionem ſperare non poſſimus, niſi Deum ſperemus; nec poſſumus Deum ſperare, niſi ſperemus ejus poſſeſſionem. Nec enim ægrotus v. g. ſanitatem tantummodò ſecundùm ſe deſiderat, ſed & poſſeſſionem ejus concupiſcit; ſicut nec avarus pecuniam ſine poſſeſſione, aut poſſeſſionem ſine pecunia deſiderat; ſed utraque ſimul eſt objectum ejus deſiderii: Ergo à pari, &c.

Obji. 1. Objectum Spei eſt abſens; Deus autem ſemper & ubique præſens eſt; Ergo Deus non eſt objectum Spei, ſed ſola ejus fruitio, quæ ſola abſens & futura eſt. Deinde tale eſt objectum Spei in via, quale eſt objectum delectationis in patria: atqui non Deus, ſed ſola ejus fruitio eſt objectum delectationis in patria: Ergo.

℞. Deus eſt præſens in ſe, C. in aſſecutione, N. Ideò non Deus in ſe, ſed Deus poſſidendus, dicitur Spei objectum. Deinde eo ipſo, quo dicitur fruitionem Dei eſſe objectum delectationis in patria, aſſeritur ipſummet Deum poſſeſſum, ejuſdem eſſe delectationis objectum, quod intendimus.

Obji. 2. Qui deſiderat ſcientiam non deſiderat id quod ſcitur; Ergo à pari qui deſiderat Dei fruitionem, non præciſè Deum exoptat.

℞. Qui ſcientiam deſiderat, non deſiderat quidem id quod ſcitur, pro ut ſin ſe eſt; ſed deſiderat illud, pro ut habet aliquod eſſe in intellectu; ita à pari, qui fruitionem Dei exoptat, non exoptat Deum prout in ſe eſt, ſed quatenus eſt poſſidendus.

Prob. 2. Pars. Quia Spes inclinare non poteſt ad finem, quin pariter inclinet ad media, quæ ad ejus aſſecutionem ſunt neceſſaria; eadem eſt enim volitio finis ac mediorum; hoc eſt eodem actu, quo finis efficaciter appetitur, media ſaltem implicitè appetuntur. Ut patet.

Dico II. Objectum formale Spei non eſt Beatitudinis difficultas, ut placet nonnullis; nec Dei auxiliantis omnipotentia, ut alii docent; non eſt etiam ſola Dei bonitas, pro ut nobis conveniens; nec ſola promiſſio divina; ſed utraque ſimul.

Prob. 1. Pars. Illud eſt objectum formale Spei, quod ad ſperandum nos movet; atqui beatitudinis difficultas, nedum ad eam ſperandam, nos non movet, quin potius removet. Ægrotus enim ſanitatem non ſperat, quia obtentu eſt difficilis ſed potius propter id eam obtinere deſperat.

Prob. 2. Pars. Quia, licet ſciamus Deum eſſe omnipotentem ad conferenda media

effica-

Digitized by Google

efficaciſſima ad ſalutem conſequendam, non eam tamen ſperaremus, niſi Deus ea nobis promiſiſſet. Sicut ægrotus ſanitatem de Medico non ſperat, quia artis medicæ peritiſſimus eſt; ſed quia peritiam ſuam ad ſpſum ſanandum promiſit adhibere. Fatendum tamen eſt Dei omnipotentiam motivo Spei præſuponi; ſicut Medici peritia præſuponitur in motivo ægroti ab eo ſanitatem ſperantis. Sic intelligendi ſunt quidam ex SS. Patribus docentibus, omnipotentiam Dei auxiliantis ſpectare ad objectum formale fidei.

Confir. Utraque pars: Ex eo quod nec difficultas beatitudinis, nec Dei omnipotentia auxilians habent rationem boni voluntatem allicientis; atqui Spes ſecundum D. Thom. 1. 2. qu. 25. art. 3. *eſt motus in bonum, ſecundum rationem boni, quod de ſua ratione eſt attractivum*; *Ergo*.

Prob. 3. Pars. Motus Spei eſt motus efficax appetitus rationalis; atqui non poteſt eſſe motus appetitus per ſolam Dei promiſſionem, quæ per ſe appetitum non allicit; cum non habeat formaliter rationem boni nobis convenientis; nec poteſt eſſe efficax & rationabilis per ſolam bonitatem nobis convenientem, ſecluſa promiſſione divina; cum ea ſecluſa nullus bonitatem Dei, naturaliter obtentu impoſſibilem, efficaciter, ac rationabiliter ſibi ſperare poſſet: Ergo.

Confir. Et facto Davidis, qui dum erat Miles Gregarius, nec ſperaſſet Micol Filiam Regis ducere, niſi Saul ei promiſiſſet, ſub conditione quod trecentos Philiſtæos occideret, nec illud connubium deſideraſſet, niſi illud ſibi jucundum & honorificum fuiſſet.

QUÆSTIO III.

Quid ſit Spei ſubjectum?

Not. Hic non agitur de ſubjecto ſpei immediato, ut de fide jam obſervavimus: Evidens eſt ſiquidem, voluntatem eſſe ejus objectum immediatum, cum ſit appetitus rationalis; ſed quæſtio eſt de ſubjecto mediato, id eſt de Perſonis, in quibus ſpes remanet. Ad quod.

Dico I. Spes reperitur in homine Catholico peccato mortali obnoxio, & in animabus in Purgatorio languentibus.

Prob. 1. Pars. Ex Trident. ſeſſ. 6. c. 6. Peccatores *ad juſtitiam diſponuntur dum .... ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in Spem eriguntur, fidentes Deum propter Chriſtum propitium fore*. Neque enim peccatores orant, nec aliquod bonum opus exequuntur, niſi in Spe conſequendi gratiam & miſericordiam Dei; Ergo in ipſis Spes remanet.

Prob. 2. Pars. Beatitudo, reſpectu animarum in Purgatorio languentium, omnia habet neceſſaria ad eſſe Spei objectum: eſt enim objectum bonum, abſens, poſſibile & arduum, utpote maximis cruciatibus obtinendum: Ergo.

Objî. Animæ in Purgatorio degentes de ſua beatitudine ſunt omninò certæ: Ergo eam ſperare non poſſunt. Deinde, ob hanc certitudinem Beatitudinis ſuæ, ipſam deſperare minimè poſſunt; Ergo nec eam ſperare: contrariorum ſiquidem eadem eſt ratio, eademque potentia.

℟. Negando certitudinem Spei eſſe contrariam. Nam ſicut timemus malum certo futurum; ergo & bonum certò poſſidendum ſperare poſſumus. Deinde contrariorum eadem eſt ratio eademque potentia; Dùm nihil obſtat actui contrario, C. dùm aliquid obſtat, N. Diſperationi autem harum animarum obſtat revelatio, de ſua certiſſimè obtinenda beatitudine.

Dico II. Nec in Hæreticis aut Infidelibus, nec in deſperantibus, aut præſumentibus, nec in Damnatis, aut Beatis, Spes locum habere poteſt.

Prob. 1. Pars. Spes non reperitur, in quibus non adeſt baſis, & fundamentum Spei; atqui in Hæreticis & Infidelibus non adeſt fides, quæ eſt Spei baſis & fundamentum; Ergo. Unde ſi Hæretici & Infideles vitam ſperent æternam, Spe naturali & acquiſita ſperant; ſicut fide naturali & acquiſita credere jam diximus.

Prob. 2. Pars: Contraria mutuo ſe expellunt; atqui deſperatio & præſumptio Spei ſunt contraria; Ergo ibi ſpes ſtare nequit, ubi adeſt deſperatio & præſumptio.

Prob. 3. Pars. Ex Scrip. Prov. 11. *Mortuo homine impio, nulla erit ultra Spes* & Rom. 8. *Spes, quæ videtur non eſt Spes*. Ratio eſt; quia fruſtraneus eſt habitus, cujus actus eſt impoſſibilis, impoſſibilis eſt autem actus Spei in Damnatis, ob decretum damnationis æternæ ſibi revelatum. Deinde objectum Spei debet eſſe abſens, futurum & arduum: Beatitudo autem non ſic eſt erga Beatos, ut patet. Et licèt nondum ſint donati gloria in reſurrectione generali obtinenda; cum tamen ipſa non ſit

ipſis

ipſis ardua eam non propriè ſperant, ſed tantummodò deſiderant.

QUÆSTIO IV.

Quænam ſit Spei neceſſitas.

Not. EAmdem eſſe Spei ac fidei neceſſitatem, tum medii, tum præcepti. Scribit enim Apoſtolus Hæbr. 11. *Accedentem ad Deum*, nedum *credere oportet quia eſt*, ſed etiam *quòd inquirentibus ſe remunerator eſt*. Quæ verba Spei neceſſitatem arguunt, cum credere, ſicut oportet, eum eſſe remuneratorem, non poſſimus, quin remunerationem ab eo promiſſam expectemus & ſperemus. Ideò quæ de fide ſuo loco diximus, id quoque ad Spem omninò pertinere eſt evidens. Non defuerunt tamen Pſeudo-myſtici docentes, viam ad perfectionis faſtigium breviorem eſſe; quòd quiſque nullo beatitudinis æternæ pulſetur deſiderio, & proprium ſuum intereſſe, etiam quoad æternitatem, penitus abneget; ſicque omnem ſpem vitæ æternæ abjiciat; quæ abjectio ab ipſis fingitur gratiſſimum, inter omnia, & præſtantiſſimum Sacrificium: contra quos.

Dico. Omninò neceſſarius eſt habitus & actus Spei juſtis omnibus viatoribus; quantacumque charitate præditi ſupponantur.

Prob. 1. Ex Script. Rom. 8. *Nos ipſi primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri; ſpe enim ſalvi facti ſumus. Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus*. Hæc dicuntur de perfectiſſimis Chriſtianis; & de ſe ipſo dicit Apoſtolus, licèt uſque ad tertium Cœlum raptus. Ideò de eadem Spe ſermonem faciens, Philip. 3. ait. *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus*.

Prob. 2. Auct. Conc. Trid. definientis ſeſſ. 6. c. 16. *Hominibus juſtificatis* quibuslibet etiam perfectiſſimis; cum ejus propoſitio ſit indefinita, proindeque univerſalis, *proponenda eſſe Apoſtoli verba. Abundate in omni opere bono, ſcientes quod labor veſter non ſit inanis in Domino. Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius & nolite amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem*. Accedit quod Capite 11. *Aſſerat Deum glorificari à juſtis; dùm ſe ſe ad currendum in ſtadio exhortando, mercedem intuentur æternam; cùm ſcriptum ſit inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem; & de Moyſe dicat Apoſtolus, quod reſpiciebat in remunerationem*.

Prob. 3. Ex Patribus; Auguſt. in Pſalm. 122. *Non præter ſpem eſſe debemus*; id eſt non debemus eſſe abſque ſpe. *Imò cum magna fiducia præſumere; quia ſi per charitatem ipſe nobiſcum in terra eſt, per eamdem charitatem, & nos cum eo in Cœlo ſumus . . . ſpe charitatis*. Et D. Bernard. lib. de dilig. Deo cap. 15. *Neſcio*, inquit, *ſi à quoquam hominum quartus gradus in hac vita perfectè apprehenditur, ut ſe ſcilicet diligat homo tantùm propter Deum*; id eſt abſque ullo ſuo proprio intereſſe. *Aſſerant hoc, ſi qui experti ſunt; mihi fateor impoſſibile videtur*.

Prob. 4. Ratione. Quia tantùm abeſt; ut perfecta charitas motus Spei deprimat, quin potius eos vehementiùs exſtimulet; quo fit intenſior. Ea eſt ſiquidem amoris proprietas, ut amantem cum amato uniat; ſi non re ipſa, ſaltem deſiderio, juxta illud Aug. lib. 8. de civit. c. 10. *Quid eſt amor, niſi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet & quod amatur*. Nonne violenti amoris impetu exclamat Apoſt. *cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto*. Deinde nullus eſt juſtus etiam perfectiſſimus, qui variis ſemper & ubique non vexetur tentationibus, quas proculdubio ſuperare nequit, niſi juxta Apoſtoli præceptum Eph. 6. in omnibus aſſumat fidei ſcutum & Spei galeam; hoc eſt in Deum fiduciam. Igitur jure ac merito ab Eccleſia plurimæ damnatæ ſunt propoſitiones quorumdam Pſeudo myſticorum doctrinam contrariam aſtruentium, tamquam temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam erroneas.

QUÆSTIO V.

Qui ſit timor Domini?

Not. 1. LIcet Spes omninò certa ſit ratione ſui utpote quæ nitatur motivo certo & infallibili, promiſſis nempe Dei veracis ac omnipotentis, de quibus dubitare ac diffidere nefas eſt. Incerta tamen eſt reſpectu noſtri; cum ex parte cooperationis noſtræ multi defectus oriri poſſint ſoleantque, quibus promiſſionum divinarum effectus impediuntur; quo fit ut juxta Apoſt. Philip. 2. cum metu ac tremore

more ſalutem noſtram operari debeamus: De hoc timore ſpecialiter nobis hic eſt agendum, de eo ſcilicet, qui moraliter bonus vel malus eſt, quique ad bonum vel malum nos inducit; non autem de timore naturali hominibus, ac belluis communi, qui de ſe nec bonus nec malus eſt, ut timor mortis, laboris, aut ægritudinis, &c.

Not. 2. Quadruplicem aſſignari timorem moralem. 1. Dicitur mundanus ſeu humanus, quo incommodum temporale magis quàm offenſa Dei formidatur. 2. Dicitur ſervilis, quo quis à peccato retrahitur nè pœnam incurrat, & is duplex aſſignatur *ſerviliter ſervilis*, ſeu cum ſervilitate ſervilis, quo ſola pœna ita propter ſolam pœnam formidatur; ut, ſi pœna non adeſſet, peccator timens, peccatum libenter committeret, & *ſimpliciter ſervilis*, ſeu abſque ſervilitate, quo ſola quidem pœna per fidem aprehenſa formidatur; ſed non ita principaliter, ut timens peccator in fuga ſolius pœnæ finem ultimum conſtituat; & ſic affectum peccati intus latitantem conſervet. 3. Timor dicitur *filialis*, ſeu caſtus aut reverentialis, quo quis peccatum refugit, nè Dei offenſam incurrat. 4. Tandem dicitur *initialis*, quo initio converſionis culpam ſimul & pœnam timemus; ſeu quo peccatum, quatenus Dei offenſam & pœnæ inductivum fugimus.

Not. 3. Apud omnes eſſe indubitatum. 1. Timorem humanum ſemper eſſe vitioſum. Inordinatum eſt enim, ut patet, creaturam creatori, & bonum noſtrum gloriæ Dei anteponere. Certum eſt. 2. Apud omnes, timorem ſerviliter ſervilem malum eſſe, propter adjunctam ſervilitatem; hoc eſt propter affectum ipſum peccatis intus latitantem; qui utique intrinſece malus eſt, ſicut ipſamet peccati commiſſio. Certum eſt. 3. Laudabilem eſſe timorem initialem, à fortiori filialem; utpote qui motivo nitatur laudabili. Sola quæſtio eſt inter Catholicos & Hæterodoxos de timore ſimpliciter ſervili; utrùm nempe is bonus ſit & ſupernaturalis, ac voluntatem peccati excludat.

Dico I. Timor ſimpliciter ſervilis bonus eſt atque laudabilis.

Prob. 1. Ex Script. Prov. *Timor Domini principium ſapientiæ*; quod de timore pœnæ exponunt Baſilius in Pſalm. 32. & Auguſt. Tract. 9. in Epiſtil. Joan. Si autem principium ſit ſapientiæ; quis eum non eſſe bonum atque laudabilem ambigere poteſt? & Chriſtus ipſemet Dominus jubet nos, Math. 10. *Timere eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*; atqui hoc nos non juberet ſi timor ille malus eſſet. Ergo, &c.

Prob. 2. Auct. Conc. Trident. ſeſſ. ubi poſt quam diſpoſitiones ad juſtificationem enumeravit, tandem concludit ſeſſ. 6. Can. 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit*. Et Alex. VIII. hanc damnavit prop. 13. inter 31. *attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus*.

Prob. 3. Ex Patribus, inter quos ſolus ſufficiat Auguſtinus, quo ſe maximè jactant Heterodoxi in Pſalm. 127. *Bonus eſt & iſte timor & utilis, quo homo timet ne mittatur in gehenna*, & ſerm. 156. *Fac, fac, vel timore pœnæ, ſi nondùm potes amore juſtitiæ*, & de Cath. Rud. cap. 5. *Si nondum potes amare juſtitiam, time vel pœnam, ut pervenias ad amandum Juſtitiam*.

Prob. 4. Ratione. Actus Spei Theologicæ bonus eſt atque laudabilis; ſed nullus ſimpliciter timere poteſt gehennam æternam; quin ſimul virtualiter ſaltem & interpretativè actum Spei eliciat. Ergo, &c. Major patet ex dictis. Prob. min. Qui timet gehennam æternam, timet proculdubio pœnam damni; id eſt poſſeſſionis Dei carentiam, quæ gehennæ malum eſt maximum; ſed qui timet pœnam damni virtualiter ſaltem & interpretativè actum Spei elicit; cum idem ſit carentiam alicujus boni timere ac illud deſiderare. *Nulli* ſiquidem *dubium eſt*, inquit Aug. l. 83 qq. q. 33. *non aliam eſſe metuendi cauſam, niſi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus; aut non adipiſcamur ſperatum*: Ergo qui timet ſimpliciter ghennam æternam, neceſſarium eſt, ut ſaltem virtualiter & implicitè actum ſpei eliciat.

Obji. Plurimos ex SS. Patribus timorem ſervilem damnantes ob ſequentes rationes. 1. Quia timens culpam propter pœnam plus timet pœnam quam culpam, quod abſque dubio vitioſum eſt. 2. Quia qui vitat culpam propter pœnam, culpam non vitaret niſi adeſſet pœna; hæc autem diſpoſitio mala eſt. 3. Quia timens gehennam optat ipſam non eſſe, ſicque Deum peccati vindicem non eſſe,

℞. SS. Patres timorem non damnare ſervilem in ſe ſpectatum; ſed quatenus ſervilis

Digitized by Google

lis eſt; id eſt dùm hoc timore perculſus affectum peccati retinet, velletque, ſi poſſet, impunè peccare, quæ diſpoſitio, inquit D. Thom. 2. 2. q. 19. n. 4. non eſt de ratione timoris ſervilis. Unde ad 1. dicendum eſt timentem culpam propter pœnam, non plus timere pœnam quam culpam, niſi quandò ita affectus eſt, ut ſi pœna non eſſet culpam vellet, non autem quando ſimpliciter à culpa abſtinet, nè pœnam incurrat. Ad 2. Negandum eſt, quod qui timet culpam propter pœnam, culpam non vitaret, niſi pœna adeſſet. Licet enim nullum tunc aliud motivum habeat vitandi culpam, quàm pœnam propoſitam; omninò præſcindit, an ab alio motivo, vel non peccatum vitaret; in quo nullum eſt vitium. Ad 3. diſtinguendum timens gehennam optat, ut non ſit gehenna; ſi eam vult vitare, non vitando peccatum, C. ſi vitando peccatum. N.

Dico II. Timor ſimpliciter ſervilis gehennæ eſt ſupernaturalis.

Prob. Ant. Trident. ſeſs. 14. cap. 4. definientis contritionem imperfectam; *quæ ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur donum Dei eſſe & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis*. Accedit auctoritas Alex. VIII. qui in damnatione prop. 15. definivit metum gehennæ & pœnarum ſine benevolentia Dei propter ſe nedùm bonum eſſe motum, ſed & *ſupernaturalem*.

Prob. 2. Ratione. Nam ſi, ex Trident. citato, timor iſte quædam ſit ad juſtificationem diſpoſitio; evidenter ſequitur, ipſum eſſe ſupernaturalem; cum naturale nihil ad ſupernaturale hominem diſponere valeat. Adde quod idem Concilium, juſtificationis opus integrum gratiæ Dei adſcribat, cujus juſtificationis partem præcipuam timori gehennæ confert.

Dico III. Timor ſimpliciter ſervilis, verus & efficax, voluntatem peccati excludit.

Prob. 1. Ex Scrip. Exod. 20. *Venit Deus, ut terror illius eſſet in vobis & non peccaretis*. Prov. 8. *Timor Domini odit malum* Eccleſiaſtici. 1. *Radix ſapientiæ eſt timere Dominum. Timor Domini expellit peccatum; nam quis ſine timore eſt non poterit juſtificari*. Ergo voluntatem peccandi excludit, quæ proculdubio peccatum eſt.

Prob. 2. Ex Trident. ſeſs. 14. c. 4. ubi dicit contritionem imperfectam ex gehennæ & pœnarum metu conceptam, *ſi voluntatem peccati excludat*, ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponere. Si autem pœnarum metus voluntatem peccandi excludere poſſit quandonam excludet, niſi dum verus erit atque efficax?

Prob. 3. Ex SS. Patribus inter quos unus ſufficiat Auguſt. ſerm. 214. de temp. *Cum timetur pœna quam Deus minatur, diſcitur amari præmium quod pollicetur: ac ſic per timorem pœna bona vita retinetur*: Numquid bonam vitam retinet qui retinet voluntatem peccandi?

In Pſal. 127. Ubi vermis eorum non moritur. *Audiant hæc homines; & quia verè futura ſunt impiis, & timent, continent ſe à peccato: timent quidem, ſed non amant juſtitiam. Cum autem per timorem contineant ſe à peccato, fit conſuetudo juſtitiæ . . . . & jam incipit homo juſtè vivere*. Proculdubio à peccato non ſe continet, nec incipit juſtè vivere, cui peccandi voluntas ineſt.

Tract. 9. in Epiſt. Joan. *Initium ſapientiæ timor Domini. Timor quaſi præparat locum charitati. Si nullus timor, non eſt qua intret charitas*; ſed ubi eſt locus charitatis, ibi non adeſt voluntas iniquitatis.

De vocat Gent. l. 2. c. 19. *Hunc autem conſenſum* ad bonum ſcilicet *non ſolam cohortatio prædicantium . . . . ſed & metus gignit; propter quod ſcriptum eſt. Principium ſapientiæ timor Domini, qui quantiſque terroribus inferatur, non aliud agit quàm, ut quem fecerit timentem faciat & volentem*, ſc. bonum, *non ſolum volentem ſed etiam ſapientem . . . . per timorem; illa, quæ mentem premebat, caligo diſcutitur; ut voluntas depravata prius, atque captiva, recta efficiatur & libera*.

Obji. Ipſum Sanct. Aug. docentem, cum plurimis aliis Patribus, timorem pœnæ hominum corda nec convertere, nec immutare; & peccatorem hoc timore perculſum in ſua nequitia pergere, & ſemper nefarium perſeverare.

℞. Sanctos Patres non ſibimet contrarios eſſe; unde videndum eſt quo ſenſu timor gehennæ convertat & immutet corda hominum, & quo ſenſu nec convertat nec immutet. Convertit & immutat, quatenus peccator per hunc timorem peccatum vitare, odio habere, ac deteſtari incipiat, quo fit ut longè minus peccator evadat. Non convertit autem nec immutat; quatenus ſemper denominatur peccator, ob ſibi intrinſecè & habitualiter inhærentem peccati maculam, quæ abſque charitate dilui minimè

nimè poteſt. Hæc accedit quod in pleriſque Sanctorum Patrum textibus nobis apparenter oppoſitis non de timore ſimpliciter ſervili, ſed de ipſo, reduplicativè ut ſervili, ſeu ſecundum ſuam ſervilitatem, ſermo fiat.

QUÆSTIO VI.

Quænam ſint vitia Spei oppoſita?

Not. DUo eſſe vitia Spei oppoſita; deſperatio nimirum, & præſumptio, de quibus nonnullæ quæſtiones breviter ſunt exponendæ.

QUÆR. 1. Quid ſit deſperatio?

℟. Deſperatio definitur, *voluntaria & omnimoda abjectio Spei Beatitudinem conſequendi, vel media ad eam conducentia*. Dicitur 1. *Abjectio* ſeu receſſus poſitivus à Beatitudine; quia ſicut ſperans ad Deum poſſidendum poſitivè accedit, ita deſperans ab eo recedit. Dicitur 2. *Voluntaria*; nec enim diffidentiæ involuntariæ, quas etiam Sanctiſſimi plerumque ex Dæmonis tentatione patiuntur, veræ ſunt deſperationes. Dicitur 3. *Omnimoda*: quia ſi aliqua, vel remiſſa, Spes ſuperſit, non eſt deſperatio. Dicitur 4. *vel media ad eam conducentia*; quia ſicut Spei duplex aſſignatur objectum; primarium ſcilicet, id eſt ipſam beatitudinem, & ſecundarium auxilia gratiæ & bona opera, quibus obtinetur; Ita duplex eſt deſperationis objectum, ut obtentu impoſſibile apprehenſum. Ideò non minus deſperat; qui dicit remiſſionem peccatorum non obtinebo, quam qui dicit impoſſibile eſt ut aſſequar beatitudinem.

QUÆR. 2. Quid ſit præſumptio?

℟. *Temerariam* eſſe *beatitudinis, & mediorum ad eam aſſequendam neceſſariorum, exſpectationem*. Quod triplici modo evenire poteſt; vel dum quis ſolius naturæ viribus beatitudinem æternam comparare præſumit; & hæc eſt temeritas Pelagiana; vel dùm quis ſolo Dei concurſu abſque bonis noſtris operibus eam ſe poſſidere poſſe arbitratur, & hæc dicitur temeritas Lutherana; vel tandem dùm quis miſericordiæ divinæ nimiùm innitens, pœnitentiam ad finem uſque vitæ ſuæ differt, & hæc dicitur malorum Chriſtianorum temeritas. Ex quibus patet deſperationem contra Spem pugnare per defectum, præſumptionem verò per exceſſum; non quidem ex parte Dei, cum nullus unquam in Deum nimis ſperare, ſicut nec nimis diligere, aut in eum credere poſſit; ſed ex parte ſubjecti ſperantis, qui ordine indebito, & quod Deus non promiſit, ſperare poteſt.

QUÆR. 3. Utrùm & quando deſperatio, & præſumptio adjunctum ſecum habeant infidelitatis peccatum?

℟. Deſperationem & præſumptionem neceſſario infidelitatem non præſupponere; quia, licèt quis generaliter credat Chriſtum v. g. pro omnibus eſſe mortuum; & nulli auxilia ad ſalutem neceſſaria denegari; actum tamen deſperationis elicere poteſt, propter ſibi propriam aliquam circumſtantiam; propter nimirum peccatorum ſuorum gravitatem, tentationum moleſtiam, aut cætera hujuſmodi. Item, licèt quis omninò ſit perſuaſus de pœnitentiæ aut aliorum bonorum operum neceſſitate ad ſalutem acquirendam, de divina miſericordia præſumere poteſt, curam ſalutis negligendo & pœnitentiam de die in diem ad mortem uſque procraſtinando. Contingit tamen ſæpius, infidelitatem deſperationis aut præſumptionis motivum eſſe impulſivum. Si nempe deſperans aut præſumens judicet v. g. Deum impoſſibilia jubere, vel homines ſola fide juſtificari; quæ circumſtantia infidelitatis proculdubiò in confeſſione eſt aperienda.

QUÆR. 4. Quam gravia ſint peccata deſperatio & præſumptio?

℟. Eas eſſe ex genere ſuo graviſſima peccata, etiamſi hæreſim non habeant annexam. Ratio D. Thom. eſt quia, cum virtutes Theologicæ habeant Deum pro objecto ſuo immediato, peccata eis oppoſita important primò & per ſe averſionem ab eo; ideòque ſunt ex genere ſuo graviſſima. Dixi *ex genere ſuo*; à mortali ſiquidem excuſare poſſunt indeliberatio, aut ſubreptio, aut conſenſus imperfectio; ſed ab eo non excuſat parvitas materiæ, quia nullus deſperare poteſt abſque contemptu bonitatis divinæ, qua Deus ſeipſum offert in præmium & beatitudinem noſtram; nec etiam temerariè præſumere, quin Dei gratiam & adjutorium; quo ad bonum promovemur, & ſine quo nihil facere valemus, deſpiciat: omnis autem Dei aut donorum ejus, vel leviſſimus contemptus mortale eſt peccatum ob graviſſimam, quam Deo infert injuriam. Ideòque deſperatio & præſumptio peccata dicuntur in Spiritum ſanctum; utpote, quæ ſpecialiter contra Dei bonitatem, ejuſque dona pugnant. Obſervandum tamen eſt præſumptionem malorum Chriſtianorum, qua quis ſibi imaginatur, Deum modo

Digitized by Google

modo extraordinario, ut Latroni in Cruce pendenti, gratiam & miſericordiam conceſſurum, parvitatem materiæ ſuſcipere; quia poteſt eſſe abſque donorum Dei contemptu, & tunc habitum ſpei non perimere; cum rationem ſpei, & fundamentum non omninò evertat, Dei nimirum miſericordiam.

CAPUT II.

De Charitate.

✠
(*)

Propoſitiones Damnatæ in materia Caritatis erga Deum.

1. „ Caritas perfecta, & ſincera, quæ eſt de „ corde puro, & conſcientia bona, & fide „ non ficta, tam in Cathecumenis, quam „ in Pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſio„ ne peccatorum. Damnata fuit a S. Pio „ V. an. 1567. Eſt in ord. 31.
2. „ Caritas illa, quæ eſt plenitudo legis, „ non eſt ſemper conjuncta cum remiſſio„ ne peccatorum. Ab eodem. Eſt 32.
3. „ Cathecumenus juſtè, rectè, & ſanctè vi„ vit, & mandata Dei obſervat, ac legem „ implet per caritatem, ante obtentam „ remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſ„ mi lavacro demum percipitur. Ab eo„ dem. Eſt 33.
4. „ Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis „ videlicet, quo Deus amatur, ut auctor „ naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur „ ut beatificator, vana eſt, & commenti„ tia, & ad illudendum ſacris Litteris, & „ plurimis Veterum teſtimoniis excogitata. „ Ab eodem. Eſt 34.
5. „ Omnis amor creaturæ rationalis, aut vi„ tioſa eſt cupiditas, qua mundus diligi„ tur, quæ a Joanne prohibetur, aut lau„ dabilis illa caritas, qua per Spiritum „ Sanctum in corde diffuſa, Deus amatur. „ Ab eodem. Eſt 38.
6. „ Non eſt vera legis obedientia, quæ fit „ ſine caritate. Ab eodem. Eſt 16.
7. „ Abſurda eſt eorum ſententia, qui di„ cunt, hominem ab initio dono quodam „ ſupernaturali, & gratuito ſupra condi„ tionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum ut „ Fide, Spe, & Caritate Deum ſuperna„ turaliter coleret. Ab eodem. Eſt 23.
8. „ Homo exiſtens in peccato mortali, ſive „ in reatu æternæ damnationis, poteſt ha„ bere veram caritatem, & caritas etiam „ perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æter„ næ damnationis. Ab eodem. Eſt 70.
9. „ Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore „ tenetur elicere actum Fidei, Spei, & „ Caritatis ex vi præceptorum Divinorum „ ad eas virtutes pertinentium. Damnata „ fuit ab Alexandro II. an. 1665. Eſt 1.
10. „ An peccet mortaliter, qui actum di„ lectionis Dei ſemel tantum in vita eli„ ceret, condemnare non audemus. Da„ mnata fuit ab Innocentio XI. an. 1679. „ Eſt 5.
11. „ Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigo„ roſè quinquenniis, per ſe obligare præ„ ceptum caritatis erga Deum. Ab eo„ dem. Eſt 6.
12. „ Tunc ſolum obligat, quando tenemur „ juſtificari, & non habemus aliam viam, „ qua juſtificari poſſimus. Ab eodem. Eſt 7.
13. „ Revera peccat, qui odio habet pecca„ tum merè ob ejus turpitudinem, & di„ ſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad „ Deum offenſum reſpectu. Damnata fuit „ ab Alexandro VIII. an. 1690. Eſt 9.
14. „ Intentio, qua quis deteſtatur malum, „ & proſequitur bonum, mere ut cœleſtem „ obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo „ placens. Ab eodem. Eſt 10.
15. „ Omne quod non eſt ex fide Chriſtiana „ ſupernaturali, quæ per dilectionem ope„ ratur peccatum eſt. Ab eodem. Eſt 11.
16. „ Quiſquis etiam æternæ mercedis intui„ tu Deo famulatur, caritate ſi caruerit, „ vitio non caret, quoties licèt intuitu bea„ titudinis operatur. Ab eodem. Eſt 13.
17. „ Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu „ tu concipitur ſine dilectione benevolen„ tiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus „ ſupernaturalis. Ab eodem. Eſt 15.
18. „ Bonitas objectiva conſiſtit in convenien„ tia objecti cum natura rationali: formalis „ verò in conformitate actus cum regula „ morum. Ad hoc ſufficit, ut actus mora„ lis rendat in finem ultimum interpreta„ tivè. Hunc homo non tenetur amare, „ neque in principio, neque in decurſu vi„ tæ ſuæ mortalis. Damnata fuit ab Ale„ xandro VIII. an. 1690.

Propoſitiones Damnatæ in materia Caritatis erga Proximum.

1. „ Non tenemur Proximum diligere actu „ interno, & formali. Damnata fuit ab „ Innocentio XI. an. 1679. Eſt 10.
2. „ Præcepto Proximum diligendi ſatisfacere „ poſſumus per ſolos actus externos. Ab „ eodem. Eſt 11.
3. „ Si cum debita moderatione facias, po„ tes abſque peccato mortali de vita ali„ cujus triſtari, & de illius morte naturali „ gaudere, illam inefficaci affectu petere, „ & deſiderare, non quidem ex diſplicen„ tia perſonæ, ſed ob aliquod temporale „ emolumentum. Ab eodem. Eſt 13.

4. „ Li-

4. „ Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere „ mortem Patris, non quidem ut malum „ Patris, ſed ut bonum cupientis: quia „ nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas. Ab eodem. Eſt 14.

5. „ Licitum eſt filio gaudere de parricidio „ parentis a ſe in ebrietate perpetrato, „ propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas. Ab eodem. Eſt 15.

6. „ Vix in Sæcularibus invenies, etiam in „ Regibus, ſuperfluum ſtatui, & ita vix „ aliquis tenetur ad eleemoſinam, quando „ tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui. Ab „ eodem. Eſt 12.

(*)

Caritas, non ſecus, ac duæ priores virtutes Theologicæ, variè accipitur. 1. Pro objecto, circa quod verſatur: *Deus Caritas eſt*. 2. Pro Dei in homines dilectione: *Caritate perpetua dilexi te*. 3. Pro quocumque amore boni, aut qualibet bona voluntate: ut ſæpius ab Aug. ſumitur Lib. de gr. Chriſti c. 21. *Quaſi vero aliquid ſit bona voluntas, quam caritas*. Et in Pſal. 136. *Ipſa eſt caritas, quæ dicitur & bona voluntas* & lib. 8. de Trin. c. 10. *Quid eſt dilectio vel caritas, niſi amor boni*. 4. Sumitur pro amore, quo creatura rationalis Deum proſequitur. De caritate eo ultimo ſenſu ſumpta in hoc capite dicitur. Ejus naturam & diviſiones, objectum & ſubjectum, affectiones & proprietates, affectus & officia, peccata, aut vitia oppoſita exponemus.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit Caritas?

Not. 1. Cum Caritas verus & proprius amor ſit; ſciendum eſt quid ſit amor in genere, priuſquam quid ſit caritas in ſpecie exponamus. Amor in genere eſt *motus voluntatis in bonum*; & triplex aſſignatur, concupiſcentiæ, benevolentiæ, & amicitiæ. 1. Eſt motus voluntatis, quo aliquod, ut nobis bonum & conveniens exoptamus. 2. Eſt motus voluntatis, quo alteri bene volumus & facimus, quantum in nobis eſt, non noſtri, ſed illius gratia & propter ipſum. 3. Eſt amor ipſemet benevolentiæ inter duos reciprocus, amicum amatum & redamantem connotans.

Not. 2. Amor Benevolentiæ erga Deum multipliciter dividitur. 1. Alius eſt habitualis, alius actualis. 2. Alius eſt naturalis, quo Deus, ut auctor naturæ diligitur: alius ſupernaturalis, quo, ut auctor gratiæ & gloriæ amatur: Et hanc diviſionem nec vanam eſſe, nec commentitiam definivit Eccleſia in damn. prop. 34. & 36. inter Bajanas. 3. Alius eſt affectivus, qui totus in corde manet: alius effectivus, qui effectibus ſe prodit. 4. Alius eſt inefficax, qui nudum eſt deſiderium, aut ſimplex velleitas, quæ ad effectum non tranſit: Alius efficax, qui aliquid in amante erga amatum producit. 5. Alius eſt ſuper omnia, quo Deus præ omnem creaturam diligitur: alius non ſuper omnia, quo Deus diligitur quidem, ſed minus quam creatura; ut dum quis affectum moralem ad creaturam retinens das eleemoſynam propter Deum. 6. Alius eſt ſuper omnia remiſſus, id eſt in ultimo gradu: alius intenſus, id eſt in ſummo gradu fervoris & intentionis, is à primo non differt, niſi accidentaliter. His notatis.

Dico I. Caritas verè ac propriè dicta eſt *virtus Theologica atque ſupernaturalis, qua Deum ſuper omnia efficaciter propter ſe diligimus, & nos & proximos noſtros propter ipſum*.

Prob. Et exponitur definitio:

Dicitur 1. *Virtus*; quia habentem ſe, facit ſimpliciter bonum, utpotè, quæ omne peccatum ſaltem mortale expellat, hominem Deo conjungat, & illum ad omnes virtutes moveat, tamquam earum forma & vita; ſine qua dicuntur informes imperfectæ, atque mortuæ.

Dicitur 2. *Theologica*; cum Deum immediatè reſpiciat, ſicut cæteræ Theologicæ, inter quas major atque perfectior eſt.

Dicitur 3. *Supernaturalis*; cum ſupernaturaliter ſit infuſa per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, & ſine quo Deum ſicut oportet diligere non valemus.

Dicitur 4. Qua *Deum ſuper omnia diligimus*: quia Caritas Deum amat, ut Deus eſt; non eſt autem Deus, niſi quatenus perfectiſſimus eſt, proindeque ſuper omnia diligendus.

Dicitur 5. *Efficaciter*; quia præcipuus ille affectus qui cæteris dominatur, iners & otioſus eſſe non poteſt: Ideò ſi ſit inefficax, vere ac propriè dicta caritas non eſt.

Dicitur 6. *Propter ſe*; per quod eſſentialiter differt à ſpe. Ipſa enim ſuper omnia Deum diligit propter ſuum commodum, & tamquam ſummum ſuum bonum, non autem propter ipſum.

Dicitur 7. *Nos & proximos noſtros*, id eſt creaturas omnes beatitudinis æternæ capaces;

paces; quæ ſunt, ut mox dicetur, caritatis objectum ſecundarium.

Dicitur 8. *Propter ipſum*; quia res amici ſummè dilecti ſunt in ejus uſum & commodum convertendæ. Cum igitur per caritatem Deum ſummè diligamus, nihil eſt quod ad eum referre non debeamus. Ideò ſi nos ipſos aut proximum propter aliud motivum amore proſequamur, non eſt Caritas Theologica verè ac propriè dicta.

Dico II. Caritas verus eſt amor amicitiæ inter Deum & homines,

Prob. 1. Ex Script. Sap. 7. Ubi dicitur de ſapientia, quæ abſque caritate non eſt; *qua qui uſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei*, & Joan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio verbis; jam non dicam vos ſervos .... Vos autem dixi amicos.*

Prob. 2. Ratione & auct. D. Th. q. 23. a. 1. Quia conditiones ad veram amicitiam requiſitæ perfectiſſimè conveniunt caritati. 1. Quod ſit amor benevolentiæ mutuus. Joan. 14. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* 2. Quòd ſit utrique notus; novimus enim, ſi non certitudine phyſica, ſed morali, nos à Deo diligi per ſpiritum ejus juxta Apoſt. Rom. 7. *Qui teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* 3. Quod inter amicos bonorum ſit communio 1. Cor. 1. *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus.* 4. Quod amici ſint uniti. 1. Joan. 4. *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Obji. Amor amicitiæ debet eſſe gratuitus & propter ipſum qui amatur; Deus autem non amat nos propter nos, ſed propter ſe ipſum. Deinde in amicitia requiritur æqualitas: Nulla eſt autem inter Deum & homines.

℞. Deus amando nos propter ſe ipſum, amat nos propter id ad quod ordinamur & propter beatitudinem noſtram: ordinamur ſiquidem ad Deum, & ipſe eſt beatitudo noſtra, ideoque perfectiſſima eſt ejus amicitia. Sicut perfecta eſſe poteſt amicitia inter juſtos, qui mutuò ſe ſe propter Deum diligunt. Deinde falſum eſt quod in amicitia requiratur neceſſariò æqualitas omnimoda, aliqualis planè ſufficit. Hanc eſſe conſtat inter Deum & homines juſtos ex illo 1. Jo. 3. *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & ſimus.*

Dico II. Caritas non eſt Spiritus ſanctus, ſed quid ab eo diſtinctum.

Prob. Ex illo Rom. 5. *Caritas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Deinde de fide eſt ex Trid. ſeſſ. 6. can. 11. In juſtificatione infundi caritatem, quæ cordibus inhæret; ex quo ſic argumentari licet: Ea diſtinguuntur realiter, quæ relativè ſunt oppoſita; atqui Spiritus ſanctus & caritas relativè opponuntur, cauſa ſiquidem relativè opponitur effectui, & infundens infuſo, Ergo &c. Ideò hæc ſententia à Theologis communiter rejicitur, ut erronea; cum pugnet contra concluſionem, quæ ex propoſitione fidei evidenter elicitur.

Obji. Illud 1. Joan. 4. *Deus caritas eſt.*

℞. Diſtinguo Deus caritas eſt æterna & increata. C. creata N. vel ſic diſtingue caritas eſt Deus participativè C. ſubſtantialiter N. Eodem ſenſu nimirum, quo Deum vitam noſtram dicimus.

QUÆSTIO II.

Quid ſit objectum, & ſubjectum Caritatis?

Not. Hic caritatis objectum materiale, & formale inquirimus, ſicut ſubjectum ejus mediatum & immediatum; ut de cæteris virtutibus inquiſivimus.

Dico I. Objectum materiale primarium Caritatis eſt Deus: ſecundarium, nos ipſi & proximi: reductivè, ſunt res omnes tum naturales tum ſupernaturales, quatenus in Dei gloriam cedere poſſunt & ad ipſum referuntur.

Prob. Ex D. Aug. l. 1. de Doct. Chriſt. c. 23. *Cum ergo quatuor ſint diligenda unum, quod ſupra nos eſt; alterum, quo nos ſumus; tertium, quod juxta nos eſt; quartum, quod infra nos eſt &c.* Objectum quod ſupra nos eſt, Deus eſt ſolus, quem principaliter diligimus, & ad quem omnia quæ diligimus reducuntur. Quod nos ipſi ſumus, eſt integra perſona noſtra, anima & corpore conſtans. Quod juxta nos eſt, omnis eſt rationalis creatura, ſive Angelus, ſive homo, ſive infidelis, ſive fidelis, ſive peccator, ſive juſtus, ſive amicus, ſive inimicus, ſive hæreticus, ſive catholicus: uno verbo, qui beatitudinis ſunt capaces, aut qui ſicut & nos vocati ſunt in ſocietatem Filii Dei Jeſu Chriſti Domini noſtri. Quod infra nos eſt, ſunt res omnes, vel natura, vel ſtatu nobis inferiores; quæ aliquo modo ad Deum referuntur. Siquidem Caritas rerum amici curam

Digitized by Google

curam gerit; non propter ipſasmet præciſè, ſed propter amicum, cui prodeſſe poſſunt. Cum igitur omnes creaturæ ſint res Dei, in gloriam ejus productæ & conſervatæ, ad objectum caritatis reduci poſſunt. Sic Seraphicus Pater Franciſcus, ignem & ſolem, aves & pecudes, cicadas ipſas &c. amicabili nomine fratrum & ſororum honorabat; eaque, propter Deum à ſe ſuper omnia dilectum, diligebat.

Obji. 1. Ex D. Greg. Caritas, niſi inter alios haberi non poteſt. Ergo homo ſe ipſum caritate diligere nequit. 2. Peccatores ſunt Dei inimici; Ergo non ſunt à nobis diligendi. 3. Amor ſui maximè corporis eſt inordinatus. 4. Excommunicati ab unione & caritate Fidelium dicuntur præciſi. 5. Horrendum eſt dicere, quòd diabolos diligamus, qui tamen ſunt res Dei.

℞. 1. Caritas, prout eſt amor amicitiæ, non niſi inter duos haberi poteſt C. Caritas prout eſt amor benevolentiæ, N. 2. Peccatores ſunt Dei inimici ipſique odibiles, quatenus peccatores & ratione malitiæ, C. quatenus ſunt creaturæ rationales beatitudinis capaces, N. ſub hoc ſiquidem reſpectu à Deo ipſo diliguntur. 3. Amor ſui maximè corporis eſt inordinatus, ſi in eo finis ultimus conſtituatur, C. ſi ad Deum referatur, N. 4. Excommunicati præciſi ſunt à ſignis publicis unionis & caritatis, C. ab ipſamet caritate, N. 5. *Naturam dæmonum*, inquit D. Thom. cit. c. 11. *Etiam ex caritate diligere poſſumus; in quantum ſcilicet volumus illos ſpiritus in ſuis naturalibus conſervari ad Dei gloriam.*

Dico II. Objectum formale caritatis eſt bonitas Dei infinita, qua infinitè eſt amabilis.

Prob. Quia illud eſt objectum formale, quod eſt ratio ſub qua virtus tendit in ſuum objectum materiale; ſed ratio, ſub qua, ſeu motivum propter quod Deus propter ſe ipſum diligitur, eſt ejus bonitas infinita, Ergo. Deinde per Caritatem Deo volumus bonum, ut ipſi bonum eſt; ſed Deus ſibi bonus eſt per bonitatem & perfectionem ſuam infinitam, Ergo.

Obji. 1. Non tantum poſſumus amare Deum, quia bonus eſt; ſed etiam quia ſapiens eſt, & juſtus, Ergo ſola ejus bonitas non eſt objectum formale caritatis.

℞. Poſſumus quidem diligere Deum, quia ſapiens & juſtus eſt; ſed ſic non eum diligimus, niſi quia ſapientia & juſtitia ejus infinitè ſunt bonæ.

Obji. 2. Amare non poſſumus proximum propter Deum; Ergo Bonitas Dei infinita; non eſt ſaltem objectum formale Caritatis erga proximum. Prob. ant. Nullus amatur propter bonitatem ſibi extrinſecam; atqui bonitas Dei eſt extrinſeca proximo, ergo non poſſumus amare proximum propter bonitatem Dei.

℞. Diſt. Nullus amatur propter bonitatem ſibi extrinſecam, ſi nullum ordinem ad illam habeat, C. ſi habeat, N. Proximus autem multis titulis, ut patet, ad Deum refertur ex quo concludendum eſt unam & eamdem eſſe charitatem, qua diligimus Deum & proximum; cum unum & idem ſit utriuſque dilectionis motivum.

Dico III. Eadem eſt ſpecie caritas in juſtis omnibus, ſive in terris militantibus, ſive in Cœlis regnantibus.

Prob. Ex Apoſt. 1. Cor. 13. *Caritas*, inquit, *numquam excidit*. Excideret autem, ſi non maneret eadem; & prior quæ fuit in terris evacuaretur, ut locum daret alteri caritati diverſæ ſpeciei. Deinde eadem eſt gratia ſanctificans in juſtis beatis ac injuſtis viatoribus, Ergo eſt eadem caritas; cum gratia ſanctificans à caritate habituali, juxta Theologorum communiorem ſententiam, non diſtinguatur.

QUÆSTIO III.

Quænam ſint Caritatis affectiones; & proprietates.

Quinque numerantur Caritatis affectiones & proprietates: Neceſſitas nimirum, modus, ordo, accretio, munitio: De tribus prioribus nunc agendum, de poſterioribus opportunis in Tractatu de Gratia.

ARTICULUS I.

De Caritatis neceſſitate.

Not. Certum eſſe primo Caritatem habitualem neceſſitate medii omnibus, tum parvulis, tum adultis eſſe neceſſariam; cum ſine ejus infuſione, nec peccatum remittatur, nec ſalus obtineri poſſit. Certum eſt 2. Caritatem actualem parvulis non eſſe neceſſariam. Licet enim hunc actum non poſſint elicere, per Baptiſmum tamen gratiam & ſalutem conſequuntur; Igitur quæſtio eſt tantummodò de adultis; an actualis caritas, tum Dei tum proximi, ipſis

ipſis neceſsaria ſit neceſſitate præcepti, & quando.

Dico I. Exſtat ſpecie præceptum ab aliis diſtinctum, non ſolum quidquid caritati opponitur fugiendi, ſed & actum caritatis internum ſæpius eliciendi.

Prob. 1. Ex Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*: Et hoc mandatum dicit Chriſtus Dominus, Matth. 22. *Maximum eſſe & primam mandatum*. Nullus autem Deum diligere poteſt *ex toto corde*, niſi eum poſitivè actu interno diligat. Deinde iſtud mandatum ideò dicitur primum & maximum, quia primò & per ſe eſt finis omnium mandatorum, juxta illud Apoſtoli. *Finis præcepti eſt caritas de corde puro &c.* Finis autem, inquit D. Bonav. 3. diſt. 27. a. 21. q. 6. potius præcipitur quam media, juxta illud axioma, *In quolibet genere id quod eſt per ſe, potius eſt eo, quod eſt propter aliud.*

Prob. 2. Si hoc præceptum numquam obligaret, vel ſemel tantummodò, aut ter, aut quater in vita obligaret; ſequeretur hominem numquam vel ferè numquam reneri merita ad ſalutem aſsequendam neceſſaria ſibi comparare, cum nullum meritum habere poſſit, niſi ex caritatis impulſu. Unde jure ac merito damnatæ ſunt ſequentes prop. ab Alexandro VII. & Innoc. XI. *Homo nullo umquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. Non peccat mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret. Probabile eſt, nè ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum. Tunc ſolum obligat quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam, viam qua juſtificari poſſumus.*

Dico II. Nulla exſtat obligatio ſemper & ubique Deum diligendi; ſeu omnia prorſus opera noſtra in Deum per veram caritatem dilectum referendi.

Prob. 1. Auctor. Trident. Conc. & ſum. Pontificum ſupra citatorum, qui definierunt eum non peccare, qui gehennæ metu ad miſericordiam Dei confugit; Attritionem, quæ gehennæ metu, ſine dilectione benevolentiæ Dei, propter ſe eſse bonum motum; intentionem, qua quis deteſtatur malum & proſequitur bonum merè, ut cæleſtem obtineat gloriam, eſse rectam ac Deo placentem; Deo famulantem æternæ mercedis intuitu, caritate ſi caruerit, vitio carere; non peccare qui odio peccatum habet, merè ob ejus turpitudinem & diſconvenientiam à natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu: Ex quibus evidentiſſimè concluditur, nullam extare obligationem omnia prorſus opera noſtra in Deum per veram caritatem dilectum referendi.

Prob. 2. Ex damnatione hujus prop. 38. & ſimilium. *Omnis amor creaturæ rationalis; aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum ſanctum in corde Deus amatur.* Ergo omnis actio, quæ per veram caritatem ad Deum non refertur, vitioſa non eſt.

Prob. 3. Ex D. Aug. ſer. 344. de amore Dei & ſæculi. *Amorem parentum, uxoris, filiorum non abſtulit, ſed ordinavit. Non dixit, qui amat, ſed qui amat ſuper me.* Et ſerm. 52. de temp. c. 1. *Caritas alia eſt divina; alia humana: alia eſt humana licita, alia illicita . . . . . Prius ego loquor de humana licita, quæ non reprehenditur.* Et hom. 38. inter 50. *Incipiat amor licitus à conjugio, ſed adhuc carnalis eſt, ſecundus amor filiorum eſt, ſed adhuc carnalis eſt.*

Prob. 4. Auct. D. Thom. 1. part. q. 60. a. 2 ad 3. *Dicere quod inclinatio naturalis non ſit recta, eſt derogari naturæ. Alia eſt rectitudo naturalis dilectionis, & alia rectitudo caritatis & virtutis; quia una rectitudo eſt perfectiva alterius.* Et 2. 2. q. 19. a. 6. *Alius eſt modus ſe ipſum diligendi, qui à charitate quidem diſtinguitur, ſed charitati non contrariatur; puta, cum aliquis diligit ſeipſum, ſecundùm rationem proprii boni; ita tamen, quòd in hoc proprio bono non conſtituat finem. Sic etiam & ad proximum poteſt eſſe. Alia ſpecialis diſtinctio præter dilectionem caritatis, quæ fundatur in Deo; dum proximus diligitur ratione commoditatis, conſanguinitatis, vel alicujus alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis ſit ad caritatem.*

Confirmatur Auctoritate & ratione ejuſdem S. Doctoris, quem ſuum dicere non erubeſcunt hæterodoxi. D. Th. 2. 2. q. 100. art. 10. Hanc ſibi proponit quæſtionem: *Utrùm modus obſervandi legem ex caritate cadat ſub præcepto divinæ legis.* S. Doctor negativè reſpondet. *Qui enim*, inquit, *præceptum non ſervat, peccat mortaliter. Si igitur modus obſervandi legem ex principio caritatis cadat ſub præcepto, ſequitur quod quicumque facit aliquid, nec id facit ex principio caritatis, peccet mortaliter. Jam*

qui-

Digitized by Google

quicumque non habet caritatem, ille non agit ex principio caritatis; Ergo ſequitur, quòd quicumque non habet caritatem, peccat mortaliter in omnibus ſuis actionibus quantumvis alioquin bonis; quod eſt inconveniens.

Obji. 1. Omnia quæcumque facitis, inquit Apoſt. 1. Cor. 10. in gloriam Dei facite; quod verum eſt præceptum juxta D. Thomam, & plurimos alios doctores, ergo tenemur omnes omninò actiones noſtras ad Deum caritatis impulſu referre.

℞. Negatur à pluribus maximè à D. Bonav. 2. diſt. 41. a. 1. q. 3 Hoc non eſſe verum, ac rigoroſum præceptum, ſed duntaxat ſalubre conſilium. Quod ſi verò à nonnullis Patribus præceptum dicatur; præceptum ibi latè ſumitur pro perfectionis regula. Sed rectiùs dicendum videtur, verum eſse præceptum, ſed nihil inde adversùs veritatem catholicam concludi poſse; cum multipliciter actiones noſtras ad gloriam Dei referre poſſimus, abſque formali veræ caritatis impulſu.

1. Habitualiter: Dùm nempe, exiſtente homine in ſtatu habitualis gratiæ, manet diſpoſitus ad Deum amandum, & pro ejus gloria laborandum. 2. Negativè: Dùm nihil admittit, quod caritati & gloriæ Dei ſit contrarium; certum eſt enim ex D. Auguſt. in Pſalm. 34. Conc. 2. Qui non ſe inebriat, nec fraudem facit, nec mœchatur, &c. Deum glorificare, cum mandatorum Dei obſervantia ad gloriam ejus referatur. 3. Mediatè & implicitè; dum aliquid agit, quod ex natura ſua, inquit D. Thom. *referibile ſit ad caritatem*, ex motivo ſcilicet juſto, honeſto & rationabili. Hinc qui fidem ſervat, aut rem aliena reſtituit, ex motivo honeſtatis, aut juſtitiæ, mediatè actionem ſuam in Deum refert, ipſumque implicitè diligit, tum quia in hoc voluntatem ſuam divinæ conformat voluntati; tum quia honeſtatem & juſtitiam diligendo, ipſummet Deum, qui ſumma eſt juſtitia & fons totius honeſtatis, quodammodò diligit.

Objic. 2. Docet Auguſt. plurimis in locis, nihil benè fieri, niſi ex caritate: totumque quod benè amamus, amari per caritatem; Ergo quidquid ſine caritatis impulſu, aut ſine ad Deum dilectum per caritatem relatione, malum & vitioſum eſt.

℞. In his ac ſimilibus textibus Caritatem plerumque ſumi *latè* pro bona voluntate, aut pro amore boni; honeſtatis ſcilicet, aut juſtitiæ. Quod ſi verò quoſdam textus de vera caritate intelligere neceſse ſit; reſpondendum eſt, actiones ex caritate non factas dici non bonas; quia non ſunt perfectè & completè bonæ, ex duplici capite; tum quia non ſunt reſpectu noſtri omninò bonæ, cum nobis non ſint meritoriæ vitæ æternæ; tum quia non omninò bonæ ſunt, reſpectu ultimi finis, ad quem, nedum implicitè aut mediatè, ſed & immediatè & explicitè, referri deberet. Unde D. Thom. 2. 2. q. 23. ait. *Quandò uſus creaturarum refertur ad bonum particulare, quod ſit verum bonum: exempli cauſa, conſervatio Civitatis, vel quid ſimile;* hic uſus erit *quidem vera virtus, & verè bonus ſed imperfectus;* id eſt non perfectè bonus, quod non ſit formaliter relatus ad ultimum finem.

Obji. 3. Teſtantur plurimi ex SS. Patribus, duos eſse amores, unde omnes voluntatis actus prodeunt; amor mundi aut creaturarum, qui ſemper eſt malus; & amor creatoris, qui ſemper eſt bonus: Ergo.

℞. Amor creaturarum ſemper eſt malus, dùm creaturæ malæ ſunt, ac prohibitæ, vel dùm in ipſis finem ultimum ſtatuimus C. Secus N. Deinde amor Creatoris ſemper eſt bonus, ſed poſſumus amare Creatorem, vel immediatè, & explicitè, vel mediatè & implicitè, ut dictum eſt. Præterea ſi Sancti Patres quandoque dicant omnes actiones noſtras, vel à mala cupiditate, vel à charitate prodire; intelligendi ſunt in ſenſu accommodato, ſumendo terminum *omnes* quaſi dicerent *penè*, vel *propemodùm* omnes, ut ſæpe fit etiam in Scriptura ſacra.

Objic. 4. S.S. Patres plurimi docent, quòd ſola caritas non peccet: Ergo omnes actiones à caritate non fluentes peccata ſunt.

℞. Sola caritas non peccat; quatenus ea ſola abuti non poſſumus C. quatenus quidquid ex caritate non fluit peccatum ſit, N. ſiquidem certum eſt omnibus aliis virtutibus, etiam ſupernaturalibus, nos poſſe male uti; fide contra lumen ejus operando & ad malum utendo, pro ut faciunt Sagæ; Spe, de miſericordia Dei præſumendo: numquam autem Deus amatur per exceſſum; nec vero ejus amore utimur ad malum faciendum.

Objic. 5. Docent iterum S. S. Patres, nullam eſſe veram obedientiam veramque virtutem, abſque caritate, & Deum ſolam remunerare caritatem.

℞. Eodem ſenſu S.S. Patres dicunt, nullam eſſe veram obedientiam, nullamque virtutem abſque caritate, quo ſenſu dicit S. Jacob. quòd qui peccat in uno, factus eſt

Digitized by Google

omnium reus; quia is verè non obedit, qui in omnibus non obtemperat, maximè in primo & in omnium mandatorum maximo, quod eſt Caritas. Ideò tunc non eſt vera obedientia quia completa non eſt, licèt in ſe non ſit mala; ſed potius bona. Similiter ſi dicatur virtutem abſque caritate non eſſe bonam; ſenſus eſt quòd non ſit perfecta, nec Deus eam vita æterna coronet; defectu caritatis, quæ ſola hanc mereri poteſt, quæque ob id quandoque à S.S. Patribus ſola virtus dicitur; utpote quæ ſola ſit perfecta, atque completa, & legis plenitudo à qua cæteræ virtutes aliqualiter dependent, & ſine qua vitam æternam mereri non poſſunt.

Reſtat igitur probatum; nullam extare obligationem ſemper & ubique Deum diligendi. Quandò autem actus caritatis elicere teneamur; id, dùm de fide egimus, de qua pari modo ob eaſdem ferme rationes ratiocinandum eſt, jam expoſuimus; quod brevitatis gratia hic non refricabimus.

Dico II. Præcepto divino tenemur ſæpius diligere proximum, interno amore amicitiæ.

Prob. Ex Scrip. Matt. 22. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum:* Nos ipſos autem diligimus, nedùm externo, ſed interno amore, & Joan. 15. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*, nunquid Chriſtus non dilexit nos toto cordis affectu? Unde jure merito ſequentes propoſitiones ab Inn. XI. ſunt damnatæ. 1. *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.* 2. *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

QUÆR. Quandonam illud præceptum obliget.

℞. Certò determinari nequit tempus, quo per ſe actus internus dilectionis proximi obliget; ſed cum certum ſit ex dictis ſæpiùs obligare, utpote ſingulare, ac præcipuum Chriſti Domini præceptum; videtur eum à gravi peccato non fore immunem qui per menſem integrum ipſum nunquam eliceret; cum juxta prudentem exiſtimationem tam diuturna omiſſio gravis cenſeatur. Unde ut fideles timorati ab omnibus liberentur conſcientiæ ſtimulis, monendi ſunt, ut attentè Dominicam orationem ſæpius recitent; per hanc ſiquidem recitationem perfectiſſimè elici poſſunt, non ſolum actus Fidei, Spei & Caritatis erga Deum, ſed & dilectionis erga proximum; cum ea, quæ in dicta oratione poſtulantur, non pro nobis duntaxat, ſed pro omnibus hominibus poſtulentur.

℞. 2. Præceptum iſtud per accidens obligat. 1. Dum urget gravis odii tentatio, quæ abſque actu dilectionis contrario ſuperari nequit. 2. Dum tenemur proximo in aliqua neceſſitate, ſive corporali, ſive ſpirituali poſito, ſubvenire; quia Lex caritatis ſine actu interiori non impletur. Qui tamen ex ſolo naturali miſericordiæ motu proximo ſubveniret, contra hoc præceptum non peccaret; nec illud, ut patet, tranſgrederetur; qui tunc hujus præcepti materia tolleretur. 3. Dum proximo gravis injuria fit in bonis, tum corporis, tum animæ, tum famæ, tum fortunæ, infertur; quia proximum tenemur diligere ſicut nos ipſos; nullus eſt autem gravi injuria expetitus, qui eam ægerrimè non accipiat, acerbè triſtetur, & pro virili parte ſe ipſum defendere non innitatur. Ubi obiter obſervandum eſt, longè potiori ratione ad actum caritatis erga Deum nos ſtrictiſſimè teneri; cum Deum blaſphemiis, aut gravi quodam ſcelere, offendi deprehendimus.

ADNOTATIO 38.

(*)

Licèt verum ſit, quod ſi quis aliquando moveretur ex ſolo naturali motivo miſericordiæ ad Proximo in indigentia conſtituto ſubveniendum, contra præceptum dilectionis Proximi non peccaret; hoc tamen cautè accipiendum eſt: quia, ſi ſemper ita operaretur Homo erga Proximum ſuum, & numquam, aut ſaltem rariùs, quàm par ſit ex ſupernaturali impulſu ad agendum induceretur, proculdubio ita agentem præcepto ſpeciali dilectionis internæ non ſatisfacere; & per conſequens contra illud graviter delinquere, ex ſupra relatis damnatis Propoſitionibus clarè evincitur: Interna dilectio cadit ſub præcepto illo, quod ſuum ſpecialiter vocat D. Redemptor. Hæc dilectio eſt veluti teſſera Chriſtianitatis, ex qua Filii Dei, & Filii Diaboli facilè ſecernuntur. Filioli diligite alterutrum, *prædilectus Diſcipulus ex Hieronymo inceſſanter ajebat:* Præceptum enim Domini eſt, & ſi ſolus fiat ſufficit. *Qualis autem eſſe debeat iſta dilectio, jam alibi explicaverat dicens:* Filioli mei, non diligamus Verbo, neque lingua, ſed Opere, & veritate. *Epiſt.* 1. *cap.* 3.

(*)

ARTICULUS II.

De modo Caritatis.

Not. DEum poſſe diligi ſuper omnia tripliciter, Appretiativè; dum eum pluris

pluris facimus, quàm quodlibet aliud ita ut parati ſimul potius omnium, quàm ejus amicitiæ jacturam pati. Objectivè: Dùm plus ei bonum volumus, quàm omnibus aliis. Intenſivè tandem: dùm majori conatu & ardentiori affectu præ cæteris eum diligimus. Hoc notato, quæſtio eſt utrùm ad caritatis debitum neceſſe ſit, Deum non ſolum appretiativè aut objectivè, ſed, & etiam intenſivè ſuper omnia diligere, circa quod.

Dico. Ad implendum caritatis præceptum, ſufficit ut Deum ſuper omnia appretiativè & objectivè diligamus, licet omninò foret optandum, ut eum ſic etiam intenſivè diligeremus.

Prob. 1. Per caritatis præceptum nihil aliud jubemur, niſi ut Deum ſuper omnia & pluſquam omnia diligamus; atqui per amorem appretiativè ſummum, verè Deum ſuper omnia, & pluſquam omnia diligimus; cum per hunc amorem quodcumque aliud bonum vel malum pro ipſo contemnere parati ſimus. Unde D. Aug. lib. 21. de Civit. Dei c. 26. ait. *Qui has neceſſitudines, divitias ſc. Parentes, &c. ſic amat carnaliter, ut tamen eas Chriſto non præponat, & malit ipſis carere quàm Chriſto, ſalvus erit.*

Prob. 2. Illud per caritatis præceptum non præcipitur, quod caritati non eſt eſſentiale; atqui major vel minor intenſio caritatis non eſt eſſentialis, ſed tantùm accidentalis: Ergo. Major patet: Minor probatur. Illud eſt accidentale alicui rei, ſine quo res eſſe poteſt; atqui poteſt eſſe caritas ſine majori vel minori intenſione, cum ſine ea Deum verè ſuper omnia diligere poſſimus: Ergo intentio non eſt eſſentialis caritati.

Prob. 3. Creaturam intenſiùs, quàm Deum diligere poſſumus; licèt verè ac realiter ex intimo corde Deum plus diligamus; Ergo caritatis intenſio ad hoc implendum præceptum neceſſaria non eſt. Prob. ant. Ille verè & realiter ex intimo corde plus Deum diligit, quàm creaturam, qui ipſam pro Dei amore deſerere eſt paratus, quiquè longè majus bonum ipſi deſiderat; atqui ſic parati ſunt plerique juſti, licèt nonnullas creaturas intenſiùs quam Deum diligant. Juſti ſiquidem ſæpius dolore intenſiori afficiuntur ob mortem Patris, Uxoris, aut Filiorum, quàm ob peccata præterita; quamvis appretiativè plus doleant in Deum peccaſſe, paratique ſint ejuſmodi orbitatem ſuſtinere potius quàm Deum offendere. *Sic homo*, inquit D. Bonav. *plus delectatur aliquando alloqui proximum, quàm orare Deum, licèt multò plus Deum diligat.* Sic Parentes interiori affectu parvulos filios, quàm natu majores diligunt; licet iſtos pluribus faciant, & magis invitè eos amittant.

Prob. 4. Poſito quod præceptum ſit, Deum ſuper omnia intenſivè diligere; vel gradus intenſionis determinatus eſt à Lege caritatis, vel non. Si non ſit determinatus, ergo ad Legem implendam quilibet gradus ſufficit. Quod ſi ſit determinatus, ipſum aſſignari neceſſe eſt, cum præcepta legis poſitivæ debeant eſſe non vaga aut indeterminata, ſed fixa atque determinata. Atqui gradus intenſionis caritatis nullibi eſt determinatus; Ergo quilibet ſufficit, modò ſit ſuper omnia, quod ſolùm à Lege determinatum eſt.

Obji. 1. Jubemur Deum amare ex tota fortitudine, & ex totis viribus noſtris, ſed qui Deum minus intenſivè diligit, quàm creaturam, non diligit Deum ex totis viribus ſuis; cum majori conatu, fervore & affectu ipſum diligere poſſit: Ergo.

℟. Negatur minor. Tunc enim ex tota fortitudine & ex totis viribus noſtris Deum diligimus, dùm nihil prorſus amorem Dei in corde noſtro vincere aut auferre poteſt; & ad hoc ſufficit, ut ſit appretiativè ſummus, & Deum pluris quàm cætera omnia faciamus.

Obji. 2. Deus eſt amandus ut Deus eſt; non ut creatura; ſed Deus non eſt, niſi quatenus eſt amabilis quantum amari poteſt: poſſumus autem Deum amare intenſivè ſuper omnem creaturam: Ergo tenemur eum ſic amare.

℟. Negando, quod ſemper poſſimus Deum amare intenſiùs, quàm creaturam. Ratio eſt, quia ut quis ardeat amore erga aliquod objectum non ſufficit, ut tamquam bonum ipſum apprehendat; ſed requiritur ut ſit præſentiſſimum, ut patet in allato exemplo matris, quæ erga parvulum, quem gerit in ulnis, magis afficitur, quàm erga natu majorem, quem tamen magis appretiativè diligit.

QUÆR. Quid ſit proximum diligere ſicut ſe ipſum?

℟. Cum Divo Thom. 2. 2. q. 44. a. 7. *Illud pronomen* ſicut *non eſt intelligendum, quantum ad hoc, quod aliquis proximum ſibi, æqualiter diligat, ſed ſimiliter ſibi*; quo ſenſu accipiendum eſt præceptum Chriſti Domini præcipientis; ut ſint perfecti ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt: Quomodò autem proximus ſit diligendus luculenter exponit idem S. Doctor cit. dicens tripliciter

proximum eſſe diligendum: 1. *Ex parte finis, ut ſcilicet aliquis diligat proximum propter* Deum, ſicut ſe ipſum propter Deum debet diligere, ut ſic ſit dilectio proximi SANCTA. 2. Ex parte regulæ dilectionis, ut ſcilicet aliquis non condeſcendat proximo in aliquo malo, ſed ſolum in bonis, ſicut & ſuæ voluntati ſatisfacere debet homo ſolùm in bonis, ut ſic ſit dilectio proximi JUSTA. 3. Ex parte rationis dilectionis, ut ſcilicet non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem, vel delectationem, ſed ea ratione, quod velit proximo bonum, ſicut vult bonum ſibi ipſi, ut ſic ſit dilectio proximi VERA.

ARTICULUS III.

De ordine Caritatis.

Nota. Conſtat apud omnes ordinem quemdam in caritatis exercitio ſervandum eſſe, juxta illud Cantic. *Ordinavit in me caritatem*. Nec enim, inquit Aug. lib. de Doct. Chriſt. cap. 27. *Ullus juſtè & ſanctè vivit*, niſi *qui ordinatam dilectionem habet*; *ne amplius diligat, quod minus eſt diligendum; aut æquè diligat, quod vel minus vel amplius diligendum eſt, aut minus vel amplius, quod æquè diligendum eſt*. Reſtat igitur, ut exponamus qualis ſit ordo ſervandus. Circa quod.

Dico. Duplex eſt ordo caritatis; primus affectionis & exiſtimationis; ſecundus operis & beneficii. Juxta primum ordinem, quæ meliora ſunt atque perfectiora, magis ſunt diligenda. Juxta ſecundum, in pari neceſſitate & in eodem bonorum genere potius diligenda ſunt, quæ aliquo vinculo Carnis, vel Societatis, vel Religionis nobis ſunt conjunctiora.

Prob. Hujus ordinis diverſitas ex Paſtore Evangelico, qui affectionis & exiſtimationis ordine non prætulit nonaginta novem oves, quas in deſerto reliquerat, centeſimæ, quæ erraverat; quia iſta melior erat; ſed qui centeſimam illam errantem ordine beneficii prætulit aliis nonaginta novem, quas in deſerto dimiſit, ut centeſimam quæreret & ad ovile reduceret, quia in graviſſima neceſſitate erat poſita. Unde Aug. Epiſt. 139. alias 158. ait. *Caritas quæ tamquam nutrix fovet filios ſuos, non ordine amandi, ſed ordine ſubveniendi, infirmiores fortibus anteponit*.

Patet igitur juxta affectionis & exiſtimationis ordinem præferendas eſſe creaturas nobiliores, ſanctiores cæteris ignobilioribus & minus ſanctis: Videlicet juſtos peccatoribus, ſuperiores inferioribus, parentes uxori & filiis, bona ſpiritualia temporalibus, animam corpori, &c. Quoad ordinem operis & beneficii magis implicata eſt quæſtio, quam ſequentibus exponemus reſolutionibus.

Reſol. 1. Magis diligere tenemur animam noſtram, quàm animam proximi; quia à ſe incipit caritas benè ordinata, nec ullus ſe ipſo ſibi vicinior atque conjunctior eſſe poteſt, unde non licet etiam pro totius mundi ſalute venialiter peccare, & peccati proximo periculo ſeſe committere.

Reſol. 2. Tenemur animam proximi potius diligere, quàm corpus proprium, juxta illud 1. Joan. 3. *Debemus pro fratribus animam ponere*; quia bona pro dignitate ſunt diligenda, tum nobis tum proximis. Prævalent autem ſpiritualia corporalibus; Ergo tenemur pro fratribus in extrema neceſſitate poſitis vitam exponere, ut pro baptizando puero morituro, pro audienda confeſſione peccatoris moribundi, &c.

Reſol. 3. Regulariter loquendo tenemur magis noſtrum quàm proximi corpus diligere; cum nobis, ut jam dictum eſt, magis ſimus conjuncti quàm proximo cuilibet. Dixi *regulariter loquendo*. Non enim caritatis ordinem inverteret, qui pro tuenda vita Parentibus, aut alicujus illuſtris perſonæ, bono communi valdè utilis, vitam propriam prodigeret; quia tunc bonum proprium ſpirituale, ex hac actione heroica prodiens, bono temporali præponeret.

Reſol. 4. Ubi omnibus in extrema neceſſitate conſtitutis ſubvenire non poſſumus, tenemur: 1. Subvenire Parentibus; quia præter communionem ſanguinis, rationem habent principii, adeoque eminentioris boni; & Pater Matri præferendus eſt, utpote qui nobiliori modo principii rationem obtineat. 2. Præferenda eſt Uxor Filiis, quia una caro eſt cum marito. 3. Filii præferendi ſunt fratribus aliiſque conſanguineis, utpote ſanguine magis conjuncti.

Dixi 1. *In extrema neceſſitate*: in gravi ſiquidem potius ſubvenire debemus propriæ familiæ noſtræ; uxori ac liberis, quàm Patri, vel Matri. *Nec enim*, inquit Apoſtolus 2. Cor. 12. *Debent filii Parentibus theſaurizare, ſed Parentes filiis*. Dixi 2. *Omnibus* in extrema neceſſitate poſitis; quia ſi diverſa eſt neceſſitas, prius ſubveniendum eſt alienis, qui in extrema neceſſitate

te ſunt poſiti, quàm propinquis qui in gravi duntaxat; quia caritatis præceptum, non ſolum in conjunctione, ſed in neceſſitate proximi fundatur.

Reſol. 5. Præferendos eſſe benefactores, amicis ac ſodalibus, maximè ſpirituales; cum major ſit ac ſtrictior gratitudinis, quàm ſocietatis conjunctio.

Reſolv. 6. In extrema neceſſitate potius ſubvenire tenemur Patri & Filiis carnalibus, quàm ſpiritualibus; quia, inquit D. Thom. conjunctio naturalis origine eſt prior; & caritas ordinem naturæ non mutat, ſed perficit: ſi tamen Perſona publica, à qua pendet ſalus communitatis, in extrema verſaretur neceſſitate ſimul cum proprio Patre, prius illi, quàm Patri foret ſubveniendum, cum ſalus communis cujuslibet privatæ Perſonæ ſaluti prævaleat. Hinc.

Reſolv. 7. Paſtor tenetur potius totum gregem ſuum in extrema neceſſitate ſpirituali conſtitutum juvare, quàm Patrem ſuum in eadem neceſſitate poſitum. Similiter potius invigilare tenetur ſaluti ovium ſuarum, quàm cognatorum, aut parentum ſub alterius cura degentium; quia nobilior eſt ſpiritualis, quàm carnalis cognatio. Hinc.

Reſolv. 8. Pater aut frater ſpiritualis in communibus neceſſitatibus potius filiis aut fratribus ſpiritualibus ſubvenire tenetur, quàm carnalibus. Dixi in *communibus neceſſitatibus*; nam in graviſſima aut extrema neceſſitate iſtis potius debet ſubvenire ob rationem D. Thom. in ſexta reſolutione allatam. Cætera apud auctores videantur; & hæc breviter prælibaſſe ſufficiat, ne longius, quàm par eſt accreſcat volumen iſtud.

QUÆSTIO IV.

Quænam ſint Caritatis effectus & officia.

TRes numerantur Caritatis effectus; Gaudium ſcilicet, Pax & Miſericordia. Gaudium eſt ſuavis affectus animi quieſcentis in bono divino per amorem poſſeſſo: De iſto nihil dicendum habemus, ſed dumtaxat de Pace & Miſericordia ſequentibus Articulis.

ARTICULUS I.

De Pace Caritatis.

Not. 1. PAcem caritatis ſitam eſſe in conſenſu voluntatis noſtræ ad Deum, & partis inferioris ad ſuperiorem, & voluntatis noſtræ cum voluntate eorum, cum quibus nobis eſt agendum.

Not. 2. Circa voluntatis noſtræ conſenſum ad Deum, gravis inter Catholicos & Bayi Diſcipulos orta eſt quæſtio: utrùm, ſcilicet, caritas vera ac propriè dicta Deum appretiativè diligens, in quovis exiſtat gradu, pacem inter Deum & homines conſtituat; & ex ſeſe, extra Pœnitentiæ Sacramentum, mortale peccatum depellat; vel utrùm ad hoc neceſſariò opus ſit, ut ad gradum intenſiſſimum aſcenderit. Contendunt Bayi Diſcipuli caritatem remiſſam; quam ideò imperfectam vocant, citra Pœnitentiæ Sacramentum peccatorem juſtificare non poſſe; niſi forſan in neceſſitatis caſu, dum nempe urget mortis periculum, nec adeſt Sacerdotis copia; ſolamque intenſiſſimam caritatem, quam dicunt perfectam, hunc ſalutarem effectum ſemper de ſe producere: Circa quod.

Not. 3. Duplicem eſſe caritatis perfectionem, eſſentialem unam, accidentalem alteram. Eſſentialis in eo ſita eſt, quòd Deus verè ac ſincerè propter ſe ipſum ſuper omnia diligatur: Accidentalis autem, quòd diligatur in tali vel tali intenſionis gradu, ſine quo vera ſincera ac propriè dicta caritas eſſe poteſt. Siquidem virtus omnis in ſua ſpecie & eſſentia ſubſiſtit, dùm proprium objectum ſuum attingit: & ſcintilla ignis non minus eſſentialiter ignis eſt ac ingens rogus: & infans in primo animationis inſtanti æque verus eſt ac perfectus homo, quoad eſſentiam, ac vir annorum triginta. De hac caritate eſſentialiter perfecta quæſtio eſt contra Bayi Diſcipulos. Nullus ſiquidem vel negavit, vel negare potuit caritatem intenſiſſimè perfectam hominem ex ſe ſe juſtificare; cum ſententia contraria nedum erronea, ſed manifeſtè ſit hæretica: His notatis.

DICO. Cum univerſa Eccleſia Catholica, quantulacumque caritas, modò vera ſit ac ſincera, Deumque ſuper omnia diligat, ex ſe ſe ſemper peccatorem juſtificat, citra Pœnitentiæ Sacramentum, non tamen ſine ejus voto.

Prob. 1. Ex Scrip. 1. Petr. 4. *Caritas operit*

rit multitudinem peccatorum. 1. Joan. 4. *Qui diligit ex Deo natus eſt*, ſeu ejus filius eſt. Joan. 14. *Qui diligit me diligetur à Patre meo, &c.*

Reſpondent 1. Adverſarii, ibi ſermonem eſſe de dilectione habituali; ideo ſenſus eſt, qui diligit me habitualiter, diligetur à Patre meo, non autem qui diligit actualiter tantùm in gradu remiſſo. Sed contra: quia ibi evidenter agitur de ea dilectione, quæ dilectionem & gratiam habitualiter permanentem meretur: Addit ſiquidem Chriſtus Dominus: *Diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus*. Ad nos autem Deus non venit, nec apud nos manſionem facit; niſi per caritatem & gratiam inhærentem: Ergo Chriſtus Dominus eam non ſupponit. Deinde, cum Scripturam inter caritatem actualem & habitualem non diſtinguat, ſed de ſimplici veraque caritate loquatur; nullus, niſi ſummè temerarius, hic diſtinguere poteſt.

Reſpondent 2. Ibi agi de dilectione intenſiſſima; ideò ſenſus eſt qui diligit me perfectè; ſed.

Contra: qui ibi agitur ſolummodò de caritate, quæ obſervare facit mandata. Ait enim Chriſtus Dominus: *Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus, &c.* Atqui minima caritas facit obſervare mandata; nihil namque minus facere poteſt; & ſi non faciat, caritas non eſt: Ergo Chriſtus Dominus de minima caritate loquitur. Deinde redit quod ſupra dictum eſt, Chriſtum Dominum inter caritatem remiſſam, aut intenſam non diſtinguere.

Prob. 2. Ex Trident. docente ſeſſ. 14. c. 4. *Contingere aliquando, contritionem eſſe caritatem perfectam*, & ipſam *reconciliare hominem, antequam ſuſcipiat Sacramentum*.

Reſpondent Adverſarii Concilium loqui de caritate intenſiſſima, ut ſatis denotat ly *perfectam*; ſed.

Contra 1. Quid evidens eſt cuilibet attendenti, *perfectionem* à Concilio non applicari *caritati*, ſed *contritioni*; quæ à caritate perficitur ſeu informatur. 2. Concilium loquitur de contritione, pro ut opponitur attritioni, quæ juxta deſcriptionem ab ipſo datam nullum caritatis motivum includit: Ergo Concilium loquitur de contritione etiam remiſſa, caritate perfecta, e u informata.

Prob. 3. Auctor. ſum. Pontificum Pii V. Greg. XIII. ſequ ententes Bayi propoſ. damnantium. *Caritas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quàm in Pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum*. Propoſ. 31. *Caritas illa, quæ eſt plenitudo Legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum*. Propoſ. 32. *Homo exiſtens in peccato mortali poteſt habere veram caritatem; & caritas, etiam perfecta, poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis*. Propoſ. 70. *Per contritionem, etiam cum caritate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis aut Martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti*. Prop. 71.

Reſpondent adverſarii has propoſitiones cum ſumm. Pontificibus damnare, ſi intelligantur de caritate intenſiſſima; uti *Ly* Perfecta intelligendas eſſe demonſtrat; ſed.

Contra: quia hæ propoſitiones ſunt intelligendæ prout ipſemet Bayus ea intellexit: Atqui eas non intellexit de caritate intenſiſſima quam citra Sacramentum hominem ſemper juſtificare non negavit, ut patet ex ejus ſcriptis, Ergo, &c. Deinde ex ipſomet & ſupradictarum propoſitionum obvio ſenſu evidenter patet, ibi ſermonem eſſe de caritate eſſentialiter, non verò accidentaliter perfecta. Nam ea caritas eſt eſſentialiter perfecta, quæ *vera eſt ac ſincera*; id eſt, quæ veram ac non fucatam caritatis naturam atque eſſentiam habet; quæ *eſt ex corde puro*; id eſt, quæ nullam creaturam magis, quàm Deum appretiativè diligit; quæ eſt *ex conſcientia bona*, id eſt quæ omnem peccati mortalis excludit affectum; quæ *eſt plenitudo legis*; id eſt, quæ omnia mandata facit obſervare: Atqui caritas, de qua agitur in ſupradictis propoſitionibus talis eſt, Ergo in his agitur de caritate eſſentialiter, non de caritate accidentaliter, perfecta.

Prob. 4. Ex SS. Patribus D. Auguſtin. Tract. 9. in Epiſt. Joan. *Anima noſtra fœda eſt per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur* D. Bern. Epiſt. 170. *Nemo ſe amari diffidat, ſi jam amat*. Et ne quis dicar ſermonem fieri de caritate intenſiſſima, additur ex D. Bonav. 4. diſt. 4. p. 2. q. 1. *Minima caritas poteſt delere omnem culpam*. Ex ex D. Thom. Sup. q. 5. art. 3. *Qualibet gratia gratum faciens delet omnem culpam mortalem; quia ſimul cum ea ſtare non poteſt. Sed qualibet contritio eſt gratia gratum faciente informata, Ergo quantumcumque*

Digitized by Google

que ſit parva delet omnem culpam. Hic nullus effugiendi reſtat locus cum evidenter ſermo ſit de dolore actuali à qualibet caritate excitato.

Prob. 5. Nulla eſt, quam adverſarii comminiſcuntur, caritas intenſivè perfecta: Ergo inaniter aſſerunt, hanc ſolam hominem extra Sacramentum juſtificare. Prob. ant. Ea caritas nulla eſt, quæ nec aſſignatur nec eſt aſſignabilis: Atqui talis eſt caritas intenſivè perfecta, Ergo Prob. min. Caritas intenſivè perfecta non dicitur, niſi relativè ad minus intenſivè perfectam: Atqui nulla eſt aſſignabili caritas adeò intenſivè perfecta, ut alia longè intenſior excogitari & eſſe non poſſit; Ergo nulla eſt caritas aſſignabilis intenſivè perfecta.

Supponamus in ſenſu adverſariorum, caritatem ut *octo* eſſe intenſivè perfectam, & huic ſuccedere caritatem ut *centum*. Proculdubiò iſta caritas ut centum perfecta erit relativè ad caritatem ut octo, quæ eo ipſo erit imperfecta. Quòd ſi autem huic caritati ad centum adjiciatur alia caritas, ad centum millia; iſta erit perfecta & illa imperfecta; & ſic in perpetuum, ſi creſcat caritas ad mille millia Gallicè *millions*, & ad millies mille millia *à mille millions*; ſicut de facto crevit innumerabiliter caritas B. Virginis à primo conceptionis ſuæ inſtanti uſque ad ultimum vitæ ſuſpirium; & ſemper creviſſet, ſi ſemper vixiſſet: Ergo nulla eſt aſſignabilis caritas intenſivè perfecta, niſi ipſamet caritas Dei infinita.

Prob. 6. Ex rationibus conglobatis, brevitatis gratia. 1. Caritas non eſt alia virtus in caſu neceſſitatis, quàm extra, quare igitur juſtificans in hoc caſu, non juſtificaret, extra hunc caſum? Id oritur, inquiunt, *ex mero Dei beneplacito*. Sed unde habent hoc Dei placitum, nec ex Scriptura, nec ex Conciliis, nec ex SS. Patribus, nec ex ullo ex veteribus Theologis. Ergo fuerunt conſiliarii Dei qui ſuum beneplacitum eis revelavit? Ergo Phanatici ſunt dicendi.

2. Horrendum eſt dicere Deum ſummè bonum eum non efficaciter diligere, qui ipſum efficaciter gratuitè & ſuper omnia diligit.

3. Homo fit peccator per averſionem à Deo, Ergo fit juſtus, dum ex toto corde ad Deum convertitur, ſic autem convertitur, ut ipſimet fatentur adverſarii, dum ipſum efficaciter & propter ſe ſuper omnia diligit.

4. Contritio ex quantulacumque caritate formata juſtificabat abſque Sacramento in lege veteri; cum Judæi nullum haberent Sacramentum peccatum delens ex opere operato; Ergo hæc etiam juſtificat in nova lege; cum virtus & efficacia caritatis non ſit imminuta.

Objic. 1. Ex D. Aug. Tract. 13. in Joan. *Quantumcumque Cathecumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat; nec illi dimittitur, niſi venerit ad Baptiſmum*.

℞ Diſt. Quantumcumque proficiat in virtutibus moralibus, de quibus tantummodo hic loquitur Auguſt. ut patet cuilibet legenti, C. in caritate, N. Alioquin nec ipſa intenſiſſima caritas Catechumenum juſtificare poſſet. Sed dato non conceſſo, quòd ibi ſermo ſit de ipſamet caritate, ſemper verum eſt in aliquo ſenſu, quòd Catechumenus aut pœnitens, quantacumque caritate ſit incenſus, ſarcinam iniquitatis ſuæ portet, niſi venerit ad Sacramentum; quatenus ſcilicet ſupereſt ſemper morale debitum ad Sacramentum accedendi propter peccata commiſſa, quæ remiſſa non fuerunt, niſi ſub conditione qnod ad Sacramentum accederet. Hinc peccata abſolutè non remiſsa quodammodò dici poſsunt, niſi purificata conditione, ſi potuerit purificari.

Obji. 2. Paulus jam peccata ſua ex caritate ſuper omnia fuerat deteſtatus, dum dixit. *Domine quid me vis facere*; attamen non erat juſtificatus, dùm poſt triduum dixit ei Ananias: *Baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine Jeſu*. Item Magdalenæ peccata non fuere remiſsa, licèt multum jam dilexiſset; niſi dùm à Chriſto Domino audivit. *Remittuntur tibi peccata tua*; alioquin fruſtra id ipſis dictum fuiſſet.

℞. Ex his contra adverſarios ipſoſmet concludi poſset, nec caritatem etiam intenſiſſimam ſine actuali Sacramento, nos juſtificare; cum certum ſit D. Paulum ante Baptiſmum, & D. Magdalenam prius quàm audiret: *Remittuntur tibi peccata tua*, jam intenſiſſimè Deum dilexiſse, ut de Magdalena teſtatus eſt ipſemet Chriſtus: verba ſiquidem: *Dilexit multum*, quid aliud innuunt, niſi caritatem magnam, & intenſiſſimam.

Inde tamen minimè ſequitur, fruſtra D. Paulum baptizatum fuiſse, & inaniter Magdalenæ dictum fuiſse: *Remittuntur tibi peccata tua*. Siquidem D. Paulo ſupererat morale debitum Baptiſmum ſuſcipiendi, & conditio de qua ſupra diximus purificanda. Deinde Baptiſmus D. Pauli, & abſolutio Magdalenæ utilia fuerunt, tum ut eos de

ſua

ſua juſtificatione certiores fierent, tum ut non ſolùm à culpa, ſed, & à pœna liberarentur, tum denique ut eorum juſtificatio, & abſolutio amplius confirmaretur. Nihil namque obſtar quominus quis à peccatis jam ſibi remiſſis iterùm abſolvatur, atque iterùm abluatur. Nonne jam jam juſtificati ſunt, qui vehementiſſima contritione flagrantes quotidie dicunt cum pœnitente Propheta: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à delicto meo munda me?* Quoties Pœnitens actum contritionis elicit, toties, & millies etiam abſolvi poteſt, ut *qui juſtus eſt* millies *juſtificetur adhuc*.

Deinde ex ipſomet citato Evangelii loco patet D. Magdalenam jam ex amore fuiſſe juſtificatam, priuſquam Chriſtus Dominus ipſi abſolutionem impendiſset. Jam enim Phariſæo dixerat Chriſtus: *dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Obji. 3. Iſtud Catech. Rom. p. 2. cap. 5. qu 32. *Ut concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, intenſam eſſe opportere, ut doloris acerbitatem cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit:* Ergo non à minus intenſa caritate, ſed ab intenſiſſima peccatum dilui poteſt.

℞. Retorquendo. Quis ignorat minimam caritatem de ſe intenſiſſimam ac vehementiſſimam eſse; cum ſumma ſit, & ſuper omnia? minima ſiquidem caritas teſtibus D. Thom. 3. p. q. 70. a. 4. & D. Bonav. in 3. d. 30. a. 1. q. 1. *Plus diligit Deum quàm cupiditas millia auri, & argenti, & caritas quatulacumque excedit omnem cupiditatem ſua virtute. quia* ſcilicet *facit Deum diligere propter ſe & ſuper omnia*. Ideò ſuper citat. Catech. ait *caritas* non intenſiſſima, ſed omnis vera caritas; propoſitio ſiquidem eſt indefinita: *Caritas, qua Deum diligimus perfectiſſimus eſt amor. Hinc fit ut contritio vehementiſſimum animi dolorem conjunctum habeat*, & cap. 30. ait: *Ex quo licèt cognoſcere veræ contritionis*, non dicit intenſiſſimæ, ſed *veræ contritionis de qua dictum eſt, eam eſſe vim, ut illius beneficio omnium delictorum veniam ſtatim à Domino impetremus.*

Adnotatio 39.
(*)

Cum ſupra expoſita Concluſio Authoris: dico; cum univerſa Eccleſia *&c. nimis ampla videatur, aliquam modificationem, & explicationem addere, neceſſarium reputamus. Quod*, quantulacumque caritas *juſtificet Impium extra Sacramentum; hoc verbum eſt, ſi de caritate habituali loquamur. Gratia enim ſanctificans cum actuali peccato ſimul conſiſtere nequit, ut patet. Si autem loquamur de Caritate actuali, diſtinguendum eſt, vel enim iſta Caritas perfecta eſt, &, ut ita dicam, completa in genere ſuo; vel eſt imperfecta, & inchoata tantum. Si eſt perfecta; ultra concedendum eſt, ipſam juſtificare Impium abſque Sacramento in re, ut ait Tridentinum. Si autem imperfecta fuerit, & inchoata tantum; ipſam extra Sacramentum juſtificare celebres Theologi, Tridentino, & Patribus innixi, abſolutè negat. Ait Tridentinum ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Docet præterea [S. Synodus] etſi contritionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur . . . ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam. *Si igitur* Aliquando *contingit Contritionem eſſe ita* Caritate perfectam, *ut extra Sacramentum juſtificet: non ergo* Semper *Contritio iſta eſt caritate perfecta: Ergo aliquando etiam imperfecta, licèt ex Caritate proveniat. Ergo datur Contritio ex caritate, quæ non juſtificat extra Sacramentum. Qualis igitur erit iſta Caritas? Forſitan illa, quæ dicitur perfecta? minimè quidem; cum hæc, ut dictum eſt, ſemper juſtificet abſque Sacramento in re. Qualis igitur? Abſque dubio nulla alia, niſi illa, quæ dicitur, imperfecta, & inchoata. Congruis Catechiſmus Romanus* §. 36., *ubi ait; ſolum tunc Contritionem juſtificare extra Sacramentum, quando eſt* adeo vehemens, Acris, & Incenſa, *ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari poſſit. Aſt, cum* Pauci Admodum *ad* hunc gradum *Contritionis, & Caritatis perveniant; hinc eſt, quod a* Pauciſſimis *hac via, venia peccatorum ſperanda ſit. Patet ergo, quòd niſi Caritas perveniat ad* talem gradum *intenſionis; ita ut verè ſit, & dici poſſit perfecta, Peccatorem extra Sacramentum nequeat juſtificare. Concluſio igitur Authoris:* Quantulacumque Caritas *&c. coarctanda eſt ad Caritatem vel habitualem, vel completam, atque perfectam; non autem extendendam ad caritatem inchoatam, tantum, & imperfectam, quam non juſtificare niſi cum Sacramento in actu, contrariæ ſententiæ Patroni, mordicus propugnant. Ipſis enim, D. Auguſtini effatum præ oculis eſt (Lib. de nat. & grat. cap ult.*) Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt: Caritas provecta, provecta juſtitia eſt: Caritas magna, magna juſtitia eſt: Caritas perfecta, perfecta juſtitia eſt. *Ex hoc ſequitur non eſſe ſolos* Baji *Diſcipulos, ut Author autumat; ſed Theologos etiam Catholicos, & quidem non infimæ plebis, qui contendunt, non* quantulamcumque Caritatem *extra Sacramentum juſtificare; ſed illam tantummodo, quæ nedum vera ſit, & ſincera, ſed* per-

perfecta quoque, juxta Tridentini, & Catechiſmi ſenſum ſupra explicatum. Numquid mox, *iterum Aug. Tract. 5. in Jo.*, ut naſcitur Caritas, jam prorſus perfecta eſt? ut perficiatur naſcitur; cum fuerit nata nutritur; cum fuerit nutrita roboratur; cum fuerit roborata, perficitur. *Adde, ſi tamquam* Baij *Diſcipuli traducuntur* Theologi *ſuſtinentes, non quantulamcumque Caritatem extra Sacramentum juſtificare, propter* Propoſitiones 31. 32. 70. 71. *ab Authore relatas; non abſimili facilitate* Bajaniſmi *nota inuri poſſent Theologi alii, qui contrariam defendunt ſententiam propter* Propoſitionem 63. *his verbis conceptam*: Sed & illa diſtinctio duplicis juſtitiæ alterius, quæ fit per ſpiritum caritatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis, & in eo caritatem diffundentis, qua Divinæ legis juſtificatio impleatur ſimiliter rejicitur. *Quid eſt aliud juſtitia*, quæ fit ex inſpiratione Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum inhabitantis, *quàm caritas illa imperfecta, de qua loquimur? Vel igitur, immeritò hic* Bajaniſmus adducitur; vel ſi meritò, utramque Partem aggreditur. Sed de hoc adhuc clariùs ubi de *Pœnitentia*.

(*)

ARTICULUS II.

De Miſericordia Caritatis.

Miſericordia eſt alienæ miſeriæ efficax compaſſio, cum voluntate ſcilicet miſerum ſuccurrendi. Hujus quatuordecim ſunt opera, tum corporalia, tum ſpiritualia. Corporalia ſunt infirmum viſitare, ſitientem potare, eſurientem paſcere, captivum redimere, nudum veſtire, hoſpitem colligere, mortuum ſepelire. Spiritualia verò ſunt, dubitanti conſulere, peccantem corrigere, ignorantem docere, triſtem conſolari, offendenti remittere, oneroſum ſuſtinere, pro omnibus orare. De tribus tantummodò hic nobis eſt agendum: de inimicorum dilectione, de correptione fraterna, & corporali eleemoſyna.

§. 1. *De inimicorum dilectione.*

Not. NUlli dubium eſt, vi præcepti naturalis divini, *diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, quemlibet teneri nullum adversùs inimicos odium concipere, conceptum ſtatim deponere, offenſam, vel graviſſimam, condonare, & amore ſincero ac benevolo eos diligere, juxta illud Chriſti Domini: *Diligite inimicos veſtros, &c.* Verùm circa hanc materiam, nonnulla hic ſunt breviter elucidanda.

QUÆR. 1. Utrùm qui rixam inter ſe habuerunt, aut injuriis ſe ſe mutuò affecerunt, ad reconciliationem teneantur?

℞. Præceptum Domini eſt: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adverſum te; relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Unde dicendum eſt. 1. Qui gravem injuriam proximo intulit, licèt proximo graviter læſo, dignior ſit, veniam aut excuſationem petere, aut ſaltem convenientia reconciliationis media adhibere tenetur. 2. Si mutuò ſibi gravem injuriam intulerunt; qui prior proximum læſit, *cæteris paribus* tenetur prior veniam petere; quia qui primus fuit læſus, prius jus habet ſatisfactionem exigendi. Dixi, *cæteris paribus*. Nam 1. Qui leviſſimam injuriam intulerat, quia gravis injuria ſubſecuta eſt, ad id non tenetur ex juſtitia. 2. Si is, qui prior gravem injuriam intulit longè ſit ſuperior, ut Pater reſpectu filii, Prælatus reſpectu ſubditi, Dominus reſpectu ſervi; tenetur quidem media reconciliationis convenientia adhibere; ſed veniam aut excuſationem petere non tenetur; quia longè gravior eſt injuria Superiori illata, quàm inferiori. 3. Quicumque cum proximo gravem rixam habuit, ſive primus rixam incœperit, ſive non, ſive ſuperior ſit, ſive inferior, modò tamen inde non gravem infamiam aut grave patiatur detrimentum, diſtrictè tenetur inimicum benevolentiæ ſignis, & officiis prævenire; dum alia non ſuppeditatur via, ut ipſe inimicitiam deponat: *Unicuique* enim *Deus mandavit de proximo ſuo*. Circa quod.

QUÆR. 2. Utrùm externa dilectionis, humanitatis atque urbanitatis ſigna inimicis noſtris ſemper, data occaſione, exhibere teneamur?

℞. Non ſolùm tenemur eſſe parati ad ſubveniendum inimicis noſtris in neceſſitatibus eorum, ſicut cæteris hominibus; ſed inſuper communia dilectionis, & humanitatis ſigna, & officia exhibere; ut ſalutantem reſalutare, interroganti reſpondere, emere volenti, vendere, viam petenti demonſtrare, aquam aut ignem poſtulanti concedere &c. Idque ſub gravi, vel levi peccato; prout, juxta perſonas, loca, aut alias circumſtantias, cenſetur gravis, vel levis injuria.

Dixi *communia*. Nam ſpecialia benevolentiæ ſigna inimicis exiberi regulariter minimè tenemur, v. g. viſitare, familiariter colloqui, ad convivium invitare, &c. Per accidens tamen ad id teneremur; ſi nempè ad fratrem noſtrum lucrandum foret neceſſe.

Ubi notandum eſt; Superiores offenſos ab hac obligatione excuſari, qui ad cautelam, & correptionem, in aliorum exemplum ſigna etiam communia benevolentiæ inferioribus ſuis, denegant; modò tamen verè interius eos diligant; nec diutiùs, quàm par eſt, protrahatur hæc prudens ſeveritas, nec ſubſit periculum ſubditos exaſperandi & obdurandi.

QUÆR. 3. Utrùm veniam petenti teneamur remittere injuriarum actionem, & ſatisfactionem?

R. Regulariter loquendo non teneri; quia, inquit D. Thom. 2. 2. q. 108. Solus vindictæ appetitus, non ordo juſtitiæ, caritati repugnat. Sed cum valdè periculoſum ſit, nè in his injuriam actionibus, ſub ſpecie tuendæ juſtitiæ, privatæ vindictæ indulgeamus, ob hujuſmodi periculum ordinariè, tenemur ſimiles actiones dimittere. Expedit tamen quandoque, juridicam ſatisfactionem exigere. 1. Si reus ſit Reipublicæ noxius ob continuas, quas excitat rixas, & hac correptione indiguerit. 2. Si ita gravis eſſet offenſa, ut infamiæ, quæ in totam recidit familiam, abſque hac juridica ſatisfactione deleri non poſſet.

§. 2. *De correptione fraterna*.

Not. Duplicem eſſe correptionem, aliam judicialem ſeu juridicam, quæ eſt actus juſtitiæ, qua Superiores tenentur ex officio delinquentes emendare, & de peccatis eorum vindictam, & pœnam ſumere, ut omnes in ordine contineant: Aliam fraternam, quæ eſt actus caritatis, quo quilibet fratrem ſuum à peccato revocare nititur: de hac multa quæruntur hic breviter exponenda.

QUÆR. 1. An fraternæ correptionis verum extet præceptum, & quale?

R. Vero præcepto naturali divino, & poſitivo quemlibet teneri proximum corripere. Dixi *naturali*; ſi enim lumen naturæ dictet ſubveniendum eſſe proximo indigenti in corporalibus neceſſitatibus, quanto magis in ſpiritualibus; cum longè pretioſior ſit animæ, quàm corporis ſalus. Dixi, *divino poſitivo*, juxta illud Matt. 18. *Si peccaverit in te frater tuus; vade & corripe eum* &c. Non quòd ſolummodò jubeamur in nos ipſos peccantes corripere. Sed 1. quia qui in Deum Patrem noſtrum ſuper omnia diligendum peccat, verè in nos peccat. 2. Quia qui nobis videntibus aut ſcientibus peccat, iniquitatis ſuæ quaſi approbatores non efficit, & ad peccatum nos protrahit. Dixi *Quemlibet teneri*; quia nec ipſi peccatores, nec infideles ab hac generali obligatione eximuntur; cum & illi ad legis naturalis & divinæ obſervationem teneantur, juxta quam: *Si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra*, etiam ægrota, dum ejus ſalutem promovere poſſunt.

QUÆR. 2. Quibus facienda ſit correptio?

R. Omnes, etiam Superiores, mortaliter, quandoque venialiter peccantes, tenemur corripere: Quia præceptum Domini generale eſt, nec ulla in corripiente requiritur auctoritas; ſed caritas, ſecundùm quam bonum ſpirituale Superioris magis quàm inferioris diligere tenemur. Correptio tamen Superioris longè magis humilis ac benigna eſſe debet, & prudentiores cautiones in hac facienda ſunt adhibendæ. Dixi in reſponſione, quandoque corripiendos eſſe, qui venialiter peccant. Quædam enim ſunt peccata venialia ita periculoſa, ut facillimè ad graviora protrahant; ideò, cum per ea ſalus proximi in gravi verſatur periculo, medicinam, ſi eam profuturam ſperamus, adhibere tenemur.

QUÆR. 3. Quandonam obliget fraternæ correptionis præceptum?

R. Fraternæ correptionis præceptum, cum affirmativum ſit, non obligat pro ſemper, ſed debitis circumſtantiis, quarum prima eſt: dùm moraliter certò nobis conſtat de peccato proximi; nullus ſiquidem privatus nec tenetur, nec debet fratrum ſuorum vitam explorare, juxta illud Prov. 24. *Ne quæras impietatem in domo proximi, & non vaſtes requiem ejus*. Secunda circumſtantia eſt, quòd ſpes adſit probabilis futuræ emendationis, quia cum non niſi ad emendationem fiat correptio, ejus ſpe ceſſante, ceſſat obligatio, niſi tamen quis ex officii ſui debito obſtinatos corripere ac punire in exemplum aliorum teneatur. Imò ſi dubium ſit, utrùm potius nocitura ſit, quàm profutura correptio, ab ea abſtinendum eſt, & tempus opportunius, more medicorum, eſt expectandum, niſi tamen graviſſima inſtaret proximi neceſſitas ſpiritualis,

Digitized by Google

tualis. Si nempe mors peccatori immineret, & nullus adeſſet qui ipſum corriperet. Tunc enim, etiam cum proprio vitæ periculo, corripere tenemur, ſi aliqualis ſpes adſit fratrem noſtrum lucrandi; quilibet enim tenetur magis animam proximi ſui, quàm corpus proprium diligere. Dixi *graviſſima neceſſitas*; nam extra eam propriæ vitæ periculo privati ſe committere non tenentur; cum alia via quam correptione, inſpirationibus ſcilicet divinis, peccatores poſſint emendari.

QUÆR. 4. Quis modus; & ordo ſervandus in facienda correptione?

R. Quoad modum correptio fraterna exerceri debet cum humilitate, caritate & manſuetudine, juxta illud Apoſt. ad Gal. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum ne, & tu tenteris*. Quia Chriſti Domini fuit intentio, ut fratri noſtro peccanti ſuaviori modo, quo poſſemus, occurreremus. Unde ſi correptionem ſuavem inutilem fore prudenter cenſeamus, paulò duriorem adhibere tenemur. Quod maximè locum habet in Superioribus, nè incurrant in peccatum Heli, qui Filios ſuos benignius, quàm eorum exigebat neceſſitas, corripiens, divinam expertus eſt indignationem.

Quoad ordinem: ſub gravi culpa ſervandus eſt Evangelicus. 1. Secretò corripiendus eſt proximus; quia famæ ipſius conſulere ex caritate tenemur, juxta illud Evangelii: *Corripe eum inter te, & ipſum ſolum*. 2. Si id non proficiat, unus vel duo teſtes ſunt adhibendi. 3. Si nec eos audierit, dicendum eſt Eccleſiæ, id eſt Superiori, ſi non tamquam judici ad punitionem, ſaltem tamquam Patri ad emendationem.

Quatuor tamen caſus excipiuntur, in quibus ordo ille prætermitti poteſt ac debet. 1. Dùm peccata ſunt publica, proindeque publicè *ut ceteri timorem habeant* corripienda. 2. Dùm peccata, licèt occulta, in aliorum ſive corporale ſive ſpirituale nocumentum vergunt; ut proditio, conſpiratio, hæreſis; & apud Religioſos carnale peccatum, quod non ex fragilitate, & ultrò ſe ſe offerente occaſione, ſed ex malitia perpetratum eſt. In his quippe ac ſimilibus peccatis periculoſa eſt admonitio ſecreta; quia timor eſt, ne admoniti potiùs cogitent crimen occultare, quàm emendare. 3. Generaliter in omnibus peccatis, ubi prudenter judicatur non profuturam privatam monitionem. 4. Dùm evidenter conſtat correptionem utiliorem fore, ſi ab ipſo Superiore, paternè exerceatur, & ipſum pietate, prudentia ac caritate ſufficienti præditum eſſe, ut peccantem ad meliorem frugem efficacius reducat.

§. 3. *De corporali Eleemoſyna.*

Not. DE eroganda eleemoſyna præceptum adeò in Scripturis ſacris & SS. Patribus eſt inculcatum, ut ejus exiſtentiam hic probare omninò videatur ſuperfluum. Sufficiat igitur beviter inquirere, à quibus, & quibus eroganda ſit eleemoſyna.

QUÆR. 1. Quinam poſſint ac debeant eleemoſynam erogare?

R. Eos ſolummodò, qui liberam bonorum ſuorum obtinent adminiſtrationem; quia per eleemoſynæ largitionem bona verè alienantur in favorem pauperum, fiuntque ipſis propria: atqui tantum ſupradicta bona legitimè alienare poſſunt; Ergo &c. Hinc

Reſolv. 1. Nec ſervos nec ancillas ex bonis Dominorum ſuorum dare poſſe eleemoſynas, abſque eorum conſenſu probabili, & interpretativo; niſi fortè quid modicum de portione ad vitam ſibi aſſignata detrahant.

Reſolv. 2. Filiosfamilias poſſe quidem eleemoſynam erogare ex bonis Caſtrenſibus, aut quaſi Caſtrenſibus, etiam Patre invitos non autem ex Adventitiis, multo minu, ex Profectitiis; cum de his proprietatem, & adminiſtrationem habeant, non autem de iſtis. Pari ratione Uxor eleemoſynam dare poteſt de bonis ſuis Paraphernalibus, in ſuos uſus præter dotem acceptis, non autem de Dotalibus & communibus, reluctante marito.

Reſolv. 3 Religioſos, quibus bonorum Monaſterii adminiſtratio non fuit concredita, eleemoſynam erogare non poſſe abſque conſenſu, ſaltem tacito Superioris, etiam de bonis quæ ad ſuam ſuſtentationem ſunt aſſignata; quia nullum in illa dominium, & uſum, independenter à Superiore, habere poſſunt.

Reſolv. 4. Ex injuſtè acquiſitis furto, vel rapina, eleemoſynam fieri non poſſe; cum nullum tunc acquiratur dominium. Meretrix tamen, quæ meretricii pretium accepit, illud rectè in eleemoſynas impendere poteſt; quia licèt ipſum acquirendo peccaverit, voluntate dantis factum eſt ſuum.

Digitized by Google

QUÆR. 2. De quibus bonis eroganda ſit eleemoſyna?

℞. Ex ſuperfluis juxta Chriſti Domini præceptum: *Quod ſupereſt date eleemoſynam*. Unde Auguſt. in Pſalm. 147. ait. *Superflua Divitum neceſſaria ſunt pauperum: Res alienæ poſſidentur, cum ſuperflua poſſidentur*. Et D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7. *Res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum ſuſtentationi*, & q. 87. a. 1. ad 4. *Dominus non ſolum decimam partem, ſed omnia ſuperflua, pauperibus jubet exhiberi*. Circa quod notandum eſt, quod ſicut duplex eſt neceſſarium; vitæ ſcilicet & ſtatus, ita duplex aſſignatur ſuperfluum. Neceſſarium vitæ eſt id, ſine quo non poteſt quis propriam, aut familiæ ſuæ vitam conſervare; ſuperfluum verò, eſt id, ſine quo eamdem conſervare poteſt. Item neceſſarium ſtatus eſt id, ſine quo non poteſt quis, & ejus familia ſecundùm conditionem ſuam convenienter vivere: ſuperfluum verò eſt id, ſine quo ſic vivere poteſt. Porrò hujus tum neceſſarii, tum ſuperflui diverſi ſunt gradus. Plura ſiquidem ſunt neceſſaria vitæ & ſtatus commodæ ſuſtentationi, quæ ſuperflua ſunt valdè moderatæ, ut patet. Hinc

QUÆR. 3. Quibus & quandò teneantur divites pauperibus eleemoſynam erogare?

℞. 1. Omnibus pauperibus neceſſitate laborantibus juxta illud Tobiæ 4: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere*. Nec enim ulla eſt ratio, cur unus præ alio excludatur. Triplex autem eſt neceſſitas, qua pauperes laborare poſſunt: Extrema in qua de vita pauperis periclitatur, niſi ei ſubveniatur: Gravis, in qua in vita ſuſtentanda notabiliter patitur, vel urget periculum alicujus morbi, aut notabilis incommodi, mortæ minoris, incurrendi: Ut ſi vir nobilis, ſine mendicatione, aut graviſſimo labore mechanico vitam ſuſtentare non poſſet. Communis, in qua pauperes ordinarii victitant quidem, ſed non abſque difficultate. Quo poſito.

℞. 2. Pauperibus extremam neceſſitatem patientibus ex vitæ ſuperfluis, licèt ſtatui neceſſariis, ſubvenire tenemur; quia recta ratio ſuggerit vitam proximi, decentiæ noſtri ſtatus eſſe præferendam; dùm non adeſt periculum proximum ſimilem incurrendi neceſſitatem: Nec præcepto ſatisfaceret, qui tunc pauperi aliquid poſthac reddendum mutuò præſtaret: non ſolum enim à Chriſto Domino gratuita mutuatio, ſed propria eleemoſyna præcipitur. Excipe tamen, ſi proximus ſpem haberet proximam certam neceſſitatibus ſubveniendi; aut ſi tunc indigeret re uſu non conſumptibili; ut equo ad fugam, lecto ad infirmitatem &c.

℞. 3. Pauperibus gravem neceſſitatem patientibus ſubvenire etiam tenemur, non ſolum ex neceſſariis ad ſtatus decentiam, ſed & ad vitæ commoditatem; ita ut dives teneatur moderatè, ac parcè vivere, ut his gravibus neceſſitatibus ſubvenire poſſit. Ratio D. Thomæ eſt; quia ordinata caritas expoſcit, ut grave damnum proximi cum aliquo noſtro minori amoveamus; excipe tamen, ut dictum eſt, ſi periculum adeſſet ſimilem neceſſitatem incurrendi.

℞. 4. Pauperibus, etiam communem tantùm neceſſitatem patientibus, ex ſuperfluis ſtatus & conditionis ſubvenire tenemur. Præcipit enim Apoſt. 1. Tim. 6. *Divitibus hujus ſæculi, ut facilè retribuant*; & Chriſtus Dominus flammis addicit æternis, qui eſurientes non paſcunt, ſitientes non potant, nudos non veſtiunt &c. minimè diſtinguendo inter extremam, gravem & communem neceſſitatem; modò ipſa ſit realis ac vera. Adde quod vanum eſſet ordinariè eleemoſynæ præceptum, ſi in communi non vigeret neceſſitate; & ſi pauperibus hac neceſſitate laborantibus nullus ſubveniret, in gravem imò & extremam ſæpius prolaberentur. Hinc

Reſolv. Eos lethalis culpæ eſſe reos. 1. Qui pecunias, ad ſtatus honeſtam decentiam, vel ad incommoda præcavenda, non neceſſarias ſine fine congerunt. 2. Qui in veſtium pompam, ædium magnificentiam, canum & equorum multitudinem, &c. ſuperflua ſua, quæ ſunt pauperum, abſumunt ac devorant. 3. Qui ſcienter ſuperflua ſua per putrefactionem, notabiliter conſumi potius permittunt, quàm in pios uſus impendant. 4. Qui tempore publicæ & gravis neceſſitatis frumentum, vinum & oleum recondunt, ut carius vendant.

Petes. 1. Utrùm ex divitiis juſtè comparatis ad ſtatum altiorem fieri poſſit aſcenſus. ℞. Ad hunc ſtatum obtinendum nonnulla ſervari poſſe, ſicut reſervantur pro educandis ac collocandis liberis, vel probabilius incommodis præcavendis, ſub his tamen ſubſequentibus conditionibus. 1. Modò quis altiori ſtatu dignus ſit, ac ſincera procedat intentione, nec ad eum acquirendum inordinata moveatur cupiditate, & ambitione. 2. Modò aſcenſus ille non ſit incertus, ſed probabiliter certus. 3. Modò pauperes, etiamſi communem duntaxat neceſſitatem patien-

patientes, omninò non deſerantur. Aliàs nullus ex ſuperfluis pauperibus ſubvenire teneretur; cum nullus ſit, qui major ac ſpectabilior quàm ſit, aut fuerint ejus Progenitores, evadere non exoptet.

Petes. 2. Utrùm teneantur divites pauperum neceſſitates inquirere, ut ipſis ſubveniant. ℞. Ad id quidem Beneficiarios teneri, cum ex juſtitia ſuperflua ſua pauperibus impendere debeant; non autem ſimplices Laicos, qui ordinariè eleemoſynæ præcepto ſatisfaciunt, ſi pauperum occurrentibus neceſſitatibus ſubveniant.

Cæterùm hæc dicta ſunt de veris pauperibus, non de pauperibus fictis, aut vagabundis plurimis, qui corpore valentes, laborare detrectant, damnabili otio torpent & quaſi putreſcunt. Hi ſiquidem ad eleemoſynas verum jus habere non poſſunt, & ad eas reſtituendas, ſi acceperint, ex juſtitia tenentur; cum non niſi veris pauperibus eleemoſynas elargiens donare intendat.

QUÆSTIO V.

Quæ ſint vitia Caritati oppoſita.

LIcet peccata omnia dici poſſint caritati oppoſita, quatenus ejus habitum vel actum excludunt; plurima tamen ſunt, quæ capitaliùs magiſque directè ipſi opponuntur quàm cætera; quia formaliter contra ejus actus & officia pugnant: Sic contra amorem Dei & proximi pugnat Odium utriuſque; contra ſubjectionem Deo ac regulæ ejus debitam pugnat Superbia; contra gaudium de bono Dei & proximi, pugnant Acedia & Invidia; contra beneficentiam pugnat Avaritia; contra pacem pugnant Ira, Schiſma, Bellum; contra correctionem fraternam pugnat Scandalum: Quæ omnia paucis perſtringemus, ſequentibus articulis.

ARTICULUS I.

De odio Dei & Proximi.

Not. ODium in genere eſt *voluntatis averſio ab aliquo apprehenſo, ut malo.* Aliud eſt abominationis, amori concupiſcentiæ oppoſitum; eſtque averſio ab aliquo, ut nobis malo: Aliud inimicitiæ, amori benevolentiæ contrarium; & eſt actus voluntatis, quo alteri malum volumus, ut ei malum ſit. Deinde aliud eſt odium formale & explicitum, quo actu formali & expreſſo Deo aut proximo malum volumus, dùm quis in Deum, aut proximum indignabundus ipſum non eſſe, vel beatum non eſſe deſiderat. Aliud eſt implicitum ſeu interpretativum, quo aliquid agitur, quod averſionem à Deo aut proximo neceſſariò importat: ſic omne peccatum dicitur à Divo Thoma odium Dei.

QUÆR. 1. Quale peccatum ſit odium formale Dei & proximi?

℞. Formale odium Dei omnium eſt peccatorum graviſſimum, nec ob materiæ levitatem à mortali excuſari poteſt; quilibet enim actus odii Dei deliberatus, licèt remiſſus, directiſſimè contra bonitatem divinam pugnat. Odium autem proximi inter omnes affectus malos contra proximum graviſſimus eſt, nec ullo prætextu excuſabilis: unde jure merito ab Inn. XI. damnatæ ſunt ſequentes propoſitiones. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, licet non ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis.* Prop. 14. *Licitum eſt Filios gaudere de parricidio Parentis à ſe in ebrietate commiſſo propter ingentes divitias, inde ex hæreditate conſecutas.* Prop. 15. Certum eſt tamen, odium proximi veniale fieri ex levitate materiæ; dùm quis v. g. proximo exoptat leviſſimum malum. Ubi tamen obſervandum eſt, leve de ſe malum, ob adjunctas circumſtantias, & graviter malum odientis affectum, poſſe fieri grave, proindeque grave peccatum.

QUÆR. 2. Utrùm peccata odii contra proximum ejuſdem ſint ſpeciei?

℞. Nequaquàm. Injuria ſiquidem proximum afficere in vita, fama & fortuna peccata ſunt ſpecie diverſa: Ergo & deſiderium illud his injuriis afficiendi. Non ſufficit igitur generaliter in Confeſſione declarare, ſe malum proximo exoptaſſe, ſed quantitas & qualitas mali neceſſariò eſt aperienda, & quanto tempore duraverit inimicitia, & quoties fuerit renovata.

ARTICULUS II.

De Superbia.

Not. SUperbia eſt *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ.* Dicitur *appetitus*, amor ſcilicet, complacentia, ſeu deſiderium. Dicitur *inordinatus*, ex duplici capite; humilitatis ſcilicet, in quantùm quis aliis ſubjici refugit, & magnanimitatis, in quantum præſumptuosè res magnas appetit; & utrumque contra Regulam à

Deo ſtatutam. Nam ſi quis propriam excellentiam, perfectionem, eminentiam, laudem & famam in Deo & propter Deum appeteret, virtus eſset magnanimitatis, non ſuperbiæ vitium. Dicitur *propriæ excellentia*, non alienæ: unde ſi Pater contra Dei Regulam, excellentiam filii, abſque reſpectu ad ſe ipſum, expeteret, non eſset propriè ſuperbia, ſed quoddam aliud vitium.

QUÆR. 1. Superbia quale ſit peccatum?

R. Superbia, inquit D. Th. 2. 2. q. 162. a. 5. qua homo aliqualiter non ſubjicitur Deo & regulæ ipſius, peccatum eſt mortale ſecundùm genus ſuum; quia per hanc homo avertitur à Deo, & ab ipſo apoſtatat. Attamen, inquit S. Doctor, ſicut in aliis peccatis, quæ ſunt ex genere ſuo mortalia, ſunt aliqui motus, qui ſunt venialia, propter eorum imperfectionem, ita etiam, & circa ſuperbiam accidit.

QUÆR. 2. Quot ſunt filiæ ſuperbiæ?

R. Duodecim recenſeri poſsunt: Vana gloria, Jactantia, Ambitio, Præſumptio, Inobedientia, Contemptus aliorum, Hypocriſis, Novitatum inventio, Pertinacia, Contentio, Curioſitas, Ingratitudo.

Vana gloria, quæ laudis humanæ appetitus eſt inordinatus, peccatum veniale ordinariè non excedit; niſi fortè quis gloriaretur bonum quod habet à ſe ipſo habere, aut ſuis meritis obtinuiſse, vel gloriaretur de gravi peccato, vel ſi gloriando de bono, quod non habet, gravem Superioribus injuriam, & proximo grave nocumentum inferret.

Jactantia, quæ eſt inanis, & ſtulta propriæ excellentiæ prædicatio; ſecundùm ſe mortalis non eſt, niſi caritati Dei & proximi ſit contraria, ut mox de vana gloria dictum eſt.

Ambitio, quæ eſt honorum ac dignitatum inordinatus appetitus, mortalis eſt; dùm motus, & finis appetentis ſunt graviter mali; dùm res appetita appetentis capacitatem ſuperat, dùm tandem dignitas obtinetur, vel obtinere deſideramus, cum nocumento tertii.

Præſumptio, quæ eſt inordinatus appetitus tentandi id quod vires noſtras ſuperat, tantùm venialis eſt; dùm nullum imminet periculum Deo injuriam, aut proximo, vel ſibi ipſi, grave damnum inferendi, aliàs eſſet mortalis.

Inobedientia, qua quis ſuperiorum mandatis ſubeſse detrectat: ſi formalis ſit, peccatum eſt ex genere ſuo mortale, nullam admittens parvitatem materiæ; cujus culpam aggravat maximè rebellio, peſſimum ſuperbiæ genus.

Contemptus aliorum, quo quis cum Phariſæo dicit: *Non ſum ſicut cæteri hominum*; mortalis eſt, dùm inde proximus gravem patitur injuriam.

Hypocriſis, quæ eſt ſimulatio virtutis aut bonitatis, quàm quis non habet, non eſt mortalis; ſi id ſimulet, vel ne alios ſcandalizet, vel ut aliis bonum præbeat exemplum: bene quidem, dùm ſimulantis intentio, caritati, cultui divino, ac juſtitiæ graviter repugnat v. g. Si quis bonum ſe ſimulet; ut ad dignitates, quibus indignus eſt, promoveatur; ut eleemoſinas pauperibus debitas ad ſe attrahat, ut proximum decipiat, &c.

Novitatum inventio, quæ eſt propriæ excellentiæ manifeſtatio, per aliquid novi admirationem ingerentis, ſæpe mortalis eſt ob finem malum, proximi damnum, & Dei irreverentiam.

Pertinacia, qua quis melius intelligenti cedere nolens, proprio judicio nimis adhæret, peccatum erit mortale ſi cadat in Dei injuriam, Superiorum contemptum, aut grave proximi damnum,

Contentio, quæ eſt inordinata verborum contrarietas circa verum, ad quam reducitur *diſcordia*, quæ eſt voluntatum diſſentio circa bonum in his rebus, in quibus ex caritate convenire, & conſentire tenemur; utraque quandoque venialis, quandoque mortalis eſt, juxta gravitatem materiæ, vel juxta grave, vel leve malum, quod cauſant.

Curioſitas, quæ eſt inordinatus appetitus ſciendi, quod proprium ſtatum vel profeſſionem excedit, mortalis eſt ex circumſtantia; dum v. gr. peccandi periculo per hanc quis ſe committit.

Ingratitudo, qua quis beneficium acceptum, dùm vel ratio, vel neceſſitas poſtulat, reddere detrectat, mortalis eſt, dùm gravis eſt ingratitudo, utpote gravis injuſtitia.

ARTICULUS III.

De Acedia.

Not. Acedia eſt *tædium voluntarium ac deliberatum de bono ſpirituali ad nos pertinenti*. Dicitur *tædium*, ſeu torpor animi ſpiritualia perficere faſtidientis. Dicitur *voluntarium ac deliberatum*, ut diſtinguatur à tædio ſæpe contra voluntatem

in

Digitized by Google

in animabus etiam piiſſimis, vel ex naturali complexione, vel ex diaboli tentatione excitatum, vel ab ipſomet Deo permiſſum; cui ſi viriliter obſiſtamus, faciet cum tentationem proventum. Dicitur *de bono ſpirituali ad nos pertinenti*; quia ſi quis triſtetur de bonis divinis, ut Dei ſunt, v. g. de ſanctificatione ejus nominis, non erit Acedia, ſed Odium.

QUÆR. 1. An Acedia peccatum ſit, & quale?

℞. Acediam ex genere ſuo mortalem eſſe, juxta illud Apoſtoli. 2. Cor. 7. *Triſtitia ſæculi mortem operatur*; & ratio eſt, quia per illam deſpiciuntur Dei amicitia, & æterna beatitudo; cum reputentur indigna, quæ comparentur difficili virtutum exercitio; ſicut ille principem cenſeretur deſpicere, qui triſtaretur ſe à ſenatorum detrahi conſortio, ut ad regiam familiaritatem, & gratiam provehi poſſet.

QUÆR. 2. Quæ ſint filiæ acediæ?

℞. Sex vulgo recenſeri. *Malitia*, qua res ſpirituales adverſantes, Dei dona formaliter contemnimus; ut qui vellet numquam Chriſtum noviſſe, Sacramenta non fuiſſe inſtituta, aut Cœleſtem mercedem non eſſe. Hæc ſemper mortalis eſt, niſi excuſet indeliberatio. *Rancor*, quæ eſt quædam indignatio in eos, qui ad divina ſpiritualia nos hortantur, aut inducere volunt; quæ levis eſt, ſi levis ſit indignatio, mortalis, ſi gravis ſit, & conjuncta cum odio. *Puſillanimitas*, quæ mentis eſt dejectio; qua quis formidat aggredi, quæ ad ſalutem ſpectant; mortalis eſt, ſi quis propter hanc media ad ſalutem neceſſaria negligat; venialis, ſi tantum ad ipſam remotè conducentia. *Deſperatio*, qua quis beatitudinis aſſecutionem ſibi impoſſibilem exiſtimans de ea obtinenda diffidit, eſt peccatum de ſe graviſſimum. *Torpor*, quæ eſt languor voluntatis circa bonum agendum; mortalis eſt, vel venialis, prout præcepta, vel nullatenus, vel tardè, vel frigidè adimplentur. *Evagatio mentis*, quæ ſeſe ad diverſa diffundit, de ſe quidem levis eſt; ſed mortalis, ſi fiat eo tempore quo ex præcepto requiritur mentis attentio.

ARTICULUS IV.

De Invidia.

Not. INvidia eſt *triſtitia de bono alieno, quatenus proprii boni, gloriæ aut excellentiæ noſtræ diminutivo*. Dicitur *triſtitia*; quia, licet invidia circa bonum verſetur, apprehenditur tamen ut malum proprium invidentis, quatenus excellentiam ſuam inde minui cenſet. Dicitur *de bono alieno*; quia ſi quis de bono proprio, ut malo apprehenſo, triſtetur, invidia non eſt, ſed acedia. Dicitur, *quatenus boni proprii &c.* quia ſi triſtitia ob aliud motivum excitetur, non erit invidia, ſed vel odium, vel æmulatio, vel indignatio, vel zelus. Unde 1. Qui triſtatur de bono Proximi: quia is ſibi diſplicet, eſt odium, non invidia. 2. Qui triſtatur de bono temporali proximi, non quia illud habet; ſed quia ipſemet illo caret, bonum hujuſmodi ſibi cupiens abſque alterius præjudicio, non eſt invidia, ſed æmulatio; & quidem ſancta, dùm de bono ſpirituali agitur. 3. Qui triſtatur de bonis Prodigi ea dilapidantis, aut Avari ea recondentis, juſta eſt indignatio, non invidia. 4. Qui triſtatur, quod peccatores bonis abundent temporalibus, eſt zelus inordinatus; cum omnia divinæ Providentiæ decretis, quæ adorare debemus, eveniant.

QUÆR. 1. Invidia quale ſit peccatum?

℞. Peccatum eſſe ex genere ſuo mortale, ex Apoſtolo enumerante invidiam *Galat.* 5. inter opera carnis à Regno Dei excludentia. Invidia ſiquidem opponitur Caritati, cujus proprium eſt de proximi bono gaudere; peccatum autem, Caritati oppoſitum ex genere ſuo mortale eſt, inquit D. Thomas: Ergo, &c.

QUÆR. 2. Quot ſint filiæ invidiæ?

℞. Sex numerantur. *Odium proximi*, cui invidemus. *Gaudium* de malis & *afflictio* de bonis ejuſdem. *Judicium temerarium*, quo de ipſo abſque fundamento perversè judicamus, *Contumelia*, qua in ipſum injurioſè nos extollimus. *Detractio*, qua famæ ejus detrahimus. *Suſurratio*, qua aliorum amicitiam ipſi auferre curamus, ad cujus reſtitutionem tenetur Suſurro, ſine qua, aut ipſius propoſito non eſt abſolvendus.

ARTICULUS V.

De Avaritia.

Not. AVaritia eſt *amor divitiarum inordinatus*. Dicitur *amor*; vel proſecutionis, quo ſuperfluas divitias comparare deſideramus; vel complacentiæ, quo in ipſis nos delectando eaſdem conſervare nitimur. Dicitur *divitiarum*, per quod intelli-

telliguntur aurum, argentum, agri, domus & omnes mobilium vel immobilium poſſeſſiones. Dicitur *inordinatus*, ſive reſpectu objecti, dum aliena concupiſcimus; ſive reſpectu finis, dum ad malum finem his uti volumus; ſive reſpectu exceſſus, dum nimias divitias, quibus cor apponimus, cumulamus. Qui enim moderatas appetit divitias ad vitam honeſtè tranſigendam, prolem educandam, &c juſtè acquirendas, is avarus non eſt, ſed providus.

QUÆR. 1. Quale ſit peccatum avaritiæ?

℟. Mortalem aut venialem eſſe, ſecundùm virtutes, contra quas pugnat. Dum caritati & juſtitiæ opponitur mortalis eſt ex genere ſuo; dùm nempe per eam violatur eleemoſinæ præceptum, aut indebitè aliena deſiderantur, rapiuntur, aut retinentur. Quod ſi verò contra ſolam liberalitatem pugnet avaritia; ita ut quis facilè bona ſua non largiatur ob nimium divitiarum, quo tenetur, affectum, erit tantum venialis; cum potius illiberalitas quàm propriè dicta avaritia eſſe cenſeatur; modo tamen dives divitiis ſuis ita cor non apponat, ut eas amori divino præferat, & probabili periculo ipſum offendendi, nimio divitiarum affectu, ut ſæpè fit, ſe ſe exponat. Qui enim *volunt divites fieri incidunt in tentationes & in laqueum diaboli; & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.*

QUÆR. 2. Quot ſint filiæ avaritiæ?

℟. Sex recenſentur: *Obduratio* cordis, ſeu immiſericordia. *Inquietudo* mentis qua à debitis retrahimur officiis: *Violentia* proximo illata: *Fallacia* in verbis aut factis ad proximum decipiendum. *Proditio*, ſeu contra fidem datam & debitam deceptio: *Perjurium*, dum juramentum falſum teſtatur.

QUÆR. 3. Quid ſit prodigalitas, & quale peccatum?

℟. Prodigalitas, quæ eſt inordinata bonorum effuſio ex genere ſuo venialis eſt; utpote quæ ductum rationis non ſequatur, ſed paſſionis: Ab extrinſeco tamen fieri poteſt mortalis, ſi nempe prodigus bona ad familiam ſuſtentandam aut debita ſolvenda neceſſaria dilapidet, vel ſi id faciat cum aliorum ſcandalo, aut gravi detrimento, &c.

ARTICULUS VI.

De Ira.

✠

(*)

Propoſitiones Damnatæ in materia Homicidii.

1. „ Vir equeſtris ad duellum provocatus, „ poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. Damnata fuit „ ab Alexandro VII. an. 1665. Ordine 2.
2. „ Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, Calumniatorem gravia crimina de ſe, vel „ de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi „ non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, „ ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur. Ab eodem. Eſt 17.
3. „ Licet interficere falſum accuſatorem, „ falſos teſtes, ac etiam Judicem, a quo „ iniqua certò imminet ſententia, ſi alia „ via non poteſt Innocens damnum evitare. Ab eodem. Eſt 18.
4. „ Non peccat Maritus occidens propria „ auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam. Ab eodem. Eſt 19.
5. „ Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi „ aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem „ quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat. „ Damnata fuit ab Innocentio XI. an. 1679. „ Ordine 30.
6. „ Regulariter occidere poſſum furem pro „ conſervatione unius auri. Ab eodem. „ Eſt 31.
7. „ Non ſolum licitum eſt defendere defenſione „ occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad „ quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos „ poſſeſſuros ſperamus. Ab eodem. Eſt 32.
8. „ Licitum eſt tam hæredi, quam Legatario contra injuſte impedientem, ne vel „ hæreditas adeatur vel legata ſolvantur, „ ſe taliter defendere, ſicuti & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra „ eorum poſſeſſionem injuſte impedientem „ Eſt 33.
9. „ Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida „ occidatur, aut infametur. Eſt 34.
10. „ Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem „ habere, cum paritur; ac conſequenter „ dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. Eſt 35.

(*)

Not.

Not. IRa eſt *inordinatus vindictæ appetitus*. Dicitur *inordinatus*, quod ex duplici capite contingere poteſt. 1. Ex parte modi iraſcendi; ſi nempe motus iræ nimiùm, vel interiùs, vel exterius exferveſcat. 2. Ex parte objecti, ſi injuſta appetatur vindicta, vel ſi juſta ſit, appetatur injuſtè cum animi malevolentia, aut auctoritate propria ſumenda, aut ultra quam delinquens meruit. Unde dum ira nec modum excedit, nec in objecto deficit, & ad finem honeſtum tendit; conſervationem ſeilicet juſtitiæ, aut correctionem culpæ; vitium non eſt; ſed virtus, juxta illud Pſalmiſtæ *iraſcimini, & nollite peccare*. Dicitur *vindictæ*, aut quaſi vindictæ: nec enim ad iram neceſſe eſt, ut vindicta feratur in eum à quo quis ſe læſum putat; imò nec in perſonam rationalem, quia quilibet verè poteſt inordinatè iraſci in res inanimatas, ut ſcriptor in calamum non idoneum, aut viator in offendiculum.

QUÆR. 1. Ira quale ſit peccatum?

R. Iram inordinatam, ex parte objecti, peccatum eſſe mortale ex genere ſuo: Ex parte autem modi, ordinariè veniale tantùm. Ratio eſt; quia ira ex parte objecti, caritati aut juſtitiæ ex adverſo pugnat ut patet; non verò ex parte modi, cum homo per ſolam motionis exferveſcentiam nec noċete intendat, nec de facto noceat, niſi ſibimet. Quod ſi tamen graviter ſibi noceret; ut ſi quis, etiam ſecluſo gravis vindictæ appetitu, in enormes geſtus, voces horrendas, ſpumas, membrorum contorſiones, deliberatè erumperet, graviter haud dubiè peccaret; utpote, qui naturam rationalem & Dei imaginem graviter deturparet.

QUÆR. 2. Quot ſint iræ filiæ?

R. Sex numerantur. *Indignatio*, qua quis ob injuriam ſibi factam alterum reputat indignum, cui exhibeat officia caritatis communia. *Tumor mentis*, id eſt æſtus quidem excandeſcentis animi, diverſa media ad ſe vindicandum excogitantis. *Clamor*, ſeu inordinata atque confuſa vocum effuſio. *Contumelia*, quæ eſt honoris proximi, verbis injurioſis, ipſo præſente, læſio. *Blaſphemia*, injurioſa ſcilicet, contra Deum vel Sanctos ejus, locutio. *Rixa* tandem, per quam intelliguntur nocumenta, quæ facto proximis inferuntur. Quæ omnia venialia aut mortalia cenſentur, pro magis vel minus graviter juſtitiam vel caritatem offendunt.

ARTICULUS VII.

De Bello.

Not. LAtum eſſe diſcrimen inter bellum, duellum, rixam & ſeditionem. Bellum ſiquidem definitur. *Conflictus actualis multorum contra multos extraneos, vi & armis ſibi invicem nocere conantibus.* Dicitur *conflictus actualis*, ut diſtinguatur à bello habituali, ſeu profeſſione militari. Dicitur *multorum contra multos*, ut diſtinguatur à Duello, quod eſt certamen periculoſum unius contra alterum ex condicto initum, deſignato tempore, & loco; ſicut & à *rixa*, quæ eſt certamen paucorum contra paucos. Dicitur *extraneos*, ut diſtinguatur à ſeditione, quæ ſit inter homines ejuſdem Communitatis, aut Regni, invito Principe. Dicitur *vi & armis*; ut diſtinguatur à pugnis, quæ fiunt armis ad occidendum, aut lædendum ineptis, pugnis nimirum, levi baculo, crinium avulſione; quæ licet ut plurimum gravia ſint peccata, non ſunt proprie Bella, nec Duella. Porrò bellum aliud eſt defenſivum, quo vim & injuriam vi illatam propulſamus; aliud offenſivum, quo hoſtem aggredimur compenſationis obtinendæ, aut injuriæ vindicandæ gratia.

QUÆR. 2. Utrum licitum ſit Bellum; tum defenſivum, tum offenſivum?

R. Affirmativè, modò adſint nonnullæ conditiones. Probatur ex Veteri Teſtamento; ubi videmus Deum ſæpius juſſiſſe bellum geri, imò, & auxilium juſtè bellantibus promiſiſſe, ac præbuiſſe. Ratio eſt de bello offenſivo; quia quandoque expedit, aut læſionis compenſationem obtinere, aut injuriæ vindictam ſumere; quæ utique inter eos, qui nullum Superiorem agnoſcunt obtineri nequeunt, niſi bellando, dùm lædens parti læſæ ſatisfacere renuit. Quoad bellum defenſivum evidens eſt, jure naturæ licitum eſſe vim vi repellere, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ubi obiter obſervandum eſt in bello defenſivo non extare obligationem moderſmen ſervandi inculpatæ tutelæ, ut in privata defenſione; ſed aggreſſum etiam vindicare poſſe injuriam ab aggreſſore injuſtè factam.

QUÆR. 2. Quæ ſint conditiones ad belli juſtitiam requiſitæ?

R. Ad bellum offenſivum quatuor requiruntur conditiones: dixi ad bellum offenſivum,

ſivum, nam pro bello defenſivo ſufficit periculum, & neceſſitas.

1. Conditio eſt auctoritas Principis, vel Magiſtratus, Superiorem non agnoſcentis; quia dùm aliquis Superiorem habet, ad quem recurrat, non poteſt propria auctoritate ſe ſe vindicare, alterum aggrediendo, percutiendo, occidendo.

2. Conditio eſt juſta cauſa, gravis ſcilicet injuria irrogata ſive Principi, ſive ſubditis, ſive Confœderatis; imò & extraneis innocentibus; ut ſi Infideles Evangelii prædicationem impediant, damnum innocentibus inferant, & fidem contumeliis, aut blaſphemiis afficiant.

3. Conditio eſt recta intentio; ita ut bellum fiat non ex odio, ſed juſtitiæ zelo; non nocendi cupiditate, ſed bono communi favendi voluntate; qua tamen deficiente intentione, licet graviter peccet militans, non tenetur tamen ad reſtitutionem, quemadmodùm ſi deficerent aliæ conditiones.

4. Conditio eſt modus in bellando moderatus, quorum præcipuus eſt, quòd numquam inchoetur bellum, niſi pars lædens de injuria, & damno monita ſatisfactionem competentem denegaverit, cætera dicta ſunt, dùm de ſtatu militum egimus.

QUÆR. 3. Utrùm Duellum ſit licitum auctoritate ſaltem publica; privata enim auctoritate illicitum eſſe ſatis patet.

℟. Duellum fieri poſſe auctoritate publica, vel inter malefactores ſpectaculi gratia, vel ad detegendam innocentiam, vel ad litem finiendam, vel ad bellum atrox breviùs terminandum. Primum non eſt licitum; quia Princeps malefactorum animas damnationi abſque neceſſitate exponeret, cum fieri poſſit, ut in conflictus ſucceſſu pugnantes effectu vindictæ ſe ſe apperant. Nec ſecundum; quia innocens in conflictu ſuccumbere poteſt. Nec tertium; tum ob ſupradictam rationem, tum quia multæ ſunt aliæ viæ, quibus collitigantes pacificari poſſunt abſque corporis, & animæ eorum periculo. In ultimo tamen caſu duellum videtur licitum publica auctoritate ob grave inde oriens Reipublicæ emolumentum.

ARTICULUS VIII.

De Schiſmate.

Not. Schiſmatis nomine generaliter ſumpti intelligitur *mentium*, & *cordium injuſta diviſio*. Propriè autem ſumptum definitur: *Rebellis diviſio ab unitate Eccleſiæ*. Dicitur *diviſio*, qua quis vel debitam Supremis Paſtoribus, maximè Summo Pontifici, obedientiam præſtare, aut membris Eccleſiæ eiſdem ſubjectis communicare renuit; ſic enim ſcinditur unitas Eccleſiæ. Dicitur *rebellis*; quia, licèt illa unitas per quamlibet inobedientiam lædatur; abſolutè tamen non ſolvitur, niſi inobedientiæ ſuperaddatur rebellio, & contumacia. Unde licèt omnis ſchiſmaticus ſit inobediens, omnis, tamen inobediens non eſt ſchiſmaticus.

QUÆR. Schiſma quale ſit peccatum?

℟. Cum D. Thom. Peccatum Schiſmatis eſſe maximum, quod adversùs caritatem proximi committi poteſt; quia ſpirituali bono multitudinis adverſatur. Infidelitas tamen de ſe gravior eſt, quia, inquit D. Thom. infidelitas eſt peccatum contra ipſum Deum, ſecundùm quod eſt prima veritas: ſchiſma verò eſt contra Eccleſiaſticam unitatem, quod eſt quoddam bonum participatum, & minus quam ſit ipſe Deus. Attamen contingere poteſt, quòd aliquis Schiſmaticus gravius peccet, quàm quidam Infidelis; vel propter majorem contemptum, vel propter majus periculum quod inducit, vel propter aliquod hujuſmodi.

ARTICULUS IX.

De Scandalo.

Not. Nomine ſcandali intelligitur offendiculum, ſeu pedis offenſio, ut lapis in via, in quem viator incautè offendens prolabitur. Quod nomen ad mores translatum ſignificat: *Dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis*. Dicitur *dictum, vel factum*, per quod intelligitur etiam externa omiſſio, qui enim omittit agere cum deberet, ſacrum v. g. audire, aliis ſcandalo eſſe poteſt. Non poteſt autem eſſe ſcandalo per ſolam cogitationem: unde in definitione non additur, vel concupitum, ſicut in definitione peccati. Dicitur *minus rectum*; quia non eſt neceſſe ad rationem ſcandali, quod dictum, vel factum ſit de ſe peccatum; ſed ſufficit, quòd ſpeciem peccati præſeferat; vel quod in agendo debita rectitudo & diſcretio non ſervetur, ut contingeret in Clerico, qui apud ſe puellam retineret, cum qua tamen caſtimoniam illibatè ſervaret. Dicitur *præbens alteri occaſionem*

Digitized by Google

ſionem ruinæ ſpiritualis; quia ad rationem ſcandali neceſſe non eſt, ut ruina ſequatur, ſed ſufficit ut occaſio præbeatur.

QUÆR. 1. Quotuplex ſit ſcandalum?

℞. Scandalum aliud eſt datum ſeu activum, cujus mox definitionem attulimus; aliud paſſivum ſeu acceptum, quod eſt effectus ſcandali activi; peccatum ſcilicet, cujus occaſio fuit ſcandalum datum. Deinde duplex eſt ſcandalum datum: directum ſcilicet, quo quis expreſsè, & formaliter proximum ad peccatum inducere intendit, puta fornicatione, &c. Indirectum, quo licèt quis non intendat expreſsè proximum ad peccatum inducere, nonnulla dicit, vel facit, ex quo prævidet, aut prævidere debet alterum fortè lapſurum. Demùm ſcandalum paſſivum ſubdividitur in ſcandalum puſillorum, quod ex proximi ignorantia, & infirmitate oritur; & in ſcandalum Phariſæorum, quod naſcitur ex malitia accipientis.

QUÆR. 2. Quandò ſcandalum mortale ſit, & quando veniale?

℞. Satis evidens eſt, ſcandalum directum eſſe peccatum mortale ex genere ſuo, & quidem graviſſimum; cum voluntas expreſſa proximum impellendi in peccatum malitia ſit prorſus diabolica. Item evidens eſt ſcandalum paſſivum verum eſſe peccatum; cum ſit lapſus ipſemet illius, qui patitur ſcandalum. Indifferens eſt autem ad formalem peccati rationem, ut quis accepta, vel non accepta occaſione in peccatum prolabatur.

Quæſtio eſt igitur tantummodò de ſcandalo dato interpretativè ſeu indirectè, de quo dicendum eſt, peccatum eſſe ex genere ſuo mortale, à mala actione, quæ occaſionem ruinæ præbet, diſtinctum, proindeque in Confeſſione aperiendum. Ratio primi eſt: quia in quolibet genere peccati ſufficit voluntas interpretativa. Adde quod ſi hæc non ſufficeret in ſcandalo, vix aut numquam daretur ſcandalum; cum rariſſimum ſit homines malitia diabolica aliorum ruinam in agendo intendere. Sicque inaniter dixiſſet Chriſtus: *Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini, per quem ſcandalum venit; & væ mundo à ſcandalis*. Ratio ſecundi eſt; quia hoc ſcandalum peccat contra ſpecialem virtutem, nempe caritatem, qua ſub gravi peccato tenemur, proximi miſeriam tum corporalem, tum ſpiritualem amovere; ideò in Confeſſione dicere non ſatis eſt, tale peccatum ſe comiſiſſe; ſed addendum eſt peccatum illud alios ad peccatum induxiſſe, aut inducere potuiſſe, & à nobis præviſum eſſe, aut prævideri debuiſſe; imò & aperiendus eſt numerus eorum, quibus hæc actio ſcandalo fuit, aut eſſe potuit.

Dixi ſcandalum indirectè datum peccatum eſſe ex genere ſuo mortale; ut indicarem aliquando eſſe veniale; vel ob materiæ levitatem, dùm nempe occaſio fuit venialis tantùm peccati; vel dum non adfuit ſufficiens advertentia ruinæ futuræ proximi.

QUÆR. 3. Utrùm ſcandalum permitti poſſit; & an ad eum vitandum ab aliqua actione teneamur abſtinere.

℞. Nullum ſcandalum, etiam Phariſaicum permitti poteſt, & à nonnullis actionibus abſtinere tenemur, ut eum vitemus; niſi excuſet neceſſitas, aut notabilis utilitas propria vel aliena. Ratio eſt; quia ſi juxta Theologos ſub gravi peccato teneamur cum facilè poſſumus, malum proximi corporale per eleemoſynam, & ſpirituale per correptionem removere; ergo à fortiori tenemur cavere, ne illum per aliquam actionem in ruinam conjiciamus ſpiritualem, cum pejus ſit proximum ad malum protrahere, quàm jam lapſum non erigere. Hinc

Reſolv. Non licere abſque neceſſitate, & gravi cauſa mutuum ab uſurario, juramentum à perjuro, Miſſam à malo Sacerdote petere; quia, eum id abſque peccato non futurum prævideas, ejus peccato voluntariè cooperari cenſeris; ſi nulla adſit cauſa rationalis, quæ te ad hoc ab ipſo petendum auctorizet. Ex quo conclude quanto graviori peccato conſcius ſis, ſi abſque gravi cauſa te excuſante ab aliqua non abſtineas actione, qua in peccatum puſilli protrahi poſſunt.

QUÆR. 4. Quænam requiratur cauſa, ut quis excuſetur à non omittenda actione, quæ aliis ſcandalo eſſe poteſt?

℞. Graviorem, vel leviorem requiri, juxta ſpeciem, aut gravitatem ſcandali. Gravior ſiquidem requiritur, ut permittatur ſcandalum puſillorum, quàm Phariſaicum, plurium, quàm paucorum, majus, quàm minus ſecuturum, certius, quàm incertius &c. Regulariter loquendo, propter ſcandalum Phariſaicum, nec bonum temporale nobis notabiliter utile, nec leviſſimum quidem bonum ſpirituale, eſt omittendum; niſi tamen inde fructus ſperaretur, juxta illud Matth. *Sinite illos* &c. Sed propter ſcandalum puſillorum, utrumque debet prætermitti, & ſola gravis neceſſitas temporalis,

Digitized by Google

ralis, graviſque utilitas ſpiritualis ab eo excuſari poteſt. Unde pietatis exercitia, ad ſalutem & perfectionem plurimùm non conducentia, vel aliquoties prætermitti debent, vel occultari, vel ad tempus differri; quouſque reddita ratione, & ſublata infirmi ignorantia, ceſſet hujuſmodi ſcandalum. Quod ſi vero reddita ratione non ceſſat, tunc ſcandalum fit Pharifaicum, propter quod non dimittenda ſunt exercitia ſpiritualia.

Quoad præceptum adimplendum, utrum prætermitti debeat propter puſillorum ſcandalum; diſtinguendum eſt; vel præceptum juris eſt naturæ, vel juris poſitivi, vel negativum, vel affirmativum. Si juris ſit naturæ, & negativum, obligans ſemper pro ſemper, nullatenus prætermitti debet propter quodlibet ſcandalum. Si ſit affirmativum; omnis juris præceptum, tum naturalis, tum poſitivi divini, & humani non obligans pro ſemper, ſed ſolum poſitis omnibus circumſtantiis, aliquando prætermitti debet. Sic prætermittenda eſt fraterna correctio, ſi proximus ex ea futurus ſit deterior: ſic occultanda eſt veritas, quam aliàs Chriſtus ſuper tecta prædicari juſſit, ſi inde grave ſcandalum probabiliter timeatur. Dixi aliquando; ut annuerem aliquando præcepta poſitiva, etiam juris humani, non eſſe prætermittenda propter puſillorum ſcandalum. Sic puella ſciens aliquem erga ſe luxurioſè ſcandalizandum eſſe, debet quidem manere domi, & ab auditione Miſſæ abſtinere die feriali; ſed non in die feſto: Quæ omnia prudentis, docti ac timorati viri judicio ſunt penſanda.

QUÆR. 5. Utrùm alterius peccato cooperari liceat ſubminiſtrando materiam, vel exhibendo objectum &c.

R. Quatuor vulgo aſſignantur conditiones, quæ, ſi adſint, alterius peccato cooperari licet. 1. Si opus ad peccatum cooperans de ſe ſit bonum, vel ſaltem indifferens. 2. Si bona fiat intentione, non ut alter ad peccandum juvetur, ſed propter rationabilem cauſam. 3. Si opus cooperans ad peccatum proximè non concurrat. 4. Si peccatum impedire cooperans non teneatur, & jus habeat ad ſic agendum ob rationabilem cauſam. Quæ cauſa in omni conditione eò gravior aut levior eſſe debet, quò peccatum, cui confertur occaſio, gravius vel levius eſt; & quò certius eſt, te nòn cooperante, alterum non peccaturum. Hinc.

Reſolv. 1. Excuſantur à peccato Artifices, aut Mercatores qui conficiunt aud vendunt res indifferentes, quibus quis benè uti poteſt, licèt plurimi abutantur v. g. aleas, fucos, gladios &c. niſi certò ſciant aliquem in particulari his & ſimilibus velle abuti. E contra ipſis venena vendere non licet; quia, cum nonniſi ad hominis occiſionem ſerviant, ſimpliciter ſunt mala: niſi tamen vendant iis, quos his bene uſuros probè norunt, vel ad medicinam, vel ad colorum confectionem.

Reſolv. 2. Excuſantur à peccato Famuli, qui ratione famulatus ſui nonnulla præſtant obſequia Dominis ſuis ad lupanar euntibus v. gr. Equum ſternunt, veſtiunt, oſtium aperiunt &c. Quia remotè tantùm ſe habent ad peccatum, & gravis ratio urget. E contra alteri, non Famulo, eadem præſtare non liceret: Item eidem non liceret Hero ſuo alterum occiſuro gladium præſtare, furanti ſcalam applicare, meretricem in domum introducere, litteras amatorias ipſi deferre; quia hæc, & ſimilia ad peccatum proximè concurrunt.

ADNOTATIO 40.

(*)

Cautè accipienda eſt iſta Authoris Reſolutio propter ſequentem ab Innocentio XI. damnatam propoſitionem. Famulus, qui ſubmiſſis humeris adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtram ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur. *Licet enim reſolutio ſtrictè accepta defendi poſſit; attamen ea, malæ indolis homines facilè abuti poſſent. Quis autem non videt quàm facili gradu per eam ad propoſitionem damnatam tranſitum fieri, maximè propter* Ly &c. *in ipſa poſitum? Si licet, dicent fortaſſe perditi homines,* Famulo, Domino ad lupanar eunti *Equum ſternere, oſtium aperire &c.; cur non licebit ipſum adjuvare ad aſcendendam feneſtram propter ſtuprandam Virginem adlaborantem? Ly igitur &c. minus cautè hoc in loco adpoſitum fuit.*

(*)

Reſolv. 3 Excuſatur à peccato ſponſa contrahens cum ſponſo, quem ſcit in mortali ſacramentum accipere: Item Sacerdos, qui Euchariſtiam adminiſtrat peccatori occulto, ſi eam publicè petat; quia ſponſus jus habet ad contrahendum, peccator ad publicè Euchariſtiam petendam Sacerdoti; & quia nec Sponſa, nec Sacerdos ſupradictorum

ctorum peccatum tenentur impedire. E contra à peccato non excuſaretur, qui Matrimonium iniret cum eo, quem ſcit votum caſtitatis emiſiſſe; quia illicitus eſt hic contractus, & ad eum celebrandum nullum jus habetur.

Reſolv. 4. Excuſantur à peccato, qui ob grave & imminens periculum, vinum ebrioſis, aut carnes in Quadrageſima comeſſuris ſubminiſtrant, dùm poſtulant; tum quia vinum, & carnes de ſe ſint indifferentes ad peccatum, & grave urget periculum. E contra à peccato non excuſantur Patresfamilias qui, ut fidelitatem filiorum, aut ſervorum ſuorum explorent, occaſionem proximam eis exhibent furandi, fornicandi &c.

Reſolv. 5. Excuſantur à peccato, qui meretricibus locant domum ſuam, quæ in ea parte Civitatis ſita eſt; ubi meretrices à magiſtratu tolerantur; tunc enim jus habent ad locandum, & ipſis recuſantibus locarent alii. E contra non excuſantur, ſi meretrices ibi non tolerentur; etiamſi alii adſint conductores; quia jus locationis deficit per ſupradictarum mulierum non tolerantiam.

Adnotatio 41.

(*)

Author Cl. Theologiæ Chriſtianæ *in contrariam abit ſententiam, eamque nedum probabiliorem, ſed* unicè probabilem *vocat. Ejus ratio in eo potiſſimum ſita eſt, quod in ſupradicta damnata propoſitione de Famulo adjuvante herum ſuum ad ingrediendam feneſtram &c. iſta quoque de Locatore domus meretrici incluſa videatur propter eamdem rationem.* Si Famulus (*ait ipſe t. 2. l. 1. diſſ. 9. c. 11. quæſt. 2.*) qui ſuis humeris dominum adjuvat ad ingrediendam feneſtram meretricis, peccat ex Eccleſiæ definitione: quomodo, qui univerſam domum ad peccandum aperit, concedit, locat, a peccato immunis erit? *Nihilominus opinio Authoris noſtri communior eſt inter Theologos ex confeſſione &c. ipſius* P. Concinæ, *qui tamen valide probare nititur propriam negativam ſententiam.*

(*)

CAPUT IV.

De Religione.

✠

(*)

Propoſitiones Damnatæ in materia Religionis.

1 „ Opportet hominem ſuas potentias annihilare. Et hæc eſt via interna. Damnata fuit ab Innocentio XI. ann. 1687. Eſt 1.

2 „ Velle operari activè eſt Deum offendere, qui vult eſſe ipſe ſolus agens: & ideo opus eſt ſeipſum in Deum totum, & totaliter derelinquere, & poſtea permanere velut corpus exanime. Ab eodem. Eſt 2.

3 „ Activitas naturalis eſt gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem: quia Deus operari vult in nobis. Ab eodem. Eſt 4.

4 „ Nihil operando Anima ſe annihilat; & ad ſuum principium redit, & ad ſuam originem, quæ eſt eſſentia Dei, in quam transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in ipſa remanet: quia tunc non ſunt amplius duæ res unitæ; ſed una tantum. Et hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima ſeipſam annihilat in eſſe operativo. Ab eodem. Eſt 5.

5 „ Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in ſpiritu, & veritate. Ab eodem. Eſt 18.

Plures aliæ de hoc argumento recenſentur in Conſtitutione, cujus initium. *Cæleſtis Paſtor &c.*

(*)

Religio tripliciter ſumitur. 1. Ut profeſſio Cultus divini omnibus communis, qua quis Dei ſervitio mancipatur, ſic dicitur Religio Chriſtiana. 2. Ut ſtatus per tria vota ſolemnia paupertatis, obedientiæ & caſtitatis Deo ſpecialiter deputatus, ut Religio Franciſcana, aut Dominicana. 3. Prout eſt virtus, de qua nunc nobis agendum incumbit.

Sic ſuupra Religio definitur: *Virtus moralis inclinans ad debitum Cultum Deo, ut primo omnium principio, exhibendum.* Dicitur *virtus moralis*; quia Religio non eſt propriè virtus Theologica, ſed prima inter morales; cùm non immediatè Deum, ſed Cultum ejus reſpiciat. Dicitur *inclinans ad Cultum Deo exhibendum*; ideſt ad ei exhibendum honorem cum ſubmiſſione, in teſtimonium ipſius excellentiæ. Unde Sanctos ſuos Deus honorare poteſt, eorum excellentiam maniſeſtando, non autem eos colere; qui enim alium colit neceſſe eſt, ut eo, qui colitur ſe ſe inferiorem agnoſcat. Dicitur *Cultum Deo debitum*; quia Cultus Deo exhibetur, remotè quidem propter ejus excellentiam, proximè verò quia debitus eſt: unde objectum formale hujus virtutis, quæ ad juſtitiam pertinet, eſt ratio debiti; utpote motivum, propter quod Deo honorem exhibemus. Dicitur Deo *ut primo omnium principio* exhibendum; quia

Digitized by Google

Cultus Deo exhibitus propter aliud motivum; vel ut Pater noſter, vel ut benefactor, ad virtutem aut pietatis, aut gratitudinis ſpectat, non ad virtutem Religionis.

De Religione exponendum habemus actus ejus, & vitia oppoſita.

QUÆSTIO I.

Quinam ſint Religionis actus?

TRes ſunt præcipui actus Religionis hìc nobis breviter exponendi; Oratio, nimirùm, Votum, & Juramentum.

ARTICULUS I.

De Oratione.

Not. 1. ORatio multipliciter ſumitur. 1. Pro quolibet opere bono: unde ex D. Bonav. rectè dicitur: *Non ceſſat orare, qui non ceſſat benefacere*. 2. Pro quovis pio animi motu in Deum, ſic à Damaſceno definitur: *Aſcenſus mentis in Deum*. 3. Tandem & propriè definitur: *Actus Religionis, quo aliqua bona à Deo poſtulamus*. Dicitur *Actus Religionis*; quia per orationem ſubjectionem noſtram, ſupremamque Dei excellentiam agnoſcimus. Dicitur *Aliqua Bona*, quæ vel per ſe ad ſalutem conducunt, ut auxilia gratiæ, & habitus virtutum ſupernaturalium, vel ſaluti ſunt de ſe indifferentia, ut ſanitas, fœlix Matrimonium &c. quæ peti non debent, niſi ſub hac conditione, ſuppoſito quòd nobis ſint ſalutaria: ſecùs enim forent mala, nec proinde orationis objectum eſſe poſſent: unde qui bona temporalia, abſque hac ſaltem tacita, aut implicita conditione poſtularet, actum potius irreligionis, quàm Religionis eliceret; & graviter peccaret, quatenus bona temporalia ſpiritualibus præponere cenſeretur. Dicitur *à Deo*; quia licet B. Virginem, & Sanctos orare poſſumus; oratio tamen noſtra ad Deum ultimatè dirigitur, ac terminatur.

Not. 2. Oratio multipliciter dividitur. 1. In mentalem, quæ mente ſola funditur; & vocalem, quæ non mente tantummodò, ſed ore etiam exprimitur. Dixi, *non mente tantummodò*, ut annuerem orationem purè vocalem non eſſe veram orationem, quæ eſſentialiter conſiſtit in intellectus, & voluntatis operatione, & utriuſque in Deum aſcenſione. 2. Oratio mentalis; alia eſt qua aliquod bonum à Deo mentaliter poſtulamus, diciturque propriiſſimè oratio, ſeu poſtulatio: alia eſt, qua res divinas cum mentis affectu ſeriè, ac profundè perpendimus; diciturque meditatio, ſeu contemplatio. 3. Oratio vocalis: alia eſt publica, quæ publico Eccleſiæ nomine; & privata, quæ à ſingulis privatè funditur. His notatis.

QUÆR. 1. Utrum neceſſaria ſit oratio?

℟. Adultis neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti, ſimul & medii. Præcepti, inquam, ut conſtat ex locis multis Scripturæ ſacræ Luc. 18. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*. Epheſ. 6. *Orantes omni tempore*. Coloſs. 4 *Orationi inſtate &c.* Item & medii, ſaltem ſecundùm curſum ordinarium Adultos ſalvandi; quia divinum auxilium ad ſervanda præcepta ordinariè non confertur, niſi poſtulantibus.

QUÆR. 2. Quandonam obliget orationis præceptum?

℟. Hoc præceptum, utpote affirmativum, non ſemper & pro ſemper obligat, ita ut abſque ulla umquam phyſica intermiſſione orare neceſſe ſit, cum & aliis piis operibus vacare teneamur. Quod ſi dicatur in Evangelio, *oportet ſemper orare*; id hyperbolicè eſt intelligendum, ſumendo *ſemper* pro *frequenter*: vel oratio hic ſumenda eſt impropriè pro quolibet bono opere, à quo nunquam ceſſare debemus, ut malum faciamus: vel pro deſiderio rerum ſalutarium, quod in corde ſemper virtualiter retinere tenemur.

Quod autem frequenter orare jubemur, hoc patet; tum ex magna orationis ad rectam vitæ informationem neceſſitate; tum ex crebra, ac vehementi in Scripturis ejus inculcatione. Ideò communiter cenſent Doctores, quòd is, qui per totam hebdomadam ab oratione, propriè dicta abſtineret, reatum peccati mortalis incurreret.

Prætereà orationis præceptum obligat per accidens; dùm aliud adeſt adimplendum præceptum, quòd abſque oratione implere non poſſumus, ut Horarum Canonicarum recitatio, aut Pœnitentiæ à Confeſſario impoſitæ impletio; dùm grave imminet mortis periculum; dùm proximum precibus noſtris juvare tenemur; dùm gravis urget tentatio, quam ſine oratione vinci non poſſe credimus &c.

QRÆR. 3. Utrùm oratio mentalis, ſumpta pro rerum divinarum meditatione, ad ſalutem ſit neceſſaria?

℟. Licet nullum extet meditationis formale præceptum, nec ipſa tamquàm medium ad ſalutem abſolutè neceſſarium in Scriptu-

Digitized by Google

Scripturis aſſignetur; certum eſt tamen, mediatè ſaltem, omnibus eſse neceſsariam quatenus nobis ſunt tam ardua præcepta adimplenda, tot tentationes vincendæ, tantæque virtutes acquirendæ, & conſervandæ; ut hæc omnia abſque meditatione vix obtinere, & comparare poſſimus; quia nimirum fuga vitiorum, ac virtutum comparatio ex affectu interno prodeunt, qui procuidubio ſine pia conſideratione in corde non excitatur. Hinc Jeremias Propheta omnia crimina, quibus deſolata eſt terra, in nullam aliam refundit cauſam; niſi quia *nullus ſit qui recogitet corde*. Un de D. Bona. lib. de perf. vitæ c. 5. de Religioſis ſermonem faciens, quòd utique & Clericis, imò & Laicis accomodari poteſt, ait: *Revera Religioſus non frequentans aſſiduè orationem, non ſolùm eſt miſer & inutilis; quinimò coràm Deo fert animam mortuam in corpore vivo. Non eſt mirum; ſi tentationibus ſuccumbat frequenter, & miſerabiliter, qui ſtudium orationis non frequentat.*

QUÆR. 4. Quinam ſint Quietiſtarum circa orationem errores.

℟. Præcipuos Quietiſtarum errores fuere. 1. Quod contemplatio vel oratio quietis in eo poſita ſit, quòd quis dùm ſe in Dei præſentia per actum fidei obſcuræ ſimplicis, & amantis conſtituerit, in ea ſine ullo vel rationis, vel voluntatis, vel alicujus alterius potentiæ actu, otioſus permaneat, & quòd hæc contemplatio adeò perfectioni ſit neceſſaria, ut ſine ea ne paſſus quidem ad eam fieri poſſit. 2. Quòd primus ille actus numquam ſit iterandus; utpote qui per totius vitæ decurſum perduret; ſimulque & ſemel omnium aliarum virtutum actus eminentiori modò contineat. 3. Quòd Incarnationis Dominicæ Myſteria, attributa divina, Sanctorum vita, gehenna, aut gloria æterna &c. non ſint apta contemplationi objecta; proindeque ab eis mens ſit avertenda; utpote quæ nos à contemplatione impediant. 4. Quòd librorum ſpiritualium lectio, divini verbi prædicatio, Sanctorum invocatio, vocalis oratio, imò & Pœnitentiæ ſacramenti ſuſceptio verè contemplativis inutiles ſint, & nocivæ. 5. Quòd contemplativus, dùm actu in oratione quietis verſatur, non debet contemplationem interrumpere, ut Superiorum ſuorum mandata exequatur. 6. Quòd contemplativi ita ab omni affectu immunes eſſe debeant, ut etiam dona Dei, ipſaſque virtutes vili faciant, & ea quæ modeſtiæ, & honeſtati contraria ſunt liberè agant, & patiantur; modò tamen hæc præceptis Decalogi non adverſentur. 7. Quòd contemplativi ſæpius tantos patiantur exceſſus, ut eis omnis adimatur uſus liberi arbitrii; quo fit, ut in graviſſima peccata prolabantur, quorum tamen minimè ſunt conſcii; proindeque de iis confiteri non teneantur. Hæc nefanda doctrina ab Inn. XI. an. 1687. & ab Inn. XII. an. 1699. damnata eſt.

ARTICULUS II.

De Voto.

✠
(*)

Propoſitiones Damnatæ, circa Votum.

1. „ Vota de aliquo faciendo ſunt perfectio„ nis impeditiva, Damnata fuit ab Inno„ centio XI. an. 1687. Ordine 3.
2. „ Præpoſitis obediendum eſt in exſterio„ re, & latitudo Voti obedientiæ Religio„ ſorum tantummodo ad exterius pertin„ git. In Interiore vero aliter ſe res ha„ bet, quo ſolus Deus, & Director in„ trant. Ab eodem. Ordine 64.

(*)

Not. VOtum dupliciter ſumi poſſe. 1. Pro deſiderio efficaci cujuſdam boni, ſic dicitur Baptiſmum in re, vel in voto, ideſt in deſiderio, ad ſalutem eſſe neceſſarium. 2. Propriè ſumitur; & ſic definitur: *Promiſſio deliberata, & ſpontanea Deo facta de bono meliori, ac poſſibili.*

Dicitur *Promiſſio*, ideſt ſtricta fidei oppignoratio: Hinc

Reſolv. 1. Nudum propoſitum; quantumvis firmiſſimum, rationem voti habere non poſſe, niſi adfuerit ſe ſe in conſcientia obligandi vera intentio.

Dicitur *Deliberata*; ea nimirùm deliberatione, quæ ad peccatum mortale neceſſaria eſt. Nec enim quod indeliberatè Deo datur ab ipſo acceptatur. Hinc

Reſolv. 2. Nullum eſſe votum, ſi fiat ex ſubito motu rationem præveniente, vel cum ſemiplena advertentia ac deliberatione, ut in ſemiſopito, aut ſemiebrio, aut in pueris plenum rationis uſum non habentibus. Non tamen neceſſe eſt, ut vovens omnes omninò voti ſui circumſtantias perſpiciat: Alioquin vix ulla eſſent vota, contractus, aut matrimonia; cum experien-

Digitized by Google

perientia conſtet, ſæpius in illis circumſtantias evenire, quæ, ſi prævisæ fuiſſent, non voviſſemus, aut non contraxiſſemus. Nec invalidum eſt votum; licèt aliquem ſtatim poſt voti emiſſionem hujus pœniteat, aut ipſum retractet; cum deliberatio neceſſaria fieri poſſit in inſtanti.

Dicitur *Spontanea*; ideſt abſque gravi metu injuſtè extortum; quia cum pro nullo habeatur ab Eccleſia, à Deo non acceptatur: Hinc

Reſol. 3. Nullum eſſe votum illius, qui metu incarcerationis, bonorum privationis &c. ad vovendum fuit impulſus; ſed validum foret, ſi ex cauſis naturalibus ortus eſſet metus, ut ex naufragii periculo: Item ſi votum fuiſſet emiſſum ad vitandam gravem pœnam, quam vovens meruit; quia metus non eſt injuſtè incuſſus: Item ſi fuiſſet emiſſum ea intentione, ut Deus eum è manu ſicariorum eriperet; quia, licet metus ſit injuſte incuſsus, non fuit tamen ad votum extorquendum incuſsus.

Dicitur *Deo facta*; quia cum votum ſit eſſentialiter Latriæ Cultus, ſoli Deo fieri debet: Hinc

Reſol. 4. Vota nonnulla B. V. Mariæ, aliiſque Sanctis dicuntur facta; vel quia in honorem Sanctorum facta ſunt; vel quia vovens cenſetur Deo vovere ſe impleturum id, quod Sanctis promiſit; vel quia vovimus coram ſanctis, quorum ſuffragia ad rite vota adimplenda imploramus.

Dicitur *De bono*, quòd nimirum Deo gratum, & acceptum ſit, cum votum in illius honorem emittatur. Hinc

Reſolv. 5. Irritum eſt votum voventis actionem, etiam venialiter tantum malam. Imò hanc vovens mortaliter peccat; quia Deum irridere cenſetur, gravemque illi infert injuriam. Votum autem de re bona validum eſt, licet in vovendo adjungatur ei aliqua circumſtantia peccaminoſa, cauſa nimirum, vel finis malus, tenens ſe tantum ex parte voventis; ut ſi quis ex ira erga importunum mendicum eleemoſynam voveret; vel qui Religionem profiteretur, ut lautius viveret, validum eſſet ejus votum. Quoad vota quæ fiunt circa res indifferentes prorſus nulla ſunt, niſi forſan ad finem bonum ordinentur: ſic vanum eſset votum promittentis de capite animalium non comedere, in honorem Decollationis S. Joan. Baptiſtæ. Validum autem eſset, ſi quis voveret à ludo abſtinere, ad rixas in eo ſupervenientes vitandas.

Dicitur. *De meliori bono*, quod bonum Deo acceptius non impediat, magiſque placeat Deo fieri, quàm non fieri; alioquin nec Deo acceptum eſset, nec acceptari poſset: Hinc

Reſolv. 6. Regulariter loquendo, invalidum eſse votum numquam Religionem ingrediendi, aut Ordines ſacros non ſuſcipiendi, & Matrimonium ineundi; quia oppoſitum melius eſt. Dixi *Regulariter* loquendo; quia reſpectu alicujus particularis, propter accidentalem circumſtantiam, melius eſset Matrimonium inire, quàm Religionem ingredi: ſi nempe, quis continere ſe non poſset. Porrò validum eſt votum de opere aliunde præcepto; quia magis Deo gratum eſt pluribus, quàm uno vinculo, ejus obſequio ſeſe adſtringere.

Dicitur *De bono poſſibili*; quia nullus ad impoſſibile teneri poteſt, etiam ſi velit: Hinc

Reſolv. 7. Invalidum eſt votum ſervandi omnia Evangelii conſilia, aut numquam venialiter peccandi, quæ ſecundùm ordinariam gratiæ diſtributionem ſunt impoſſibilia. Validum tamen eſset, certum quoddam peccatum veniale vitandi; cum id ſit actu poſſibile. Propter eamdem rationem, qui vovit hanc ſpecialem ingredi Religionem, cujus ei denegatur ingreſsus; aut hanc rem determinatam, quæ fortuitò periit, pauperibus elargiri, ad nihil tenetur. Quod ſi verò materia voti ſit diviſibilis, cujus una pars ſit poſſibilis, altera impoſſibilis, tenetur ad poſſibilem; quia promiſiſse cenſetur id quod poteſt. Sic qui vovit per totum menſem jejunare, tenetur jejunare quot diebus poteſt: ſic Conjugatus qui caſtitatem vovit, non poteſt debitum petere, licet non poſſit denegare. Dixi: ſi materia ſit diviſibilis; ſi enim indiviſibilis eſset, vel moraliter, vel phyſicè, vovens ad nihil tenetur: ſic qui vovit Lauretanam peregrinationem, ſi totum iter abſolvere non poſſit, non tenetur quinquaginta leucas peragere: ſic qui vovit Eccleſiam ædificare, ſi integram extruere non valeat, mediam partem ædificare non tenetur.

QUÆR. 1. Quotuplex ſit votum?

℞. Votum dividitur. 1. In abſolutum, quod ſine ulla conditione emittitur; & conditionatum, quod aliquam præſupponit conditionem; ut dùm quis peregrinationem vovet, ſi ſanitatem recuperet; aut ſe daturum pauperibus duplicnem, ſi juraverit, luſerit &c. Et hoc votum non obligat niſi conditione poſita. 2. Dividitur in Perſonale,

nale, quo actio alicujus perſonæ vovetur, ut votum jejunandi: Reale, quo non actio perſonæ, ſed res ejus per ſe aut per alios præſtanda; ut dum quis vovet templum ædificare: & mixtum, quo actio & res ſimul voventur; ut ſi quis voveat Lauretanam peregrinationem, ibique ſummam pecuniæ oblaturum. Perſonale, ſolum voventem obligat: Reale ad hæredes tranſit; & mixtum, hæredem obligat, qua parte reale eſt, non qua parte eſt perſonale. 3. Dividitur in expreſſum, quod fit expreſſis verbis, & implicitum ſeu tacitum, quod cenſetur fieri eo ipſo, quo voluntariè fit aliquid, cui votum eſt annexum; ut in ſuſceptione Ordinis ſacri, cui annexum eſt caſtitatis votum. 4. Dividitur in ſolemne & ſimplex, de quibus jam alibi dictum eſt.

QUÆR. 2. Quinam vovere poſſint?

℟. Omnes ratione utentes, qui ſunt ſui juris, non alii. Patet prima pars; quia, cum votum ſit actus virtutis, rationem & libertatem in vovente neceſsariò præſuppponit. Patet etiam ſecunda; quia nullus poteſt per promiſſionem firmiter ſe obligare ad id, quod eſt in alterius poteſtate: Hinc.

Reſolv. Conjugati, Filiifamilias, Religioſi, Servi, cæterique ſubditi nihil eorum, in quibus aliis ſubdunt vovere poſſunt. Ideò ſi eorum vota, uſum v. g. Matrimonii, externam familiæ gubernationem, bonorum adminiſtrationem, debitum ſervitium, aut rationabile obſequium impediant; à Conjugibus, Parentibus, Tutoribus, Dominis, ac Superioribus irritari poſſunt. In his verò, quæ ſunt ſui juris, & in quibus aliis minimè ſubſunt, vota firmiſſima emittere poſſunt. Sic Adoleſcentes poſt pubertatis annos, ſine parentum conſenſu ingreſſum Religionis firmiter vovere poſsunt, & Conjux votum caſtitatis poſt mortem compartis obſervandum, aliaque ſimilia, quæ ad animæ ſpiritualem profectum ſpectant.

Quoad Religioſos, cum ob ſolemne obedientiæ votum Superioribus ſuis in omnibus ſint ſubditi, nullum omninò votum firmum poſsunt emittere (Excepto tamen voto arctioris Religionis) abſque Superioris conſenſu tacito, aut ſaltem negativo; ideſt ex ſuppoſitione quòd Superior non contradicat: quod etiam locum habet circa actiones, quæ nec Superiori, nec aliis ullum incommodum, aut moleſtiam afferre poſsunt, ob ſupradictam rationem.

QUÆR. 3. Qualis ſit voti obligatio?

℟. Gravem eſſe voti obligationem; ita ut ejus violatio peccatum ſit ex genere ſuo mortale. Pugnat ſiquidem contra fidelitatem, juſtitiam, & reverentiam Deo debitam. Ideo Iſaiæ 19. dicitur: *Vota vovebunt Domino, & ſolvent*, & Pſal. 75. *Vovete & reddite*. Dixi violationem voti ex genere ſuo mortale eſse; quia ex parvitate materiæ, & indeliberatione fieri poteſt venialis; ſicut violatio præceptorum cujuslibet Legis. Et cum votum ſit Lex privata, vovens non poteſt obligare ſe leviter in materia gravi, nec graviter in materia levi, ut dictum eſt de Lege: Hinc

ADNOTATIO 42.
(*)

Circa Voti Obligationem, Doctores non pauci docent, quod Vovens &c. in materia gravi, ſe obligare poſſit tantum ſub levi. Cum enim, ajunt ipſi, Voti obligatio voluntariè aſſumatur a libera Voventis voluntate dependet, ultra quam obligatio ipſa ſeſe extendere nequit. Præterquam quod: votum nil aliud eſt, quam quædam Lex privata, quam Vovens ſibi liberè imponit. Legiſlatorem autem in materia &c. gravi poſſe leviter tantum obligare, jam alibi innuimus. Auctor noſter circa hoc in contrariam abiit ſententiam ubi de Legis obligatione; *qua ſuppoſita, rectè hic ſtatuit, quod* Vovens non poteſt ſe obligare Leviter in materia gravi. *Sed cum opinio illa non ſatis communis ſit, ut ibi in Adnotatiuncula obſervavimus, hinc eſt probabilius, ut opinor, concludi poſſe, quod Vovens in re &c. gravi, leviter tantum ſe poſſit obligare.*

[*]

Reſolv. Omittentem unum *Pater & Ave* quod vovit recitare, peccare tantum venialiter, ſive illud ſit tota materia voti, ſive pars illius. E contra, qui voviſset quotidie per annum unum *Pater & Ave* recitare; ſi plura omitteret mortaliter tandem peccaret; quia omnes illæ omiſſiones moraliter conjunctæ, unius voti gravem materiam efficerent.

QUÆR. 4. Quandonam votum obliget?

℟. Evidens eſt votum negativum, quo quis promittit abſtinere ſe ab aliquo opere, obligare ſemper & prò ſemper, juxta naturam præcepti negativi. Quoad votum affirmativum; vel tempus ejus impletionis determinatum eſt, vel non. Si primum obligat pro eo tempore, quo determinatum eſt, niſi obſit legitima excuſans cauſa, quæ gravior aut levior eſse debet juxta gravitatem, aut levitatem voti. Si ſecundum, obligat quàm primum moraliter

fieri

fieri poteſt; ita ut in utroque caſu gravius quis peccaret, quo longius voti impletionem protraheret. Scriptum eſt enim Deut. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo; non tardabis illud reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Hine

Reſolv. Qui jejunare promiſit qualibet Sexta Feria menſis Martii in honorem Dominicæ Paſſionis; ſi hac die non jejunet, graviter peccat, nec à peccato ſolvitur die ſubſequenti jejunando. Quod ſi verò tempus jejunii non fuerit præfixum, jejunium poſset differre ad tres, aut quatoor dies, abſque ſaltem gravi peccato. Idem cum proportione de cæteris votis dicendum eſt. Quæ omnia penſanda ſunt, juxta viri prudentis', ac timorati judicium, attenta votorum, & voventium conditione, & diſpoſitione.

QUÆR. 5. An qui prævidet impedimentum in adimpletione voti, ad aliquod tempus determinati, tempus illud teneatur prævenire.

℞. Cum diſtinctione: vel impletio futura voti totum implet, & occupat tempus determinatum; ut qui voviſset in vigilia alicujus Sancti jejunare, aut hac hora Roſarium recitare; vel totum non implet, nec occupat tempus determinatum; ut qui voviſset ſemel jejunare in menſe, aut ſemel in hebdomada Roſarium recitare. Si primum, vovens tempus non tenetur prævenire; imò hac vice præfixa, legitimo ſuperveniente impedimento, eximitur ab onere voti, ut patet ex præcepto Eccleſiaſtico jejunii, alicui diei affixi. Si ſecundum, iterum diſtinguendum eſt; vel tempus aſſignatum eſt ad finiendam obligationem; vel ad eam urgendam. Si ſit aſſignatum ad finiendam obligationem, teneris tempus prævenire, dùm futurum prævidens impedimentum in fine menſis, aut hebdomadæ; ſicut qui prævidet impedimentum hora duodecima pro miſſa audienda, tenetur eam audire hora octava, vel nona. Quod ſi tempus aſſignatum fuerit ad urgendam obligationem; tempus prævenire non teneris; cum nondum votum obliget, ſed tranſacto impedimento votum teneris implere: Unde ſi voviſti peccata confiteri in fine menſis, & prævideas futurum tunc impedimentum, nulla te urget obligatio ante finem menſis confitendi; ſed teneris poſthac, quàm primum moraliter poteris, votum adimplere.

QUÆR. 6. Quot modis ceſſet voti obligatio?

℞. Quatuor modis. 1. Per ſe ipſam. 2. Per irritationem ſeu annullationem factam ab eo; qui deſuper dominium, & poteſtatem habet. 3. Per diſpenſationem ſeu relaxationem voti, vice ac nomine Dei factam ab eo, qui legitimam poteſtatem habet, 4. Per commutationem ſeu ſubſtitutionem operis honeſti, loco alterius, Deo promiſſi ſub eodem vinculo.

1. Per *ſe ipſam* ceſſat obligatio voti triplici modo. 1. Dum non evenit conditio voto appoſita; ut ſi voveris peregrinationem, ſi recuperet ſanitatem Pater tuus, qui poſt votum emiſſum mortuos eſt. 2. Si votum ſit temporale, caſtitatis v. gr. per annum ſervandæ, & tempus præciſum fuerit elapſum. 3. Si ceſſaverit voti materia, factaque fuerit, vel inhoneſta, vel impoſſibilis: ut ſi voveris dives dare eleemoſynam; & poſthac factus fueris pauper, aut bona eleemoſynæ deſtinata facta fuerint aliena.

2. Per *irritationem* ceſſat voti obligatio factam ab eo, qui in perſonam voventem, vel ſaltem in materiam voti poteſtatem obtinet; ut Pater reſpectu filiorum, Conjugati reſpectu Conjugis, Superioris reſpectu Religioſi &c. Quæ, ſi fiat ab eis abſque juſta cauſa, valida quidem eſt; cum votum inferioris non emittatur, niſi ſub tacita conditione, quòd Superior conſenſerit, vel non contradixerit; ſed non eſt licita; quia tenetur quilibet poteſtate ſibi conceſſa ad Dei gloriam uti. Porrò regulariter loquendo levis cauſa ſufficit, quæ ſi defuerit, peccatum cenſetur tantùm veniale, tum in Superiore irritante, tum in ſubdito irritationem poſtulante. Quod ſi verò Superior ſemel votum approbaverit, uterque graviter peccare cenſetur, & qui abſqoe cauſa irritat, & qui abſque eadem irritationem poſtulat; quia jam materia voti ritè Deo obſtricta eſt,

3. Voti obligatio ceſſat *per diſpenſationem* factam ab habente jurisdictionem in foro externo. 1. Summos Pontifex poteſtatem habet in univerſa Eccleſia diſpenſandi in omnibus votis, etiam ſolemnibus, juxta D. Antoninum, & plures alios Doctores, ob cauſam graviſſimam; cum votum ſolemne à voto ſimplici non diſtinguatur, niſi accidentaliter, penes ſcilicet ſolemnitatem, quæ juris eſt Eccleſiaſtici. 2. Epiſcopi, Religioſorum ſuperiores, non tantùm Provinciales, ſed & Prælati Conventuales, & eorum vices gerentes, plenam curam Conventus habentes, ex rationabili cauſa diſpenſare

ſpenſare

ſpenſare poſſunt in votis ſuorum ſubditorum, exceptis tamen quinque ſummò Pontifici reſervatis; nimirum Peregrinationis Jeroſolymitanæ, Compoſtellæ & Romanæ ad limina SS. Apoſtolorum, Caſtitatis perpetuæ, & Religionis approbatæ. Imò ſupradicti etiam in his quinque votis diſpenſare poſſunt: 1. Si votum caſtitatis, aut Religionis factum ſit ſub conditione, quod vovens ab aliquo periculo liberaretur. 2. Si poſt votum caſtitatis vovens Matrimonium iniit, ſaltem in ordine ad petendum debitum. 3. Si dubium ſit, an votum ſit validum, aut reſervatum, 4. Si votum eſt diſjunctivum de una parte non reſervata: ut qui vovit, vel caſtitatem, vel jejunium perpetuum. 5. Si votum reſervatum eſt tantummodò acceſſorium ad aliud non reſervatum; ut ſi quis voveret non ludere ſub pœna perpetuæ caſtitatis ſervandæ.

4. Per *commutationem* ceſſat obligatio voti, quæ commutatio fieri poteſt vel in bonum certò majus, vel in minus, vel in æquale: in 1. caſu auctoritate propria voventis fieri poteſt, cum minus bonum in majori contineatur. In 2. autem & 3. caſu auctoritas requiritur Superioris; tùm quia commutatio in minus bonum eſſentialiter diſpenſationem involuit in parte voti: tum quia commutatio in bonum æquale ordinarie injunctum habet dubium.

QUÆR. 7. Quænam ſit juſta cauſa in votis diſpenſandi, aut eadem commutandi?

℞. Duæ communiter aſſignantur. 1. Neceſſitas ſpiritualis, ut gravis nimiaque voventis moleſtia, fragilitas, violandi votum periculum &c. 2. Major voventis, & aliorum utilitas ſpiritualis. Ubi & obſervandum eſt, regulariter non eſſe concedendam plenam diſpenſationem, ſi votum commutari poſſit in aliquid aliud magis voventi proportionatum, vel melius, vel æquivalens; quia facilè non ſubeſt juſta cauſa ad plenam diſpenſationem ſufficiens.

ARTICULUS III.

De Juramento.

(*)

Propoſitiones Damnatæ in materia Juramenti.

1. „ Vocare Deum in teſtem mendacii levis, „ non eſt tanta irriverentia propter quam „ velit, aut poſſit damnare hominem. „ Damnata fuit ab Innoc. XI. an. 1679. „ Ordine 24.

2. „ Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi ſive res ſit levis, ſive gravis. Ab eodem. Eſt 25.

3. „ Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque „ alio fine, juret ſe non feciſſe aliquid, „ quod revera fecit, intelligendo intra ſe „ aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam „ viam ab ea, qua fecit, vel quodvis aliud „ additum verum; revera non mentitur, „ nec eſt perjurus. Ab eodem. Eſt 26.

4. „ Cauſa juſta utendi his amphibologiis „ eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt „ ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium „ virtutis actum; ita ut veritatis occultatio „ cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa. „ Ab eodem. Eſt 27.

5. „ Qui mediante commendatione, vel munere ad magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, „ quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet „ exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri „ crimen occultum. Ab eodem. Eſt 28.

(*)

Not. JUramentum à jure dictum, eo quòd ſit quaſi jus, & Lex juramenti, definitur; *Atteſtatio divini nominis ad fidem faciendam, aut promiſſionem firmandam.* Per quam atteſtationem Deus vocatur tanquam in teſtem, aut fidejuſſorem omni exceptione majorem alicujus veritatis enuntiatæ, aut promiſſionis factæ; rogaturque, ut; aut veritatem latentem, dùm ipſi viſum fuerit, adaperiat, aut promiſſionem auctoritate ſua confirmet.

QUÆR. 1. Quotuplex ſit juramentum?

℞. Patet ex definitione mox allata, juramentum dividi 1. In aſſertorium, quod adhibetur ad fidem faciendam de eo, quod quis vel affirmat vel negat; & promiſſorium, quod adhibetur ad promiſſionem firmandam. 2. Dividitur in conteſtatorium, quod fit per ſimplicem divini nominis conteſtationem, ut *Teſtor Deum:* & execratorium, quo Deus non tantùm invocatur ut teſtis, ſed ut judex, & vindex: *Ut ſic me Deus adjuvet: ſic me Deus perdat &c.* & comminatorium, quod ſub invocatione Divini nominis alteri pœnas comminamur, ut *per Deum te cædam*. 3. Dividitur in explicitum, quo Divinum teſtimonium explicitè invocatur, ut *per Deum ita eſt:*

veritatem dico in Chriſto &c. & implicitum, quo divinum teſtimonium invocatur implicitè in creaturis; quatenus ſpecialiter in eis præſidet, ac relucet: ut qui jurat per Cœlum, per Templum, per Evangelium, & per Crucem.

QUÆR. 2. Utrùm nonnullæ formulæ, quas vulgus in aliquid aſſerendo aſſerre ſolet, verè ſint juratoriæ? Nimirum: *Coram Deo loquar: Deus ſcit quòd non mentior: in veritate dico: in conſcientia, in mea fide: auferat me diabolus: ipſa hora inteream, ſi hoc non ſit verum: hoc ita verum eſt, quàm quòd unus eſt Deus.*

℟. Duæ primæ formulæ verè ſunt juratoriæ; cum Deus ejuſque ſcientia in teſtimonium veritatis adducatur. Tertia de ſe non eſt juratoria, niſi jurans intendat ipſamet Dei veritatem in teſtimonium adducere, & hoc à præſentibus percipiatur. Quarta & quinta non ſunt juratoriæ; ſi jurans intendat tantùm fidelitatem humanam, non autem fidem catholicam; ut plurimum accidit. Sexta & ſeptima verum eſt juramentum execratorium; cum Diabolus hominem auferre non poſſit, nec quis ſubito interire, niſi ex Dei vindictis, ac Judicis mandato. Ultima tandem non eſt propriè juramentum; cum Deus in teſtem non adducatur, ſed eſt atrox blaſphemia; cum veritas creata increatæ, æternæque Veritati comparetur.

QUÆR. 3. Utrùm licitum ſit Juramentum?

℟. Non ſolum licitum eſſe, ſed & laudabile, ſi debitis fiat conditionibus. Eſt enim actus Religionis, & cultus latriæ, quo jurans implicitè confitetur Deum eſſe primam veritatem, omnipotentem, omniſcium, & univerſi proviſorem & gubernatorem. Unde Deut. 6. Dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, ac per ejus nomen jurabis*: Et ipſemet *Dominus juravit & non pœnitebit eum*: Et Apoſtolus *Deum teſtem invocabat*, dicens: *Ecce coram Deo, quia non mentior*. Cor. 10. & Gal. 1. Nec damnat juramentum Chriſtus Dominus, dum dicit Matth. 5. *Non jurare omninò: ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non; quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*. Siquidem ibi tantum prohibet nè facilè juremus ob pejerandi periculum; nec niſi debitis conditionibus juramentum adhibeamus; annuitque juramentum eſſe à malo, non quidem debitè jurantis, ſed à malo, non credentis, adeoque ad juramentum cogentis.

QUÆR. 4. Quænam ad debitè jurandum requirantur conditiones?

℟. Tres requiruntur ex Jer. 4. *Jurabis*, inquit, *vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in juſtitia.*

1. *Veritas* ad juramentum requiſita conſiſtit in hoc, quòd jurans certò credat rem ſic ſe habere, licet forſan non ſic ſe habeat. Dixi *certò*: Dubius ſiquidem de rei veritate, aut habens tantùm motivum credendi probabile, perjurus eſt, ſi rem juret ut certam. Nec in jurando amphibologia, aut reſtrictione mentali umquam uti licitum eſt: ut definivit Inn. XI. in damnat. prop. 28. Nec licet jurare exterius abſque jurandi intentione; cum hoc ſit Deum illudere, nec levitas materiæ in his omnibus a gravi peccato excuſari poteſt, ſive ex joco, ſive ex conſuetudine juramentum emittatur. Docent tamen communiter Doctores cum D. Antonino, quòd in juramento promiſſorio, ſi voluntas adſit promiſſionem implendi, materia levis excuſat à mortali, ſi poſtea promiſſum non impleatur; quia in hoc juramento Deus propriè non aſſumitur in teſtem veritatis, ſed fidelitatis, quæ in re levi non eſt grave peccatum.

2. *Judicium* requirit, ut non niſi cum diſcretione, dum ſcilicet gravis urget neceſſitas, aut magna ſperatur utilitas, juramentum adhibeamus. Peccant igitur, & quidem graviter, in reverentiam Deo debitam, qui pro re levi Deum in teſtem vocare conſueverunt his, aut ſimilibus verbis, *per Deum, per caput Dei, per Sanguinem Dei, per animam meam &c.* niſi fortè ſubſit indeliberatio; ſed quicumque ſuper ſuam conſuetudinem advertens eam eradicare negligit, toties peccat mortaliter, quoties advertit; cum per eam evidenti periculo pejerandi ſe ſe voluntariè committat.

3. *Juſtitia* exigit, ut juramentum ſit de re licita & honeſta. Gravem ſiquidem Deo infert injuriam, & graviter peccat, qui ipſum aſſumit in teſtem alicujus peccati etiam venialis, vel committendi, vel jam commiſſi; quia cenſetur per hoc juramentum ipſum contemnere, ac irridere. Idem dicendum eſt de eo, qui Deum adduceret in teſtem cujuslibet etiam levis detractionis, ſic enim Deum faceret iniquitatis ſuæ coadjutorem; cum per ipſum alterius infamiam probabiliorem reddat, ac certiorem, quod utique Deo graviter injurioſum eſt.

QUÆR. 5. Quid dicendum ſit de imprecationibus, & aliis obſcœnis expreſſionibus *B. F. Diab?*

℟. Graves imprecationes, ſeu maledicta, nedùm in proximum, ſed & in pecora, & res

res inanimatas jactata: *Ut aſportet te diabolus: Perdat te Deus: Auferat te peſtilentia*: Juramenta ſunt execratoria, proindeque graviſſima peccata, niſi excuſet iræ motus ſubitaneus, atque indeliberatus. Termini verò B. & F. in pecora conjecti ordinariè a mortali excuſantur; cum verba ſint impatientiæ, non verò juramenti. Si tamen in proximum conjiciantur, ut plurimùm, à mortali non excuſantur ob gravem injuriam, & fœditatem, graveque ſcandalum, quod ſæpius important. Quoad terminum *Diab*. Si per hunc Diabolum quis invocare intenderet proculdubiò peccatum eſſet mortale; ſed cum ſæpe ſæpiùs nihil aliud ſit, quam quædam impatientiæ interjectio, ſecluſo ſcandalo, à mortali excuſatur.

QUÆR. 6. Quænam ſit juramenti promiſſorii obligatio?

℞. 1. Omne juramentum de re illicita non obligat; cum ipſum iniquitatis vinculum eſſe non poſſit; & qui illud, etiam in re levi, executioni mandat, mortaliter peccat; quia gravis Deo infertur injuria; dùm iniquitatis, vel leviſſimæ, fidejuſſor adducitur. 2. Non obligat de re impoſſibili juramentum, cum nullus ad impoſſibile teneatur. 3. Non obligat juramentum Deo factum de re ex ſe indifferenti, aut cujus oppoſitum melius eſt; cum hoc non habeat rationem voti, quod non eſt niſi de meliori bono; quòd ſi homini factum fuerit, validum eſt; quia licet res promiſſa de ſe minus ſit bona, homini tamen grata eſſe poteſt. 4. Jurans ſine animo ſe obligandi, licet ſtrictè loquendo non vere juret, vi tamen juramenti externi ad promiſſum tenetur ob divini nominis atteſtationem, quam irritam facere non poteſt. 5. Juramentum etiam gravi metu extortum in foro conſcientiæ obligat, donec relaxetur; quia licet ſecundum quid involuntarium, ſimpliciter tamen eſt voluntarium. 6. Omnis dolus aut error, dans cauſam juramento; ita ut expreſsè juretur propter id, in quo quis decipitur, juramentum invalidat; ſive dolus & error verſentur circa ſubſtantiam, ſive circa qualitatem rei, quia ibi nullus eſt conſenſus. Qui juravit ad carcerem redire, ſive juſtè, ſive injuſtè in illo detineatur, tenetur redire; etiamſi ſciat ſibi mortem imminere; quia prudenter juramentum illud fecit, ut dimitteretur, alioquin non fuiſset dimiſsus.

QUÆR. 7. Quomodò ceſset juramenti obligatio?

℞. Muliplíciter tolitur 1. Per *auctoritatem* illius, qui poteſtatem dominativam habet in jurantem, & in materiam juratam. 2. Per *remiſſionem* illius, in cujus favorem juramentum fuit præſtitum. 3. Per *diſpenſationem* legitimam Papæ in univerſa Eccleſia, & Epiſcopi in ſua diœceſi, qui tamen diſpenſare non poſsunt in juramento in favorem alicujus præſtito, niſi bonum commune id exigat, aut gravis interceſserit culpa ex parte promiſsorii. 4. Ceſsat juramenti obligatio, ſi materia facta ſit, vel moraliter, vel phyſice impoſſibilis; ſi notabiliter ſit mutata, ut qui juravit ducere puellam, quæ poſtea fornicatur; vel ſi tandem ceſset totaliter, & pro ſemper finis juramenti, ut ſi quis juravit dare eleemoſynam pro redemptione alicujus captivi, qui poſteà mortuus eſt.

QUÆR. 8. An liceat juramentum exigere à juraturo per falſos Deos, aut a pejeraturo?

℞. Quamvis ab altero exigere non liceat, ut pejeret, & per falſos Deos juret, cum hoc ſit intrinſecè malum; licet tamen ex juſta cauſa, quæ gravis eſse debet à Pagano ſimpliciter juramentum exigere, etiamſi certò prævideamus ipſum per falſos Deos juraturum: Ita D. Aug. *Epiſt.* 154. Ratio eſt; quia juramentum ſimpliciter exigere, eſt rem licitam poſtulare; quæ ſi male fiat, ſoli juranti eſt imputandum. Secus dicendum eſt ex eodem Aug. *ſerm.* 180. *alias* 28. *de Verb. Apoſt.* de eo, quem pejeraturum credimus; nefas eſt enim homini privato juramentum exigere ab eo, quem certò ſciret pejeraturum; quia nulla utilitas aut commodum ſperari poteſt ex tali juramento; utpotè contra ipſum poſtulantem ſit præſtandum: Dixi homini privato; quia perſonæ publicæ id licitum eſt; dum id poſtulat ordo juris, & aliunde ab altero litigantium id exigitur.

QUÆR. 9. Quid de adjuratione ſit dicendum?

℞. Breviter. Adjuratio eſt actus Religionis, quo per interpoſitionem divini nominis, aut alicujus rei ſacræ, quempiam ad aliquid præſtandum, vel omittendum impellimus; ſitque vel per modum imperii & compulſionis à Superioribus reſpectu inferiorum, vel per modum deprecationis, & tam à Superioribus, quàm ab inferioribus fieri poteſt. Adjuratio, ut licita ſit, eaſdem ac juramentum exigit conditiones; nempè veritas, judicium, & juſtitia, unde 1. Peccat graviter dives, qui ſimulans ſe pauperem, petit eleemoſynam per *Vi-*

ſcera Chriſti, amorem Dei &c. 2. Qui alium adjurat per *nomen Chriſti*; ut actionem, etiam leviter malam committat. 3. Qui ſine prudentia, & diſcretione alios per Dei & ſanctorum nomen adjurare conſuevit, ut dictum eſt de juramento.

QUÆSTIO II.

Quænam ſint vitia Religioni oppoſita?

Religio, utpote virtus moralis, quæ in medio conſiſtit, vitia habet per defectum, & per exceſſum oppoſita; non quòd Divinitas nimium coli poſſit; ſed quod Divinitas, quæ non eſt colenda, vel quòd ipſa indebito modo colatur. Vitium Religioni per exceſſum oppoſitum, dicitur ſuperſtitio; per defectum autem, dicitur irreligioſitas. De quibus, ſequentibus articulis.

ARTICULUS I.

De Superſtitione.

Not. Definitur communiter ſuperſtitio: *Cultus perverſus, quo vel falſus Deus colitur, vel verus indebito modo.* Primus dividitur in Idololatriam, Divinationem, & vanam Obſervantiam: ſecundus in Cultum falſum, ſuperfluum, & indecentem: De his omnibus.

QUÆR. 1. Quid ſit Idololatria, & quale peccatum?

R. Idololatria eſt Cultus divinus creaturæ, ut Divinitati, exhibitus. Alia eſt formalis & propria, quæ ſimul interior & exterior eſt, dùm quis Idolum, aut Dæmonem adorat, quia credit aliquod eſſe numen; vel etſi non credat eſſe Deum, illi Cultum exhibet, vel Sacrificio, vel genuflexione &c. ut aliquid ab eo obtineat. Alia eſt materialis & ſolummodò exterior, dùm quis ſimulatè ex gravi metu Idolum exterius colit. Utraque graviſſimum eſt peccatum, licet minus gravis ſit ſecunda, quàm prima.

QUÆR. 2. Quid & quotuplex ſit divinatio, & quale peccatum?

R. Eſſe expreſſam, vel tacitam Dæmonis invocationem, ut aliquid revelet occultum, quod humano modo cognoſci non poteſt. Alia fit immediatè per ipſamet Dæmonia, diciturque *Necromantia*, quæ variè conſuli poſſunt, non ſolum ipſa voce, ſed & certis figuris, Sacrificiis, precibus, unctionibus, ſuffumigationibus, ſpeculis, aliiſque ſignis, quæ ipſimet Dæmones ad hoc inſtituerunt. Alia fit per aſtra, diciturque *aſtrologia judiciaria*, qua ex varia aſtrorum combinatione, ſitu, & motu futura planè contingentia ac fortuita cognoſcere ac prævidere præſumitur. Alia fit per *ſomnia*, qua ex ſomniis prædicitur, aut creditur eventurum aliquid: alia per *ſortilegia*, qua per ſortes inquiritur, aut quid futurum, aut quid agendum ſit. Satis perſpicuum eſt Necromantiam peccatum eſſe mortale, & quidem graviſſimum. Vetat enim diſtrictè Apoſt. 1. Cor. 10. *Ne ſiamus Socii Dæmoniorum*, multò magis nè cultum illis exhibeamus. Quod ſpectat ad alias divinationis ſpecies, in quibus tacitè tantummodò Dæmones invocantur; utendo ſcilicet vanis, & naturaliter improportionatis ad aliquid cognoſcendum, mortales quidem ſunt ex genere ſuo, etiamſi plena his fides non adhibeatur; ad hoc ſiquidem ſufficit, ut adhibeatur fides aliqua, quæ non niſi à Dæmone fundamentum habere poteſt: excuſat tamen quandoque à mortali ignorantia, ac ſimplicitas.

QUÆR. 3. Quid & quotuplex ſit vana obſervantia, & quale peccatum?

R. Eſſe expreſſam, vel tacitam Dæmonis invocationem, qua quis utitur mediis, nec à Deo, nec à natura ordinatis, non ſolùm ad occulta, per quod convenit cum divinatione; ſed etiam ad aliquem effectum externum producendum: Hæc dividitur in quatuor ſpecies.

1. Eſt *Ars notoria*; eſtque ſuperſtitio, qua ſine labore, & ſtudio per quarumdam figurarum inſpectionem, orationem, jejunium, & cætera improportionata repentinè expectantur ſcientiæ infuſio, aut acquiſitio: quæ peccatum eſt graviſſimum, cum ſaltem tacita Dæmonis ſit invocatio.

2. Eſt *magia ſuperſtitioſa*, quæ verſatur circa corpora variè immutanda, aliòſque miros effectus ſupra ordinem naturæ, per quædam ſigna ope Dæmonis producendos. Quæ ſi exerceatur ad oſtenſionem virtutis, aut potentiæ, ad proprium, vel alienum commodum, dicitur ſimpliciter *Magia*: ſi ad alteri nocendum, dicitur *Maleficium*. Ad hoc tollendum licitum eſt quidem amovere, vel deſtruere ſigna magica, annulos, ligaturas &c. ad quorum præſentiam Dæmon nocumentum infert; cum id nullam cum Dæmone inferat ſocietatem, ſed potius oppoſitionem. Novo tamen maleficio, utpote intrinſecè malo, id facere, ob quantumvis gravem neceſſitatem, numquam licet. Imò,

ſi

Digitized by Google

ſi probabile, aut dubium foret maleficium à malefico, abſque nova operatione magica, diſſolvi non poſſe; peccaret mortaliter, qui eum, quamvis paratum, ad hoc induceret; quia juxta Apoſtolum. *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.*

3. Eſt *obſervantia eventuum*, qua quis ex rei impertinentis occurſu, bona, vel mala, ſibi aut aliis eventura credit; & inde actiones ſuas dirigit. Ut ſi quis ex eo quòd ei occurat ſerpens in via, periculum ſibi imminere arbitretur, & nolit ultra procedere: ſi nolit aſſidere menſæ, ubi adſtant duodecim convivæ: ſi lignum patibulare ſecum ferat ad vitandam in ludo malam fortunam: ſi nolit die Veneris nere, aut lixivium facere, &c.

4. *Obſervantia ſanitatum*; dùm quis mediis utitur inanibus, ac diſproportionatis ad morbos hominum, aut brutorum, vel ſanandos, vel avertendos, ut caracteribus, nominibus ignotis, involucris, & cæteris rebus inutilibus: Imò, qui preces quaſdam recitant, aut res ſacras geſtant; ex quibus propriam ſanitatem, aut aliorum infallibiliter expectant, in hoc vitium impingunt; quia cum certum ſit nihil, præter Sacramenta, & Sacramentalia, ex ſacris rebus, & verbis effectum habere infallibilem; qui illum expectant, non niſi à Dæmone per tacitam invocationem expectare cenſentur. Porrò materiæ levitas à gravi peccato vanam obſervantiam non excuſat; quia ſemper importat commercium cum Dæmone, ſaltem tacitum, ſicque maximam Deo infert injuriam: excuſari tamen quandoque poſſet ruſtica ac fœminea ſimplicitas, & invincibilis ignorantia.

QUÆR. 4. Quid ſit ſuperſtitio cultus falſi, ſuperflui, & indecentis, & quale peccatum?

℟. Cultus dicitur *falſus* in hoc, quòd falſum contineat, ut falſa miracula, falſas reliquias exponere, Deum mahumeticis, aut judaicis cæremoniis honorare &c. *Superfluus* dicitur in hoc, quod ad colendum Deum adhibeantur cæremoniæ ineptæ, præter Eccleſiæ conſuetudinem, & ordinationem: tot. v. g candelas taliter diſpoſitas in Miſſa adhibere, certas orationes in aliquo certo numero, tempore, & ſitu recitare, pecora circa ſtatuam alicujus Sancti tot vicibus circumducere &c. *Indecens* dicitur, ſi quædam de ſe mala ad Cultum divinum adhibeantur; ut rem furtivam offerre, laſcivis picturis templum ornare, cantus profanos in organis, & muſica proferre &c. Hi omnes cultus mortales ſunt ex genere ſuo; cum hoc diſcrimine, quòd primus etiam in materia levi mortalis ſit, propter gravem injuriam Deo illatam; ſecundus autem, & tertius mortales ſint, aut veniales, pro materiæ gravitate, aut levitate. Et in his plurimùm excuſare poteſt bona intentio, ſimplicitas, & ignorantia.

ARTICULUS III.

De Irreligioſitate.

Not. IRreligioſitas eſt defectus cultus Deo debiti, quo Deus vel in ſe, vel in rebus ſacris inhonoratur. Sex communiter aſſignantur irreligioſitates, Tentatio Dei, Sacrilegium, Simonia, Perjurium, voti violatio, & Blaſphemia; de quatuor ultimis jam egimus, de duabus primis nobis agendum ſupereſt.

QUÆR. 1. Quid & quotuplex ſit Dei tentatio, & quale peccatum?

℟. Tentatio eſt *Actus irreligioſitatis, quo quis abſque juſta cauſa aliquid facit, ad ſumendum de Deo experimentum, aut aliquam ex perfectionibus ejus explorandam.* Alia eſt expreſſa, alia tacita. Expreſſe Deum tentaret, qui dubitans de aliqua Dei perfectione perit miraculum, ut videat utrum Deus exiſtat, ſit omnipotens, aut verax; vel qui non dubitans de aliqua Dei perfectione experiri tamen intendit, utrum in illo caſu eam ſit manifeſtaturus. Tacitè verò, & interpretativè Deum tentat, qui nec dubitans de aliqua Dei perfectione, nec de illa experimentum quærens, ſine juſta cauſa miraculum à Deo petit, aut expectat, vel expreſſis verbis, vel facto aliquo extraordinario, quod citra miraculum felicem exitum habere non poteſt: v. g. Si quis tali periculo mortis ſe committeret, à quo non niſi per miraculum liberari poſſet. Item ſi quis abſque ſtudio theologiam doceret, aut imparatus pulpitum aſcenderet, ſperans à Deo auxilium extraordinarium ſe accepturum. Item ſi quis ægrotus ſpretis omnibus remediis à ſolo Deo ſanitatem expectaret.

Omnis Dei tentatio, tum expreſſa, tum tacita peccatum eſt mortale ex genere ſuo; quia gravem audaciam, gravemque erga Deum importat irreverentiam. Probatur exemplo Chriſti Domini, qui Diabolo ſuadenti, ut ſe daret præcipitem, reſpondit; ſcriptum eſt: *Non tentabis Dominum Deum tuum*; innuens non licere relictis mediis ordinariis citra neceſſitatem à Deo ſperare,

Digitized by Google

vel inquirere ſingularis ejus protectionis ſignum extraordinarium. Ubi obſervandum eſt, quod expreſſa Dei tentatio ſemper ſit mortalis, etiam in materia levi, niſi excuſet ignorantia: tacita vero fieri poteſt venialis, propter parvitatem materiæ, vel quia parvum eſt periculum, vel quia res non eſt valdè extraordinaria; modò tamen non formaliter abſque juſta cauſa petatur miraculum; quod ſemper grave cenſetur peccatum, ob nimiam petentis audaciam, & Deo illatam irreverentiam.

QUÆR. 2. Quid & quotuplex ſit Sacrilegium, & quale peccatum?

℞. Sacrilegium eſt rei ſacræ, ſeu Cultui divino deputatæ violatio, ſeu indigna tractatio: peccatum eſt mortale ex genere ſuo, eòque gravius, quò res magis eſt ſacra, ſeu majorem habet ſanctitatem. Veniale eſse poteſt ratione parvitatis materiæ, ut ſi quis in Templo rem furaretur leviſſimam, aut pauliſper confabularetur.

Triplex eſt Sacrilegium. *Perſonale*, quo Perſona Deo ſacra violatur, ut Clerici, aut Monachi percuſſio, & peccatum luxuriæ cum perſona Deo ſacra. *Reale*, quo res ſacra violatur, ut ſi quis Sacramenta, aut Sacramentalia indignè tractet, Vaſa conſecrata, aut benedicta profanet, Sanctorum reliquias, aut imagines dehoneſtet, Scriptura ſacra ad facetias abutatur, Veſtes religioſas ludibrio exponat, & his ad larvas utatur, jura Eccleſiæ defraudet, pia legata ſupprimat &c. *Locale*, quo locus pius ad Cultum divinum publicè deputatus violatur, ut effractio, & incendium Eccleſiæ, everſio Altaris, injurioſa ſanguinis, aut voluntaria ſeminis in Eccleſia effuſio &c. Porrò obſervandum eſt, violationem voti circa ſolam materiam caſtitatis eſse Sacrilegium; quia per caſtitatis votum Perſona cenſetur Deo conſecrata; in aliis autem materiis potius eſt peccatum contra fidelitatem, quàm Sacrilegium, cum nihil ſacrum violetur, ut patet in eo, qui vovit jejunium, aut peregrinationem.

CAPUT V.

De Prudentia.

Not. PRudentiam ſumi dupliciter. 1. Latè pro qualibet veri cognitione, quæ quovis modo voluntatem ad bonum dirigit; ſic fides Theologica, & Intelligentia dicuntur prudentia. 2. Propriè, & ſic ſumpta definitur, *Virtus moralis, qua dignoſcitur quid in quolibet negotio agendum; vel fugiendum ſit.* Dicitur *qua dignoſcitur*, per quod ab aliis virtutibus moralibus differt, quæ in voluntate, non in intellectu, tanquam in ſubjecto recipiuntur. Dicitur *in quolibet negotio*, per quod differt à virtutibus intellectualibus, quæ non circa actiones particulares, ſicut prudentia; ſed circa actiones humanas in communi, ut ſapientia, & ſcientia, verſantur.

QUÆR. 1. Quid ſit objectum prudentiæ, tum materiale, tum formale?

℞. Objectum materiale prudentiæ, ut mox dictum eſt, ſunt actiones humanæ particulares, de quibus judicat an honeſtæ ſint, aut turpes; ex quo judicio voluntatem inclinat ad eas amplectendas, aut fugiendas. Objectum formale eſt conformitas illius actionis cum veritate hic, & nunc practica. Prudentia ſiquidem, cum ſit judicium, ad intellectum ſpectat, cujus objectum ſola veritas eſse poteſt. Nec obeſt, quòd prudentia, cum virtus ſit moralis, pro objecto bonum habere debeat, non autem verum; quia non eſt virtus moralis, niſi *directivè*, quatenus nimirum judicat de agendis, aut non agendis. Non eſt autem moralis *elicitivè*, cum de ſe nec bonum amet, nec malum fugiat, ſicut cæteræ virtutes morales.

QUÆR. 2. Utrùm neceſsaria ſit prudentia?

℞. Adeò prudentiam neceſsariam eſse, ut abſque ea nulla ſit virtus, & in omnes alias influxum generalem habeat. Ratio eſt, quia nulla virtus eſse poteſt abſque ordine, nec ullus ordo eſse poteſt abſque prudentia, cujus eſt eligere, & expendere media apta, & in qualibet circumſtantia convenientia ad finem honeſtum conſequendum.

QUÆR. 3. Quænam ſint officia, & partes prudentiæ?

℞. Primum prudentiæ officium eſt, de rebus agendis conſilium inire, inquirere, dare, vel accipere. 2. Judicare de mediis pro loco, & tempore adhibendis. 3. Rectè imperare, ſeu voluntatem movere, ad agendum, vel non agendum. Partes autem prudentiæ ſunt. 1. *Memoria* præteritorum eventuum, & mediorum per quæ negotia felicem, aut infelicem exitum habuerunt. 2. *Intelligentia*, ſeu accurata conſideratio, qua percipitur, quid decens aut utile ſit, quidque indecens ac nocivum. 3. *Providentia*, qua futurum prævidetur. 4. *Solertia*, qua ſtatim invenitur quid in caſu improvi-

proviſo ſit agendum. 5, *Docilitas*, qua quis paratus eſt ad aliorum conſilia ſuſcipienda. 6. *Ratiocinatio*, qua ex præteritis colligitur, quid tunc ſit agendum 7. *Circumſpectio*, qua accuratè conſideratur quid conveniens ſit, habita ratione temporis, loci, & perſonarum. 8. *Cautio* impedimentorum conſecurioni finis adverſantium, 9. *Sollicitudo*, ſeu animi vigilantia ad proſequenda media ad finem conducentia.

CAPUT VI.

De Juſtitia.

OMiſſis variis juſtitiæ acceptionibus, juſtitia pro virtute morali ſumpta definitur; *Voluntas conſtans, & perpetua jus ſuum unicuique tribuendi*. Dicitur *voluntas*, quæ hìc non ſumitur pro animæ potentia, nec pro actu tranſeunte, ſed pro animi propenſione, qua inclinamur ad reddendum unicuique debitum. Dicitur *conſtans, & perpetua*; quia, cum virtus debeat eſſe difficulter mobilis, pluribus actibus diuturnis, ac ſæpius repetitis debet eſſe firmata. Dicitur *jus ſuum*, & id quidem ex ſtricta obligatione ita debitum; ut in reddendo ſervetur æqualitas; per quod juſtitia differt à Religione, & pietate, quæ æqualitatem non ſervant, cum nec Deo, nec Parentibus tantam poſſimus reddere, quantum debemus. Dicitur *unicuique tribuendi*, per quod notatur diſtinctio inter debitorem, & creditorem; nulla ſiquidem propriè eſt juſtitia ad ſe ipſum, ſed ad alterum.

Dividitur juſtitia in commutativam, diſtributivam, & legalem. Totuplex eſt enim juſtitia, quotuplex eſt ordo, ubi ſtatui poteſt æqualitas. Triplex eſt autem hujuſmodi ordo in Republica: Tòtius nimirum ad partes, ad quem reſpicit juſtitia diſtributiva, quæ præmia, ac ſuplicia pro merito, aut demerito diſpenſat: Partium ad totum, pro quo inſtituitur juſtitia legalis, per quam quælibet pars ſe gerit prout bono totius expedit; & demum partium ad invicem, juxta quem juſtitiam habemus commutativam, qua pars comparti, quod ejus eſt, retribuit.

Juſtitia commutativa alteri jus ſuum diſtribuit, ſecundùm proportionem arithmeticam, attendendo ſcilicet, æqualitatem rei ad rem inter debitum, & creditum, nulla habita ratione ad dignitatem aut conditionem perſonæ, cui fit ſolutio; unde ſi recepiſti centum, teneris ex illa juſtitia reddere centum, tam ignobili quàm nobili, tam diviti quàm pauperi. Juſtitia autem diſtributiva jus ſuum alteri tribuit juxta proportionem Geometricam; id eſt, non ſecundùm æqualitatem rei ad rem, ſed proportionis ad proportionem meriti, ſcilicet perſonarum, quibus fit diſtributio: Sic reportata ab hoſtibus ſpolia militibus diſtribuuntur, ſecundùm quod majorem, vel minorem habent proportionem ad victoriam; plus tribuendo V. G. Ducibus quàm Gregario militi, digniori quàm minus digno. Juſtitia verò legalis ſic dicitur, non quod agat conformiter ad Leges: cum id ſit cuilibet juſtitiæ commune; ſed quia membrum tribuit Reipublicæ, quod ipſi debetur, juxta boni communis proportionem per Legum obſervantiam, etiam cum præjudicio boni particularis. Quoad juſtitiam vindicativam ipſa potius ad diſtributivam, quàm ad commutativam reducitur; tum quia in ea proportio Arthmetica non ſervatur, ſed Geometrica; tum quia deliquens propriè jus non habet ad pœnam accipiendam; nec Superior eam ipſi non infligens eidem facit injuriam, prout non faciat injuriam dignoir, cui non confert Beneficium ipſi ſtricto jure non debitum. Quo circa

Obſervandum eſt, juſtitiam commutativam differre à diſtributiva, quòd hæc ſola ſit juſtitia propriè dicta, reddens alteri quod ſtricto jure illi debetur: unde ex ea ſola oritur reſtitutionis obligatio, non autem ex diſtributiva, niſi quatenus commutativæ ſociatur. Sic Princeps, qui minus dignis, modò tamen dignis, officia diſtribueret, peccaret quidem ob injuſtam Perſonarum acceptionem; ſed ad reſtitutionem non teneretur; quia ſtricto jure non tenetur utiliſſima quæque Reipublicæ procurare; modò neceſſaria eidem ſubminiſtret. Quòd ſi verò Officia indignis conferret, damna inde Reipublicæ emergentia reſarcire teneretur; quia, cum ſtricto jure Reip. neceſſaria ſubminiſtrare teneatur; tunc ſimul peccaret contra juſtitiam diſtributivam, & commutativam. Idem, propter eandem rationem, dicendum eſt de Præfecto, cui à Rege mandatum eſt, ut onera, & vectigalia ad æqualitatem diſtribuat, juxta cujuslibet commoditatis proportionem. Si quoſdam plus æquo oneret, aut exoneret, ad reſtitutionem tenebitur; quia cum Princeps ſtrictè mandaverit talem ſervari proportionem, contra utramque juſtitiam diſtributivam, & commutativam peccavit, eam non ſervando.

Porrò objectum materiale juſtitiæ ſunt actio-

Digitized by Google

actiones omnes, quibus cuique redditur quod ſuum eſt: Formale verò eſt æqualitas debiti; nec enim circa has actiones verſatur juſtitia, niſi ut illam ſervet æqualitatem, & ut alienum ſervet integrum; Ex quo concludunt Theologi nullam perfectam juſtitiam eſſe poſſe, ſed tantùm imperfectam inter Deum, & creaturas; Patrem, & Filium; Mancipium, & Dominum; quia inter eos, prout tales, nulla reperitur æqualitas, cum nec creaturæ Deo, nec Filii Parentibus, nec Mancipia Dominis, æquales ſint, aut æqualia reddere poſſint.

Cæterùm cum juſtitia jus alienum reſpiciat, ſciendum eſt quid ſit Jus, juſtitiæ fundamentum; & quid injuria, fundamentum reſtitutionis. Utrumque ſequentibus exponemus quæſtionibus.

QUÆSTIO I.

De Jure, & Juſtitia.

JUs tripliciter ſumitur. 1. Pro Lege, ſic dicitur jus naturale, jus divinum poſitivum, humanum, &c. 2. Pro eo quod juſtum eſt, & ſic eſt ipſamet virtus juſtitiæ ſuperius à nobis definita. 3. Sumitur hìc pro *facultate legitima aliquid vel faciendi, vel prohibendi, vel obtinendi, vel retinendi, vel eo utendi, vel de eo diſponendi; quam facultatem nullus abſque injuria impedire poteſt.*

Dicitur *Facultas legitima*, conceſſa ſcilicet per Legem ſive naturalem, ſive divinam, ſive humanam: Facultas ſiquidem contra Legem non eſt jus, ſed injuria.

Dicitur aliquid *vel faciendi*, circa, nimirum, rem alienam in ſuum commodum, ſalva ejus ſubſtantia, V. G. per alterius fundum tranſeundi, ad proprium aquam ducendi, &c. quæ facultas jus ſervitutis nuncupatur.

Dicitur *aliquid prohibendi*, nè V. G. domus vicini altius attollatur; aut feneſtra aperiatur, &c.

Dicitur *aliquid obtinendi*, V. G. Beneficium, quia quis graduatus eſt; aut hæreditatem, quia proximus eſt conſanguineus.

Dicitur *aliquid retinendi*, in ſecuritatem debiti; & inde ſolutionem accipiendi, ſi debitor non ſolvat, ut in Jure Hypothecæ, & Pignoris.

Dicitur *aliqua re utendi*, ſeu fruendi, ſalva ejus ſubſtantia, & uſus juris appellatur.

Dicitur de *aliqua diſponendi*, tanquam ſua in proprium commodum; quantùm Lege permittitur, & *Dominium* vocitatur.

Dividitur autem jus, in jus in re, & jus ad rem. Jus in re, quod perfectum & completum dicitur; eſt illud quòd immediatè reſpicit rem ipſam, & in eam tribuit realem actionem; ita ut ad quemcumque devenerit illam obligatam, & devinctam faciat ei, qui in ea jus habet. Sic commodatarius, & depoſitarius, & qui pignus accepit aut hypotecam, aut prætendit ſervitutem; licet dominium non habeant rei commodatæ, depoſitæ, in pignus aut hypotecam conceſſæ, aut ſervituti ſubjectæ, in ipſam *jus in re* habent; quia eam actione reali repetere poſſunt, ad quemcumque devenerit. Jus ad rem, quod imperfectum, & inchoatum dicitur; eſt illud, quod non reſpicit immediate rem ipſam, ſed rei poſſeſſorem, nec tribuit realem actionem in ipſam rem; ſed tantum in perſonam. Tale eſt jus donatarii, & emptoris ad rem donatam, & emptam, ante ejus traditionem: Item & jus præſentati ac legitimè electi ad Officium, vel Beneficium, ante inſtitutionem, & poſſeſſionem.

Aſſignata juris definitione ac diviſione, duas præcipuas juris ſpecies, ad quas cæteræ reduci poſſunt; uſus nimirum ac dominium, ſequentibus Articulis exponemus, quibus alterum adiiciemus de Contractibus, per quos maximè transfertur, aut acquiritur Dominium.

ARTICULUS I.

De Uſu.

Not. 1. DUplicem eſſe uſum; Juris ſcilicet, & facti. Uſus Juris eſt *Jus vel ſolummodò utendi, vel utendi ſimul & fruendi re aliena, ſalva ejus ſubſtantia.* Dicitur: *vel ſolummodò utendi, vel; &c.* Nam qui habet ſolummodò Jus utendi re aliena, ipſa uti non poteſt, niſi pro ſe, aut ſuis, quantum quotidiana requirit neceſſitas, & jus iſtud vocatur *ſimplex Uſus Juris*. Qui autem ſimul habet jus re aliena utendi ſimul & fruendi, poteſt etiam de fructibus ex re aliena perceptis lucrum reportare, ipſos vendendo, alienando, &c. & Jus iſtud vocatur *Uſus fructus*. Dicitur, *re aliena*, per quod uſus diſtinguitur à Dominino, quo quis re utitur tanquam ſua. Dicitur *ſalva ejus ſubſtantia*, quia nullus propriè eſt uſus juris circa res unico uſu conſumptibilibus, ut panis, vinum, oleum; quo-

Digitized by Google

quorum poſt uſum ſubſtantia non remanet.

Not. 2. Uſus facti nihil eſt aliud, quàm ipſemet actus utendi, ſeu actualis uſus, abſque ſtricto jure utendi; & ita ab altero dependens, ut ab eo, prout voluerit, ſit ſemper revocabilis. Per quod diſtinguitur ab uſu juris, qui non tantum facultatem præbet ea re utendi, ſed eam utenti quodammodò devincit; ita ut illam proprio nomine applicari poſſit ad uſum ſuum, & ſi ab eo impediatur veram patiatur injuriam, de qua conqueri valeat, ipſam tanquam ſuam, etſi aliena ſit, repetendo aut perſequendo; quæ dici non poſſunt de ſimplici uſu facti, ubi utens non habet ſtrictum jus utendi, quod dominium ſaltem utile, ac indirectum importat.

Not. 3. Hinc celebrem ortam eſſe quæſtionem, occaſione Regulæ Fratrum Minorum, quorum Regula ſic habet cap. 6. *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem.* Utrum ſcilicet ſimplex uſus facti diſtinguatur à dominio in rebus unico uſu conſumptibilibus. Dixi *unico uſu*; nam concedunt omnes, in rebus, quæ non unico uſu ſeu actibus plurimis conſumuntur, ut Veſtes, Libri, &c. dominium ab uſu ſeparari poſſe; cum quotidie harum rerum Domini uſum ipſarum aliis concedant, reſervato ſibi Dominio; ſed agitur tantummodò de rebus, quæ unico actu conſumuntur, ut panis, vinum, oleum, &c. Circa quod

Dico. In rebus unico actu conſumptibilibus ſeparabilis eſt uſus facti à Dominio.

Prob. 1. Auctoritate Sum. Pontificum Nicol. III. cap. *Exiit qui ſeminat* de verb. ſignific. in 6. Clem. V. Clementina: *Exivi de Paradiſo*. Alex. IV. Bull. *Uberes fructus.* Martin. V. Eug. IV. Nicol. V. Paul. IV. Sixt. IV. affirmantium, Minoritas rerum unico uſu conſumptibilium, uſum tantum ſimplicem habere, earumque Dominium penes donantes ſe habere, vel ſi Dominium abdicaverint, penes Sedem Apoſtolicam exiſtere.

Prob. 2. Ratione multiplici. 1. Supradicti Pontifices affirmaverunt Franciſcanos paupertatem obſervare altiſſimam, qua major nequeat obſervari; atqui major eſt paupertas, nullum jus habendi in rebus quibus utimur; ita ut pro libitu donantis revocari poſſit, quàm aliquod jus his rebus utendi habere: Ergo. 2. Religioſus cujuſvis Ordinis, famuli in omni familia, ad prandium invitati habent tantummodò uſum facti, abſque ullo jure, ac Dominio ciborum ſibi oblatorum, cum uſus iſte ſit revocabilis ad nutum Superioris, Heri, ac invitantis; & eorum ciborum Dominium proculdubiò penès Religioſam Communitatem, Heros, ac invitantes remanet uſque ad ipſorum conſummationem. 3. Nullus poteſt eſſe alicujus rei donatæ Dominus niſi voluerit; atqui FF. Minores publicè proteſtantur, ac profitentur nullius rei, etiam unico uſu conſumptibilis, dominos eſſe velle. Ergo, &c.

Obji. 1. Conſtitutiones Joan. XXII. Extr. *Quia quorumdam*, & Extr. *Ad conditorem*, ubi aſſerit Fratres Minores in nulla re, unico actu conſumptibili ſimplicem uſum facti abſque Dominio habere poſſe, & hunc uſum juri ac rationi repugnare.

℞. Joan. XXII. in hac quæſtione, quæ ad Fidem non ſpectat, cum de re ſit partim naturali, partim civili, nullam aliam auctoritatem habet, quàm quilibet Doctor particularis, cujus auctoritas tot Summorum Pontificum ſupra citatorum deciſionibus prævalere non poteſt. Adde quod Joannes XXII. non in eodem ſenſu ſimplicem uſum facti ſumat, ac nos ſumimus. Nam cenſet. 1. Uſum facti nullum eſſe, niſi, ſalva rei ſubſtantia; cum tamen ipſa non ſalvetur in uſu rerum unico actu conſumptibilium. 2. Manifeſtè confundit facultatem aut permiſſionem revocabilem utendi rebus, unico actu conſumptibilibus, cum jure ſtricto, atque independenti his rebus utendi: Ideò non mirum eſt, ſi cenſeat uſum facti, ſic intellecti, à Dominio non diſtingui.

Obji. 2. Varias rationes. 1. Si Fratres Minores pane ſibi conceſſo utendi jus non haberent, uſus ille eſſet illicitus, & nulla fieret ipſis injuria, ſi ipſis auferretur. 2. Qui ita diſponere poteſt de re aliqua, ut ejus ſubſtantiam deſtruere poſſit, illius verus eſt Dominus. 3. Si Frater Minor non habeat dominium panis ante comeſtionem, habet ſaltem in ipſa comeſtione, dum panem deglutit; cum tunc uſus ſit irrevocabilis.

℞. Ad 1. Fratres Minores habere jus utendi largè ſumptum, in mera Domini permiſſione conſiſtens, quæ permiſſio ſufficit eis, ut licitè utantur; ſicut ſufficit cuilibet Religioſo, aut famulo, ad cœnam invitato, cui cibaria exhibentur, licet jus ſtrictum, & in aliquo titulo fundatum non habeant. Unde qui ipſis cibaria violenter auferret, non ipſis faceret injuriam, quia privaret eos uſu juris, ſed quia privaret eos uſu facti conceſſo, & licito.

℞. Ad 2. Qui ita diſponere poteſt de re aliqua, ut illius ſubſtantiam deſtruere poſſit, illius verus eſt Dominus, ſi id poſſit ſtricto jure ac proprio nomine; non autem ſi poſſit tantùm nomine alieno, & dependenter ab illius revocabili conceſſione.

℞. Ad 3. In ipſa panis manducatione jam res cenſetur moraliter conſumpta, proindeque nullius dominio ſubjacere poteſt.

ARTICULUS II.

De Dominio.

Dominium communiter definitur: *Jus ſeu facultas diſponendi de re tamquam ſua, quantùm Lege permittitur.* Dicitur: *Jus ſeu facultas*, per quod convenit cum uſu, & aliis poſſeſſionibus; quia is qui uſum rei habet; in eam; facultatem aliquam habet, aut poteſtatem. Dicitur *diſponendi de re tamquam ſua*; quia res, quæ poſſidetur alio jure, quàm per Dominium, nec conſumi, nec diſtrahi, nec vendi, nec dari poteſt. Dicitur *quantùm Lege permittitur*, per quod excluditur diſpoſitio rei contra Leges. Licet enim Pupillus ſit verè rerum ſuarum Dominus, non poteſt tamen ante legitimam ætatem de his pro libitu diſponere.

Multipliciter dividitur Dominium. 1. Aliud eſt Dominium proprietatis, de quo mox; aliud Juriſdictionis, quod eſt poteſtas legitima ſubditos liberos regendi. 2. Aliud eſt plenum & perfectum, quo quis proprietatem rei, & ejus emolumentorum habet; ita ut de ipſa re, ac fructibus ejus diſponere poſſit. Aliud imperfectum, quo quis habet ſolam proprietatem rei ſine uſu, aut fructu rei, vel ſola rei emolumenta habet, ſine proprietate rei. Primus diſponere poteſt de ſubſtantia rei, eam donando, vendendo, &c. ſed non de fructibus ejus; idque dicitur Dominium directum. Secundus diſponere poteſt de fructibus rei, ſed non de ipſa rei ſubſtantia; idque dicitur Dominium utile, ac indirectum.

De Dominio exponendum eſt: Quinam, & quarum rerum Dominium habeant; & quomodo acquiratur, aut transferatur Dominium, ſequentibus Paragraphis.

§. 1. *Quinam, & quarum rerum Dominium habeant?*

Not. Satis eſt evidens, ſolum & omnem hominem Dominii eſſe capacem; cum ſolus & omnis homo ratione ac libero arbitrio, quæ totius Dominii fundamentum ſunt, ſit præditus; & ipſis mediantibus capax ſit, ſaltem in actu primo, de rebus externis, tanquam ſuis diſponere: Dixi ſaltem *in actu primo*. Nam actualis rationis uſus ad Dominium non requiritur, quia parvuli, ac perpetuò amentes bonorum ſuorum veri ſunt Domini, licet eorum adminiſtrationem non habeant, juxta illud Gal. 4. *Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit Dominus omnium.* Exponendum igitur tantummodò ſupereſt quarum rerum homo ſit Dominus. Circa quod

QUÆR. 1. Quarum rerum homo; prout homo, ſit Dominus?

℞. Homo innocens à Domino omnium creaturarum inferiorum accepit Dominium, juxta illud Gen. 1. *Faciamus hominem, ut præſit &c.* ſed poſt peccatum Dominium iſtud remanſit quidem in genere humano, ſed non in quolibet individuo; quia poſt peccatum facta fuit rerum diviſio, quam Leges humanæ & conſuetudo firmaverunt. Quod ſi Diabolus, Princeps hujus mundi dicatur in Evangelio, non eſt Princeps ut Judex, & Dominus, ſed velut tortor, & carnifex ad electorum probationem.

QUÆR. 2. Utrùm homo Dominus ſit perſonæ ſuæ, famæ, vitæ, ac membrorum ſuorum?

℞. 1. Hominem de libertate ſua poſſe pro libitu diſponere, ut patet Exod. 21. & Deuter. 15. ubi conceditur Iſraelitis, ut alteri in ſervum perpetuum ſe tradant: & S. Paulinus in ſervum ſe obtulit ad filium viduæ redimendum: & D. Petrus 1. Epiſt. c. 2. præcipit ut ſervi ad fidem converſi Dominis, etiam diſcolis, morem gerant. Accedit quod plurimi poſſint eſſe legitimi tituli ſervitutis. 1. Titulus belli juſti; cum enim bellum jus conferat hoſtes interficiendi, cur non eos in ſervitutem redigendi? 2. Nativitatis titulus, quando quis ex matre ſerva naſcitur; *Partus ſiquidem ſequitur ventrem.* 3. Titulus damnationis ob delicta, quorum quis reus eſt. 4. Titulus emptionis aut donationis, &c. Ergo ſervitus juri naturali minimè repugnat, proindeque poteſt quilibet pro libitu, ei ſe mancipare.

℞. 2. Homo Dominus eſt ſuæ famæ, ut patet exemplo plurimorum Sanctorum, maximè Aug. lib. Confeſſionum, qui occulta peccata ſua manifeſtaverunt. Ratio eſt quia homo actus præcipuos Domini reſpectu famæ ſuæ exercere poteſt; nempe ipſam pro-

Digitized by Google

proprio labore comparare & augere, ablatam proprio nomine coràm judice repetere & ejus reſtitutionem condonare: Ergo hujus perfectus eſt Dominus; modò tamen ipſius detrimentum non vergat in alterius detrimentum, quo ſenſu dicitur. Eccli. 41. *Curam habe de bono nomine.*

℞. 3. Homo in vitam ſuam, & in membris ſuis imperfectum tantummodo Dominium, non perfectum, habet; uſumfructum ſcilicet ſibi à Deo conceſſum, cum obligatione ſervandi rei ſubſtantiam; ſolus ſiquidem Deus vitæ, & necis eſt Dominus. Ratio eſt; quia Dominium perfectum importat ſuperioritatem, quam nullus in ſe ipſum habere poteſt: ex quo concluditur nullum ſe ipſum occidere, aut mutilare poſſe; nec ſemen proprium, quod verè eſt pars hominis præcipua, extra Matrimonium profundere, aut quaſi ex ſemetipſo præſcindere.

QUÆR. 3. Quarum rerum Filiifamilias Dominium, habere poſſint?

Antequam reſpondeam; ſciendum eſt, quadruplicia bona Filiisfamilias competere poſſe. 1. *Caſtrenſia*, quæ in militia aut ipſius occaſione acquiruntur. 2. *Quaſi caſtrenſia*, quæ Filiisfamilias obveniunt ratione Beneficii, vel Officii publici, vel profeſſionis ſcientiæ, aut cujuslibet artis liberalis, non autem mechanicæ. 3. *Adventitia*, quæ nec à Patre, nec intuitu Patris obveniunt Filio, ut ex labore comparata, aut caſu inventa, aut acquiſita per maternam hæreditatem, teſtamentum, donationem &c. 4. *Profectitia*, quæ Filio proveniunt, vel à Patre vivente, vel ab occaſione Patris principaliter. Quo poſito.

℞. Filiosfamilias bonorum Caſtrenſium, & quaſi Caſtrenſium plenum ac perfectum, directum ſimul & utile, Dominium habere. Adventitiorum autem habent quidem Dominium directum, ſed Pater eorum uſum fructum, & adminiſtrationem; niſi fortè vel Pater huic adminiſtrationi renunciaverit, vel hæc bona data ſint Filio, ea conditione, ne uſusfructus Patri concedatur. Quoad profectitia, eorum Dominium tam directum, quam utile, eſt penes Parentes.

QUÆR. 4. Quarum rerum Dominium uxores habere poſſint?

℞. Earum bona triplicis eſſe generis. 1. *Paraphernalia*, quæ ab uxore adferuntur ultra dotem, cum ea ſaltem intentione implicita illa ſibi reſervandi; horum bonorum Dominium & adminiſtrationem habere poſſunt. 2. *Dotalia*, quæ uxor tradidit marito ad ſuſtentanda Matrimonii onera. 3. *Communia*, quæ tempore Matrimonii communi labore, & induſtria acquiruntur. Iſtorum bonorum, dotalium, inquam, & communium, Dominium quidem, ſed non adminiſtrationem habent.

QUÆR. 5. Utrum bona, à Filiisfamilias in domo Paterna proprio labore comparata, profectitia ſint, an adventitia?

℞. Si Filiusfamilias in domo Patris remanens, aliquid lucratus fuerit ex ejus bonis, ejuſque nomine, & auctoritate negotiando, illud lucrum pertinet ad Patrem, tanquam profectitium; maximè ſi filius non declaraverit ſe nolle gratis laborare; quia tunc cenſetur ex pietate Patris negotia peragere. Ideò poſt obitum Patris nihil ex his bonis retinere poteſt in detrimentum hæredum. Quod ſi ex ſolis operibus artificialibus lucrum reportaverit, illud tanquam adventitium retinere poterit, ſi ſic cum Patre convenerit, deductis tamen alimentis à Patre ſuſceptis?

§. *Quomodo acquiratur, aut transferatur Dominium?*

Not. Circa hanc quæſtionem, bona quælibet duplicis eſſe generis. Vel enim ſub alicujus Dominio ſunt, vel non ſunt. Quæ ſub alicujus Dominio ſunt, acquiruntur Donatione, Venditione, aliiſque Contractibus, ſententia Judicis ob crimen perpetratum, Jure gentium, ratione ſcilicet Belli juſti, & tandem Poſſeſſione, & Præſcriptione. Quæ autem ſub nullius Dominio ſunt, vel nunquam Dominum habuerunt, ut animalia omninò ſilveſtria, & libera; vel aliquando habuerunt, ut bona à propriis Dominis derelicta. His notatis multa quæruntur hic breviter exponenda.

Circa bona, quæ ſub alicujus Dominio ſunt.

QUÆR. 1. Quid & quotuplex ſit poſſeſſio?

℞. Dupliciter ſumitur poſſeſſio. 1. Pro facultate poſſidendi, & vocatur poſſeſſio juris. 2 Pro ipſomet poſſidendi actu, & vocatur poſſeſſio facti. Prima definitur: *Jus inſiſtendi rei tanquam ſuæ, non prohibitæ poſſidendæ.* Dicitur tanquam ſuæ, non alterius unde Tutor inſiſtens rebus Pupilli non eſt poſſeſſor. Dicitur *non prohibitæ*; quia ubi Lex poſſeſſionem prohibet, nullum eſt jus poſſidendi; ſic Laicus Decimas poſſidendi jus acquirere nequit. Poſſeſſio facti

eſt *occupatio rei corporis*, *animi*, *& juris adminiculo*. Dicitur *occupatio*, ideſt inchoata, vel continuata rei apprehenſio, quæ dum realiter apprehenditur, aut pedibus, aut manibus dicitur vera: dum res quidem ipſa realiter non apprehenditur, ſed aliquid fit, per quod res cenſetur apprehenſa, ut clavium traditio, ædium inſpectio, dicitur falſa. Dicitur *animi*, ideſt cum intentione rem apprehenſam retinendi; per quod excluditur naturalis tantum poſſeſſio, qualis reperitur in depoſitario, qui non ſibi, ſed deponenti rem depoſitam detinet, & ſola admittitur civilis poſſeſſio, quæ fit cum animo rem ut ſuam retinendi. Dicitur *& juris*, quia jure poſſeſſionem reprobante nulla eſt poſſeſſio, ut patet in exemplo Rerum ſacrarum, quæ à Laico poſſideri nequeunt. Non requiritur tamen ad rationem poſſeſſionis, quod ſit juſta, ideſt quod fundetur in Legitimo titulo: Fur enim rem ablatam poſſidet poſſeſſione facti, quatenus de ſe non eſt prohibita poſſideri, licet eam injuſtè poſſideat.

QUÆR. 2. Quid ſit Præſcriptio?

℞. Præſcriptio, ſeu uſucapio, quæ propriè dicitur de rebus mobilibus; præſcriptio enim de ſolis immobilibus dicitur, & definitur: *Acquiſitio Dominii alicujus rei per continuationem poſſeſſionis bonæ fidei, certo temporis ſpatio per Legem determinato*. Ex qua definitione colligitur quinque requiri conditiones ad Præſcriptionem.

1. Eſt Poſſeſſio, & ipſa non ſolummodò naturalis, ſed & civilis rei non prohibitæ: Quo fit, ut omnis & ſolus capax proprio nomine poſſidendi ſibi præſcribere poſſit. Unde nec Religioſus, nec Tutor, nec Depoſitarius, nec Emphithenta, &c. qui civiliter non poſſident, ſibi præſcribere poſſunt: Nullaque dari poteſt præſcriptio rerum ſacrarum, quæ à Laicis naturaliter poſſidentur, nec rerum publicis uſibus deputatarum, viæ, pontes, &c. nec ſervitutis hominis liberi, nec obedientiæ Superioribus debitæ, &c.

2. Eſt Poſſeſſionis continuatio, quæ ſi interrumpatur, vel per horam, tempus effluxum ad præſcribendum erit inutile; unde non præſcribit, qui paulo ante temporis neceſſarii effluxum rem alienat, licèt ſtatim poſt alienationem iterùm illam compararet.

3. Eſt titulus præſumptus, donationis V. G. emptionis, ſucceſſionis &c. Nec neceſſe eſt, ut ſit verus, ſed ſufficit quod bona fide credatur validus. Certus ſiquidem & verus citra præſcriptionem ſufficit; ad Dominium transferendum. Ubi notandum eſt in præſcriptionibus longiſſimi temporis triginta ſc. aut 40. annorum titulum non requiri, tum propter probationis difficultatem, tum quia præſumitur titulum adfuiſſe, niſi aliqua in contrarium habeatur præſumptio, & jus contradicat.

4. Eſt tempus à Lege definitum; Nempè pro rebus mobilibus cum titulo, tres anni inter præſentes, & quatuor inter abſentes; & ſine titulo triginta anni. Præſentes cenſentur, qui in eadem Provincia, & ſub eodem regimine commorantur; abſentes è contra. Pro rebus immobilibus contra privatum cum titulo requiruntur inter præſentes decem anni; & viginti inter abſentes: ſine titulo autem 30. anni, ut de rebus mobilibus dictum eſt. Contra Eccleſiam Romanam, & Sum. Pontificem in rebus immobilibus requiruntur 100. anni. Contra alias Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, Pias cauſas pro neceſſitate publica 40. anni: cætera videantur apud Juriſtas.

5. Eſt bona Fides; ideſt judicium prudens, & ſundatum, quo quis; propter aliquem titulum invincibiliter ut verum apprehenſum, credit rem eſſe ſuam, & ut talem, incipit eam poſſidere: ubi notandum eſt. 1. Poſſeſſor ſucceſſoribus ſuis fidem ſuam bonam, aut malam tranſmittit; ſive eam noverint, ſive non; proindeque hæres, vel emptor rei 10 annis bona fide poſſeſsæ, additis 20 annis Præſcriptionem complet. E contra hæres, vel emptor rei mala fide 10 annis poſseſsæ, non præſcribit; niſi poſtquam ipſemet bona fide 30 annis ipſam rem poſsedit. 2. Ignorantia facti præſcriptioni non officit, benè quidem ignorantia juris clari, licet inculpata v. g. Si emas aliquid à Pupillo, putans invincibiliter bona ſua abſque Tutoris auctoritate alienare poſse, præſcribere non potes. 3. Dubium non officit præſcriptioni, ſi ſuperveniat poſſeſſioni bona fide inchoatæ, & moralis adhibita fuerit diligentia ad veritatem cognoſcendam: ſi autem adſuerit dubium, dum quis poſſidere incœpit; aut ſi moralis non adhibita fuerit diligentia, dum poſt poſseſſionis inchoationem dubium ſupervenit, non currit præſcriptio; quia tunc peccat, & bonam fidem ammittit, proindeque legitimam præſcriptionem interumpit.

QUÆR. 3. Utrum præſcriptio bonæ fidei dominium transferat in foro conſcientiæ?

℞. Præſcriptionem bonæ fidei verè dominium

Digitized by Google

minium in foro conſcientiæ transferre, ita ut; licèt completa præſcriptione cognoſcas rem fuiſse alienam, ad eam reſtituendam minimè tenearis. Ratio eſt quia non minor eſt legum auctoritas ad transferendum Dominium per præſcriptionem, quàm ad eum aſſignandum per bonorum diviſionem: atqui auctoritate Legum legitimè ac validè facta fuit rerum diviſio, & bona cuilibet fuere aſſignata, quæ jure naturali erant communia; Ergo Leges humanæ legitimè ac validè, poſita præſcriptione, Dominium transferre potuerunt. Deinde Eccleſia præſcriptionem bonæ fidei approbat, ut patet Cap. *Vigilanti* Cap. *Ad aures*. Imò C. *Sanctorum* ſtatuitur, ut poſseſſione 30 an. quietè teneantur; Ergo valida eſt præſcriptio in foro conſcientiæ, aliàs Eccleſia nunquam eam approbaſset, quia tuta conſcientia obſervari non poſset.

Dices 1. Jure naturali contrarium eſt rem alienam tollere. 2. Nullus diteſcere debet cum alterius injuria, & jactura juxta Reg. juris in 6. 3. Rem alienam nobis ex falſa judicis præſumptione adjudicatam tenemur reſtituere. Ergo &c.

℞. 1. Poſita legitima Præſcriptione, res non eſt amplius aliena, ſed propria præſcribentis, Legum auctoritate. 2. Nullus quidem diteſcere poteſt cum alterius injuria, & jactura, privata auctoritate, bene quidem auctoritate Legum. 3. Rem alienam nobis ex falſa præſumptione Judicis adjudicatam tenemur reſtituere; quia Judex per ſententiam Dominium non transfert; ſed tantùm declarat juxta allegata, & probata rem eſse noſtram; in præſcriptione autem transfertur Dominium.

QUÆR. 4. An poſseſsor bonæ fidei faciat omnes fructus ſuos rei poſseſsæ?

Ante reſponſionem obſerva. Fructus rei quadruplicis eſse generis. 1. Quidam ſunt naturales, quos natura ſponte ſua producit ſine ulla, vel cum modica hominis induſtria, ut Poma, Nuces, Ficus &c. 2. Quidam merè Induſtriales, qui totaliter ex induſtria prodeunt, ut negotiatio ex pecunia quæ de ſe ſterilis eſt. 3. Nonnulli ſunt partim induſtriales, partim naturales, qui partim ex induſtria, partim ex natura procedunt, ut ſegetes. 4. Alii tandem ſunt civiles, qui ex juris diſpoſitione, & inſtituto ob rei uſum oriuntur, ut domorum, aut jumentorum locatio. His notatis.

℞. 1. Poſseſsor bonæ fidei, cum titulo rationabiliter præſumpto, omnes facit fructus ſuos ex re poſseſsa ortos, etiam eos, quos nondum conſumpſit.

℞. 2. Poſseſsor bonæ fidei, ſine titulo, nullos facit fructus ſuos (exceptis tamen merè induſtrialibus) adhuc extantes, aut nondum conſumptos, eoſque reſtituere tenetur, deductis tamen laboribus ſuis, & expenſis; quia fructus illos non fecit ſuos irrevocabiliter, ſed tantum pro tempore bonæ fidei. Quoad eos quos jam conſumpſit, ipſos reſtituere non tenetur, niſi quatenus ex his factus eſt ditior. Ditior autem factus cenſetur, dum occaſione rei poſſeſsæ Patrimonium auxit, vel ex ea debita ſolvit, vel ſumptibus parcendo ordinariis rem in uſus domeſticos conſumpſit; ſed ditior non factus cenſetur, dum propterea lautiùs, quàm alias vixiſset, vixit.

℞. 3. Malæ fidei poſseſsor nullos (exceptis merè induſtrialibus) facit fructus ſuos, eoſque reſtituere tenetur, ſive eos conſumpſerit, ſive non. Imò quamvis nullos perceperit; ſi tamen Dominus eos percepiſset, tenetur eos ei ſolvere pro rata ratione ad ſpem lucri probabilem, detractis tamen expenſis ab ipſo Domino ad lucrum reportandum faciendis. Quod ſi res melior evaſerit, tenetur eam reſtituere ſicuti tunc ſe habet, deductis tamen expenſis à domino faciendis, ut rem ſuam melioraret. Facta verò deteriore, tenetur Domino reſtituere in eodem ſtatu quæ erat, dùm ei fuit oblata vel æquivalens reddere.

ADNOTATIO 43.

(*)

Ex doctrinis ſupra expoſitis, in quibus ſtatuitur per quadraginta annos præſcriptionem fieri in favorem poſſeſſoris bonæ fidei quoad bona immobilia, ad Monaſteria, Eccleſias, Hoſpitalia, & alia pia loca olim ſpectantia, & quod nulla fiat præſcriptio in favorem poſſeſsoris malæ fidei; occaſionem arripimus inquirendi, quid dicendum ſit de illis, qui Bona iſta Eccleſiaſtica ab Infidelibus, vel Hæreticis occupata, temporis tractu emerunt; & de aliis etiam, qui talia Bona paulatim uſurpaverunt, & tamquam ſua fecerunt. In duobus capitibus ambo iſta dubia expoſuit an. 1752. Archiepiſcopus Antibarenſis S. Congregationi de Propag. *In primo capite, ait* Benedictus *XIV. in Epiſt. ad P.* Lercari, *ejuſdem Congregationis Segretarium de dubiis iſtis, diſserens: „ In primo Capite exponit (Archiepiſcopus) Turcas Albania poſitos, magnam „ partem Bonorum ad Eccleſias pertinentium occupaſſe, quorum nonnulla deinde Chriſtifidelibus divendita, alia vero eiſdem ad colendum „ tradita fuerunt. In ſecundo autem refert, nonnullos ex Chriſtianis domos habentes proximas „ Eccleſiis everſis, & prædia prædiis Eccleſiarum contigua, areas, & terras ad eaſdem Eccleſias olim pertinentes uſurpaſſe. Quærit propterea*

„ *pterea quomodo in his ſe gerere debeat ; & an* „ *hujuſmodi malis remedium ullum , & quod-* „ *nam ſit adhibendum ?* „ *Sic expoſitis dubiis , & diligenter in dicta* Congregatione *examinatis , ab ipſa deciſum fuit.* „ *debere Archiepiſcopum ,* „ *accitis ad ſe Miſſionariis Parochis , & Con-* „ *feſſariis , eiſdem injungere , ut Pœnitentibus* „ *demonſtrent , non poſſe eos , ſine propriæ con-* „ *ſcientiæ damno detinere Bona , quæ olim ad* „ *Eccleſias pertinentia , deinde a Turcis occupa-* „ *ta in eorum manus devenerunt ; ſive a Tur-* „ *cis ipſis emerint , ſive tamquam derelicta , ſibi* „ *uſurpaverint ; ideoque neceſſarium omnino eſſe ,* „ *ut aliquem legitimum titulum habeant , quo* „ *ſe in eorum Bonorum poſſeſſione conſovere poſ-* „ *ſint .* „

Dictam reſolutionem aggrediens Benedictus *ip-ſe , illam , de more , magno eruditionis appara-tu firmat , atque illuſtrat . Et primò quidem con-ſiderat ipſe , quod ſicut omnia Bona tam mobi-lia , quàm immobilia in bello juſto occupata in dominium tranſeunt Victoris ; ſic , è contra , in bello injuſto , omnia quæ occupantur in dominium injuſti occupantis non tranſeunt , & proinde eorum domino reſtitui debent . Cum igitur inju-ſtum , immo injuſtiſſimum fuerit bellum a Tur-cis in occupatione Antibari contra Venetos habi-tum ; hinc ſequitur , quod omnia Bona ab ipſis in tali eventu injuſtè occupata antiquis eorum dominis reſtitui deberent . Cum autem ipſa Bona , de quibus ſermo procedit , per venditionem in-juſtam in manus pervenerint Chriſtianorum ; ſe-quitur inde , quod iſti ad reſtitutionem tenean-tur ; utpote , Bona ab ipſis malè empta , & ab-ſque legitimo titulo poſſeſſa . Nullus enim , ſe-cundum legum diſpoſitionem , poteſt aliis trans-ferre plus juris , quàm habeat in ſe ipſo . Cum vero nullum jus acquiſierint Turcæ in divendita bona , nullum quoque Ementibus illa , conferre potuerunt . Adde ; quod præter juſtum titulum dominii , quo carent , abſit etiam in duobus ex-poſitis caſibus bona fides .* Hæc autem bona fi-des , *ait Pontifex* , in nemine , ſanè eorum , de quibus nunc ſermo eſt admitti poteſt ; quum incredibile ſit , in toto aſſertæ uſuca-pionis decurſum nullam eis ſuppetiiſſe noti-tiam , quod Bona occupata ad Eccleſiam per-tinuerint . *Defectu autem bonæ fidei , nullam dari præſcriptionem in favorem poſſidentium , SS. Canonum ſanctiones clamant .* Quoniam om-ne , *ait* Innocent. III. *in Cap. ult. de præſcri-pt.* quod non eſt ex fide peccatum eſt , ſy-nodali judicio definimus , ut nulla valeat abſ-que bona fide præſcriptio , tam Canonica , quam Civilis : quum generaliter ſit omni con-ſtitutioni atque conſuetudini denegandum , quæ abſque peccato mortali non poteſt obſer-vari . Unde oportet , ut qui præſcribit , in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ .

Ad objectionem autem , quæ fieri poteſt a Poſ-ſeſſoribus hodiernis talium Bonorum ad Eccle-ſiam Antibarenſem ſpectantium , in capite ſe-cundo expoſitis ; quod , ſcilicet Bona illa tam-quam derelicta cenſeri debeant , reſpondet Ponti-fex , eos in magno , ſic opinando verſari errore ; „ *cum inter Bona derelicta adnumerari non poſ-* „ *ſint illa , quæ dominus ob impotentiam non* „ *recuperat , ut accidit in caſu noſtro ; ſed illa* „ *dumtaxat , quæ quis ſpontè deſerit , ac dere-* „ *linquit , propterea quod eorum poſſeſſionem ni-* „ *hili pendit . . . Quocirca , derelictæ , nequa-* „ *quam cenſentur res , quæ a Domino navis , ut* „ *naufragium effugiat in mare proiciuntur ; &* „ *ſi quis illas lucri cauſa recuperat , furtum* „ *committit &c.* „ *His , aliiſque permultis , S. Congregationis reſolutione firmata , tranſit po-ſtea ad opportuna examinanda remedia , quæ pro expoſitis caſibus , ad conſcientiarum angores ſedandos adhiberi poſſent ; uti legere eſt in Cit. Epiſt. t. 3. Bullar. n. 57. Hæc procedunt de Bonis immobilibus a Turcis injuſtè occupatis . Quid autem de mobilibus dicendum ſit , ex Ad-notatione ſequenti patebit .*

(*)

Circa bona quæ ſub nullius ſunt Dominio.

QUÆR. 1. Quænam bona dicantur ſub nullius eſſe Dominio , & quomodò acqui-rantur ?

R. Plurima recenſentur . 1. Animalia ſylveſtria & libera , & piſces in aquis. 2. Gemmæ pretioſæ , theſauri antiquo tem-pore ſub terra occulti , 3. Sylvæ commu-nes . 4. Quælibet bona voluntariè à Do-minis ſuis derelicta . Acquiruntur autem hæc bona , ſpectato Jure gentium , *Occu-patione* , fiuntque invenientis , & primi oc-cupantis , ſed de ſingulis enucleatim , bre-viter tamen , hìc nobis eſt diſſerendum .

QUÆR. 2. Quid de animalibus ſylve-ſtribus , & piſcibus ſit dicendum ?

R. Animalia Sylveſtria omninò libera in publico loco , & non circumſepto vagantia , idem dic de Piſcibus , fiunt primi occupan-tis , etiam contra voluntatem Principis ve-nationem , aut piſcationem prohibentis ; licet enim venatores , aut piſcatores quandoque graviter peccent , tranſgrediendo Legem ju-ſtam Principis ; fiunt tamen Domini præ-dæ ſuæ , nec ad reſtitutionem tenentur . Dixi , in loco non circumſepto ; ſi enim ſit circumſeptus , piſces & feræ cenſentur eſſe Domino illius loci . Aliud eſt de animali-bus natura manſuetis & domeſticis , aut de animalibus natura quidem ſylveſtribus , ſed arte manſuefactis , & ad domum redire ſo-litis . Hæc non fiunt primi occupantis , & Dominum ſuum retinent , etiamſi longius è domo Domini ſui evadant ; niſi tamen diu-turna

cturna vagatione indolem ferinam imbuerint, aut conſuetudinem redeundi amiſerint, tunc fiunt primi occupantis, quia libera ſunt. Porrò fera vulnerata, eſt vulnerantis eam inſequentis cum morali certitudine, quòd eam ſit apprehenſurus. Quod ſi eam non inſequatur, nec moraliter certus ſit, quòd eam ſit apprehenſurus, primi occupantis eſt, non vulnerantis. Item fera aut piſcis inextricabiliter laqueo inhærens, eſt laqueum ponentis; ſi verò extricabiliter laqueo inhæreat, fit primi occupantis.

QUÆR. 3. Quid de gemmis, & theſauris ſit dicendum?

℞. Licet Theſaurus dicatur in jure: *Vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat*; ſub nomine tamen Theſauri comprehenduntur pretioſa mobilia; ut Vaſa, Annuli, Gemmæ &c. Hæc omnia jure quidem naturæ fiunt inventoris, ac primi occupantis, quia nullius eſſe cenſentur; ſed jure civili ſtatutum eſt, ut Theſaurus quidem in fundo proprio inventus totus ſit inventoris; inventus autem in foro alieno publico, aut ſacro; vel inventus eſt fortuitò, vel ex induſtria quæſitus eſt, abſque conſenſu Domini, Principis, aut Prælati. Si primum, media pars ſit inventoris, & altera Domini fundi, aut Principis, aut Prælati, aut Eccleſiæ, etiam ante Judicis ſententiam; quia juris diſpoſitio cenſetur ſic diviſiſſe ac determinaſſe dominium ac proprietatem: Si ſecundum, totus Theſaurus adjudicatur Domino fundi, Principi, aut Prælato; idque in pœnam inventoris, in meſſem alienam falcem mittentis; Ideoque, ante Judicis ſententiam, non tenetur inventor totum Theſaurum Domino fundi reſtituere; ſed duntaxat mediam partem illi debitam, ratione alterius legis non pœnalis, eam Domino loci adjudicantis, & dominium dividentis.

Quod ſi verò Theſaurum quis arte magica in fundo proprio invenerit, totus eſt fiſci; in alieno autem, media pars fiſci; altera pars fundi Domino; ſed poſt Judicis ſententiam; quia lex id ſtatuens non eſt latæ, ſed ferendæ ſententiæ, in pœnam criminis.

Porrò ſciens in agro alieno Theſaurum eſſe abſconditum, eum eodem pretio emere poteſt, ac ſi ibidem non lateret, & empto agro totum Theſaurum retinere, nihil augendo de pretio agri; quia Theſaurus latens nec fructus eſt, nec pars ſubſtantiæ agri; Ideòque nullius eſſe cenſetur, donec eruatur: Secus dicendum eſt de venis metallicis & lapidicinis; quia cum naſcantur in fundo, ejus pars cenſentur, proindeque ad Dominum fundi pertinent.

QUÆR. 4. Quid dicendum ſit de pecunia in angulo domus inventa, cujus depoſitio non videtur antiqua?

℞. Eam invenientis, aut primo occupantis non eſſe; cum verus non ſit Theſaurus, nec jus naturale, nec civile in eam dominium invenienti conferant. Unde ſi hæc pecunia continua ſucceſſione in eadem familia diuturno tempore manſerit, hæredibus eſt reſtituenda; quia præſumitur ipſam ab aliquo ex hac familia fuiſſe occultatam. Quod ſi verò locatores plurimi in eadem permanſerint domo, ut in magnis Civitatibus contingit, nec ulla acquiri poſſit præſumptio, ad quam familiam inventa pecunia pertineat, ſervanda videtur regula juris (L. *Omnes*) *Si peregrini inteſtati deceſſerint, ad hoſpitem nihil perveniet, ſed bona ipſius per manus Epiſcopi loci, ſi fieri poteſt, hæredibus tradantur, vel in pias cauſas erogentur.*

QUÆR. 5. Quid de ſylvis communibus ſit dicendum?

℞. Sylvæ communes dicuntur eæ, quæ pro alicujus loci incolis ſunt deſtinatæ, ſicut deſtinata ſunt loca communia pro paſcendis illorum animalibus. Peccant mortaliter, & ad reſtitutionem tenentur extranei in his ſylvis lignantes; imò & incolæ, ſi lignentur tempore prohibito, aut cædant arbores prohibitas, aut animalia in eas ſylvas introducant contra prohibitionem. Excuſantur tamen, ſaltem à mortali, pauperes; ſi ex his præcisè neceſſaria uſibus ſuis aſportent, nec damnum notabile inferant, quia Communitas cenſetur id pauperibus membris ſuis indulgere.

QUÆR. 6. Quid de bonis derelictis ſit dicendum?

℞. Certum eſt quidem, omnia bona derelicta eſſe primò occupantis; ſed non omnia, quorum amiſſa eſt poſſeſſio, cenſenda ſunt derelicta: Nam

1. Bona naufragorum non cenſentur derelicta; cum non ſpontè, ſed metu naufragii fuerint abjecta; unde ſi ab aliquo recuperentur, ipſe illa Domino reſtituere tenetur, deductis tamen expenſis pro eorum recuperatione factis. Nec obſtat, quòd aliàs periiſſent hæc bona, quia res ſemper manet Domino ſuo, licet periclitetur.

2. Nec bona incerta furto ſublata inter derelicta ſunt cenſenda, ſed ad pias cauſas

ſunt

Digitized by Google

ſunt applicanda. Nulli ſiquidem iniquitas patrocinari debet; & domini intentio præſumitur, quòd velit nomine ſuo bona ſibi ſublata, quæ realiter recuperare nequit, eo meliori modo, quo ſibi prodeſſe poterunt, expendantur. Quod ſi poſt eorum bonorum diſtributionem appareat Dominus, hi quibus erogata ſunt ad reſtitutionem tenentur, ſi adhuc extent. Si verò non extent, nihil reſtituere tenentur; niſi in quantùm hinc facti ſunt ditiores.

ADNOTATIO 44.

(*)

Iſta reſolutio Authoris noſtris, ſtatuentis, inter Bona derelicta non eſſe jure merito, reponenda, Bona illa incerta, quæ furto ſublata fuerunt, aditum nobis præſtant ad gemina poſtulata exponenda, quæ inter alia an. 1630. *a* P. Franciſco Longobardo, *Ordinis* Minimorum, Tuneti *Miſſionario ad Congregationem* de Propaganda, *pro deciſione tranſmiſſa fuerunt. Primum, ut ad rem pertinens, eſt ut ſequitur:* Utrum Chriſtiani liberi, qui hic (*ideſt Tuneti*) negotiandi gratia commorantur, & alii Captivi, ementes a Pyratis Infidelibus Bona a Fidelibus rapta, & in hac urbe vænum expoſita, vel dono ea recipientes, ut hic ad proprios uſus utantur, vel ad Terras Chriſtianorum lucri gratia tranſmittunt, peccent mortaliter, & teneantur ad reſtitutionem? *Hoc fuit poſtulatum: reſponſio vero Theologorum* de Propaganda *fuit ſequens:* Patres deputati exiſtimarunt. Bona Chriſtianorum a Pyratis rapta, poſſe Fideles abſque noxa mortali, & onere reſtitutionis, emptione, venditione, aut alio quocumque legitimo titulo ſibi accipere, ac in proprios uſus convertere, non obſtante quod ſint in bello injuſto rapta.

Secundum poſtulatum ſic erat conceptum: Utrum antedicti, præſertim mercatores liberi, non ſolum peccent ratione rei male acceptæ, ſed injuſtæ acceptionis, tamquam Rapientium receptatores, & conſequenter teneantur in ſolidum ad reſtitutionem, non ſolum mercium emptarum, ſed omnium præterea damnorum Chriſtianis illatorum? Ratio dubii eſt, quia, ut quidam aſſerunt: Pyratæ inter deprædandum aliqua rapiunt ſpe vendendi dictis Captivis, vel liberis Chriſtianis, quæ, hac ſpe ſublata, non raperent, ut Infidelibus non neceſſaria, neque utilia. Hoc autem non ſemper accidit in rebus magni pretii, & ipſi mercatores liberi, principaliter hic morantur ut emant merces loci; & propterea eorum incolatus multum videtur conferre ad miſerorum Captivorum redemptiones ſecretius, facilius, & utilius faciendas; præter quotidianas eleemoſynas, quibus non ſolum ſublevant neceſſitates Captivorum, ſed etiam ſuppeditant ex magna parte Oratori is, & Miniſtris Divini cultus. *Expoſito dubio ſic fuit reſponſum:* A Patribus deputatis, concordi voto deciſum eſt Fidelium neminem Tuneti commorantium teneri ad reſtitutionem Bonorum raptorum per Pyratas Chriſtianis, neque incurrere noxam peccati mortalis, etiamſi Pyratæ Bona illa ſubripiant ſpe lucri ex futura venditione iiſdem Fidelibus facienda, aliàs non furaturi: licet peccare poſſint ex complacentia ſuper furto rerum per Pyratas Chriſtianis ſublatarum.

Hæ reſponſiones a Congregatione de Propaganda *ad Congregationem* S. *Officii tranſmiſſæ in omnibus & per omnia laudatæ & confirmatæ fuerunt: addita tamen ab aliquibus ex Qualificatoribus clauſula, quod emptores animum paratum habere deberent, res emptas reſtituendi eorum Domino, ſi aliquando compareret, eaſque ſoluto pretio Turcis pro ipſis enumerato, redimere vellet:* Aliqui tamen Qualificatores dixerunt, requiri animum reſtitutionis, accepto pretio dato, ſi dominus rerum occurrerit, *ſicuti habetur in Actis &c. Ratio autem propter quam dicta Bona a Pyratis empta, tuta conſcientia, licet de rapina fuerint, retinere poſſunt Chriſtiani eorum emptores, in eo ſita eſt; quod veriſimillimum ſit, ea nunquam deventura eſſe in poteſtatem Dominorum; & talem etiam præſumendam eſſe Dominorum ipſorum voluntatem, quod de illis diteſcant Chriſtiani, potius quam Pyratæ, & ſi talis non eſſet voluntas eorum, irrationabiliter ſe præberent invitos &c.*

Sed, cur, dicet aliquis, Bona mobilia injuſte occupata a Turcis poſſunt ritè emi, & poſſideri a Chriſtianis, ut in præſenti Adnotatione retulimus, non autem immobilia, ut in præcedenti obſervatum fuit? Reſp. Hoc ex duplici fundamento potiſſimum evenire. Primum ſiſtit in ſupradicta præſumpta voluntate Dominorum, quæ ſcilicet, aut conſentire, aut omnino non diſſentire creditur, ut prædicta mobilia, quæ jam fere ut totaliter amiſſa reputantur, acquirantur a Chriſtianis, potius quam a Turcis poſſideantur. Talis autem præſumi nequit voluntas circa immobilia, quæ cum perſiſtentia ſint, fructifera, nec uſu conſumptibilia, ſemper jus remanet, atque ſpes, ea tandem aliquando recuperandi: quod non verificatur de mobilibus, quæ uſu brevi conſumuntur, ut patet. Fundamentum ſecundum eſt Legum diſpoſitio, quæ aliter de Mobilibus, ac de Immobilibus ſtatuerunt, uti videre eſt in L. *ſi quis bello* §. *de re militari: & in* L. *ſi Captivus eod. tit. quæ leges, per deciſiones quoque Romanas ſæpe firmatæ fuerunt. Sic exponit, & ratiocinatur ex Authorum placitis* Benedictus XIV. *in cit. Epiſt. ad P. Lercari, quam conſulat, qui majora cupit.*

(*)

3. Nec res recenter perditæ pro derelictis ſunt habendæ, nec fiunt primò occupantis

Digitized by Google

pantis. Debet igitur inventor Dominum earum diligenter inquirere, ac ipſi cognito, ſi commodè fieri poteſt, reſtituere, deductis expenſis, tum ad rei conſervationem, tum ad ejus traductionem, factis. Quod ſi non inveniatur Dominus, in pias cauſas ſunt expendendæ. Ratio eſt, quia inventor nullo titulo, nulloque juris adminiculo harum rerum dominium acquirere poteſt; & quamdiu extant, Domino ſuo, licet per accidens ignoto, ſemper clamare dicuntur; nec enim accidens iſtud ipſi dominium aufert, aut alteri transfert; Ideò de his rebus diſponendum eſt, juxta præſumptam ejus intentionem, eo ſcilicet meliori modo, quo ipſi prodeſſe poterit. Ubi tamen obſervandum eſt, inventorem, ſi pauper fuerit, rem inventam, cujus Dominus eſt ignotus, ſibimet applicare poſſe, cum præferentiam utique mereatur.

ADNOTATIO 45.

(*)

Circa reſtitutionem rerum ignoti Domini, ſciendum eſt in aliquibus Diœceſibus adeſſe legem ſpecialem, ſtrictamque obligationem eas deferendi Epiſcopo, vel ejus Vicariis, ſive in loco ab ipſis deputato: prout ſtatuit S. Carolus pro diœceſi Mediolanenſi, ſibi reſervans abſolutionem transgreſſionis hujuſce. Generaliter loquendo non eſt tam facile in praxi concedendum Inventori rerum deperditarum, ut eas ſibi tamquam pauperi authoritate propria applicet. Licet enim, ſi verè ſit pauper, quandam præferentiam habere poſſit ſupra alios Pauperes; attamen, cum ſemper periculoſum ſit judicium in cauſa propria; ad tollendas fraudes, periculumque Animarum, ſemper conſulendi ſunt Inventores etiamſi pauperes, ut non niſi de conſilio Confeſſarii, vel alterius Viri docti, atque prudentis applicationem rerum inventarum ſibi ipſis facere audeant.

(*)

ARTICULUS III.

De Contractibus.

CONtractus, actus ſunt præcipui; quibus juſtitia exercetur. & dominium transfertur. De his nobis eſt agendum, tum in communi, tum in particulari, ſequentibus Paragraphis.

§. I. *De Contractibus in communi.*

Not. CONtractus ſic dictus, quod ſimul trahat partium voluntates; definitur: *Conſenſus duorum, vel plurimum ſigno ſenſibili expreſſus, quo mutuò, libe, ac legitimè ſe obligant, vel ſaltem una pars alteri parti acceptanti ſe obligat*: unde contractus

Dividitur 1. In impropriè ſeu latè dictum, qui ex una tantum parte obligat, & dicitur gratioſus; quia per eum aliquid recipitur, & nihil rependitur: Ut ſimplex donatio, promiſſio, depoſitum &c. & propriè ſeu ſtrictè dicitur, qui ex utraque parte obligat, & dicitur oneroſus: ut emptio, locatio &c.

2. Dividitur in explicitum ſeu formalem, qui verbis, aut ſignis utriuſque contrahentis conſenſum exprimentibus perficitur: & in implicitum ſeu virtualem, qui fit tacita partium conventione, ut dùm officium aliquod Tutoris v. g. Judicis &c, traditur, & acceptatur.

3. Dividitur in nominatum; quod nomen habet proprium; ut venditio, locatio &c. & innominatum, qui nomen non habet proprium, ſed tantum generale conventionis, & quadruplex aſſignatur. 1. *Do ut des*; Do tibi veſtem; ut tu des mihi equum. 2. *Do ut facias*; do tibi mille aureos, ut mihi domum ædifices. 3. *Facio ut facias*; coquam panem tuum, ut colas agrum meum, 4. *Facio ut des*; ſerviam tibi, ut des mihi alimenta; ubi ſub affirmatione negatio etiam comprehenditur, v. g. *facio ut non facias, do ut non des*: Hi contractus id proprium habent, quòd ab eis pars contrahens reſilire poſſit, etiamſi eos ex ſua parte expleverit, ſi non impleverit altera. v. g. Dedi tibi pecuniam, ut ires Romam. Jure civili repetere poſſum pecuniam, ſi nondum ieris Romam; neque expenſis te ad iter præparaveris. In contractibus autem nominatis abſolute inſiſtendum eſt, dùm ex una parte expleti ſunt, nec niſi mutuo conſenſu ſolvi poſſunt.

4. Dividitur in nudum, qui in mera conventione conſiſtit, nec ullo juris robore firmatur; ut donatio ſimplex ante traditionem: & in veſtitum, qui aliquo juris robore fulcitur v. g. traditione, juramento, ſcriptura &c. Contractus nudus ordinariè quidem non parit obligationem civilem; poſito tamen quod ſit verus, non minus obligat in foro conſcientiæ, quàm veſtitus.

5. Dividitur in contractum bonæ fidei; ſic dictum, quia licitum eſt Judici nonnulla ex æquo moderari; licet contrahentes id non expreſſerint, ut locatio, conductio &c. & in contractum ſtricti juris in quo

Judex tenetur ſolis contrahentium verbis inſiſtere; ut cenſus, Feudum &c. De Contractibus in genere;

QUÆR. 1. Quinam Contrahere poſſint?

℞. Omnis, & ſolus capax eſt contractum ineundi onéroſum, qui capax eſt dominii in actu primo, & ſecundo; ſeu qui non impeditam habet bonorum ſuorum adminiſtrationem: Ideò ex his Contractibus ineundis excludnntur Amentes, Pueri, Religioſi, Pupilli, Minores &c. quæ videri poſſunt apud Juriſtas. Dixi *Contractum oneroſum*: Nam certum eſt hoc non requiri in contractu gratioſo ex parte gratificari, cum poſſit Pupillus, aut Minor rem datam, aut promiſſam acceptare.

QUÆR. 2. Utrùm validus ſit Contractus abſque interno conſenſu, aut ſine animo ſe obligandi?

℞. Hunc Contractum validum non eſſe, nec coràm Deo obligarorium. Ratio eſt, quia tota vis contractus è contrahentium voluntate deſumitur; ut patet in Matrimonium fictè contrahenti, qui juxta omnes Doctores toties fornicationis peccatum committeret, quoties cum prætenſa uxore ſua rem haberet. Nec obſtat quòd inde ſequeretur neminem certum eſſe poſſe de donatione ulla, aut promiſſione ſibi facta; quia nullus ſinceram donatoris, aut promittentis intentionem penetrare poteſt. Nam libenter conceditur neminem ea de re certum eſſe poſſe certitudine phyſica, ſed ſufficit certitudo moralis, ut apud homines contractus rei habeantur.

QUÆR. 3. An Contractus errore initus ſit validus?

Antequam reſpondeam notandum eſt. 1. Duplicem eſſe errorem: alius eſt circa ſubſtantiam, dum non ponitur ſubſtantia rei, de qua factum fuit pactum, ut ſi loco auri detur auricalcum: Alius circa qualitatem, dùm res qualitatem non habent, quam unus contrahentium ſperabat; ut ſi detur puella pauper, quæ putabatur dives. 2. Alius eſt error antecedens, qui ita eſt cauſa contractus, ut ſi non adeſſet, contractus non iniretur; ut ſi vinum recens tradatur emptori, qui crederet eſſe vetus, & aliàs ipſum non eſſet empturus: Alius eſt error concomitans, qui non dat cauſam contractui, ſed tantùm ad contrahendum impellit; & contrahens ita cenſetur diſpoſitus, ut etiam errore cognito adhuc contraheret, ſed non ita libenter: His poſitis

℞. 1. Error circa ſubſtantiam, qualiſcumque ſit, etiam concomitans, contractum penitùs irritat; quia nullus eſt contractus, ubi nullus eſt conſenſus; nec ullus eſt conſenſus in rem ignotam, aut non apprehenſam: atqui errans, etiam concomitanter, circa rei ſubſtantiam, ipſam nec agnoſcit, nec apprehendit; ergo in eam minimè conſentir. Nec refert, quòd conſentire ſit diſpoſitus, cum neceſſe ſit ad contractus validitatem, ut de facto conſenſerit.

℞. 2. Error antecedens, circa qualitatem rei, contractum reddit invalidum; dùm nempè qualitas falſo apprehenſa, eſt motivum principale, ſeu ratio finalis contrahendi; ut ſi quis ſummam pecuniæ alteri ſubſtituat, quòd pauper eſt, vel ipſius conſanguineus, qui tamen dives foret, aut danti extraneus, donatio nulla eſſet; quia cum donantis animus non feratur in rei ſubſtantiam, niſi quatenus hac circumſtantia eſt veſtita; ſi non adſit illa qualitas, nullus eſſe poteſt verus conſenſus.

℞. 3. Error concomitans, circa qualitatem rei, contractum non irritat; dùm qualitas in ſubſtantiam rei non redundat, nec eſt ratio finalis, ſed tantùm cauſa impulſiva contrahendi; ut ſi quis eleemoſynam daret pauperi improbo, quem probum credebat; valet eleemoſyna, licet fortè ei non dediſſet, ſi improbitatem ejus agnoviſſet; quia tunc adeſt verus, & abſolutus conſenſus circa ipſam rem, nec animi affectio dantis eleemoſynam non efficit, quominus hic & nunc conſentiat, ſed dumtaxàt quòd non conſenſiſſet.

QUÆR. 4. Quo pacto dignoſci poſſit qualitatem rei falsò apprehenſam, cauſam eſſe contractus principalem, & finalem, aut tantummodò impulſivam?

℞. Error circa qualitatem cenſetur eſſe cauſam contractus principalem, & in rei ſubſtantiam redundare, ſi contrahens de errore cogitans, exteriùs vel interius, ac ſeriò diceret ſe nolle contrahere, niſi ſtante tali qualitate; quia tunc contractus eſſet conditionatus, & deficiente conditione, non ſubſiſteret. Quod ſi de errore nequidem cogitaret, aut ſi de eo cogitans nihil interiùs, aut exteriùs proferret; tunc error cenſetur eſſe tantùm cauſa contractus impulſiva, in ſubſtantiam rei minimè redundans: ſic qui non cogitaret an equus, quem emit, ſit ſanus, aut infirmus; an puella, quam ducit, ſit nobilis, aut ignobilis, dives, aut pauper; vel ſi in contrahendo de his quidem cogitaret, ſed nihil determinatum proferret;

Digitized by Google

ferret ; validi eſſent contractus emptionis, aut Matrimouii; licet contractum non iniiſſet, ſi equum eſſe infirmum , & puellam ignobilem , & pauperem cognoviſſet . E contra ſi ſeriò proteſtatus eſt, ſe non velle emere equum; niſi ſuppoſito quod ſit ſanus, aut nubere niſi puellæ diviti , ac nobili, nulla eſt emptio , nec validum eſt Matrimonium.

QUÆR. 5. Utrùm validus ſit contractus fraude, vel dolo initus?

℞. Ex ſupra dictis patet, fraudèm circa rei ſubſtantiam, & circa qualitatem, in rei ſubſtantiam redundantem , irritum reddere contractum ; non verò fraudem , quæ non fuit cauſa finalis coutrahendi; quia, ut jam dictum eſt, fraus illa, vel dolus conſenſum circa ſubſtantiam rei non aufert ; Ideò ſi pars decepta hunc contractum ratum habere velit, deceptor ab eo reſilire non poteſt. Deceptus autem illum reſcindere poteſt , & injuriam ſibi illatam à ſe excutere, etiam ante omnem Judicis ſententiam; quod tamen locum non habet , ubi contractus non eſt diſſolubilis , qualis eſt Matrimonialis. Quòd ſi fraus, vel dolus à nullo contrahentium , ſed à tertio quodam fuerit illatus, valet quidem coutractus; ſed damnum hinc , vel inde illatum unuſquiſque contrahentium reſarcire tenetur , & rem ad æqualitatem adducere.

QUÆR. 6. An validus ſit contractus, gravi metu initus?

Priuſquàm reſpondeam, obſervandum eſt: metum oriri poſſe , vel ab intrinſeco , ut metus Gehennæ; vel ab extrinſeco naturali , ut metus naufragii ; vel ab extrinſeco libero juſtè incutiente , ut metus mortis latronibus à Magiſtratu incuſſus ; vel ab extrinſeco libero injuſtè incutienti, ut metus mortis , aut expoliationis viatori à ſicario incuſſus. Hoc notato.

℞. 1. Metum gravem ab intrinſeco , & ab extrinſeco naturali, & ab extrinſeco juſtè incuſſo ortum , contractum non irritare . Quia , licet hi contractus ſint ſecundùm quid involuntarii, ſunt tamen, ut alibi probatum eſt, abſolutè & ſimpliciter voluntarii: ſic qui peregrinationem vovit, ut è naufragio eriperetur, validum eſt votum: ſic qui promittit tranſeunti 100. aureos, ut eum è ſicariorum manibus eripiat , tenetur in conſcientia ſolvere: ſic qui ob inita ſponſalia, metu excommunicationis ad Matrimonium ineundum compellitur, validum eſt Matrimonium, &c.

℞. 2. Contractus ex metu gravi ab extrinſeco injuſtè incuſſo initus, jure quidem naturæ validus eſt ; ſed reſcindibilis eſt ad arbitrium vexati, modò non ſit juramento firmatus. Dixi 1. Quod jure naturæ ſit validus; quia ſimpliciter, & abſolutè eſt voluntarius: Unde ſi ob metum gravem emptionis contractus fuiſſe initus ; vexatus, invito vexante , huic inſiſtere poſſet , & vexans ab eo reſilire non valeret . Dixi 2. Quòd ad arbitrium vexati ſit reſcindibilis, & hoc auctoritate propria , ante cujuslibet Judicis ſententiam ; quia ſicut vexans tenetur in conſcientia injuſtè vexatum indemnizare , ita damnum paſſus poteſt per contractus reſciſionem indemnem ſe reddere. Dixi 3. Modò non ſit juramento firmatus ; ob ſummam divino nomini debitam reverentiam .

Ex hac generali Regula excipiuntur Matrimonium , Profeſſio Religioſa , votum , contractus dotalis &c. qui metu gravi initi jure poſitivo ſunt irriti . Item excipiuntur contractus gratioſi, promiſſio, donatio , &c. qui ipſo jure naturæ ſunt irriti ; quia liberatio ab injuſta vexatione vendi non poteſt ab eo , qui alium vexat injuſtè ; cum ipſa vexato ſit debita , & ipſe jus habeat , ut vera vexatione liberetur ; quo fit , ut qui liberationem à vexatione injuſta alteri venderet ; ideſt, qui aliquid exigeret, aut reciperet, ut alium non vexaret, venderet utique quod ſuum non eſt ; cum alteri ſcilicet vexato ſit debitum, Venditio autem rei non ſuæ , & emptori jam debitæ , jure naturæ eſt irrita . Unde ſi volenti domum tuam incendere , aut te occidere , des aut promittas ſummam pecuniæ , ut à propoſito deſiſtat , nulla eſt jure naturæ donatio , aut promiſſio.

QUÆR. 7. Quid de contractu ſub conditione initio ſit dicendum?

Adverte prius conditiones multiplicis eſſe generis . 1. Alia eſt de præterito , alia de præſenti , alia de futuro . 2. Alia eſt contingens , ut promitto tibi 100. dupliones. ſi fratrem tuum adeas : Alia neceſſaria, ſi cras ſol oriatur : Alia impoſſibilis, ſi digito Cœlum tangas . 3. Contingens conditio, alia eſt in poteſtate illius cui imponitur ; alia , quæ non eſt in ejus poteſtate ; alia demùm quæ partim eſt in ejus poteſtate, partim non; ut promitto 100. nummos, ſi huic mulieri ſuadeas mecum nubere . 4. Conditio, alia eſt honeſta, alia indifferens, alia turpis, quæ vel rem malam continet, vel eſt impedimento boni , vel obligationi præcedenti adverſatur. His notatis.

℞. 1. Conditio de præſenti, vel futuro, contractum non ſuſpendit; Ideò ſtatim ac eſt initus vim habet, ſuppoſita conditionis exiſtentia; quod ſi verò non adfuerit, ſtatim nullus eſt. Idem dicendum eſt de conditione de futuro neceſsario cognito ut tali, quia æquivalet conditioni de præſenti.

℞. 2. Conditio de futuro contingenti ſuſpendit contractum uſque ad illius eventum; niſi velint contrahentes contractum ab initio valere, poſito quòd conditio eventura ſit; quo caſu verus eſsem ab initio dominus rei mihi traditæ; quæ ſi fructificaret ante contidionis exiſtentiam, fructus ejus mihi facerem.

℞. 3. Conditio impoſſibilis, & turpis contractum irritat, tum quia in conditione impoſſibili, contractus purificari nequit; ideſt, non poteſt impleri hæc conditio; tum quia nullus obligare, vel obligari poteſt ad turpe. Excipiuntur tamen ultimæ voluntates, Teſtamentum, & Matrimonium, in quibus conditiones turpes, vel impoſſibiles, ſi non ſint contra contractus ſubſtantiam, ex diſpoſitione juris, & præſumptione habentur ut non adjectæ, quia ſcilicet Teſtator non præſumitur velle hæredibus illudere, & nubens ſacrilegium perpetrare.

℞. 4. Contractus ſub conditione poſſibili, & licita de futuro, poſita conditione, ſtatim abſque novo conſenſu obligationem parit; quia ipſa poſita purus ſit, & abſolutus. Quod ſi dicatur conſenſum non amplius exiſtere, reſpondendum eſt; non exiſtere quidem phyſice, ſed moraliter, quòd proculdubio ſufficit ad cujuſlibet contractus validitatem. Excipitur tamen Matrimonium, cujus celebratio à Parocho præſente non admittitur, niſi celebretur purè, & abſolutè, remotis omnibus conditionibus.

QUÆR. 8. Utrùm validus ſit in conſcientia contractus jure civili nullus?

℞. Negativè. Ratio eſt, quia Leges civiles obligant in conſcientia; Ergo ſi Leges contractum tali ſolemnitate deſtitutum irritum declarantes, rei, de qua facta eſt conventio, prohibeat dominium, ſubditi ad illius ceſſionem in conſcientia tenentur. Deinde ſi homines privati ſuis conventionibus quaſdam conditiones poſsunt apponere, quibus deficientibus non ſtabunt conventiones; cur id non poſsent ſupremi Principes erga ſubditorum ſuorum contractus, propter bonum commune? Hic tamen breviter notandum eſt; nonnullos eſse contractus, quos, etſi Leges civiles non foveant, eos tamen nec condemnant, nec irritant, proindeque ipſos in foro conſcientiæ validos eſse, licet in foro civili nullam actionem conferant: talia ſunt nuda pacta plurima, quæ licèt nullis veſtiantur ſolemnitatibus, ſubſiſtunt tamen in foro conſcientiæ, propter naturalem, quam quiſque habet obligationem, conventiones bona fide initas obſervandi.

§. 2. *De Contractibus in particulari.*

De omnibus enucleatim Contractibus mens noſtra non eſt hìc agendi; nè contra brevitatem propoſitam, quaſi in immenſum excreſcat opuſculum iſtud. De magis obviis ad praxim neceſsariis breviter hìc ſermonem faciemus, & primo

De Promiſſione.

QUÆR. 1. Quid ſit vera, obligans, ac propriè dicta Promiſſio?

℞. Promiſſio eſt *ſincera, deliberata, ſpontanea, & gratuita fidei obligatio alteri facta, de re licita, poſſibili, ipſique grata, & ab eo accepta.* Dicitur; *Sincera*; nam ficta ſine animo ſe obligandi non obligat vi promiſſionis, licet fictus promittens teneatur ad omne damnum, quod patitur promiſsarius, ratione fictionis. Dicitur *deliberata*; unde ſemiplenè deliberata nullatenus obligat; quia nullus cenſetur velle ſe obligare, niſi plenè deliberans. Dicitur *ſpontanea*; ideſt libera à metu, aut violentia; aliàs vel nulla eſset, vel ſaltem reſcindibilis. Dicitur *gratuita*; ut diſtinguatur à promiſſionibus oneroſis, ubi promiſſio eſt reciproca. Dicitur *de re licita, & poſſibili*; quia ad malum, aut impoſſibile nullus teneri poteſt. Dicitur *ipſi grata*, quia cum fiat in gratiam, & utilitatem promiſsarii; ſi executio futura ſit ei noxia, vel ingrata, ceſsat obligatio. Dicitur *acceptata*; quia ſecluſa acceptatione tacita, vel expreſsa non dicitur promiſſio, ſed ſimplex pollicitatio, obligans quidem ex veracitate, non autem ex juſtitia; quia promiſſio ante acceptationem promiſsarii nondum eſt conventio; ſeu duorum conſenſus in idem: Obligatio autem ex juſtitia non oritur, niſi mutuo duorum conſenſu.

QUÆR. 2. Quanta ſit promiſſionis obligatio?

℞. Cum ficta promiſſio obliget tantùm ex veracitate, regulariter ſub mortali non obligat, ſed ſub veniali; quia ſi violetur, erit dumtaxat leve mendacium. Dixi *regulariter*; nam ſi promiſsarius inde damnum notabile

Digitized by Google

notabile pateretur ; ſi nempè propter eam bona quædam alienaſset , aut ex ſua parte aliquid impleſset, violans promiſſionem peccaret mortaliter , & ad indemniſationem teneretur. Sincera autem , & accepta promiſſio, cum obliget ex juſtitia, obligat ſub mortali in materia gravi ; quæ materia in promiſſione, duplo , aut etiam juxta multos Doctores, quadruplo major eſse debet, quàm in furto, ad mortale peccatum conſtituendum . Siquidem cenſetur major injuria alicui, ſi ei aureum unum auferatur, quàm ſi eidem tres, aut quatuor , liberaliter promiſſi, non ſolvantur.

QUÆR. 3. Quandonam ceſset promiſſionis obligatio?

℟. Multipliciter . 1. Dùm promiſsarius promittenti obligationem remittit. 2. Dùm res promiſsa facta eſt illicita , aut impoſſibilis. 3. Dùm nociva facta fuit , aut inutilis promiſsario . 4. Dùm promittens novit non extare cauſam principalem , propter quam promittit , quod V. G. non accepit Beneficium, quod à promiſsario accepiſse credebat . 5. Dùm abſque promittentis culpa ſupervenit talis mutatio, aut circumſtantia , quæ prævideri non potuit; quamque ſi promittens prævidiſset, meritò noluiſset promittere V. G. ſi promiſsarius factus eſt promittentis hoſtis capitalis ; ſi puella , cui promiſit ſponſalia , facta ſit meretrix, aut fuit corrupta.

De Donatione.

QUÆR. Quid & quotuplex ſit donatio?

℟. Donatio eſt *rei, aut juris alicujus gratuita conceſſio*. Præcipuè dividitur in Donationem inter vivos, & Donationem cauſa mortis. Per priorem donator in donatarium rei datæ dominium transfert: Per poſteriorem donatarius hujus rei dominium , non niſi poſt mortem donatoris, acquirit. Prior reſcindi non poteſt , niſi propter gravem donatarii ingratitudinem, ſi nempè donatorem gravibus affecerit injuriis, ſi grave damnum in illius bona, & perſonam intulerit, ſi ad victum neceſſaria eidem denegaverit. Porrò donatio inter vivos ſola traditione perficitur, qua nondùm extante Donatarius habet tantùm jus ad rem, & actionem in perſonam donantis, non autem jus in re , & completum.

QUÆR. 2. Quænam ad validitatem Donationis conditiones ſunt neceſſariæ?

℟. Neceſſe eſt. 1. Ut donator rei, quam vult dare , dominium , atque adminiſtrationem habeat à Lege non prohibitam. 2. Ut Donatarius eam recipere poſſit. 3. Ut res donata non ſit alteri obligata . 4. Ut fiat cum debitis ſolemnitatibus à jure requiſitis, quas apud Juriſtas videre licet.

De Teſtamentis.

QUÆR. 1. Quid ſit Teſtamentum, & quæ ſint ejus ſpecies?

℟. Teſtamentum in genere eſt *quælibet ultima voluntas , ſeu diſpoſitio de eo , quod quis poſt mortem ſuam vult fieri*. Hujus quinque ſunt ſpecies . 1. Teſtamentum ſtrictè ſumptum, quod definitur *voluntatis juſta ſententia* ; ideſt , cum debitis ſolemnitatibus, numero ſcilicet Teſtium , & Hæredis inſtitutione , *de eo quod quis poſt mortem vult fieri*. 2. Codicillus, quo circa Teſtamentum aliquid explicatur , additur , demitur, aut immutatur. 3. Legatum , quo Teſtator ex his, quæ forent hæredi , aliquid alteri confert. 4. Fideicommiſsum, quo Teſtator ſui hæredis fidei aliquid committit alteri tribuendum . 5. Donatio mortis cauſa, de qua mox diximus.

QUÆR. 2. Utrùm Teſtamentum non ſolemne , ideſt abſque juris ſolemnitatibus celebratum , valeat tum ad pias , tum ad profanas cauſas?

℟. Nonnulli cenſent Theologi Teſtamenta excipi debere à Regula generali ſtatuenti contractus jure civili irritos nec in foro conſcientiæ valere; ſed immerito; tum quia Teſtamenta Principum Legibus non minus ſubjiciuntur , quàm cæteri contractus ; tum quia ratio , propter quam alii contractus non ſolemnes à Legibus irritantur non minus urget erga Teſtamenta , quàm erga alios contractus ; nempe , ut vitentur fraudes , & ſervetur familiarum pax , & Reipublicæ tranquillitas.

Nec obſtat . 1. Quod juri naturali ſit contrarium, quòd homo cenſeatur, licet morti proximus , de rebus ſuis pro libitu ſuo diſponere non poſſe ob quarumdam ſolemnitatum defectum , quas aliquando obſervare non poteſt; Reſp. enim omninò juri naturali conforme eſſe , ut quilibet juſtis Reip. Legibus ſubjiciatur , & pars de ſuis bonis non diſponat contra Legum ſtatuta in detrimentum boni communis.

Nec obſtat. 2. Teſtamentum non ſolemne celebratum fuiſſe abſque ulla, vel leviſſima fraudis ſuſpicione . Siquidem ſufficit , ut fraus adeſſe potuerit; nec Lex, ut alibi dictum eſt , fundatur in præſumptione fa-

cti

Digitized by Google

cti particularis, ſed in generali præſumptione periculi fraudis.

Secus dicendum eſt de Teſtamentis ad pias cauſas; quæ licet juris civilis ſolemnitatibus ſint deſtituta, obligant in conſcientia, modò omnia jure naturali requiſita habeant; quia Leges civiles, ſi quæ ſint circa hæc Teſtamenta, nullam vim obtinere poſſunt ad impedienda bona opera in ſalutem animarum vergentia. Dixi; ſi quæ ſint, nam in Gallicis Legibus cautum eſt, ut Hæres ab inteſtato legata in pias cauſas ſolvat, quamvis irritum ſit Teſtamentum, defectu debiti numeri teſtium.

QUÆR. 3. Utrum Hæres per fideicommiſſum poſſit tuta conſcientia hæreditatem tradere fideicommiſſario, quem Leges à ſucceſſione excludunt?

℞. Negativè ob rationem generalem; quia Leges juſtæ non in foro tantùm exteriori, ſed & in foro conſcientiæ obligant. Unde qui per fideicommiſſum hæreditatem, aut legatum accepit filio naturali, aut Conjugi, ubi id à Lege vetitum eſt, deferendam; tenetur in conſcientia hæreditatem, aut legatum deferre hæredibus ab inteſtato; & Filii, aut Conjuges à Lege prohibiti hæc bonà juſtè retinere non poſsunt.

De Depoſito, Commodato, & Mandato.

QUÆR. 1. Quid horum contractuum nomine intelligatur?

℞. Depoſitum eſt *contractus, quo res aliqua cuſtodienda alteri traditur, & ab altero ſic acceptatur*. Commodatum *eſt contractus, quo alicujus rei uſus alteri gratuitò conceditur uſque ad certum tempus, ante quod repeti non poteſt*. Precarium dicitur, *dum uſus conceſſus quovis tempore eſt revocabilis*. Mandatum *eſt commiſſio alicujus rei gratis gerendæ facta alteri gratis acceptanti*.

QUÆR. 2. Quænam ſint obligationes horum Contractuum?

℞. Depoſitarius. 1. Tenetur rem integram reſtituere. 2. Nihil retinere poteſt pro rei cuſtodia, niſi vi alterius contractus. 3. Non poteſt rem depoſitam in ſuos uſus convertere, nec ex ea fructus percipere, niſi deponens in hoc tacitè, vel expreſsè conſentiat. 4. Ad reſtitutionem tenetur, ſi gravi ejus culpa res perierit; imo ſi ex levi, cum aut indemniſationem promiſit, aut de pretio pro illius cuſtodia convenit, aut cum à deponente repetita fuit, ſed non reddita, fortuitò periit, vel deterioris facta fuit conditionis.

Commodatarius. 1. Tenetur rem eadem cura, quàm ſuam, conſervare. 2. Non poteſt uti re ad alium uſum, quàm pro quo commodatur. 3. Tenetur rem præfixo tempore reſtituere. 4. Si res gravi ſua culpa, imò & levi (cum ſit in ejus commodum) periit, ad reſtitutionem tenetur, non autem ſi fortuitò; quia tunc perit domino ſuo. Commodans autem, ſi intempeſtivè commodatum revocaſſet, aut rem vitioſam non detecto vitio commodaſſet, ex quo alter damnum incurriſſet, ad indemniſationem teneretur.

Mandatarius tenetur. 1. Mandatum fideliter adimplere; ita ut mandato malè peracto, vel non peracto, teneatur Mandantem indemniſare, niſi tempeſtivè mandati acceptionem revocaverit. 2. Non poteſt Mandantis fines excedere, alioquin damnum inde ortum tenetur ſuſtinere. 3. Nullam mercedem ex opera ſua gratis promiſſa abſque injuſtitia exigere, aut retinere poteſt. Mandans autem Mandatarium indemnem reddere tenetur in his, quæ occaſione Mandati expendit, & in quibus fortuitò damnificatus eſt. Item tenetur Mandans ratum habere, quod à Mandatario bona fide, ac prudenter geſtum eſt.

De Locatione, & Conductione.

QUÆR. 1. Quid ſint Locatio, & Conductio?

℞. Locatio eſt Contractus, *quo res, vel perſona ad uſum, vel ad fructum pro pretio conceditur*. Conductio vero eſt *contractus, quo merces conceditur pro re, vel perſona ad uſum, vel fructum*; quo fit, ut idem contractus, qui ex parte rem locantis eſt locatio, ſit conductio ex parte rem accipientis. Dicitur pro mercede, quæ debet eſſe pecunia; alioquin non eſset locatio-conductio, ſed quilibet alius contractus innominatus.

QUÆR. 2. Quænam ſint Locatoris obligationes?

℞. Eas eſse multiplices. 1. Tenetur rei locatæ periculum ſuſtinere, cum ſit verus ejus dominus, niſi aliter conventum fuerit. 2. Tenetur detegere rei locatæ vitia, etiam occulta, quæ locatario, ſeu conductori damno eſse poſsent: Imò tenetur rem locatam probare, utrum ſit vitiata, ſin minus, damna reſarcire. 3. Tenetur remittere, vel ſaltem minuere, agri V. G. locati pretium, ſi fortuitò nullus ex eo, vel modicus fructus collectus fuerit; niſi tamen ubertas præce-

den-

Digitized by Google

dentis, vel ſubſequentis anni valeat præſentis ſterilitatem compenſare. 4. Non poteſt domum ſuam locare Meretricibus, uſurariis publicis, comœdis, & hoſpitibus cubicula exhibentibus ad chartarum & alearum ludos, quin omnibus eorum peccatis communicet. 5. Famulus, qui famulatum ſuum locavit Hero, ab ejus ſervitio abſque rationabili cauſa, ante tempus definitum, diſcedere non poteſt; & ſi diſcedat, nihil ei debetur, imò de damnis ex deſertione ſecutis Herum indemnem ſervare tenetur; niſi forte in periculo mortaliter peccandi per malitiam Heri ſui conſtituatur. 6. Artifex, qui operas ſuas locavit, tenetur de pretio reſtituere, quod plus accepit, quàm valent operæ impenſæ.

ADNOTATIO 46.

(*)

Cum Author ſupra ubi de Scandalo *in Reſol.* 5. *ſtatuerit licitum eſſe domum locare Meretricibus, hic autem num.* 4. *illicitum aſſerat, videtur in eadem non permanere ſententia. Ne autem putemus tam brevi intervallo ſibi ipſi contradicere; dicendum eſt quod hic ſubintelligitur conditio illa, quam ibi adpoſuit ad licitam reddendam talem locationem; videlicet: ſi domus in ea parte Civitatis poſita ſit, ubi a Magiſtratibus tolerantur Meretrices &c. Ceteroquin quid de tali locatione generatim ſumta probabilius dicendum videatur, jam ibi ſufficienter adnotavimus. Quoad* Comœdos; *loquitur Author noſter ſecundum SS. Canonum Sanctiones, atque Patrum Doctrinam, qui tales, tamquam homines perditos, & ad perditionem, turpi, atque inhoneſta eorum profeſſione alios trahentes ſemper reputaverunt. De iis vero, qui cubicula exhibent ad chartarum, & alearum ludos, vulgo:* che tengon biſcaccia *referre ſufficiat, quæ ſtatuit* S. Carolus Borromæus *in Act. Eccl. Mediol. par.* 4. *pag.* 653. Nec ii poſſint abſolvi, qui ſincera reſolutione peccata mortalia, & eorum occaſiones fugere non ſtatuerunt ... Occaſiones porro illæ, quæ ex natura ſua ad peccatum inducunt, ſunt, ſi qui aleæ, & hujuſmodi luſibus indulgent, vel qui domum in hunc finem præparatam aperiunt.

(*)

QUÆR. 3. Quænam ſint conductoris, ſeu locatarii obligationes?

℞. Tenetur. 1. Eamdem numero rem in bono ſtatu locatori reſignare. 2. Non poteſt rem locatam ante tempus conſtitutum deſerere, ſicut viciſſim nec locator poteſt à conductore ante tempus repetere, aliàs uterque damna tenetur reſarcire. 3. Si conductor ab uſu rei locatæ impediatur caſu fortuito, cui cauſam non dedit, à penſione ſolvenda excuſatur; non verò ſi huic impedimento dederit cauſam. 4. Conductor famuli non poteſt abſque gravi cauſa famulum conductum è ſervitio ſuo expellere ante tempus definitum; ſin autem tenetur totius temporis ſalarium ipſi retribuere, ſuppoſito quòd dimiſſus aliud ſimile comparare non poſſit. 5. Si quis pro aliquo opificio conduxit Artificem, qui ignoranter, vel imprudenter laboris ſui juſtum non petiit pretium, tenetur ex juſtitia illud augere, ut mox dicetur.

De Emptione, & Venditione.

QUÆR. 1. Quid ſit Emptio, & Venditio?

℞. Eſſe *Contractum, quo Merx commutatur pro pretio determinato.* Merx eſt omnis res vendibilis, ſeu pretio æſtimabilis; ut ſunt res omnes mobiles, & immobiles, quæ hominum poteſtati, & uſibus ſubjacent: item actiones, & jura, quæ pecunia ſolent comparari. Pretium autem eſt pecunia, per quod emptio-venditio differt à permutatione, qua res datur pro alia re.

QUÆR. 2. Quomodò rei venditæ transferatur dominium?

℞. Cùm per ſolum conſenſum hic contractus perficiatur; ita ut ſimul ac duo de pretio convenerunt, neuter reſilire poſſit; ubi res determinata vendita fuit, licèt nondum fuerit tradita, nec ſoluta, per ſolam venditionem fit emptoris, ipſique perit, ſi caſu, fortuitòque abſque culpa venditoris pereat. Dixi res *determinata*; ſi enim indeterminata ſit V. G. Ovis una ex pluribus, aut modium non menſuratum ex acervo tritici: Ovis ante ejus traditionem, & modium ante menſurationem venditori perit, ſi emptor non ſit in culpa; quia rem indeterminatam, aut ad menſuram nullus emit; niſi ſub hac tacita conditione, ſi res tradita fuerit, vel menſurata, vel ponderata. Porrò cum hujuſce contractus juſtitia in eo ſita ſit, quòd inter mercem, & pretium ſervetur æqualitas

QUÆR. 3. Quotuplex ſit juſtum pretium?

℞. Duplex eſſe juſtum pretium: Legale ſcilicet, quod à Lege aliqua determinatum eſt: & naturale, ſeu vulgare, quod prudenti hominum æſtimatione ſtatuitur. Prius in indiviſibili poſitum eſt; unde venditori, & emptori abſque rationabili cauſa, illud augere non licet. Poſterius autem aliquam habet latitudinem; & dividitur in ſummum

Digitized by Google

mum ſeu rigoroſum, ultra quod juſtè alterius provehi non poteſt: medium ſeu moderatum, ultra quod, vel infra, juſtè provehi, aut deprimi poteſt; & infimum ſeu pium, infra quod juſtè deprimi non poteſt: Ita ut ſi medium pretium ſit centum, infimum poterit eſse nonaginta quinque, & ſummum circiter centum, & quinque, juxta prudentum exiſtimationem. Si quis igitur, etiam ſecluſa fraude, & dolo, carius vendiderit, aut vilius emerit, quàm ferat ſummum, aut infimum pretium, juxta communem prudentium exiſtimationem, ad reſtitutionem tenetur: Circa quod

QUÆR. 4. Undenam vulgare rerum pretium peti debeat?

℟. 1. Illud pretium peti ex variis circumſtantiis. 1. Ex penuria, vel copia mercium, emptorum, venditorum, aut pecuniæ. 2. Propter damnum ex venditione emergens, aut lucrum ceſſans, aut verum, atque extraordinarium ſortis periculum; modò ea de re venditor emptorem moneat. 3. Propter modum vendendi, ſecluſa fraude, vel dolo, ſi res vendantur ſub haſta, in diſceſſu, minutatim, &c.

℟. 2. Pretium illud non peti. 1. Ex ſola emptoris utilitate, aut venditoris neceſſitate; quia alienum commodum, aut neceſſitas dominio noſtro non ſubjacent. 2. Nec ex præterito venditoris damno, quòd non ex venditione oritur, ſed ex ſua culpa, imprudentia, aut fortuito infortunio ipſi evenit; quia damnum illud, ab ipſa venditione non oriens, emptor compenſare minimè tenetur. 3. Nec ex eo quòd præſens numeretur pecunia, vel promittatur tantum; niſi ab ipſa venditione oriatur damnum emergens, & lucrum ceſsans, & periculum ſortis extraordinarium, pretio æſtimabile; quia ſolutionis expectatio eſt mutuum, à quo nihil licet recipere. 4. Nec ex brevi futura mercium copia, vel inopia; quia pretium ſumi debet ex præſenti rerum ſtatum, non autem ex futuro. Unde mercator, qui triticum detulit ad locum, ubi adeſt frumenti inopia poteſt allatum vendere juxta præſens commune pretium; licet certò ſciat multos alios mercatores brevi ingentem copiam allaturos eſse.

Cæterùm Famulus, aut Proxeneta, aut quilibet alius, qui rem pro altero vendendam, aut emendam ſuſcepit, nihil ſibi retinere poteſt abſque Domini conſenſu, ſi rem, aut emerit vilius, aut carius vendiderit, quàm ſperabat, quia nullo titulo id ei debetur. 1. Non ratione mercis venditæ, aut pretii exhibiti, quorum non eſt dominus 2. Nec ratione laboris, aut induſtriæ, cum pro hac Famulus, & Proxeneta mercedem habeant, & teneantur ex officio domini negotia, tanquam ſua peragere. 3. Nec etiam ex eo quòd mercator vel Famulo, vel Proxenetæ tanquam ſibi noto, & amico, rem vilius, quàm alteri vendidiſſet, vendiderit, aut carius emerit; quia non præſumitur mercatorem rem vilius, quàm par eſt, voluiſſe vendere, aut carius emere.

QUÆR. 5. Quid ſit Monopolium?

℟. Monopolium eſt *conventio unius, vel plurium Mercatorum ſimul conſpirantium, ut ipſi ſoli vendant, vel emant merces eo quo voluerint pretio.* Pretium enim, de quo Mercatores convenerunt, vel injuſtum eſt, vel juſtum quidem, ſed ſummum in vendendo, & infimum in emendo; ſi primum, evidens eſt eos contra juſtitiam peccare; cum æqualitatem inter merces, & pretium non ſervent; ſi ſecundum, probabilius eſt etiam contra juſtitiam peccare, & ad reſtitutionem teneri; cum abſque gravi injuria cogere non poſſint emptores ad emendum ſummo pretio, & venditores ad vendendum infimo.

Porrò Mercatores hanc Reipublicæ violentiam, atque injuriam inferunt duplici modo. 1. Dum omnes merces comparant, aut comparatas conſervant in aliud tempus, ut dilatione carius divendant. 2. Dum vi, aut fraudibus, ac dolis ſuis impediunt, nè aliundè merces adveniant. Uterque modus illicitus eſt, atque injuſtus, obligationem reſtitutionis pariens. Primus; quia non ſola venditorum paucitas, mercium raritas caritatem inducit; Ergo cum eorum adſit copia, nullum carius vendendi titulum habere poſsunt. Ab hac tamen injuſtitia excuſaretur Mercator, qui tempore meſſis annonas emeret, carius poſtea venditurus; ut ſic honeſtum pro opera ſua lucrum reportaret, modò per hoc earum pretium notabiliter non excreſceret. Secundus modus magis illicitus eſt, & injuſtus; quia & Mercatores habent jus merces ſuas in Civitatem inferendi, & Civitas eaſdem merces intra juſti pretii latitudinem emendi. Unde, qui eos hoc jure, vi, aut dolo privant, ad reſtitutionem tenentur; tum erga Communitatem; tum erga ipſos Mercatores, quibus injuſtum gravamen inferunt.

QUÆR. 6. An venditor teneatur ex juſtitia rei vitium emptori occultum detegere. & viciſſim emptor venditori indicare merces eſse majoris pretii, quàm ipſe putet?

℟. Si

Digitized by Google

℞. Si vitium ſit periculoſum, venditor tenetur ex juſtitia illud emptori indicare, etiam non rogatus; & hoc ſub obligatione non ſolum compenſaudi rei defectum quauti minoris valet, ſed etiam damna ex hac deceptione provenientia. Quòd ſi ex hoc rei vitio nullum emptori periculum immineat, eoque non obſtante, uſus rei emptori ſit conveniens, de hoc venditor non interrogatus non tenetur emptori illud manifeſtare, modò propter ejuſmodi vitium detrahat quantum par eſt de pretio. Quoad emptorem non abſimili ratione ex juſtitia tenetur rei virtutem, ac præſtantiam ſibi notam, venditori ignotam manifeſtare; dùm per hanc, juxta communem exiſtimationem, ejuſmodi rei pretium augetur; aut ſaltem tenetur pretium æquivalens ſolvere; quia ad hujus contractus juſtitiam omninò neceſſe eſt, ut inter mercem, & pretium ſemper, & ubique ſervetur æqualitas. Excipe tamen ex hac regula; ſi quis fortè alicujus rei præſtantiam, ac virtutem particularem cognoſceret, communiter hujus artis peritis ignotam; tunc illam poſſet emere juxta communem eorum exiſtimationem, ex qua ſola pretii juſtitia deſumitur.

QUÆR. Tandem. Quænam ſit venditionis, & emptionis materia?

℞. 1. Illicitè ſimul, & invalidè venditur, & emitur quidquid venditoris dominio, & adminiſtrationi minimè ſubjacet; cum translatio dominii emptioni, & venditioni ſit eſſentialis; nec ullus earum rerum, in qua ſi plenum non habet dominium, alteri transferre valeat. Hinc reſolvitur, emptorem, qui etiam bona fide rem alienam à fure emit, eam detinere non poſſe, ubi verum ejus agnovit dominum, à quo pretium quod perſolvit repetere non poteſt; niſi ſciens alienam eſſe, eo fine emerit, ut Domino, cui alioquin periiſſet, redderet. Idem dicendum eſt de emptionibus initis cum Filiisfamilias, Religioſis, uxoribus &c. qui bonorum ſuorum adminiſtrationem non habent.

℞. 2. Illicitè venditur quidquid in corporale, vel ſpirituale proximi detrimentum vergit. Sic graviter contra caritatem peccant Bibliopolæ libros vendentes amatorios, Pictores pingentes, ac vendentes obſcænas tabellas, Caupones vendentes vinum his, quos ſe ſe inebriaturos vident.

De Mutuo, & Uſura.

✠

(*)

Propoſitiones Damnatæ in materia Uſuræ.

1. „ Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus. „ Ab Alex. VII. 1666. Eſt 42.
2. „ Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex Benevolentia, „ & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi „ exigatur tamquam ex juſtitia debitum. „ Ab Innocentio XI. 1679. Eſt 42.
3. „ Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris „ faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem „ exigere a mutuatario, & eo titulo ab „ uſura excuſari. Ab eodem. Eſt 41.
4. „ Contractus mohatra licitus eſt etiam „ reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævię inito, cum „ intentione lucri. Ab eodem. Eſt 40.

(*)

QUÆR. Quid ſit Mutuum?

℞. Mutuum, quaſi ex meo tuum, eſt *Contractus, quo res numero, pondere, vel menſura conſtans alteri in dominium, & uſum traditur; ea lege; ut poſtea ſimilem ejuſdem generis, & qualitatis ſit redditurus*. Dicitur *res numero, pondere &c.* ideſt, quæ communiter, vel ad pondus, ut carnes, vel ad numerum, ut pecunia, vel ad menſuram, ut triticum traduntur. Domus ſiquidem, ager, equus &c. quæ ſic tradi non ſolent, hujus contractus materia non cenſentur. Porrò hæc res a Juriſtis *fungibilis* vocitatur; quia ratione mutui res una ſubſtituitur pro altera, & vice illius fungitur. Dicitur *alteri in dominium, & uſum traditur*; ex quo ſequitur rem mutuo datam mutuatario perire, & omnes fructus ejuſdem mutuatarii, non mutuantis, eſſe. Dicitur *ea lege*; quia mutuum obligat ſemper, & generaliter mutuatarium ad reſtitutionem, niſi juris privilegio excipiatur: ſiquidem Minores, & Filiifamilias, qui etiam poſtquam ſui juris facti ſunt, rem mutuo acceptam, ſaltem in foro externo, reſtituere non tenentur, niſi in quantum facti ſunt ditiores, quia nullus alieno ditеſcere debet. Dixi in foro externo, quia probabilius eſt ipſos teneri in foro conſcientiæ. Licèt enim Leges actionem mutuanti denegent, hos

tamen contractus non irritant. Dicitur *poſtea*; ideſt vel tempore determinato, ante quod mutuans rem mutuatam repetere non poteſt, & quo finito mutuatarius reſtituere tenetur, alias damna evenientia reſarcire; vel ſi nullum tempus eſt præfixum, tenetur reſtituere quoties à mutuante, attenta rei natura, interpellabitur. Dicitur *ſimilem ejuſdem ſpeciei*; tum quia, licèt mutuatarius eamdem rem numero reſtituere poſſit, ad id tamen non tenetur vi mutui, per quod mutuum à commodato, aut locato differt; tum quia ſi res diverſa ſit ſpecie, ut oleum pro vino, permutatio eſt, non mutuum. Dicitur *qualitatis*; ita ut res eadem intrinſeca bonitate ſit prædita, cum redditur, ac cum mutuo fuit accepta; ut vinum vetus pro veteri, non autem novum pro veteri. Dixi intrinſeca bonitate, non extrinſeca. Si enim dolium vini mutuo acceperis, non teneris vi mutui, juxta valorem extrinſecum majorem, vel minorem illud reſtituere; modo æqualiter bonum reſtituas, niſi aliter fueris conventum; quia dùm nihil fuit expreſſum, tacitè cenſetur per mutuum conventum fuiſſe de reddendo modium pro modio. In pecunia vero; niſi aliter fuit determinatum, cenſetur mens contrahentium fuiſſe; ut redderetur tantumdem quoad valorem, ſive in eadem, ſive in alia monetæ ſpecie.

QUÆR. 2. Quid ſit Uſura?

R. Uſuram ſumi dupliciter; tum pro lucro ex mutuo ſuſcepto, vocaturque *fœnus*, aut *auctarium*; tum pro ipſomet contractu uſurario; & definitur *contractus, quo ex vi mutui aliquid ultra ſortem exigitur, tamquam debitum*. Dicitur *ex vi mutui*; quia ſi alio juſto titulo aliquid exigatur, nempe propter lucrum ceſſans, aut damnum emergens, non eſt uſura, ſed indemniſatio. Dicitur *ultra ſortem*; ideſt ultra capitale mutuò traditum; ut ſi data fuerint 100. recipiantur 105. Dicitur *aliquid*, quodcumque illud ſit pretio æſtimabile, vel non, ita ut mutuatario ſit onus, quod aliàs non haberet: ut molendi in molendino mutuantis, merces ejus emendi &c. Dicitur *exigitur*, vel expreſsè, vel tacitè, vel tantùm mentaliter. Triplex eſt enim uſura: Realis & expreſſa, dùm intercedit pactum expreſſum dandi, vel excipiendi aliquid ultra ſortem: Implicita aut palliata; dùm fit verbis implicitè, aut indirectè ad uſuram inducentibus, vel dùm ſub aliorum contractuum pallio, ſocietate, venditione &c. occultatur; ut ſi ob dilatam ſolutionem, ſine alio damno, carius vendas: & Mentalis, dùm mutuando intendis aliquid excipere, tamquàm debitum, intentionem tuam nullo exteriori ſigno manifeſtando. Dicitur *tamquam debitum*; ſive ex juſtitia, ſive ex gratitudine, benevolentia, aut amicitia, ut definivit Inn. XI. prop. 42. modò vera obligatione habeatur plus quam datum eſt. Dixi vera obligatione; ſi enim aliquid non exactum recipitur ex mera mutuatarii liberalitate, non eſt uſura; quia ſi id ab alio recipi poteſt; cur non ab eo, qui beneficium contulit?

QUÆR. 3. Quo jure prohibita ſit uſura?

R. Omni jure; divino ſcilicet, humano, tum canonico, tum civili, & etiam naturali.

1. Jure Divino prohibetur uſura, ſcriptum eſt enim Levit. 25. *Pecuniam tuam non dabis ad uſuram*: & Exod. 22. *Nec uſuris opprimes populum meum*. Et Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. Et conſtat ex Lat. Conc. ſub Leon. X. verum hoc eſſe Chriſti Dom. præceptum: Quod ſi legatur in Deuter. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram, ſed alieno*; dicendum eſt de mandato Domini permiſſum fuiſſe Judæis ab alienis, tamquam ab inimicis, uſuram accipere, ſicut permiſit ab Ægyptiis ſpolia reportare.

2. Jure civili prohibetur uſura; Teſte D. Aug. Epiſt. ad Maced. *Quid dicam*, inquit, *de uſuris; quas etiam ipſæ Leges, & Judices reddi jubent*? quatenus ſcilicet male partas. In Gallia autem ſæpius prohibitæ ſunt à Conſtitutionibus Philip. IV. an. 1311. Philip. VI. 1349. Franc. I. Carol. IX. Henr. III. an. 1576. agnoſcentes uſuram non ſolum juri naturali, ſed etiam Divino, & canonico contrariam, ipſique Reip. ac privatis hominibus pernicioſam eſſe. Quod ſi nonnullæ Leges uſuras moderatas concedere videantur; reſpondendum eſt cum D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. meram eſſe, ad majus malum vitandum, tolerantiam, non autem veram, ac propriè dictam conceſſionem, aut facultatem.

3. Jure Canonico, ut patet ex multis Sum. Pontificum, & Conciliorum Decretis: Later. ſub Leo. X. item Later. ſub Alexand. III. Lugdunen. ſub Gregor. X. Vien. ſub Clement. V. & cæteris, uſurarios publicos Laicos excommunicantibus, & Clericos ſuſpendentibus; quæ tamen cenſuræ latæ non ſunt, ſed ferendæ ſententiæ.

4. Ju-

Digitized by Google

4. Jure naturali. 1. Quia non ſervatur æqualitas, cum plus accipiatur, quàm detur. 2. Quia unum & idem, ſemel & iterùm venditur, nempe centum v. gr. pro centum; & iterum idem centum pro auctuatio. 3. Quia mutuans, quod ſuum non eſt, vendit; nempè uſum juris rei mutuatæ, qui in pecunia, & aliis uſu conſumptibilibus à dominio ipſiuſmet rei minimè diſtinguitur. Unde uſura ab ipſomet furto non diſtinguitur, & Ezechiel 18. Non minus *ad uſuram dantem, & amplius accipientem*, quàm *rapinas rapientem* à vita æterna excludit: Imò D. Ambroſ. lib. de Tobia dicit: Nihil fœneratoribus iniquius eſſe, qui lucra ſua aliena damna arbitrantur.

QUÆR. 4. Quinam ſint prætenſi tituli aliquid ultra ſortem exigendi?

℞. Uſurarios varios ad ſuam iniquitatem palliandam adinvenire titulos, quos hic breviter refellere neceſſe eſt.

1. Non ratione uſus rei mutuatæ, ut mox dictum eſt; quia iniquum eſt aliquid accipere pro uſu rei non ſuæ: Excipe tamen, ſi de uſu ageretur extraordinario; ut ſi quis pecuniam ſuam in ordine ad oſtentationem elocaret, aliquid pro tali uſu ſuſcipere poſſet; quia tunc pecuniæ ſuæ, ſicut ſit in vero mutuo, Dominium non transferret.

2. Non ratione temporis ad ſolutionem conceſſi; tum quia tempus eſt omnibus commune, nec eſt proprium mutuanti; quo fit, ut ſi quid uſurarius ſuſciperet pro tempore, ſuſciperet aliquid ex re non ſua; tum quia tempus quod conceditur eſt intrinſecum mutuo; quod non niſi pro aliquo tempore datur.

3. Non ex eo quod præſens pecunia plurius valeat, quàm abſens & futura; quia de ſe pluris non valet; ſed tantùm per accidens, omninò ab ipſo mutuante independens; ex quo conſequenter nullum ſuſcipere poteſt emolumentum.

4. Non ex utilitate, vel commoditate, quam inde ſuſcipit mutuatarius; quia hæc propriè ab ipſa non oritur pecunia, de ſe non fructifera, ſed ex mutuatarii induſtria; ideoque ſi mutuans inde fructum perciperet, meteret ubi non ſeminaſſet.

5. Non ex labore pecuniam numerandi; cum labor iſte mutuo ſit intrinſecus.

6. Non ex difficultate ſortem recuperandi; quia ſi hoc eſſet, plus exigi poſſet à paupere, quàm à divite, quod omninò abſurdum eſt. Deinde ſi ex difficultate damnum emergat; tunc adeſt titulus ſortem exigendi, ut mox dicetur; ſi nullum damnum emergat, nullus adeſt titulus.

7. Non ex eo quod mutuans ſua privetur pecunia; quia id mutuo eſt eſſentiale.

8. Non ex Fidejuſſione, per quam quis alienam obligationem in ſe ſuſcipit; quia Fidejuſſio eſt actus amicitiæ, nullo pretio æſtimabilis.

ADNOTATIO 47.

(*)

Cum circa uſuras erroneæ quædam opiniones noſtris hiſce temporibus earum pravitatem non parum imminuentes, irrepere cœpiſſent, Benedictus XIV. *tanto malo occurrere volens Encyclicam evulgavit, omnibus Italiæ Epiſcopis directam, incip.* Vix pervenit, *in qua quinam ſit, & eſſe debeat circa uſurarum materiam Catholicorum ſenſus, clarè decernit. Hujus Epiſtolæ meminit in* Op. de Syn. *lib.* 10. *cap.* 4. *n.* 10. *Et quoniam ad ſententias Authoris noſtri magis, magiſque conſtabiliendas multum tanti Pontificis verba conferre poſſunt, ea libenter tranſcribimus. Cum igitur declaraverit Authores permittentes moderatum lucrum ex mutuo a Divitibus, & Negotiatoribus, adverſari communi, & perpetuæ Eccleſiæ Catholicæ doctrinæ, hæc inſuper addit.* „ *Verum, quoniam tot Doctorum* „ *(quos in confirmationem traditæ Doctrinæ* „ *retulerat Pontifex) auctoritate, & argumentis* „ *minimè perterriti prædictam exoticam* „ *opinionem (de lucro ex mutuo a Divitibus* „ *acquirendo) non nulli iterum refricare non* „ *dubitarunt, propterea nos ad Petri Cathedram* „ *erecti, ne Catholicæ Doctrinæ puritas, cujus* „ *depoſitum nobis eſt a Chriſto concreditum, hac* „ *erroris labe fœdaretur, datis ad Italiæ Epiſcopos* „ *Encyclicis Litteris ſub die prima Novembris* „ *1745., hæc inter cætera declaravimus: Primo; omne lucrum ex mutuo ratione* „ *mutui, uſurarium, & illicitum eſſe: Secundo;* „ *ad uſuræ labem purgandam nullum arceſſiri* „ *poſſe ſubſidium vel ex eo quod, id lucrum,* „ *non exceſſivum, ſed moderatum, non* „ *magnum, ſed exiguum ſit; vel ex eo, quod* „ *is, a quo id lucrum ſolius cauſa mutui, depoſcitur,* „ *non pauper, ſed Dives exiſtat, nec* „ *datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam,* „ *ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel* „ *novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis* „ *negotiis, utiliſſimè ſit impenſurus:* „ *tertio; quamquam una cum mutui contractu* „ *poſſint quandoque alii tituli, ut ajunt, fortè* „ *concurrere, ipſi mutuo extrinſeci, e quibus* „ *juſta oriatur cauſa aliquid ultra ſortem ex* „ *mutuo debitam exigendi; attamen falsò, &* „ *temerè affirmari diximus, ejuſmodi titulos* „ *ſemper reperiri, ac ubique præſto eſſe, itaut* „ *illorum ratione quotieſcumque pecunia, frumentum,* „ *aliudve id generis alteri cuiquam*

„ *creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum, ultra ſortem integram, ſalvamque recipere. Alia præterea ediximus, atque in contractibus ſervanda commendavimus, quæ in Episcopales Synodos inſeri poterunt, ne uſuræ macula inficiantur; ſicut videre eſt in præfatis noſtris Litteris, quæ ſunt* in Ordine 143. Bullarii noſtri T. I. *quaſque nuperrimè theologico commentario illuſtravit* Daniel Concina *Ordinis Prædicatorum Theologus.* „ *Vid. dictam Encycl. per extenſum in Append.*

(*)

QUÆR. 5. Quinam ſint veri, ac legitimi tituli aliquid ultra ſortem exigendi?

℞. Tres poſſe numerari, modo bene explicentur: damnum emergens, lucrum ceſſans, & periculum ſortis.

1. Damnum emergens eſt detrimentum, quod patitur creditor ratione mutui: v. g. quod defectu pecuniæ cogatur res ſuas viliùs vendere, aut ſibi neceſſarias cariùs emere, aliis creditoribus annuos redditus ſolvere, ædificii, quod reparare non poteſt, ruinam ſuſtinere, &c. Hunc titulum legitimum eſſe probatur; quia poſtulat æquitas, ut ſi tibi mutuando faciam expenſas, eaſdem ſolvere ſatagas, & indemnitati meæ conſulas; ut undequaque ſervetur æqualitas. Conditiones tamen quatuor requiruntur ad iſtius tituli validitatem. 1. Quòd ipſummet mutuum vera ſit cauſa damni emergentis, ſaltem veriſimiliter ex ipſo imminentis. Si enim ex alia cauſa oriatur, injuſtum eſt planè ab ipſo compenſationem exigere. 2. Quòd ſumma, quæ exigitur non ſit major damno emergente, aliàs non ſervaretur æqualitas. 3. Quòd mutuans de damno ex mutuo ſibi veriſimiliter imminente præmoneat mutuatarium; ut ab alio, qui abſque damno ſibi mutuare poſſet, mutuum, ſi libuerit, poſtulet & accipiat; quia hac libertate abſque injuſtitia privari non poteſt. 4. Quòd mutuans Mutuatarium non cogat, ut ſecum paciſcatur de certo pretio pro damni periculo; ſed ab eo tantummodò exigat damni obventuri indemnizationem, citra quam nihil juſtè exigere poteſt. Quòd ſi verò Mutuatarius eventum expectare nolit, tunc cum ipſo paciſci licet, modo id candidè, ac bona fide fiat.

2. Lucrum ceſſans, alius eſt, aliquid ſupra ſortem exigendi, legitimus titulus; quia perinde eſt à conſecutione alicujus rei impediri, ac ipſam perdere: utrumque pretio eſt æſtimabile, nec minus injuſtum eſt, ut aliquo privatus ſim honeſto lucro, ut tibi præſtem beneficium, quàm ſi tibi benefaciendo aliquid juſtè comparatum amitterem. Requiruntur tamen ſequentes conditiones. 1. Quòd mutuans admoneat Mutuatarium de lucro ceſſante, liberèque conſentiat auctarium ſolvere, ratione lucri ceſſantis, ut mox dictum eſt de damno emergente. 2. Quod mutuum vera ſit cauſa lucri ceſſantis. Unde ſi lucrum ex pecunia ſperatum ſit tantum poſſibile, ſive quia occaſio lucrandi non eſt præſens, ſive quia mutuans eam ad lucrum faciendum proximè non deſtinavit, ſive quia hanc pecuniam alio modo, aliàve induſtria ad lucrum applicare non poteſt, tunc prorſus futilis eſt ex lucro ceſſante titulus; quia tunc lucrum non ceſſat mutuanti ratione mutui; ſed quia vel non vult, vel non poteſt commodè pecuniam ad lucrum applicare. 3. Quod in compenſatione lucri ceſſantis, & ſperati deducantur expenſæ faciendæ, & pericula incurrenda; cum minus valeat lucrum abſens, quàm præſens. 4. Quod lucri ceſſantis compenſatio non exigatur ſtatim ab initio mutuationis; ut ſi quis centum mutuando, ſtatim decem ſub lucri ceſſantis periculo ex his retineret, & ſic de facto nonaginta tantùm mutuaret; ideòque poſthac centum exigendo manifeſtam injuſtitiam committeret, cum minus lucrum ex nonaginta, quàm ex centum ſperare, & exigere deberet.

3. Periculum ſortis amittendæ duplex eſt. 1. Commune & ordinarium, quod & ab omni mutuo eſt inſeparabile. 2. Particulare & extraordinarium, quod ab ipſo ſeparari poteſt, & de facto ſeparatur per fidejuſſionem, pignus, vel hypothecam: & tale cenſetur eſſe, dùm pecunia mutuo traditur litigioſo, prodigo, naviganti in mari periculoſo, deferenti merces per hoſtium caſtra, & eas gabellariis non denuncianti, &c. Certum eſt apud omnes, periculum ſortis amittendæ commune & ordinarium non eſſe titulum legitimum aliquid ultra ſortem ſuſcipiendi; tum quia omni mutuo eſt intrinſecum; tum quia plus liceret à pauperibus, quàm à divitibus exigere, contra expreſſam, ac ſæpiùs inculcatam Scripturæ inhibitionem; tum quia nulla unquam fieri poſſet uſura, cum nullum bonum ab hoc periculo poſſit eſſe immune,

Quoad periculum extraordinarium; licet ſpeculativè ſpectatum, legitimus ſit aliquid ultra ſortem exigendi titulus, cum a mutuo ſit ſeparabile, ac pretio æſtimabile, vix unquam realiter admitti poteſt; quia vix

vix unquam ſervantur requiſitæ conditiones. 1. Quod Mutuatarius Fidejuſſorem, aut Pignus, nec dederit, nec obtulerit. 2. Quod defectu Fidejuſſoris, aut Pignoris mutuans rei periculum in ſe ſuſcipiat, ita ut ſi pereat, ſibi ipſi pereat, nec mutuatarius ſimilem teneatur ei reſtituere. 3. Quod mutuans non cogat mutuatarium, ut ipſum pro Fide juſsore ſuſcipiat, alioquin mutuum non daturus, ut hoc prætenſo titulo aliquid ultra ſortem exigat. 4. Quod non plus exigat, quàm poſtulat gravitas periculi, & quam ipſemet alteri daret ad ſeſe à ſimili periculo redimendum. 5. Demùm quòd abſit omninò intentio lucrandi ex mutuo, quæ conditio ſemper, & ubique, & erga omnes titulos neceſſaria eſt; quæque, ſi deſit, ut plerumque contingit, in his, qui numquam mutuarent, ſi lucrum ex mutuo non ſperarent; mentalis erit, & peccaminoſa uſura.

QUÆR. 6. Utrùm, ſecluſis omnibus his titulis, aliqua poſſit eſſe uſura licita?

℞. Præter uſuram lucratoriam, quæ abſque titulo legitimo ſuſcipitur, & compenſatoriam, quæ propter juſtum intereſſe exigitur: alia dicitur pœnalis; dum ſcilicet mutuans, & mutuatarius conveniunt inter ſe, quòd iſte talem ſolvet pecuniam, ſi in mora ſit mutuum reſtituendi tempore aſſignato. Hanc uſuram licitam eſſe, concurrentibus nonnullis conditionibus, cenſent omnes Doctores; cum jus naturale, ac civile omnibus hominibus, etiam privatis, permittant, ut in contrahendo onera ſibi invicem imponant, ad fidelitatem utrobique ſervandam. Conditiones autem neceſſariæ ſunt ſequentes. 1. Quod pœna candidè, & bona fide ſit appoſita, non ut ſuſcipiatur lucrum ex mutuo, ſed ut debitum determinato tempore ſolvatur, ad damnum veriſimiliter eventurum vitandum. 2. Quòd mora ſit culpabilis, ac notabilis, juxta viri prudentis, ac timorati judicium. 3. Quòd mulcta ſit moderata, & culpæ proportionata. 4. Quòd qui deficit in media ſolutionis parte medietatem tantum pœnæ ſubeat.

Porrò licèt pœnam conventionalem ſolvere non teneatur mutuatarius, niſi dum eam mutuator exigit, ad id tamen tenetur in conſcientia, ante quamlibet Judicis ſententiam.

QUÆR. 7. An uſurarii verè fiant uſurarum Domini?

℞. Negativè 1. Quia licet mutuatarius voluntariè tradere videatur auctarium mutuanti; non tamen intendit in illud plus juris concedere, quàm de facto habeat; ideò cum nullum ſit à parte rei, nullum ei conceditur. 2. Quia omnis contractus uſurarius ex legibus eſt irritus, proindeque ad Dominii translationem inſufficiens. 3. Quia nuda traditio, citra titulum, Dominium minimè transfert; atqui ibi nullus eſt titulus, nec donationis, cum auctarium, ut ſupponitur, gratis non detur, nec emptionis, nec venditionis. Ergo &c. Hinc concluditur non ſolum jure canonico, & civili, ut concedunt omnes, ſed & jure naturali uſurarios, eorum hæredes, & cooperatores; nimirùm Proxenetæ, Miniſtri, Factores, Procuratores, Notarii &c. in ſolidum ad reſtitutionem uſurarum diſtrictè teneri.

QUÆR. 8. Utrùm uſurarius mentalis ad reſtitutionem teneatur?

℞. Ad reſtitutionem teneri, ſi mutuatarius augmentum dederit, tamquam debitum, non ex mera gratitudine, & pura liberalitate, quoquomodo mutuans illud acceperit, vel tamquam donum, vel tamquam debitum. Ratio eſt; quia cum non adſit titulus gratuitæ donationis, nulla omninò adeſſe cenſetur; ſicque dominium mutuanti non fuit translatum. In dubio autem, utrùm auctarium datum fuerit liberaliter, vel non, tutior pars eſt eligenda.

De Cambio.

QUÆR. 1. Quid, & quotuplex ſit Cambium?

℞. Cambium eſt *Pecuniæ permutatio cum altera pecunia campſori lucroſa*. Dividitur in fictum, & reale. Cambium fictum, quod ſiccum dicitur, quia humorem ſeu titulum non habet, eſt illud quod Cambii imaginem præſefert, eſtque verum mutuum palliatum; quia nec datur pecunia præſens pro præſenti, nec præſens pro diſtanti, ſed datur ſimpliciter pecunia poſthac cum lucro abſque titulo recipienda. Hoc Cambium tamquam veram uſuram damnavit Sanctus Pius V. in Bulla quæ incipit. *In ea pro noſtro*. Cambium reale ſeu verum eſt illud, in quo revera pecunia præſens cum præſenti, vel præſens cum diſtanti permutatur. Reale autem cambium ſubdividitur in minutum, locale, & temporale. Minutum eſt permutatio pecuniæ majoris valoris cum alia minoris, vel è contra; & in eodem loco facta. Locale ſeu per litteras eſt mutatio pecuniæ præ-

Digitized by Google

præſentis cum diſtanti; Ut dum Campſor dat pecuniam Lugduni, ut eam à Campſario recipiat Pariſiis; vel dum Campſarius pecuniam numerat Lugduni, ut eam recipiat à Campſore Pariſiis. Temporale ſeu ad certum tempus eſt illud, quo datur pecunia hodie v. g. centum, ut intra tres, aut quatuor menſes recipiantur centum & duo.

Adnotatio 48.

(*)

Non inutile erit hic addere aliud cambii genus, quod Obliquum *vocant; ad paliandas uſuras a ſubdolis avariſque hominibus adinventum. cambium iſtud ſic deſcribitur a* Benedicto XIV. de ſyn. *lib.* 10. *c.* 5. *n.* 8. *& ſeqq.* CC. „ *Alia captioſa adinventa eſt ſpecies cambii, quod vocant* Obliquum. Titius *indigent mille aureis, mutuos eos petit a* Cajo, *qui cum conſueverit negotiari, & negotiatione pecuniam ſuam augere, renuit indulgere petitioni* Titii, *a quo ratione mutui nihil exigere poteſt: quia verò* Titins Cajum *urgere non ceſſat, res inter eos in hunc modum componitur:* Titius *mutuos accipit a* Cajo *prædictos mille aureos, neque mutui cauſa quidquam ſe* Cajo *ſoluturum promittit: ut tamen* Cajo *damnum rependat, quod ex dato mutuo ſubit, dat ei facultatem, æquivalentem pecuniæ ſummam, ſive a ſemetipſo, ſive ab alio per cambii contractum, accipiendi; eamque ad negotiationem deſtinandi, ſimulque* Titius *ſe obligat ad ſolvendum* Cajo, *donec ei mutuum reſtituat, quidquid ratione cambii impendit, aut impendere deberet, ſi prædictos mille aureos a Campſore accepiſſet. Quandoque etiam ipſemet* Titius *mutuatarius aſſumit ſibi onus* Cambii, *negotiandi tantam pecuniæ ſummam quantam mutuam accepit a* Cajo, *in commodum tamen, & utilitatem ejuſdem* Caii, *cui quotannis ſolvit quantum ex cambiis lucratur, aut lucrari poſſet, donec ei mutuum reſtituet. Si primo modo res peragatur, pertinet ad* Cajum *mutuantem probare, cambii litteras revera a ſe tranſmiſſas, ſeu mille aureos ſe fuiſſe per cambium ab alio conſecutum. Sed ſi* Titius *mutuatarius, onus in ſe ſuſcepit ſummam, ei æquivalentem, quam a* Cajo *mutuam accepit, cambiis activis negotiandi; tunc, aut ſtetit promiſſis, aut non: ſi primum,* Cajus Creditor *juſtè percipit fructus, ſeu pecuniæ acceſſiones a cambiis productas: ſi ſecundum, quamvis tunc nihil ex cambiis conſequatur, eoſdem tamen fructus a* Titio *requirit titulo* ejus quod intereſt, *ſeu damni, quod ſubit, ex eo quod* Titius *ſuſceptæ obligationi non ſatisfecerit, juxta deciſionem* 829. *Romanæ Rotæ. Et quia hic poſterior modus ſecuriorem reddit mutuantem, cui duplicem aperit viam ad conſequendum auctarium mutuatæ pecuniæ, hac de cauſa frequentius adhibetur. Præmiſſa hac Cambii* Obliqui *notione, quam prabet* Cardin. de Luca *lib.* 5. *tit. de camb. in ſum. p.* 2. *n.* 16., *facile eſt ſuſpicari prædictas involutas ambages eſſe unicè excogitatas ad palliandam uſuram, quæ nihilominus non ſatis occultatur, & magis adhuc apertè ſe prodit, cum contractus ſecundo ex recenſitis modis initur. Quid enim abſurdius, quid incredibilius fingi poteſt, quàm quod* Titius indigens *mille aureis, quos mutuos accipit a* Cajo, *totidem ſtatim habeat paratos ad nundinas tranſmittendos, atque in activa cambia erogandos in mutuantis Caii utilitatem? Et nihilominus non deſunt Auctores, qui pro ejuſmodi cambiorum tuenda juſtitia decertant, inter quos* Cardin. de Luca .... *Verum, quidquid ſit de foro externo, in quo fortaſſe res geſta præſumitur, ſicuti in contractus ſtipulatione deſcribitur; in foro tamen interno, ubi ſola ſpectatur veritas, ſi pecunia accepto mutuo reſpondens, neque a mutuante, neque a mutuatario juxta prædictas diverſas pactiones, fuerit ad nundinas tranſmiſſa, ſeu in cambia activa erogata, nec unquam in alterutrius animo fuit eam ad nundinas tranſmittere, ſeu in cambia erogare; minimè dubitandum eſt, cambium eſſe illicitum, turpe, & uſurarium, ac propterea a Chriſtiana Republica prorſus eliminandum* „ *ſic ille de* Cambio Obliquo, *quod quidem non infrequens eſſe, maximè apud mercatores auditur.*

(*)

QUÆR. 3. Quale Cambium, & quomodo ſit licitum?

R. Licitum eſſe campſoris officium, tum circa locale, tum circa minutum cambium, exercitum; ratio eſt; quia illud *plus* quod accipitur à campſoribus non accipitur ratione pecuniæ, quæ de ſe eſt invendibilis; ſed ratione periculi, vel induſtriæ, vel intereſse; ut ſubveniatur ſalariis Miniſtrorum, locationi domorum, & aliis expenſis. Cavendum eſt tamen, nè plus exigatur, quàm quod juſtum reputatur inter Campſores timoratos, vel quod à viris prudentibus, aut à Republica fuit taxatum.

Campſor autem particularis, qui talis non eſt ex officio, lucrum ex cambio reportare juſtè non poteſt, niſi ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis, aut forſan ratione utilitatis, aut commoditatis, qua fortaſſis ipſemet privatur, hanc aut illam ibi, vel alibi numerando pecuniam; aut demum ratione periculi non ficti, ſed veri, quod incurrit in translatione pecuniæ de Regno in Regnum, vel de Provincia in Provinciam, quæ cum rariſſimè contingant erga Campſorem particularem, dicendum eſt lucrum ex hoc cambio reportatum, ut pluri-

Digitized by Google

plurimum, illicitum eſſe, atque uſurarium. Idem dicendum eſt de Cambio temporali, quod verum eſt mutuum, & ſibi nihil intervenit, quàm pecuniæ carentia ad certum tempus, & hunc titulum inſufficientem eſſe ſuperiùs oſtendimus.

De Cenſu.

QUÆR. 1. Quid, & quotuplex ſit Cenſus?

℞. Eſſe contractum, *quo emitur, & venditur jus certis temporibus penſionem aliquam percipiendi ex re, aut perſona alterius frugifera*. Si enim res eſſet ſterilis: ut pecunia, ad percipiendos fructus ex ea nullum jus comparare poſſumus, eſſetque jus fictitium, & uſura palliata.

Dividitur. 1. Cenſus in reſervativum, & conſignativum ſeu conſervativum. Reſervativus eſt contractus, quo quis alteri transfert rei ſuæ dominium utile, & directum, retento ſibi jure penſionem aliquam percipiendi. Conſignativus eſt contractus, quo quis retento rei ſuæ uſu, ac Dominio conſignat, aut aſſignat alteri jus ad penſionem annuam; vel in fructibus, & dicitur cenſus fructuarius; vel in pecunia, & dicitur pecuniarius.

2. Dividitur in realem, perſonalem, & mixtum. Realis, qui & dicitur Prædiarius, aut Fundarius, fundatur ſuper aliqua re, ex qua penſio debeat ſolvi; quo fit, ut ſi pereat, pereat & cenſus, aut ſi ſubſiſtat, ſubſiſtat & cenſus, ad quemlibet illa pervenerit. Perſonalis verò fundatur in perſona, quæ ſe ſe obligat ad penſionem ſolvendum ex omnibus operibus ſuis, labore, induſtria, aut officio ſuo: Mixtus tandem fundatur ſuper re, & perſona ſimul; ita ut licet res pereat, perſona ſemper obligata maneat.

3. Dividitur in temporalem, & perpetuum. Primus expirat certo tempore; quod ſi illud tempus determinatum eſt, dicitur ſimpliciter temporalis; quod ſi fuerit indeterminatum ad vitam v. g. alicujus perſonæ, vocatur vitalitius. Secundus non terminatur certo annorum curriculo; ſed vi contractus ſemper durat, eſtque vel redimibilis, quatenus ex toto, vel ex parte extingui poteſt per ſummæ capitalis reſuſionem; vel irredimibilis, qui extingui non poteſt.

QUÆR. 2. Utrùm hic contractus ſit licitus?

℞. Nemini dubium eſt cenſum reſervativum licitum eſſe; cum poſſit quilibet rem ſuam in alium transferre, & ex ea modicam ſibi penſionem reſervare. Quæſtio igitur ſola eſſe poteſt de cenſu conſignativo, pecuniario, reali, perſonali, & vitalitio, quos ſub quibuſdam conditionibus licitos eſſe, cum communi Theologorum ſententia, dicimus, & probatur.

1. De cenſu conſignativo, pecuniario, reali, Auctoritate Sum. Pontificum Mart. V. Calliſt. III. Paul. III. & Pii V. qui hunc in Bullis ſuis approbavere contractum, legitimè factum: & ratio eſt; quia hic contractus nihil aliud eſt, quàm emptio, & venditio rei pretio æſtimabilis: Nec minus licitum videtur emere jus percipiendi frumentum, vel pecuniam frumento æquivalentem ex agro alieno, quàm emere jus per hunc agrum tranſeundi; cum utrumque ſit pretio æſtimabile.

Nec obſtat, quòd penſio illa accipiatur ex pecunia data, ſicut & in mutuo; quia non recipitur ex pecunia data, niſi mediatè, & immediatè ex jure empto, quod eſt pretio æſtimabile, ideoque vendibile: unde ſicut qui emit agrum, fructus ex ipſo, legitimè per pecuniam ſuam empto, juſtè percipere poteſt, licèt ex pecunia ſua eos mediatè percipiat, ita qui emit cenſum juſtè penſionem percipit, licet ex pecunia ſua eam mediatè percipiat.

2. De cenſu perſonali probatur; tum quia perſona æquè frugifera eſſe poteſt, ac ipſius bona; tum quia omninò licitum eſt operas ſuas, ac induſtriam elocare; ergo & vendere jus ad fructus inde ſperatos; tum quia ſi decimæ, ac tributa perſonæ juſtè a Principibus imponantur; nihil vetat quominus quilibet ſibi imponat ob juſtum pretium obligationem redditus alteri ſolvendi. Quòd ſi dicas, eodem titulo, uſuram legitimè poſſe committi; dùm quis ſcilicet pecuniam alteri mutuans lucrum ex eo reportare intenderet, non quidem ratione mutui, ſed ratione operæ, ac induſtriæ mutuatarii? Reſp. Uſuram mentalem, quæ ab intentione pendet ſic facilè committi poſſe; ideoque contractum iſtum ab omnibus videri ſuſpectum, ac periculoſum; ſed ſi candidè procedatur eſt legitimus, cum adſit verus titulus. Adde quod mutuans, non autem cenſuiſta, pro libitu ſortem repetere poſſit, ſicque omnia inter ipſos non ſunt paria.

Ad-

Digitized by Google

ADNOTATIO 49.

(*)

Author Gallus ſic loquens de cenſu perſonali præſcindit a Bulla Pii V., illum expreſsè damnantis, utpote in Gallia non recepta. Benedictus *autem XIV. poſt recenſitos* Doctores *non paucos, qui illum, tamquam illicitum damnant, ſic habet in* Op. de Syn. *lib.* 10. *c.* 5. *n.* 5. Sed ſuperfluum eſt cenſum perſonalem novis argumentis inſectari, quem jam proſcripſit S. Pius V. in Conſtitutione *Cum onus*, ubi ad cenſus honeſtatem inter cæteras conditiones, hanc quoque requirit, ut cenſus conſtituatur in re fructifera non qualicumque, ſed immobili, certa, ac nominatim deſignata. Quapropter etiam Auctores, qui cenſum perſonalem, ejus natura inſpecta, ab uſuræ ſuſpicione vindicant, ingenuè tamen fateutur, eum licitè fieri non poſſe, ubi præfata Pii V. Conſtitutio eſt recepta. *Quidquid igitur ſit de Authoribus, de juſtitia, vel injuſtitia cenſuum perſonalium inter ſe conlitigantibus; cavendum eſt, ne tales cenſus ad praxim reducantur contra Pontificia mandata in iis ſaltem regionibus, in quibus recepta fuit, & uſu viget dicta Conſtitutio, quem dabimus in Appendice. In iis autem, in quibus non viget:* ſeriò, *ait* Benedictus, *ibid. ad Epiſcopos*, Fideles monebit (*Epiſcopus*) atque hortabitur, ut a cenſibus perſonalibus abſtineant eo quod, etiam ſola ſpectata eorum indole, uſuræ periculo, & ſuſpicione non vacent.

(*)

3. De cenſu vitalitio probatur; tum ex praxi ubique recepta, tum ex eo quod ſicut in ſupra dictis cenſibus intervenit emptio, & venditio rei pretio æſtimabilis: tum quia ſi vendi poſſit uſusfructus alicujus fundi frugiferi ad vitam uſufructuarii, cur non vendi poteſt ad vitam cenſuiſtæ jus percipiendi penſionem ex re frugifera.

Nec obſtat quòd penſiones annuæ tandem excederent ſortem pro cenſu datam: Idipſum enim accidit in qualibet emptione, ubi fructus agri poſt aliquot annos excedunt pretium pro agro datum: emptio tamen injuſtus non eſt contractus.

QUÆR. 3. Quænam ſint conditiones requiſitæ ad hujus contractus juſtitiam?

℞. Varias à variis Pontificibus aſſignatas fuiſſe; ſed cum eorum Bullæ in omnibus regionibus, maxime in Gallia, uſu non ſint receptæ, conditiones ſolummodò ex jure naturæ requiſitas, & ubique receptas, hic breviter ſubjiciemus.

1. Requiritur, ut ſit juſtum pretium, tum juxta Legum ſtatuta, tum, ſi deſint, juxta timoratorum prudentem exiſtimationem. 2. Ut cenſus creetur numerata jam pecunia; quia jus præſens, fructus ex re aliqua percipiendi abſente pecunia comparare, non juſtum eſt. 3. Ut res, ſupra quam cenſus conſtituitur, ſit in libera diſpoſitione conſtituentis, cum nemo plus juris alteri concedere poſſit, quàm ipſe habeat. 4. Ut ceſſet cenſus obligatio, vel in toto, vel in parte, dùm res, ſupra quam cenſus conſtitutus eſt, in toto, vel in parte periit, aut ſterilis evaſit: ex qua conditione cenſus immunis eſt ab uſura, cujus iniquitas in eo ſita eſt, quòd ex re non frugifera mutuans ultra ſortem aliquid accipiat. 5. Ut cenſuarius non cogatur ad ſolutionem penſionis anticipatam; ſed tantummodò pro rata ratione temporis elapſi; quia, cum hæc ſolutionis anticipatio pretio ſit æſtimabilis, plus ſolveretur, quàm cenſus valet. 6. Ut in cenſu conſignativo non imponatur *pœna commiſſi*; ideſt, quòd res cenſui ſubjecta in dominium cenſuiſtæ tranſeat, ſi cenſuarius ſit in mora ſolvendi; quia pœna eſſet exorbitans. 7. Ut non cogatur cenſuarius cenſum redimere intra certum tempus, & ſummam capitalem reſtituere; ſed id ejus relinquatur arbitrio; aliàs nonnullæ uſuræ ſub hoc pallio committi poſſent.

De Societatis Contractu.

QUÆR. 1. Quid ſit ſocietatis contractus?

℞. Eſſe *Conventionem duorum, vel plurium ſuam partem ad negotiationem conferentium ad commune lucrum, vel damnum inde proveniens, inter ſe dividendum.* Dicitur *conventio*; quia qui, ſine conventione, pecunia, aut induſtria ſua Mercatorem adjuvat, legitimè non poteſt ejus lucro participem fieri. Dicitur *ſuam partem, &c.* ideſt ſive pecuniam, ſive laborem, ſive induſtriam, ſive inſtrumentum, aut aliud quodcumque pretio æſtimabile. Dicitur *ad lucrum aut damnum commune*: nam ſi totum lucrum obveniret illi v. g. qui pecuniam ſubminiſtravit, alteri verò qui contulit induſtriam, ſtipendium pro ſua induſtria aſſignaretur, non foret ſocietas, ſed potius locatio-conductio.

QUÆR. 2. Quænam conditiones ſint requiſitæ ad hujus contractus juſtitiam?

℞. Requiritur. 1. Ut ſinguli ſocii aliquid in commune conferant; ſi enim unus tantum pecuniam, v. gr. conferat, ac tradat cuidam non Mercatori, qui legitima lucrandi

Digitized by Google

crandi arte caret, purum eſt mutuum, ex quo lucrum reportare uſurarium eſt. 2. Ut quod à ſingulis confertur in ſingulorum cedat dominium; ita ut quilibet ſocius fiat totius ſortis in unum collatæ partialiter Dominus, pro rata parte, quam in ſocietate contulit. Secus enim aliquis ſocius lucrum facere poſſet, & nihil perdere. In ſocietate v. gr. ubi unus pecuniam intulit, & alter laborem & induſtriam: ſi pecunia utrique non fieret communis, primus recipere poſſet totum capitale ſimul cum lucro; & ſecundus non niſi partem lucri, ideoque capitale ſuum perderet, laborem ſc. & induſtriam, quam contulit, quod injuſtum eſſet, atque uſurarium. 3. Ut lucrum, damnum, & periculum ex ſocietate provenientia ſociis ſint communia, pro rata parte, quam quilibet contulit. Unde ſi pecunia ab uno ex ſociis collata pereat, ſine levi culpa alterius, perit ei, qui eam contulit; ſicut vice verſa, ſi ſalva unius pecunia labores alterius fructu careant, labores ſuos perdit, qui laboravit. 4. Ut lucri diviſio fiat, ſecundùm proportionem capitalis à ſingulis collati v.g. unus contulit nonaginta libras, & alter laborem, & induſtriam triginta libris æquivalentem; ſicque ſocietatis capitale erit 120. cui ſi lucrum 40. accedat, tota ſumma ad 160. libras perveniet: Ex hac ſumma qui laborem, & induſtriam contulit, ſtatim reportare debet quartam partem lucri, ſcilicet 10. libras; & deinde quartam partem capitalis ſcilicet 30. ſicque alteri, qui pecuniam contulit, ſupererunt 120. libræ. Item dicendum eſt de expenſis ac damnis, quæ cum eadem proportione dividere neceſſe eſt.

QUÆR. 3. Quid ſit triplex contractus, & utrùm licitus?

℞. 1. Per triplicem contractum intelligimus. 1. Contractum ſocietatis. 2. Aſſeverationis ſortis in ſocietatem collatæ. 3. Venditionis lucri majoris ſperati, & incerti pro certo, ſed minori, v.g. Petrus ſocietatem iniit cum Paulo, & ſimul in unum quilibet confert mille aureos ad negotiationem: Sed Petrus timens ne ſui mille aurei caſu pereant, paciſcitur cum Paulo de eorum aſſecuratione; ſub pretio 50. aureorum. Et iterùm volens lucrum negotiationis ſibi aſſecurare, eidem Paulo vendit lucrum à ſe ſperatum, puta 200. aureorum, pro 60. ſicque Petrus certus eſt. 1. De capitali à ſe collato, quod ab omni periculo ſit immune. 2. De quodam lucro, quod in omni eventu ſuſcipere debet.

℞. 2. Hunc contractum illicitum eſſe, ac uſurarium; quod probatur Auct. Sixti V. qui in Bulla *deteſtabilis* edita an. 1586. condemnavit hos, & ſimiles contractus, tamquam *uſurarios, & æquitati ſocietatis contrarios*. Necnon auctoritate Facultatis Pariſienſis, qui ann. 1664. propoſitionem ubi aſſerebatur, hunc contractum eſſe licitum, damnavit tamquam falſam, ſcandaloſam, ad uſuras inducentem, &c. Ratio eſt. 1. Quia per ſortis aſſecurationem tollitur ratio eſſentialis ſocietatis, & contractus degenerat in mutuum; cum pecunia ſic aſſecurata in dominium transeat aſſecurantis: illius ſiquidem rei verus eſt Dominus, qui de ea pro libitu diſponere poteſt; ita ut ſi perierit, ipſi pereat. Certum eſt autem nullum ex mutuo lucrum, niſi uſurarium reportari poſſe. 2. Quia in hoc contractu deeſt præcipua conditio ad legitimam ſocietatem requiſita; nempe quòd lucrum, & damnum omnibus ſociis ſint communia. 3. Quia ſi hic contractus eſſet licitus, ſequeretur quòd qui à ſocio pecuniam reciperet ad negotiandum ex laboribus, & induſtria ſua, duplex damnum pati poſſet; nimirùm operarum ſuarum amiſſarum, & pecuniæ à ſe receptæ; & pecuniam conferens nullum damnum pateretur, cum in omni eventu ſuam haberet pecuniam integram, quod manifeſtè injuſtum eſt. Unde jure ac merito tamquam injuſta, ac uſuraria damnatur à Sixto V. ſocietas animalium; ubi grex 100. ovium traditur Ruſtico ab eo paſcendus, cum hac conditione, ut totus exhibeatur ſalvus, totuſque reparetur, etiamſi caſu perierit, & inſuper ſolvatur aliquid certi pro fructibus ejus.

Dices 1. Hic contractus cum diverſis perſonis initus eſt licitus; ut ſi Petrus det pecuniam ad ſocietatem Paulo, & Joannes Petro Capitale aſſecuret: Ergo licitus eſt cum eadem perſona, cum diverſitas perſonæ aſſecurantis rationem illius contractus non mutet.

℞. Negatur conſequentia, & ratio diſparitatis eſt, quod contractus ſocietatis degeneret in mutuum; quando fit cum eadem perſona, non autem cum diverſa. Nam in primo caſu eadem perſona fit pecuniæ Dominus, cum illam recipiat, ipſi ſoli pereat, & de illa pro libitu diſponat, quod dici non poteſt in ſecundo caſu de aliena perſona tantummodò aſſecurans.

Dices. 2. In contractu commodati, & locationis partes convenire poſſunt inter ſe, ut commodatarius, aut locatarius rem

Digitized by Google

commodatam, aut locatam Domino ejus aſſecuret; & ipſius rei ſumat in ſe periculum: Ergo idem fieri poteſt ſocietate.

℞. Illam conventionem eſſe præter, non contra naturam contractuum commodati, & locationis; ſed omninò eſt contraria naturæ ſocietatis, ubi ſraterna ſervari debet æqualitas, proindeque lucra, & damna debent eſse æqualia. Huc accedit, quòd commodatarius, & locatarius non poſſint de re commodata, & locata diſponere; bene quidem ſocius ſortem aſſecurans: unde iſte verus cenſetur Dominus rei aſſecuratæ, non autem alii.

Adnotatio 50.

(*)

Poſt etiam Sixti *Conſtitutionem non defuerunt Theologi, qui contractum trinum, tamquam licitum defendere conati ſunt. Hos enumerat* Benedictus *XIV. in cit. lib* 10. *c.* 7. *n.* 3. *& ſeqq., quorum Opinionem minus* Sixtinæ *Conſtitutioni congruere exiſtimat; hortaturque Epiſcopos, ut pro viribus impediant ſuos ſubditos ab ineundo tali contractu, quem ejus quoque Patroni, periculoſum in praxi fatentur. De cætero, cum* Sixtus *in prædicta* Conſtitution: Deteſtabilis, *omnes eos contractus ſocietatis, in quibus, non eadem æqualitas lucri, & damni ſervatur tamquam uſuram ſapientes damnaverit, mirum eſt, quod adhuc Theologi pro honeſtate trini contractus, tam acriter decertare velint. En verba Pontificis a laudata* Conſtitutione *excerpta, e quibus facilè quiſque poterit cognoſcere an trinus contractus damnatus expreſsè fuerit, necne.* „ *Multi ſpeciosum, & honeſtum*
„ *ſocietatis nomen ſuis fœneratitiis contractibus*
„ *prætexendo; hoc, quaſi colore, & fuco Mer-*
„ *catoribus, Opificibus, & Negotiatoribus, &*
„ *aliis perſonis . . . . pecunias ſuas, & alias*
„ *res, ſocietatis nomine conferunt . . . ea con-*
„ *ditione, ut ſors ipſa, ſeu capitale, tam pe-*
„ *cuniarum, quàm animalium, & rerum, ſal-*
„ *vum ſemper, & integrum exiſtat pro eo, qui,*
„ *non induſtriam, aut operas, ſed pecunias, &*
„ *animalia, aut res ejuſmodi in ſocietatem con-*
„ *fert, ut omne periculum, & damnum ab al-*
„ *tero ſocio recipiente ſuſtineatur, contra æqui-*
„ *tatem, & ſocietatis juſtitiam diverſimodè*
„ *paciſcuntur. Eos denique ſocios, cum quibus*
„ *contrahunt, plerumque pauperes, & egenos,*
„ *ſuoque labore, & induſtria victitantes, qui-*
„ *cumque tandem caſus, & rerum eventus con-*
„ *ſequatur, pacto, & obligatione conſtringunt,*
„ *ſimulque etiam certi lucri quantitatem &*
„ *ſummam, veluti tot, pro quolibet centenario*
„ *in ſingulos annos, aut menſes per alterum*
„ *ſocium, durante ſocietate ſolvendum præfi-*
„ *niunt, ac præſcribunt . . . Proinde nos hu-*
„ *juſmodi morbi contagium, antequam in com-*
„ *munem Fidelium perniciem ſerpat, quantum*
„ *Deo favente poſſumus, tollere cupientes, de*
„ *attributæ nobis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudi-*
„ *ne, hoc noſtra perpetuo velitura Conſtitutio-*
„ *ne.* Damnamus, reprobamus, & omnes quo-
„ ſcumque contractus, conventiones, & pa-
„ ctiones poſthac ineundas, ſeu ineundos *per*
„ *quos, ſeu quas cavebitur perſonis, pecunias,*
„ *animalia, aut quaslibet alias res ſocietatis*
„ *nomine tradentibus, ut etiam ſi fortuito caſu*
„ *quamlibet jacturam, damnum, aut amiſſio-*
„ *nem ſequi contingat, ſors ipſa, ſeu capitale*
„ ſemper ſalvum ſit, *& integrum a ſocio re*
„ *ſtituatur: ſive, ut de certa quantitate, vel*
„ *ſumma in ſingulos annos, aut menſes, du-*
„ *rante ſocietate reſpondeatur: Statuimuſque hu-*
„ *juſmodi contractus, conventiones, & pactio-*
„ *nes*, uſurarios, & illicitos *poſthac cenſeri*
„ *debere: atque in poſterum non licere iis, qui*
„ *pecunias, vel animalia, aut alias res in ſo-*
„ *cietatem tradent* de certo lucro, *ut præfer-*
„ *tur, perficiendo inter ſe paciſci, & concor-*
„ *dare, neque etiam, ſive ad certum, ſive ad*
„ *incertum lucrum convenerint, ſocios, qui ea*
„ *recipient, ad ſortem ſive capitale ſalvum, &*
„ *integrum, ubi illud caſu fortuito perierit,*
„ *vel amiſſum erit, quovis pacto, aut promiſſio-*
„ *ne ſibi obligare. Ac ne de cetero ſocietates ine-*
„ *antur ſub hujuſmodi pactis, & conditioni-*
„ *bus, quæ* uſurariam pravitatem ſapiunt, di-
„ rectè interdicimus, & prohibemus „ *&c.*

Hæc ſummus Pontifex pro tollendis abuſibus, qui in contractibus ſocietatis irrepere ſolent, atque profligandis ſubterfugiis illis quibus contractus merè uſurarios ſubdoli homines, atque avari palliare, & cohoneſtare conantur. Citatam Conſtitutionem ſerio, & ingenuè perpendant, qui trinum Contractum tamquam non uſurarium, & damnatum ſuſtinere, & defendere ſatagunt.

(*)

QUÆR. 4. Quid ſit contractus Mohatra an ſit licitus?

℞. Eſt *contractus venditionis ſummo pretio, cum pacto retrovenditionis pretio infimo.* Aliquis v. g. pecunia indigens, quam dives ei mutuò dare non vult; ſed ut ipſius neceſſitati ſubveniat, ipſi creditò vendit quaſdam merces ſummo pretio 109. l. ſed quia iſte non mercibus, ſed pecunia indiget, ſtatim eas eidem Mercatori revendit ſcilicet 100. libris, quas Mercator ipſi tunc numerat, & cum obligatione reddendi infra annum novem vel decem libras. Iſte contractus ab Innoc. XI. damnatus eſt; & jure merito, quia cum fiat ſimul, & de induſtria inter eaſdem perſonas, cum intentione lucri, nihil aliud eſt, quàm mutuum 100. librarum, cum obligatione poſthac reſtituendi 100. & 10.

De

De Ludo.

QUÆR. 1. Quid, & quotuplex ſit ludus, & an licitus?

℞. Ludus eſt *contractus, quo de certo pretio victori ſolvendo inter ſe ludentes conveniunt.* Alius eſt, qui à ſola fortuna regitur: alius, qui ſolo ingenio, ſolaque induſtria regitur: alius, qui partim induſtria, partim fortuna regitur; ut alibi dictum eſt. Nullus ludus jure naturæ per ſe illicitus eſt; tum quia non ſit, ut ſupponitur, contra liberam legitimi Domini voluntatem; tum quia cuilibet licitum eſt rem ſuam periculo exponere, ut patet in contractu ſocietatis; tum quia non eſt contra rationem ſpem lucri fortunæ committere; cum nullum Chriſtianum lateat, quod nomine fortunæ Dei providentia intelligatur.

Dixi 1. *Jure naturæ*: Nam jure poſitivo, tum canonico, tum civili, ludus qui à ſola fortuna, aut modica induſtria regitur; ludus ſcilicet Alearum, tam Laicis, quàm Clericis eſt prohibitus; ut patet ex Can. Epiſc. 1. Diſt. 36. & ex Cod. l. 3. *de Aleatoribus* & ex multis Regum Franciæ edictis maxime Henr. III. an. 1577. & Lud. XIII. an. 1611. & cum pœnæ contra Aleatores, in his Decretis ac Edictis latæ, ſint graviſſimæ, *privatio* ſcilicet *communionis* &c. ſignum eſt Aleatores quoslibet peccati mortalis eſſe reos; niſi tamen à mortali excuſet, tùm intentionis ſimplicitas, qua quis non ſeriò, ſed jocosè ludit, tum brevitas temporis in ludo conſumpti, tum parvitas pecuniæ ludo expoſitæ.

Dixi 2. *Per ſe*; quia per accidens ludus etiam qui ſola induſtria regitur, poteſt eſſe illicitus, & mortaliter peccaminoſus. 1. Dùm quis ludit non ex intentione honeſtè ſe ſe recreandi, ſed ex gravi avaritia, & vehementi lucrandi deſiderio. 2. Dùm ludo notabilis quoad ſtatum ſuum ſumma exponitur. 3. Dùm in eo notabile tempus conſumit. 4. Dùm propter eum à debitis officiis notabiliter ſe retrahit. 5. Dùm graviter peccandi propter eum periculo ſe committit. 6. Dùm conditiones ex juſtitia in ludo requiſitas non ſervat.

QUÆR. 2. Quænam ſint in ludo conditiones requiſitæ?

℞. Septem aſſignari poſſunt. 1. Quòd colludentes liberam adminiſtrationem habeant bonorum, quæ ludo exponunt, alioquin neuter colludentium lucrari poteſt; & ſi lucrum faciat, ad reſtitutionem tenetur. 2. Quòd ſerventur Leges, quas vel ipſi colludentes, vel conſuetudo ſtatuit. 3. Quòd in ludo abſit omnis fraus, vel dolus. 4. Quòd nullus aut vi, aut minis, aut precibus importunis ad ludum cogatur, ſive in principio ludi, ſive poſtquam colludens lucratus eſt; alioquin ſocius cogens perdere quidem poterit, cum contractus ex parte ejus ſit voluntarius, non verò lucrari. 5. Quòd qui defectu pecuniæ perdere non poteſt, nec etiam lucrari valeat. 6. Quòd utrinque ſit perdendi æquale periculum: unde qui de victoria certus eſt, nihil lucrari poteſt, & ſi vicerit ad reſtitutionem tenetur. Idem dicendum eſt de eo, qui in ludo inexpertum ſe ſimulans, alium ad ludum fraudulenter attrahit, quia fraus, & dolus nemini patrocinantur.

QUÆR. 3. Utrùm bona per ludum Alearum comparata, ante Judicis ſententiam ſint reſtituenda?

℞. Concedunt omnes Doctores hæc bona, non ſolum poſt Judicis ſententiam eſſe reſtituenda, ſed & eum, qui ludo alearum aliquid perdidit, & non ſolvit, ad ſolutionem minimè teneri; quia, cum poſſit juxta Leges in Aleatores latas ſummam perditam coram Judice repetere, poteſt etiam nondum ſolutam denegare, cum juxta regulam juris: cui conceditur actio repetendi, datur & exceptio nè det exigenti. Sola igitur quæſtio eſt, utrùm per ludum Alearum, à legibus prohibitum, verè lucranti transferatur dominium. Probabilius videtur non transferri in Gallia, & lucrantem ad reſtitutionem teneri (non quidem colludenti qui Leges infringendo reſtitutionis indignus eſt, ſed pauperibus) ante Judicis ſententiam; quia Leges Galliæ non ſolùm hunc ludum prohibent, ſed & verè irritant, ut videre eſt in Edicto Ludov. XIII. Edito an. 1611. ubi ſic legitur: *Declarons toutes dettes contractées par le jeu nulles, & toutes obligations faites par le jeu, quelques deguiſées qu'elles ſoient, nulles & de nul effet, & dechargès de toutes obligations civilles & naturelles.* Ideò cum Leges poſitivæ contractus; alioquin jure naturali validos, nullos reddere poſſint propter bonum commune; conſequens eſt, invalidum eſſe Alearum ludum, & per hunc contractum dominium rei lucratæ colluſori lucranti minimè transferri.

QUÆSTIO II.

De Injuria.

(*)

Propoſitiones Damnatæ in materia Furti.

1. „ Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi. „ Damnata fuit ab Innoc. XI. an. 1679. „ Eſt in ordine 36.
2. „ Famuli, & Famulæ domeſticæ poſſunt „ occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem „ judicant ſalario, quod recipiunt. Ab eodem. Eſt 37.
3. „ Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna „ ſumma totalis. Ab eodem. Eſt 38.
4. (*Poteſt Uxor Viro ſurripere pecuniam, etiam ad ludendum, ſi mulier talis conditionis ſit, ut ludus honeſtus pari loco cum alimentis, ac victu habeatur*. Damnata fuit a Clero Gallicano. Eſt 47.)
5. „ Etiam ſi donatario perſpectum ſit bona „ ſibi donata fuiſſe a quopiam ea mente, „ ut creditores fruſtrentur, non tenetur reſtituere, niſi eam donationem ſuaſerit, „ vel ad eam induxerit. Ab eodem Innoc. „ Eſt 50.
6. „ Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in „ favorem unius præ alio. Damnata fuit „ ab Alexandro VII. an. 1665. Eſt 26.
7. „ Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati, Ab Innoc. XI. 1679. Eſt 39.

(*)

INjuria, prout hic ſumitur, quatenus ſcilicet juri eſt oppoſita, rectè definitur: *Alterius juris violatio abſque cauſa legitima*.

Dicitur 1. *Alterius juris violatio*; Juris nimirum, vel in re, vel ad rem: unde non minus contra juſtitiam peccaret, nec reſtitutioni minus eſſet obnoxius, qui aliquem impediret à conſecutione Officii, aut dignitatis, ad quam præſentatus, aut electus eſt, quàm ſi jam eam pacificè poſſideret. Imò licèt quis nullum prorſus jus ſtrictum, vel in re, vel ad rem haberet, ſed meram tantummodò eam impetrandi poteſtatem, abſque vera injuſtitia, ad reſtitutionem obliganti, ab ejus conſecutione vi, dolo, fraudibus, minis, aut precibus moleſtis, ac importunis impediri non poſſet. Quæ reſtitutio facienda eſt juxta ſpem majorem, vel minorem doni obtinendi, attentis omnibus circumſtantiis.

Dixi: vi, dolo, fraudibus, &c. Qui enim conſilio tantùm, moderatis precibus; ſuaſione, blanditiis, alterum induceret, ut bonum quòd Petro v. g. dare decreverat, ſibi aut amico conferat, nihil reſtituere tenetur; cum libertatem dare volentis minimè per hoc læderet: Peccaret tamen contra caritatem, ſi ex odio, aut vindicta id faceret, ut patet.

Dicitur 2. *Abſque cauſa legitima*. Quia, ſi adeſſet legitima, nulla prorſus eſſet injuria; ut ſi à furibundo gladium auferas, vel apud te retineas. Item ex regula juris: *Scienti & ſponte volenti, ac valenti juri ſuo cedere non fit injuria*. Quæ verba diligenter ſunt notanda; nam 1. Qui ex errore, vel ignorantia jus ſuum violari permitteret: 2. Qui neceſſitate tantùm, vel metu conſentiret; prout in ſolvente uſuras, aut burſam latroni porrigente contingit. 3. Qui dominium plenum in bona ſua non haberet, ut Pupillus; his omnibus, licet quodammodo volentibus, & conſentientibus, vera inferretur injuria, & eorum bona auferentes ad reſtitutionem tenerentur.

Porrò cum ex vera ac propriè dicta injuria ſuboriatur reſtitutionis obligatio; de injuria, & reſtitutione hic nobis eſt agendum, tum in communi, tum in particulari.

ARTICULUS I.

De Injuria, & Reſtitutione in communi.

REſtitutio, quæ idem ſonat, ac alicujus rei in priſtinum ſtatum repoſitio, propriè ſumpta definitur: *Actus juſtitiæ commutativæ, quo res alterius redditur, vel damnum ei illatum reparatur*.

Dicitur 1. *Juſtitiæ commutativæ*; quia in reſtitutione ſervari debet æqualitas rei ad rem, adeò ut tantùm reddatur, aut reparetur, quantùm ablatum fuit ad damnificatum.

Dicitur 2. *Res alterius*, per quod differt tum à ſatisfactione propriè dicta, quæ perſonam offenſam reſpicit, nec rigidam exigit æqualitatem, tum à ſolutione ſtrictè ſumpta, cum fiat ex proprio ſolventis; reſtitutio

ſtitutio verò ex proprio recipientis. Unde pretii exhibitio pro æquo, proprie eſt ſolutio, non autem reſtitutio: è contra depoſiti redditio reſtitutio eſt, non ſolutio.

Dicitur 3. *Damnum illatum reparatur*; quia non minus violatur juſtitia alienum deſtruendo, quàm alienum auferendo, proindeque juſtitia non minùs exigit, ut proximus in rei damnificatione indemniſetur, quàm in ejuſdem ablatione, aut retentione.

De reſtitutione inquirendum eſt. 1. Ex quibus oriatur capitibus. 2. Quænam ſint ejus circumſtantiæ. 3. Qualis ſit ejus neceſſitas.

§. 1. *Ex quibus capitibus oriatur reſtitutionis obligatio.*

Not. 1. TRes recenſeri poſſe titulos reſtitutionis propriè dictæ. 1. Injuſta acceptio; dùm quis furto abſtulit rem alienam, ſive eam ſibi ſervet, ſive alteri tradat, ſive eam diſſipet aut deſtruat. 2. Injuſta retentio, dum quis rem, quam novit eſſe alienam, apud ſe retinet, ſive ſua culpa, ſive titulo apparenter juſto eam obtinuerit. 3. Injuſta damnificatio; dum quis culpabiliter damnum proximo intulit, domum ejus incendendo, ſegetes vaſtando, &c. quia licet per hoc ſibi non profuerit, alteri tamen nocuit, & perinde ſe habet erga illum, ac ſi ejus bona in ſui commodum abſtuliſſet.

Not. 2. Reſtitutionis latè ſumptæ pro ſolutione duo recenſetur tituli. 1. Eſt contractus, ſecundùm quem teneris ex juſtitia cum altero contrahente æqualitatem ſervare. 2. Eſt munus, aut officium aliquod, quod juſtè, & rectè erga alios teneris exercere; ut Officium Tutoris, Advocati, Conſiliarii, Paſtoris, Confeſſarii, Medici, Chirurgi, aut Artificis.

Not. 3. Cum omnis reſtitutionis obligatio fundetur in quadam injuria, vel culpa, ſciendum eſt quotuplex ſit culpa ad reſtitutionem obligans. Alia dicitur Theologica ſeu Moralis contra Legem Dei, quæ verè peccatum eſt mortale, aut veniale: Alia dicitur Civilis ſeu juridica, eſtque nonnulla incircumſpectio ſeu negligentia, ex qua damnum oritur proximo, ſive per hanc Deus offendatur, ſive non. Porrò triplex eſt culpa juridica. 1. Lata, & craſſa, quæ eſt omiſſio diligentiæ ab omnibus hujus artis, aut conditionis paſſim & communiter adhibitæ; ut ſi quis rem ſibi commodatam in loco exponat publico, ex quo à tranſeunte ſubripiatur. 2. Levis, quæ eſt omiſſio diligentiæ, quam prudentiores ſolent adhibere; ut ſi quis rem commodatam relinquat in cella ſua, non clauſo oſtio. 3. Leviſſima, quæ eſt omiſſio diligentiæ à prudentiſſimis, ac vigilantiſſimis adhibitæ, ut ſi quis cellæ ſuæ claudat quidem oſtium, ſed non obſervet, utrùm ſera bene fuerit inducta. His notatis nonnulla quæruntur breviter exponenda.

QUÆR. 1. Utrùm grave damnum ex culpa levi Theologica illatum in integrum reſtituere tenemur? Dixi, ex culpa levi; nam ſi nulla adſit culpa, nos ad nihil teneri, aut ſi gravis fuerit, ad totum damnum reſarciendum teneri, ultrò omnes concedunt.

R. Totum damnum ex levi noſtra culpa illatum, cum proprio noſtro incommodo reſarcire, nos non teneri; ſed tantummodò partem ejus pro rata ratione gravitatis culpæ. Ratio eſt, quia non tenemur damnum alterius reparare, niſi in quantum nobis eſt imputabile; Ergo ſi leviter nobis eſt imputabile, nulla eſſe poteſt niſi levis obligatio. Deinde ubi nulla eſt injuſtitia, nulla eſt reſtituendi obligatio; & ubi gravis eſt injuſtitia, item gravis eſt reſtituendi obligatio; ergo ubi levis eſt injuſtitia, levis erit ejuſmodi obligatio; cum reſtitutionis obligatio in injuſtitia ſit fundata.

Dixi *cum proprio noſtro incommodo*. Nam ſi totum damnum commodè reſarcire poſſimus, ratio poſtulat, ut proximum penitùs indemniſare ſatagamus. Ubi obiter obſervandum eſt rariſſimè contingere, quod peccetur tantum venialiter per actionem grave damnum proximo inferentem; tum quia in actibus externis, quæ fortius animum pulſant, adeſt ut plurimum advertentia ad peccatum mortale ſufficiens; tum quia ad mortale ſufficit confuſa periculi cognitio, vel diligentiùs advertendi obligatio, quæ per actum notabilem facilè in mente excitatur: unde ordinariè præſumendum eſt actionem grave damnum proximo inferentem mortalem eſſe.

QUÆR. 2. Ex qua culpa oriatur in contractu reſtitutionis obligatio?

R. Non ſolùm ex culpa Theologica, ſed & ex ſola juridica oritur in contractibus reſtitutionis obligatio, quia contrahentes contractuum Legibus in conſcientia ſtare tenentur; utpote qui contrahendo has Leges tacitè ſaltem acceptaverint. Hæ autem Leges tales ſunt.

1. Si contractus cedat in ſolius recipientis

Digitized by Google

tis utilitatem, ut Commodatum; recipiens rem reſtituere tenetur, ſi perierit ex ſua culpa, etiam leviſſima, non autem ex caſu fortuito; niſi aut pactum ſpeciale, aut mora reſtituendi interceſſerit. Quod ſi *precarium* fuerit, recipiens reſtituere non tenetur, niſi ex ſua culpa lata, quæ in jure dolo æquivalet, perierit. In mutuo autem res perit mutuario, etiam abſque ſua qualibet culpa, quia vi mutui hujus rei factus eſt Dominus, & rem Domino ſuo perire neceſſe eſt.

2. Si contractus in gratiam ſolius dantis cedat, ut depoſitum; rei detentor ad reſtitutionem non tenetur, niſi ex culpa lata; niſi pro depoſito ſe ſe obtulerit, vel de pretio pro re depoſita cuſtodienda convenerit; quia tunc ex culpa, etiam levi, teneretur reſtituere. Imò ſi à deponente repetita fuerit, & non reddita, detentor ad reſtitutionem teneretur, ſi fortuito caſu periret, quia tunc eſſet in culpa.

3. Si contractus in utriuſque cedat utilitatem, ut locatio; locatarius ad reſtitutionem tenetur ex culpa lata, & levi, non verò ex leviſſima, niſi ex alio contractu virtuali aliter ſit ſtatutum; ut in Nautis, Aurigis, Tabellariis, & Hoſpitibus contingit, qui adventantium ac viatorum bona cuſtodire tenentur: hi omnes reſtitutioni ſunt obnoxii, etiam ex culpa leviſſima.

QUÆR. 3. Ex qua culpa oriatur reſtitutionis obligatio ratione Officii?

℞. Cum diſtinctione: vel enim Officiales munus ſuum exercent pro ſtipendio, & ex juſtitia, vel gratis ex ſola caritate. Si primum reſtituere, aut damnum reſarcire tenentur ex culpa lata, & levi, non verò ex leviſſima; niſi tamquam in ſua arte peritiſſimos quærenti ſeſe obtulerint; tunc enim tenentur reſtituere etiam ex culpa leviſſima, ob pactum ſaltem implicitum majoris ſolito diligentiæ adhibendæ. Si ſecundum, tenentur tantummodò damnum reſarcire ex lata culpa illatum. Quæ omnia conſtant ex Legibus præallatis de Contractibus, tum ex una parte, tum utrimque gratioſis.

§. II. *De reſtitutionis circumſtantiis.*

Not. SEptem vulgò numerantur reſtitutionis circumſtantiæ. *Qui*, *Cui*, *Quid*, *Quantum*, *Ubi*, *Quomodo*, *Quando*, *reſtituere teneatur*. Quæ omnia ſeorſim exponemus: Igitur

QUÆR. 1. Quis reſtituere teneatur?

℞. Ultra principalem damnificantem, ad reſtitutionem tenetur quicumque directè, vel indirectè, poſitivè, vel privativè damno cooperatur; ita ut ejuſdem cauſa ſit, vel phyſica, vel moralis, juxta illud Apoſtoli. Rom. 1. *Non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Efficaces autem cooperatores, his verſibus comprehenduntur.

Juſſio, *Conſilium*, *Conſenſus*, *Palpo*, *Recurſus*,
Participans, *Mutus*, *non Obſtans*, *non Manifeſtans*.

Jubens, ſeu Mandans tenetur ad reſtitutionem, ſive expreſsè mandaverit, ſive tacitè tantum, aut implicitè; ut ſi vir præpotens oſtenderit violentiam, aut injuriam ſibi gratam futuram. Item ſive mandans præcipiendi auctoritate polleat, ſive non; uno verbo, quovis mandet modo in damnum illatum efficaciter influenti; ita ut mandatum ſit cauſa illius. Imò taliter mandans non tantùm tenetur ad damnum reſarciendum, quod de facto juſſit, ſed etiam ad illud quod prævidere poterat; ut ſi juſſiſſet Petrum fuſtibus tantùm graviter cædi, qui tamen occiſus fuit. Quod ſi mandatum efficaciter revocaſſet, ad reſtitutionem non teneretur; quia tunc mandatarius non vi mandati, ſed propria malitia damnum intuliſſe cenſeretur. Dixi *efficaciter*; nam ſi defectu nuntii, v. gr. mandatarius revocationem non recepit, & interim mandatum exequatur; mandans de damno ſecuto tenetur, cum ejus mandatum in damnum illatum de facto influxerit.

Conſulens, ideſt, quicumque ad damnificationem alterum movet & allicit, damnificationis media, utilitatem, facilitatem, ſecuritatem, aut juſtitiam proponendo; is æque, ac mandans ad reſtitutionem tenetur; cum non minus ad damnificationem conſilium influat, quàm mandatum. Inter utrumque tamen illud diſcriminis intercedit, quòd, licèt conſulens conſilium ſuum revocaverit, à damnorum reſtitutione minimè liberatur, ſicut dictum eſt ſupra de mandante. Ratio diſparitatis eſt, quòd mandatarius non agat ſuo, ſed mandantis nomine; ideò mandato jam revocato mandans non cenſetur amplius in actionem influere. Qui verò recepit conſilium, non agit conſulentis nomine, ſed ſuo: unde licet conſulens conſilium revocet; ſi tamen motivum operandi ab ipſo propoſitum in mente damnificantis; uti ſæpe contingit, remaneat, & illum ad damnificationem inducat, conſulens cenſetur cauſa illius.

Con-

Digitized by Google

Conſentiens; ideſt, favens, approbans, ſuffragium ferens, reſtitutioni eſt obnoxius, dum ab ejus conſenſu, favore, approbatione, vel ſuffragio pendet, ut injuſta actio fiat, vel non fiat. Ejus generis ſunt. 1. Principum conſiliarii, qui ſuffragium ferunt pro bello injuſto. 2. Duces, qui militibus vici, aut familiæ deprædationem injuſtè poſtulantibus permittunt. 3. Magiſtratus, qui annonas cariùs, quàm par eſt, publicè vendi permittunt: Judices qui damnationi innocentis etiam ultimi, ideſt completo ſuffragiorum numero requiſito, ſubſcribunt; quia tenentur collegas ſuos ab injuſta ſententia, in quantum poſſunt, revocare, &c.

Palpo ſeu adulator, qui laudando, applaudendo, commendando; offenſum irridendo, ignaviam exprobrando, injuriam exagerando, nobilitatem exponendo, &c. alterum impellit ad damnum inferendum, ad reſtitutionem tenetur; ſi ejus adulatio in damnificationem efficaciter influat. Nec opus eſt, quòd per hanc adulationem ad damnificationem alterum impellere propoſuerit; ſufficit enim, quòd præviderit, aut prævidere debuerit ex ſua adulatione ſecuturam eſſe, aut natam eſſe ſequi damnificationem.

Recurſum præbens, ſeu receptator malefactoris, reſtitutioni eſt obnoxius; ſi ipſi, quatenus malefactori, patrocinium præſtiterit, ipſum protegendo, hoſpitio recipiendo, inſtrumenta ſervando, prædas emendo, aut cuſtodiendo, &c. Dixi, *quatenus malefactori*. Nam qui malefactorem reciperet, ut quemlibet alium, titulo amicitiæ, aut officii publici; imò qui compaſſionis motivo, eumdem à ſatellitibus quæſitum abſconderet, ad reſtitutionem non teneretur; quia ſic recipiens nullatenus eſt cauſa acceptionis, vel detentionis injuſtæ, nec in eam influit. Excipe tamen, ſi recipiens ex officio teneretur malefactorem apprehendere; vel niſi conſtaret malefactorem ſumpturum inde occaſionem nova damna inferendi; vel niſi fugeret malefactor, nè reſtitutionem facere cogeretur.

Participans ad reſtitutionem tenetur, non ſolum is, qui in crimine participat, ſcalas deferendo, claves adulterinas fabricando, excubias agendo, &c. ſed & qui partem prædæ, quam furtivam novit, recipit, aut conſumit, mortaliter peccat, & ad reſtitutionem tenetur partis à ſe conſumptæ, licet ex ea non factus ſit ditior.

Mutus, qui tacet; cum loquendo, ſtrepitum edendo, conſilium aut præceptum dando, impedire poteſt, ne alteri damnum inferatur.

Non obſtans, qui auxilium & operam ad damnum impediendum præſtare omittit.

Non manifeſtans, qui commiſſum, aut comittendum latrocinium non detegit, ſive ut damnum impediatur, ſive ut reparetur: hi omnes ad reſtitutionem tenentur. 1. Si ex juſtitia loqui, obſtare, aut manifeſtare teneantur. 2. Si re ipſa damnum non impedicrint. 3. Si rationabiliter impedire potuerint, & abſque imminenti & gravi, aut rerum ſuarum aut vitæ, periculo. Hinc

Reſolv. Teneri ad reſtitutionem. 1. Cuſtodes ſylvarum, vinearum, gabellarum, &c. permittentes auferri, aut deprædari ſuæ cuſtodiæ commiſſa. 2. Belli duces, Magiſtratus, Patres-familias, aut alii Superiores non impedientes rapinas, uſuras, fraudes, monopolia, furta ſuorum ſubditorum. 3. Famuli latrocinia conſervorum ſuorum, aut aliorum non manifeſtantes. 4. Permittentes animalia ſua proximi bonis damnum inferre, &c. Porro hi omnes novem cooperatores ad reſtitutionem in ſolidum tenentur; cum in injuſtam rei alienæ, vel acceptionem, vel detentionem, vel damnificationem influant; licèt nonnulli magis ad eam, quàm alii teneantur; Circa quod

QUÆR. 2. Quo ordine cooperatores ad reſtitutionem teneantur? Antequam reſpondeam

Obſervandum eſt, eum dici primo loco teneri ad reſtitutionem, qui ſic ad eam tenetur, ut ipſo reſtituente cæteri à reſtitutionis onere fiant immunes; & alio reſtituente ipſe eidem, quod ſolvit, refundere teneatur. Secundo autem loco teneri dicitur, qui cum jam reſtitutionem fecit, cæteri fiant immunes, excepto primo, & ſic de aliis. Demum in eodem gradu teneri dicuntur, qui æqualiter obligantur; ita ut ſi nullus deficiat, teneantur ſinguli ad aliquam partem; aut ſi aliquis eorum totum reſtituat, alii ſinguli ejuſdem ordinis huic refundere tenentur eam partem, quam debebant pro ratione influxus ſui. Hoc notato,

℞. Circa hanc quæſtionem nonnullas aſſignari regulas ab omnibus recepias, quarum

Prima eſt: quòd ante omnes alios reſtituere teneatur ille, apud quem extat res ablata; quia onus reſtituendi ratione rei acceptæ primum ſemper eſt ac naturale, cum res ubicumque ſit, ſemper clamet Domino ſuo.

2. Ubi

Digitized by Google

2. Ubi plures adſunt æqualiter damnificantes, ut plures præcipientes, plures mandantes, plures exequentes, &c. tenentur ad reſtitutionem in eodem ordine; quia nulla eſt ratio, ut ſupponitur, cur unus ad plus teneatur, quàm alius.

3. Inter eos, qui inæqualiter damnum intulerunt; Primo loco tenetur præcipiens, quia licet phyſicè non operetur, communi tamen hominum exiſtimatione cenſetur principalis auctor, & cæteri, ejus tantummodò quaſi inſtrumenta. Idem dicendum eſt de eo, qui minis, fraude, precibus importunis, pretio coegit aut induxit, ad damnum alteri inferendum; cum in actione principalis agens cenſeatur.

4. Poſt præcipientem ſubſequitur exequens, qui conſulentem, & alios præcedit, cum egerit phyſicè, & reſpectu eorum proprio nomine damnum intulerit.

5. Poſt iſtum accedunt poſitivè cooperatores, Conſulens ſcilicet, Conſentiens, Palpo, & Receptans, qui omnes in eodem ordine ad reſtitutionem tenentur, cum eodem modo in damnificationem influant. Sive enim conſulas, ſive conſentias, ſive aduleris, aut receptes, nihil aliud facis, quàm animare, incitare, & impellere executorem, ut ſuo nomine damnum inferat. Æquum tamen eſt, ut inter hos cooperatores, qui fortiùs, efficaciùſve exequentem movit, ad majorem reſtitutionis partem teneatur. Quoad Participantem; ſi in præda participaverit, tenetur, ut dictum eſt, ad eam partem, quam participavit. Quod ſi participaverit in actione damnificativa, pari modo obligatur, ac exequens, ut patet.

6. Subſequuntur negativè cooperantes, Mutus, non Obſtans, non Manifeſtans. Evidens eſt enim prius reſtitutionem competere ei, qui poſitivè actionem injuſtam poſuit, quàm qui eam non impedivit. Porrò hi omnes negativè cooperatores pari gradu, & ordine ad reſtitutionem tenentur; quia ſive quis taceat videntem furem, ſive non obſtet, ſive non manifeſtet, nihil aliud facit, quàm poſitionem operis, quod impedire tenebatur, permittere. Certum eſt tamen cuſtodes particulares, quibus cura rerum immediatiùs competit, prius ad reſtitutionem teneri, quàm Cuſtodes generales, Prætores ſcilicet, aut Magiſtratus.

QUÆR. 2. Cui, quod, quantum ſit reſtituendum?

℟. Satis patet; Domino, vel Dominum repræſentanti, vel poſſeſſori juſto v. g. Depoſitario, Commodatario, &c. reſtituendum eſſe, quod ablatum, injuſtè retentum, aut damnificatum eſt; & hoc quidem ad juſtam æqualitatem; imò & damnum emergens, ac lucrum ceſſans, ſi ex illata injuria ſecutum fuerit. Nec qui rem furtivam, etiam bona fide, emit, ubi furtivam eſſe cognovit, furi reddere poteſt ad pretium recuperandum; ſed ipſius rei Domino, à quo nihil exigere poteſt; quia res ubicumque ſit, clamat Domino ſuo; nec abſque injuria res ipſius in ſtatu deteriori poni poteſt: poneretur autem in ſtatu deteriori, ſi redderetur furi: Ergo, &c.

QUÆR. 4. Ubi, quomodo, & quando ſit reſtituendum?

℟. Injuſtus rei detentor propriis expenſis reſtituere tenetur rem ſic detentam, in loco ubi Dominus eam erat poſſeſſurus; non per partes, ſed totam ſimul, ſi poſſit, ſimul reſtituere debet: & prius reſtituere tenetur, cæteris paribus, anterioribus, quàm poſterioribus damnificatis, prius indigentibus, quàm non indigentibus, &c. & hoc quidem, quàm primum fieri poteſt, abſque longè graviori incommodo, quod pateretur damnificatus.

§. 1. *De Reſtitutionis neceſſitate.*

Not. 1. REſtitutionem ita neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti; ut ſine ea, dum culpabiliter omittitur, ſalus obtineri nequeat, juxta Domini præceptum Matt. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, & D. Aug. oraculum Epiſt. 54. ad Maced. *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*. Ex quo ſequitur reſtitutionem de die in diem procraſtinantes abſque juſta cauſa, verſari in continuo peccato, quod ſingulis ereſcit momentis; teneriqne ad omne intereſſe, inde Domino emergens: Imo quoties alicujus menti occurrit ſe alienum detinere, & non ſolvere, aut reddere proponit, toties novum mortale peccatum committit.

ADNOTATIO 51.
(*)

Quamquam negari nequeat, toties Debitorem novum committere peccatum, quoties proponit non reddere, aut ſolvere alienum male detentum; attamen quæri poſſet, an ſint tot numero peccata phyſicè, vel ſolum moraliter diſtincta, quot ſunt propoſita ab ipſo non ſolvendi renovata. Multi rationabiliter, & forſan probabiliùs cenſent, iſta peccata eſſe quidem phyſicè diſtincta, ſed omnia confluere in unum morale, gravius quidem, & neceſſariò in confeſſione exprimendum.

Digitized by Google

mendum. Paritatem exponunt de eo, qui, cum Hoſtem interimere decreverit. tot quidem peccata phyſicè multiplicat, quot vices, quibus propoſitum renovat, arma ſumit, ipſumque inſequitur. Hæc tamen peccata, phyſicè interrupta, cum eundem finem reſpiciant, atque ad ipſum dirigantur, ad unicum crimen, gravius quidem efformandum concurrunt. Sic pariter de Debitore, qui jam reſoluto animo, alienum non reddere decrevit, licèt poſſit. Excipe tamen, ſi per pœnitentiam, aut aliquo alio æquivalenti modo, reum propoſitum revocaverit. In tali enim caſu, tot abſque dubio, eſſent peccata moraliter diſtincta, quot eſſent poſt retractationem propoſita renovata.

(*)

Not. 2. Reſtitutionem neceſſitate medii non eſſe neceſſariam: nam qui, vel invincibiliter ignorat ſe ad reſtitutionem teneri, vel factus eſt impotens; abſque ea ſalutem obtineri poteſt, ſi deſiderium efficax reſtituendi in corde retineat: unde in textu Auguſtini mox citati additur: *ſed ut dixi, cum reſtitui poteſt*. Circa quod

QUÆR. 1. Quænam ſint cauſæ legitimæ à reſtitutionis onere eximentes?

℞. Quinque aſſignari poſſe: Impotentia, non ſolum phyſica, ſed & moralis; Grave detrimentum ipſiuſmet Creditoris, aut alicujus tertii: Detrimentum proprii boni ſuperioris ordinis: Creditoris remiſſio: Bonorum ſuorum ceſſio, igitur

1. Moralis impotentia, quamdiu perſeverat, à reſtitutione excuſat; dùm ſcilicet fieri non poteſt quin debitor longè majus detrimentum ex ea patiatur; quàm creditor ex ejus dilatione. Ratio eſt, quia tunc creditor rationabiliter eſſet invitus; cum juſtè vellet, ut ita ſecum ageretur, ſi eſſet debitor: Hinc

Reſolv. 1. Non teneri debitorem domum, aut villam multo minoris vendere, quàm valeat, ad debita ſolvenda: Nec ſtatus ſui jacturam notabilem incurrere, ſi ſtatus juſtè fuit acquiſitus, non uſuris, fraudibus, & ſimilibus: Tenetur tamen quilibet debitor diligenter adlaborare, & ad honeſtam mediocritatem ſe ſe reducere, ut debita quàm primùm ſolvere poſſit. Quòd ſi verò ex reſtitutionis dilatione tantùm patiatur creditor, quantùm ex reſtitutione debitor, iſte ſtatim reſtituere tenetur; cum potior ſit creditoris, quàm debitoris conditio.

2. Grave detrimentum ipſiuſmet creditoris, aut alicujus tertii à reſtitutione excuſat. Si v. gr. quis debitum repeteret ad peccandum, vel contra caritatem, vel contra caſtitatem, vel contra juſtitiam, &c.

3. Detrimentum notabile proprii boni ſuperioris ordinis; famæ ſcilicet, vitæ, corporis ſanitatis, aut libertatis à reſtitutione excuſat. Unde nec mulier adultera, nec falſus teſtis, &c. crimen ſuum aperire tenentur, ad damnum illatum reparandum; ſi metus ſit, nè ex hac revelatione ipſiſmet grave detrimentum in fama, fortunæ bonis, &c. patiantur.

ADNOTATIO 52.

(*)

Ad plenam hujuſce 3. Reſolut. intelligentiam, obſervandum eſt duo eſſe bonorum genera in ſua latitudine accepta; ſpiritualia ſcilicet, & temporalia. Hæc autem in triplici gradu accipiuntur, & dividuntur, ſecundum triplicem eorum valorem, & exiſtimationem. In primo gradu ponuntur Vita, Libertas, & Corporis membra. In ſecundo, Honor, & Fama. In tertio autem, Divitiæ, & cætera bona, quæ fortunæ nuncupantur. Pro vario igitur iſtorum bonorum gradu variè diſſerendum eſt circa Reſtitutionem, de qua agitur. Si Reſtitutio fieri nequit niſi cum jactura proprii boni ordinis ſuperioris, v. gr. Famæ, Vitæ, in comparatione ad alia Fortunæ bona, tunc nulla adeſt obligatio Reſtitutionem exequendi. Si vero fieri poteſt abſque tali jactura, tunc ſtrictè tenemur ipſam perficere. Verum igitur eſt, quod nec mulier adultera, nec falſus Teſtis, ut Author ait, proprium crimen revelare tenentur ad damnum inlatum alteri reparandum, dummodo intelligas, ſi ex hac revelatione longè gravius damnum ſibi in bonis ſuperioris ordinis, puta, in Vita, Fama &c. prudenter timeretur: & hoc ſenſu accipienda ſunt ultima hujuſce Reſolutionis verba. Sed aliter dicendum eſſet, ſi damnum, quod prudenter timetur, aut prævidetur, eſſet inferioris ordinis, quàm illud, quod alteri injuſtè inlatum eſt; nam tunc & Mulier, & Teſtis (idem dic de cæteris) crimen proprium aperire tenerentur ad reparationem damni alteri incuſſi. Sed quid, ſi tantum Inferens, quantum Suſtinens damnum in eodem verſarentur periculo? Tunc Inferens, cæteris paribus, cum propria jactura alterius jacturam reparare teneri Theologi ſapientiores communiter docent. Sic in pari Cauſa Detractor cum propriæ famæ detrimento, famam Proximi ab ipſo læſam reſarcire tenetur. Et ratio eſt, quia Infamator, alterum injuſtè diffamando jus amiſit ad propriam tuendam famam cum ipſius detrimento; cum vim, & injuriam patiens illam inferenti ſemper ſit præferendus. Dixi cæteris paribus, & in pari cauſa: *quia ſi Detractor eſſet altioris ordinis; v.g. Princeps, Eques magni nominis &c., & Læſus eſſet ordinis longè inferioris, puta; Ruſticus, Agaſo, Famulus &c. tunc ille ab onere reſtitutionis cenſendus eſſet immunis,*

munis; cum hæc cum tanto onere obligare non cenſeatur. Adde, quod Diffamatus in caſu injuſtè Reſtitutionem exigeret, quæ parum ſibi reſpectivè prodeſſet, alteri vero magnum detrimentum inferret. Circumſtantiæ igitur Perſonarum in his, & ſimilibus caſibus ſemper ſunt a prudenti Theologo conſiderandæ. Hæc ad Auctoris noſtri mentem clariùs adſequendam; quam tamen & ipſe ſufficienter palam fecit in art. ſeq. §. 5. QUÆR. 8.

(*)

4. Creditoris remiſſio ab onere reſtitutionis eximit, modò verè ſit libera; ita ut nulla intercedat violentia, metus, fraus, vexatio, timor reverentialis, moleſtia creditoris, auctoritas, aut timor totum debitum perdendi, niſi ad aliquam partem fiat compoſitio. Remiſſio ſiquidem, utpote quædam donatio, debet eſſe omninò liberalis, & gratuita; quæ ſi non ſit, remanet ſemper reſtitutionis obligatio, dùm creditor ad fortunam pinguiorem redierit.

5. Bonorum ceſſio, qua quis, debitis omnibus ſolvendis inſufficiens, bona ſua creditoribus dividenda relinquit, à reſtitutione liberat; modò creditores in id liberè conſentiant, ac ſincerè reſiduæ ſolutioni renuntient; ſed cum ordinariè; niſi ſemi-coacti id faciant, hæc bonorum ceſſio non impedit, quominus debitores teneantur pro ſua conditione laborare, ut integrè debita ſolvant ex bonis, magis favente fortuna, de novo à ſe comparatis; extractis tamen prius, pro ſua, ſuorumque honeſta ſuſtentatione, neceſſariis.

QUÆR. 2. Utrùm reſtitutio, commiſſa perſonæ non ſuſpectæ, à facienda ſecunda reſtitutione liberet, ſi res ad verum Dominum non pervenerit.

R. Cum diſtinctione; vel res bona fide fuit detenta, vel injuſtè accepta. Si primum, debitor à ſecunda reſtitutione eſt immunis; modo nullam ſortuito caſui, reſtitutionem impedienti, cauſam præbuerit: excepto tamen mutuo, quòd Dominio debitoris ſemper ſubjacet, donec ad Mutuatorem pervenerit; res autem, ut ſæpius dictum eſt, perit Domino ſuo; niſi forſan ipſemet Mutuator perſonam, per quam res ſibi remitteretur, elegerit, quia tunc cauſa eſt cur perierit. Si ſecundum, inquit D. Antoninus, &c. debitor à ſecunda reſtitutione facienda non eſt immunis; quia qui rem injuſtè detinet, aut ſubripuit, culpabiliter caſibus fortuitis ſe ſe commiſit. Excipe tamen caſum, quo rem Domino, tempore, locoque opportuno obtuliſſet, & ille recipere noluiſſet. Plura, ſi libuerit, apud auctores videantur.

ARTICULUS II.

De Injuria, & Reſtitutione in particulari.

Multipliciter inferri poteſt injuria, proindeque reſtitutionis obligatio nobis incumbere poteſt ratione multiplici, videlicet ratione ſecreti proditi, ratione mendacii, ratione bonorum, tum animæ, tum corporis, tum fortunæ, tum denique famæ, aut honoris; De quibus, ſequentibus Paragraphis, hic nobis breviter reſtat agendum.

§. 1. *De Injuria, & Reſtitutione ratione ſecreti proditi.*

Not. Violari ſecretum, non ſolùm, dùm res aliqua expreſsè, vel tacitè ſub ſecreto commiſſa eſt, aut audiens ſecretum promiſit; ſed etiam dùm abſque commiſſione, aut promiſſione alicujus rei ſecretæ revelatio in proximi vergit detrimentum. Secreti autem violatio grave peccatum eſt ex genere ſuo contra caritatem, qua quis tenetur, ne alteri quis faciat, quod ſibi fieri non vult; & contra ipſammet juſtitiam, obligatque ad reſtitutionem, ſi inde proximus in bonis vitæ, famæ vel fortunæ damnum aliquod patiatur; cum ad hæc verum jus habeat, maximè ſi acceſſerit tacita, vel expreſſa conventio ſecretum commiſſum ſervandi, quæ eſt quaſi promiſſionis contractus, graviter in re gravi ex juſtitia obligans: Hinc

Reſolv. Graviter peccare cum reſtitutionis onere. 1. Qui caſu fortuito ſcientes occultam pecuniam alterius illam revelant, quo fit ut à latronibus ſubripiatur. 2. Qui proximi ſecretum explorant, vel ad januam auſcultando, vel epiſtolas clauſas aperiendo, aut apertas legendo, dùm in ſecreto loco ſervantur; quia jus habet quilibet ad ſuum ſecretum. 3. Superiores, Conſiliarii, Advocati, Medici, imo & amici, quibus conſilii, vel auxilii petendi gratia ſecretum committitur, peccant graviter, ac reſtitutioni ſunt obnoxii, ſi ſecreta ſibi commiſſa revelant, quia vi officii ſui, ac muneris cenſentur ad ſilentium ſe obligare.

QUÆR. Quænam ſint cauſæ ab injuſta violatione ſecreti excuſantes?

R. Quatuor recenſeri poſſunt. 1. Si ſecretum commiſſum nullius ſit momenti.

2. Si

2. Si ipſum jam fuit aliundè propalatum. 3. Si ejus cuſtodia in damnum commune, aut alicujus innocentis cederet. 4. Si ſervari non poſſet abſque gravi, vel illius cui commiſſum eſt, vel illius, qui illud commiſit, nocumento.

§. 2. *De Injuria, & Reſtitutione ratione Mendacii.*

Not. 1. MEndacium eſſe *locutionem*, *ſeu quamlibet ſignificationem contra mentem*, *cum animo decipiendi*. Dicitur, *qualibet ſignificatio*; Non ſolùm enim verbo, ſed etiam nutu, ſcripto, & facto mentiri poſſumus. Dicitur *contra mentem*, quia ad mendacium opus eſt, ut id, quod dicitur, falſum putetur, licèt forſan verum ſit: ſicut è contra is non mentitur, qui falſum dicit, quod verum eſſe putat. Dicitur *cum animo decipiendi*; ideſt cum intentione ſuadendi id, quod menti ſuæ contrarium eſt: alioquin nugari potius eſſet, quàm mentiri; ut ſi quis diceret nolens id ſuadere: *Per feneſtram me dabo præcipitem*, *ſi id mihi non concedas.*

Not. 2. Dividitur. 1. Mendacium in periculoſum, quod infert alteri nocumentum; officioſum, quo proximum juvare proponimus; & jocoſum, quo ipſi placere, adulari, aut delectationem afferre intendimus. Utrumque autem officioſum nempe, & jocoſum verum eſt mendacium; quia licèt hæc mendacia proferens proximi juvamen, aut delectationem ſibi proponat, cum tamen nec juvet, nec delectetur, niſi fallendo; ideſt contrarium menti ſuæ ſuadendo, verè ſemper mentitur. 2. Mendacium dividitur in formale ſeu expreſſum, & æquivalens. Primum fit ab eo, qui aliquid expreſsè dicit contra mentem; Secundum fit ab eo, qui ad decipiendum reſtrictionibus mentalibus, aut terminis æquivocis, aut amphibologicis utitur. Circa quod

Not. 3. Reſtrictionem mentalem eſſe locutionem ad alium ſenſum, quem de ſe habet, ab ipſo loquente reſtrictam, mediante quadam gloſula interiùs à ſe intenta: ut ſi quis pauperi eleemoſynam petenti reſpondeat: *non habeo*, interius intendendo, *ad tibi erogandum*. Reſtrictio alia eſt purè mentalis, atque inſenſibilis: Alia latè mentalis, ſeu ſenſibilis. Prima in ſola mente omninò latet, nec ullis ſignis, verbis, aut circumſtantiis, aut uſu communi, ab audiente nullatenus dignoſci poteſt: ſecunda è contra facilè ex ſupradictis obſervatur à quolibet mediocrem intelligentiam habenti. Exempli gratia: Si interroganti, miſſa à te nondum celebrata, utrum celebraveris; reſpondeas, *celebravi*, ſubintelligendo *heri*: tunc eſt reſtrictio purè mentalis. Quòd ſi cujuſdam viri nobilis famulus reſpondeat Dominum ſuum inviſenti; *Dominus abeſt*, qui tamen adeſt, ſubintelligendo ut videatur; tunc eſt reſtrictio latè mentalis; quia facilè quilibet intelligere poteſt ex uſu communi apud Nobiles, Dominum vel de facto non adeſſe, vel impeditum eſſe.

Not. 4. Propoſitiones æquivocas eas eſſe, quæ diverſos ſenſus admittunt, unum primariò, alterum ſecundariò; unum litteralem, alterum ſpiritualem. Idem de propoſitionibus æquivocis, ac de reſtrictionibus dicendum venit. Sunt enim propoſitiones, quarum æquivocationem quilibet facilè ex circumſtantiis intelligere poteſt; ut dum Chriſtus Dominus dicebat ſe eſſe vitam veram, Agnum Dei, &c. Sicut nonnullæ adſunt, quarum æquivocatio non percipitur; ut ſi loquens de ſtatura cujuſdam parvi doctoris, dicas ipſum eſſe virum magnum. His notatis

QUÆR. 1. Utrùm mendacium ſit licitum?

R. Nullo caſu etiam in graviſſima, & extrema neceſſitate mentiri licet. Mendacium ſiquidem non ſolùm veritati Dei, ſed & juſtitiæ contrarium eſt, cum proximum decipiendi intentionem importet, legeſque ſocietatis humanæ infringat, ſecundùm quas veritas debetur cuilibet interroganti, aut nobiſcum obloquenti: unde jure ac merito docet Auguſt. lib. contra mendacium C. 26. eum qui baptizari non poſſet, niſi cuſtodibus mendacio deceptis, Baptiſmum potius ſibi eſſe prætermittendum.

QUÆR. 2. Quandonam mendscium veniale ſit, aut mortale?

R. Certum eſt apud omnes ex D. Auguſt. In Pſal. 5. *Duo eſſe genera mendaciorum, in quibus non eſt magna culpa, ſed tamen non ſunt ſine culpa, cum aut jocamur, aut, ut proſimus, mentimur.* Ratio eſt, quia veritati, non niſi leviter repugnant, cum caritati graviter non opponuntur. Pernicioſum autem mendacium mortale eſt ex genere ſuo, & ad reſtitutionem obligat; quia caritati ſimul ac juſtitiæ repugnat. Idem dicendum eſt de mendaciis contra Religionem pugnantibus, quæ ſemper mortalia ſunt: ſic qui in Confeſſione mentitur circa Confeſſionis ſuæ materiam letha-

Digitized by Google

lethalem incurrit culpam; utpote qui Sacramento gravem inferat injuriam. Dixi, *circa confeſſionis ſuæ materiam*; nec enim mortaliter peccaret, qui circa aliquam levem circumſtantiam, non neceſſariam, mentiretur. Item Concionator culpa mortali eſſet obnoxius, qui circa doctrinalem materiam mentiretur, falſas indulgentias proponeret, falſa miracula annunciaret, alicujus Sancti vitam fingeret, &c. quia Religionem ludibrio ſic exponeret, & gravem Deo, cujus perſonam gerit, injuriam inferret. Dixi circa materiam doctrinalem; ſi enim diceret ſe aliquid vidiſſe quod non vidit, ad doctrinam non ſpectans, à gravi peccato excuſari poſſet.

QUÆR. 3. Utrùm liceat uti reſtrictione, aut æquivocatione purè mentali?

℟. Reſtrictione, aut æquivocatione purè mentali, atque inſenſibili numquam uti licet; utpote quæ vera ſint mendacia.

Prob. 1. Auctoritate Inn. XI. damnantis prop. 26. Ubi docetur eum, qui talibus utitur reſtrictionibus, aut æquivocationibus *revera non mentiri*. 2. Ratione evidenti, quia purè mentalis reſtrictio nihil prorſus immutat, aut emendat in ſimplici verborum ſignificatione: unde ſi quis Miſſa non celebrata reſpondeat interroganti, *celebravi* ſubintelligendo *heri*, æque mentitur, ac ſi nihil interius ſubintelligeret. Deinde ideò mendacium eſt intrinſecè malum, quia adverſatur fini, propter quem verba à Deo ſunt inſtituta; mutua ſcilicet cogitationum communicatio; & quia per ipſum proximum decipimus: atqui reſtrictio purè mentalis huic inſtitutioni non minùs adverſatur, nec per eam minus inevitabiliter proximos decipimus. Ergo &c.

Nec refert. 1. Quod qui reſtrictione purè mentali utitur, mentiri non intendat. Intendit enim decipere, & de facto inevitabiliter decipit. Nec refert. 2. Quod verba externa juxta conceptum internum verum ſignificent; quia ſi verum ſignificent ipſimet loquenti; non ſignificant audienti; ſic, licet loquens non ſibimet mentiatur, mentitur tamen proximo ſuo, de quo eſt quæſtio.

QUÆR. 4. Utrùm uti liceat reſtrictionibus, aut æquivocationibus latè mentalibus ſeu ſenſibilibus?

℟. Ex gravi cauſa liceret; ut patet exemplo Chriſti Domini, qui ſe non aſcenſurum ad diem feſtum dicebat Diſcipulis ſuis, licet poſtea aſcenderit, ſubintelligens *vobiſcum manifeſtè*; & diem judicii ſe neſcire, ſubintelligens, *ad vobis illum revelandum*; ſeu *tamquam legatus à parte miſſus*: quas reſtrictiones facilè poterant Diſcipuli intelligere; cum probè ſcirent Chriſtum Dominum legis ceremonias fideliſſimè obſervare, ac Deum eſſe omniſcium, nihilque ipſum latere: ex qua cognitione ſenſum locutionis ejus, licet ſubobſcurum, poterant, ac debebant percipere.

Potiſſima hujus aſſertionis ratio eſt; quia reſtrictio latè mentalis non eſt mendacium; ſed prudens veritatis occultatio: ille ſiquidem non mentitur, qui nec contra mentem ſuam loquitur, nec proximum decipit, ſed qui æquivocationem latè mentalem adhibet contra mentem ſuam non loquitur, ut patet, nec proximum decipit. Licet enim, niſi obſcurè, mentem ſuam proximo non aperiat, attentis tamen circumſtantiis materiæ, loci, temporis, vel perſonæ interrogatæ, aut interrogantis, proximus eum, ut ſupponitur, percipere poteſt ac debet; & ſi eam non perceperit, inſcitiæ ſuæ, aut temeritati &c. imputare debet. Deinde fatentur omnes, Confeſſarios, Secretarios, &c. interrogatos de rebus ſibi confeſſis, aut ſibi commiſſis, poſſe affirmare ſe eas neſcire; quod utique facere non poſſunt, abſque reſtrictione latè mentali, ſubintelligendo nimirum, *quatenus homines particulares*. Ergo &c. Huic noſtræ aſſertioni

Non obſtat. 1. Condemnatio prop. ſupra allatæ ab Inn. XI. Siquidem Sum. Pontifex eam non damnavit, niſi ad ſenſum auctorum, qui licitam dicebant reſtrictionem purè mentalem, quam & nos damnamus. Nec obſtant 2. nonnulli Sanctorum Patrum textus docentium, eum verè mentiri, qui non reſpondet juxta mentem ſeu expectationem interrogantis; alioquin ſequeretur Chriſtum Dominum fuiſſe mentitum: unde dicendum eſt eum, qui reſtrictionem latè mentalem adhibet, ſubobſcurè ſaltem, juxta mentem, & expectationem interrogantis, aut ſecum obloquentis reſpondere. Nec obſtat 3. quòd reſtrictio latè mentalis humanæ converſationis Legibus ſit contraria, non enim hæ Leges obligant ſemper clarè, & apertè mentem noſtram, aut ſecreta noſtra revelare. Sufficit ad commercium humanum, ut loquamur eo ſenſu, quem facilè ex circumſtantiis proximus colligere poteſt ac debet.

Dixi in aſſertione; ſolummodò ex gravi cauſa licere æquivocationibus uti late mentalibus. Levis namque cauſa, ne v. g. ſecretum

cretum

Digitized by Google

cretum frivolum aperiatnr, ne Scholares, aut Domeſtici corrigantnr, ne amico diſpliceamns, &c. à veniali non excuſat; imò nec quandoque à mortali; dnm gravis nimirùm inſtat obligatio nudè veritatem aperiendi, nt ſi juſtè ac legitimè à Judice fuetis interrogatns. Ratio eſt non quidem qnòd ſimiles æquivocationes, ant reſtrictiones vera ſint mendacia; ſed quia Leges conſortii humani poſtulant, ut quiſque veritatem ſimpliciter, juſtè interroganti, aperiat; niſi alioquin eam celandi obſtet gravis, ac rationabilis neceſſitas.

§. 3. *De Injuria, & Reſtitutione in bonis animi.*

Not. ANimi bona duplicis ſnnt generis, ſupernatnralia ſcilicet, & naturalia. Supernaturalia ſnnt gratia, & dona Spiritus Sancti eam ſubſequentia; natnralia verò memoria, intellectus, ſcientia, ars, & ſimilia, de quibus

QUÆR. 1. Utrùm qui alium ad peccandum induxit ad reſtitutionem, erga ipſummet inductum, teneatur.

℞. Cum diſtinctione. Si vi, vel metu, vel fraude alium ad peccandum induxit, ex jnſtitia tenetur non ſolum efficaciter laborare, ut ſeductns pœnitentiam agat; ſed & damnum temporale ipſi ſeducto illatnm reparare. Ratio eſt, quia fraus, vis, aut metus injuriam habet annexam, proindeque reſtitutionis obligationem inducit. Nec refert, quòd ſeductus voluntariè peccaverit; ſufficit enim ad ſtatnendam injnriam, ut opus ejus ſecundùm quid ita ſit involuntarium; ut ſi metus, vis, vel fraus non adeſſet; opus minimè fieret.

Quòd ſi verò conſilio tantùm, aliove modo, à vi, metu, vel fraude, diſtincto, aliquis proximum in peccatum induxerit, tenetur quidem ex caritate eum à peccato, in quantùm poteſt, retrahere; ſed non ex jnſtitia, nec proinde damnum temporale ſibimet illatum compenſare; cum omninò voluntariè peccaverit: excipe tamen, ſi inducens inducti eſſet Superior, qui ex officio, proindeqne ex juſtitia, tenetur ſubditorum ſnornm ſalnti invigilare.

QUÆR. 2. Ad qnid teneatur, qui alterum in errorem indnxit?

℞. Si quis ex ſtipendio, vel Officio collato, aut gratis aſſumpto onus inſtrnendi ſuſcepit in his, qnæ ſpectant, vel ad fidem, vel ad mores, vel ad aliquam ſcientiam, aut artem, quales ſunt Prædicatores, Confeſſarii, Doctores, Advocati, Medici, Profeſſores Theologiæ, Philoſophiæ, Grammaticæ, Magiſtri artis cujuslibet, vel liberalis, vel mechanicæ; tenetur omnia damna, tum ſpiritnalia, tum temporalia ex falſa ſua inſtructione orta reſarcire; ſive id temeritate ſua, ſive negligentia, aut ignorantia, & etiam leviter culpabili, contigerit; quia tnnc veram intulit injuriam, & verè factus eſt alienæ damnificationis cauſa juſta. Privatus autem homo, qui alterum in errorem ſno induxit conſilio, ad nullam tenetur indemniſationem; cum proximum inſtruere non teneatur ex juſtitia; proindeque, qui damnum ex errore ſibi omninò voluntario paſſus eſt, temeritati ſuæ debet imputare.

QUÆR. 3. Ad quid teneatur, qui in potentiis animæ, memoria, aut ratione, proximum læſit?

℞. Ipſum non teneri ad pecuniæ ſolutionem, cum ſupradictæ potentiæ ita ſint ſuperioris ordinis, ut nullis fortunæ bonis compenſari valeant. Sed proculdubiò tenetur temporale damnum inde ortum reparare, ut per ſe patet, & mox fuſiùs exponemus.

§. 4. *De Injuria, & Reſtitutione in bonis corporis.*

Nota. INter bona corporis, vita, ſanitas, membrorum integritas, libertas, clauſtrum virginale, & pudicitia recenſentur. Per occiſionem vitæ infertur injuria, per verberationem, aliove modo ſanitati; per mutilationem membrorum integritati; per incarcerationem libertati; per ſtuprum, & violentiam virginitati, & pudicitiæ. Circa quæ innumeræ propemodùm agitantur quæſtiones, inter quas ad praxim magis neceſſarias ſolita brevitate diſcutiemns.

QUÆR. 1. An & quomodò malefactores liceat occidere?

℞. Malefactores occidere non licet, niſi auctoritate publica; & ordinariè niſi ſervato ordine juris. Prima pars patet; quia ſolus Deus Dominus eſt vitæ, vel necis, proindeque nullus mortem inferri poteſt, niſi is, qui ejus Perſonam gerit, ejuſque auctoritate pollet. Ideò nec Marito licet Uxorem in adulterio deprehenſam occidere, prout definivit Alex. VII. nec ſubdito Principem ſuum tyrannicè ſe gerentem; pront definivit Conc. Coſtantienſe. Imò nec privato licet Principem Regni, aut Sta-

tus

tur uſurpatorem occidere; niſi id ſtatuerit, aut permiſerit Reſpublica; quia intrinſecè malum eſt auctoritate privata quemlibet occidere, proindeque nullo caſu licitum.

Quòd autem ordinariè opus ſit ſervare ordinem juris, probatur ex eo quòd auctoritas publica legitimè exerceri non poteſt abſque ſcientia item publica, quæ niſi ſervando ordinem juris acquiri minimè poteſt. Unde peccaret graviter Judex, qui eum, quem probè novit Reum, juberet occidi, niſi tal's ſecundum allegata, & probata probatus fuiſſet. Dixi *ordinariè*. Nam ſi quis Malefactor deprehendi non poſſet, vel ſi ipſemet juſtitiæ Miniſtrum in foro publico occidere vellet, vel ſi aliis maleſactoribus terrorem incutere expediret, ut in Bello ſæpius contingit, ſine alia forma occidere liceret.

QUÆR. 2. An auctoritate etiam publica Innocentem liceat occidere?

R. Nullo caſu licere, etiam auctoritate publica, innocentem *per ſe directè & ex intentione* occidere; quia publica auctoritas nullam aliam in vitam ſubditorum ſuorum auctoritatem habet, quàm eam, quæ ſibi à Deo fuit collata; atqui non ſolùm Deus hanc Reipublicæ non dedit auctoritatem, ſed expreſsè inhibuit, dicens, Exod. 23. *Inſontem, & juſtum non occides*; Ergo. Unde Innocentem Tyranno tradere non licet; etiamſi totius immineret urbis excidium, quia Innocentis occiſio non minus mala eſt intrinſecè, quàm fornicatio, aut adulterium. Poſſet tamen auctoritas publica Innocentem jubere, ut Tyranno ſe le offerat; cum ad hoc teneatur ex caritate erga patriam: quod ſi nollet, eo ipſo reus fieret, ſicque poſſet invitus tradi, aut ex Civitate ejici. Dixi per ſe directè & ex intentione; Indirecta ſiquidem Innocentis occiſio quandoque licita eſt, ſi ex juſta fiat neceſſitate, nec mors Innocentis intendatur; ſed aliud immediatus, & bonus effectus. Sic in bello licet turrim evertere, in qua ſunt Innocentes, ſi aliter hoſtes Reip. vinci non poſſint: ſic licitum eſt contra injuſtum invaſorem ſe defendere, licet timeatur ne in hac defenſione pereat Innocens, quem invaſor inſtar clypei objicit; quia jus turrim nocivam evertendi, aut ab invaſore ſe defendendi non perit, ob periculum Innocentis accidentaliter annexum, & non intentum.

QUÆR. 3. Utrùm liceat ſe ipſum occidere, aut mutilare?

R. Nullo caſu licitum eſt ſe ipſum directè occidere; quia, ut dictum eſt, ſolus Deus vitæ, ac necis eſt Dominus, & homo tantùm depoſitarius. Adde quod per præceptum *non occides*, omnis occiſio rectæ rationi repugnans prohibeatur; nihil autem rationi magis repugnat, quàm ſuicidium. Unde Aug. lib. 1. de Civ. Dei, ait: *Hoc aſſerimus, hoc omnibus modis approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere*. Hinc mortaliter peccaret; qui morti inevitabili pro amico ſe ſe exponeret; qui peſte infectus ſe ipſum trucidaret, ne aliis noceret; qui ad proprium, aut alienum peccatum præcavendum, ad ſtuprum, aut ignominiam, aut grave tormentum vitandum, ſe ſe interimeret; quia ſuicidium non eſt medium ad hæc vitanda ordinatum, nec mala facienda ſunt, ut eveniant bona.

Nec obſtat 1. Reſponſioni exemplum Samſonis, ſe ipſum cum hoſtibus domus ruina opprimentis; nec Eleazari ſe cum elephante, cui Rex hoſtium inſidere putabat, interficientis; nec quarumdam Virginum, quæ ad vitandum ſtuprum præcipites ſe dederunt. Samſon ſiquidem, teſte Aug. l. 1. de Civ. c. 21. inſtinctu divino id fecit: Eleazarus ſperabat poſſe evadere, ſi elephans in alteram partem caderet: Virgines autem illæ ex ignorantia forſitan invincibili putabant ſuicidium in hac circumſtantia licitum eſſe. Nec obſtat 2. illud Joan. 3. *Debemus pro fratribus animas ponere*. Senſus enim hujuſce loci eſt, quòd debeamus, ſicut Chriſtus Dominus, mortem aliundè nobis illatam pro ſalute proximi patienter tolerare, non autem nobis eam directè inferre.

R. 2. Nullo caſu licitam eſſe ſui ipſius mutilationem, niſi ad conſervationem totius, ob ſupradictam rationem; quia nimirum homo membrorum ſuorum non eſt Dominus, ſed ſolùm depoſitarius. Hinc gravi peccato à SS. Patribus damnatus eſt Origenes, qui ad ſervandam caſtitatem virilia ſibi amputavit. A fortiori graviter peccant, qui ſe ipſos caſtrari permittunt, aut Parvulos caſtrari jubent, ad vocis ſuavitatem obtinendam.

R. 3. Ex gravi, juſtaque cauſa licet nonnullas actiones facere, ex quibus mors indirectè ſecutura timetur, modò aliqua ſpes evadendi affulgeat: Sic laudabiliter miles ſtationem cuſtodit, hoſtem aggreditur in bello juſto, & Sacerdos peſte infeſtis inſervit, cum mortis periculo &c. Dixi 1. Ex juſta, gravique cauſa: damnantur ſiquidem pec-

Digitized by Google

peccato mortali, qui in chorda ſaltantes, aut ambulantes mortis periculo ſe committunt; imò & eorum ſpectatores, utpote peccato eorum cooperantes. Dixi 2. modò aliqua ſpes evadendi affulgeat; ſic non licet navalibus militibus igne tormentario navem accendere, dùm omninò ſalus deſperata eſt.

℞. 4. Licitè, & ſæpius laudabiliter multa poſſunt omitti, ex quorum omiſſione prævidetur mors indirectè acceleranda; quia non tenemur omnibus modis vitam noſtram conſervare: Sic laudabiliter Sancti Martyres abſque ulla ſui defenſione mortem pro Chriſto oppetiere; & multi Sancti Confeſsores vigilias, abſtinentias, & flagellationes ad corporis caſtigationem, moderatas tamen, coluerunt; licet prævidérint ex his eorum vitam fore abreviandam; ſic Sanctus Caſimirus maluit Virgo mori, quàm maritatus vivere: unde communiter docent Doctores, nullum teneri ad aerem ſalubriorem tranſire, medicinas extraordinarias ſumere, cibos pretioſos quærere, ut per aliquod tempus vitam ſibi prolonget.

QUÆR. 4. Utrùm aliquo caſu licita ſit abortus procuratio?

℞. Cum diſtinctione, vel fœtus jam eſt animatus, vel agitur de directa, vel indirecta abortus procuratione. Quo poſito certum eſt apud omnes, nullo prorſus caſu; etiam mortis imminentis, licitam eſſe, quæ directè intendatur, abortus procurationem; ſive fœtus ſit animatus, quia tunc verum eſset homicidium; ſive nondum ſit animatus, quia teſte Tertulliano Apol. c. 9. *Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci*. Unde jure merito ab Inn. damnata eſt hæc prop. 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa gravida occidatur, aut diffametur*. Sola igitur quæſtio eſſe poteſt de indirecta abortus procuratione. Utrùm ſcilicet mulier gravida, periculosè ægrotans, ad vitam propriam ſervandam pharmacum ſumere poſſit, cum morali certitudine, aut ſaltem imminenti periculo fœtum ſuum, ſive jam animatum, ſive nondum animatum ſit, perdendi.

Non defuerunt auctores, qui docuerunt hoc mulieri gravidæ tunc licere, etiam dum fœtus ejus jam eſt animatus; quia inquiunt cuilibet licitum eſt vitæ ſuæ invaſorem occidere; ſed perperam hoc dicitur, tum quia Mater, ad conceptum conſentiendo, juri ſuo ceſſiſse cenſetur; tum quia mortis periculum, in quo verſatur potius ex propria oritur infirmitate, quàm ex prætenſa fœtus invaſione; qui in hoc ſe habet tantum occaſionaliter. Quòd ſi verò omninò certum ſit fœtum non eſſe animatum, plurimi cenſent cum D. Antonio tunc licitam eſſe abortus indirectam procurationem; ſed longè probabilius videtur multis aliis doctoribus, nequidem tunc licitam eſſe; tum quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona; tum quia ſi, ſecundum communem omnium ſententiam, non liceat ad vitam conſervandam procurari pollutionem, multominus licitum eſt abortum procurari; quippè qui longè majorem habeat mali ſpeciem.

Ubi obiter pro praxi notandum eſt, peccato mortali obnoxiam eſſe mulierem, quæ ex ſua notabili negligentia abortum patitur; puta, quia nimium ſaltavit, vel nimis laboravit, vel inordinatis laſciviis indulſit. Item mulier nutrix, quæ parvulum filium in lectulo juxta ſe poſitum etiam inadvertenter ſuffocat; quia advertere debebat, ac facile poterat, &c.

QUÆR. 5. Utrum & quomodò liceat vitæ invaſorem occidere?

℞. Id licere, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. *Omnia* ſiquidem *jura* inquit Inn. III. *& omnes Leges permittunt vim vi repellere*: Lex videlicet naturalis, quæ dictat propriam potius conſervandam eſſe vitam, quàm alienam: Lex divina Exod. 22. Ubi declaratur percuſsorem non fore reum ſanguinis, ſi furem nocturnum domum ſuam infringentem occiderit; quia, inquit Aug. q. 84. in Exodum, diſcerni non poteſt, utrum fur nocturnus veniat ad furandum, aut verò ad occidendum: Lege canonica. *Clem. ſi furioſus de Homicidio*, ubi ille, qui vitæ invaſorem occidit æquiparatur cum furioſo, aut dormiente, qui non peccant occidendo: Lege tandem civili, ubi legitur Lege 3. ff. de juſtitia & jure, *quod quiſquis ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur*.

Moderamen autem inculpatæ tutelæ in hoc conſiſtit. 1. Quòd invaſus mortem invaſoris non intendat, ſed ſolam ſui conſervationem; ſecus enim convinceretur id agere cauſa vindictæ ſumendæ. 2. Quod mors invaſoris ad vitæ defenſionem ita ſit neceſſaria, ut alio modo conſervari non poſſit, nec minis, nec precibus, nec fuga. 3. Quòd in defenſione invaſus non excedat: unde qui vitam tutari poteſt percutiendo, mutilare non poteſt, & qui mutilando, non poteſt occidere.

Dices

Digitized by Google

Dices contra reſponſionem; injuſtum r.valorem in extrema neceſſitate ſpirituali eſse poſitum, quia ſi occidatur, damnabitur, cum in peccato mortali verſetur. Præceptum autem Domini eſt, ut pro fratribus animas noſtras ponamus, & vitam eorum ſpiritualem vitæ noſtræ corporali præferamus.

℞. Argumentum nimis probare: Inde enim ſequeretur poſse, ac debere nos ipſos occidere, dùm verſamur in periculo moraliter peccandi. Ideò dicendum eſt, quòd cum aggreſsor propria malitia ſua in hoc verſetur periculo, nulla ibi eſt propriè neceſſitas, ſed mera iniquitas, cui favere minime tenemur.

Cæterùm circa hanc aſsertionem obſervandum eſt 1. Reum capite damnatum occidere non poſse, nec ullam injuriam facere Tortoribus, aut Satellitibus, vitam ſuam invadentibus; quia non invadunt niſi legitima, ac publica auctoritate. 2. Non licere inimicum prævenire, quem ſcimus nos ad necem quærere; quia nondum cenſetur invaſor; 3. Nec licere, ob eamdem rationem, interficere falſum accuſatorem, à quo iniqua certo imminet ſententia, licet alia via Innocens damnum vitare non poſſit, prout definivit Alex. VII.

QUÆR. 6. An pro honoris ſui defenſione aliquem occidere, aut mutilare liceat?

℞. Nequaquam. 1. Quia ſic jubet nos Chriſtus, *orare pro perſequentibus, & calumniantibus nos*; quantò magis inhibet, ne eos occidamus, aut mutilemus. 2. Quia honor, & fama, quæ in hominum verſatili opinione conſiſtit, quamque nos flocci facere jubet Religio, longè inferioris eſt ordinis, quàm vita, aut membrorum integritas. 3. Quia occiſio, aut mutilatio nullius ſunt momenti, ad honoris conſervationem, aut reparationem; nec enim impediunt, quominus quod dictum eſt, aut factum; factum, aut dictum non ſit.

Nec refert, quòd quandòque honor periret, ſi vindicta non ſumeretur. Nam ſi periret honor mundanus apud mundanos, & impios; non periret, ſed compararetur verus honor apud Religioſos, & probos. Hinc jure merito circa hanc materiam plurimæ damnatæ ſunt propoſitiones ab Eccleſia. 1. Quod Religioſo, & Clerico liceat calumniatorem occidere, quando alius modus ſe defendendi non ſuppetit. 2. Quod vir equeſtris ad Duellum provocatus illud acceptare poſſit, ad vitandam ſolam ignominiam. 3. Quod fas eſset viro honorato occidere invaſorem, ſi impingat alapam, vel fuſte percutiat, etiamſi poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis, fugiat.

QUÆR. 7. Utrùm bonorum temporalium invaſorem occidere liceat, aut mutilare?

℞. Quantacumque ſint hæc bona, numquam occidere licet, aut periculo mortis exponere. Quod ſi verò bona neceſsaria ſint, tum ad fovendam vitam, tum ad familiam ſuſtentandam, tum ad ſtatum moderatum conſervandum, invaſorem percutere, imò & vulnerare licet, non ex affectu vindictæ, aut ex cupiditate, ſed ex intentione reddendi furem ad furtum impotentem.

Prob. 1. Pars reſponſionis ex eo textu Exod. ubi dicitur: licere occidere furem nocturnum, non diurnum, quia videlicet diſcerni non poteſt, an fur nocturnus ad furandum: an etiam ad occidendum veniat; de diurno autem poteſt diſcerni; ex quo concluditur quod, ſi fur invadat tantummodò bona temporalia nefas eſse ipſum interimere. Ratio eſt; quia bona temporalia longe inferioris ſunt ordinis, quàm vita: Accedit quòd ejus amiſſio ſit irreparabilis, bona verò temporalia recuperari poſſint. Deinde bona temporalia famæ ſunt poſtponenda: Ergo ſi pro famæ conſervatione neminem occidere liceat, multominus licebit pro bonorum temporalium conſervatione.

Secunda pars patet ex principio ab omnibus recepto, quòd vim vi liceat repellere; dùm nempè bonum amiſsum per vim defenſivam non eſt ſuperioris ordinis bono, quo quis privatur per illatam; atqui vulnus non periculoſum, juxta ſanam hominum exiſtimationem, poſtponi debet amiſſioni bonorum neceſsariorum ad familiam ſuſtentandam, vitam fovendam &c. Ergo

QUÆR. 8. An liceat invaſorem pudicitiæ occidere, dùm nulla alia via ſuppetit ad eam defendendam?

℞. Id minimè licere; quia vel pudicitia in integritate corporis ſita eſt, vel in virtute animi. Si primum, integritas hæc longè inferioris eſt ordinis, quàm vita hominis. Si ſecundum, violentia illata corpori hanc virtutem minimè lædere poteſt. Unde S. Lucia Tyranno dicebat: ſi invitam juſseris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. Nec id licet ob conſenſus periculum; ſecus enim, ob eamdem rationem, ſe ipſum occidere liceret, quòd

nemo

Digitized by Google

nemo dicet, quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.

Nec refert, quòd poteſtas civilis id permittere videatur. Nam ſi in hac circumſtantia mulierem non puniat, inde non ſequitur quòd homicidium approbet; ſed quia cenſet ipſam in hac circumſtantia eſse venia dignam. Nec refert 2. quod dicit Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 5. Stuprum immanius eſse, quàm ſtupratoris occiſio. Nam ſtuprum etiam immanius eſt mendacio, attamen mentiri non licet ad ſtuprum vitandum. Deinde formaliter quidem ſtuprum immanius eſt ſtupratoris occiſione, quia magis voluntarium eſt, non autem materialiter, cum vita hominis ſuperioris ſit ordinis, quàm ejus integritas.

Porrò obiter obſervandum eſt nos poſse contra invaſorem proximi quidquid poteſt ipſemet proximus invaſus, niſi forte invaſori parentela, aut obſervantia ſimus obſtricti, eo quod id non permittat pietas parentibus, aut quaſi parentibus debita. Utrùm autem ad id teneamur, dicendum eſt nos teneri ex caritate, ſecluſo tamen gravi noſtro incommodo, ita ut qui proximum in hac neceſſitate poſitum ſuccurrere negligat, mortaliter peccet: non autem ex juſtitia; ita ut ad reſtitutionem teneatur, niſi forſan Princeps ſit, Magiſtratus, aut Prætor, qui ratione Officii ſui publicæ quieti invigilare tenetur.

QUÆR. 9. Quid, & cui ſit reſtituendum, ratione homicidii, aut mutilationis?

℞. Bona, quæ mutilator, aut occiſor reſtituere tenetur, duplicis ſunt generis: Alia ſunt perſonalia, quæ perſonam occiſam, vel mutilatam afficiunt; privatio nimirùm vitæ, vel membri, aut dolor ex vulnere: Alia ſunt realia, quæ ex occiſione, vel mutilatione oriuntur, & hæc reſpiciunt; vel ipſummet occiſum, aut vulneratum, ut lucrum ceſsans, & damnum emergens; vel creditores ipſius, qui per mutilationem, vel occiſionem ſuis privantur creditis; vel perſonas, quas occiſus, aut mutilatus alere tenebatur.

Quoad damna perſonalia, certum eſt injuſtum occiſorem, aut mutilatorem ad nullam reſtitutionem teneri pro vita ſublata, aut membro mutilato; quia cum homo vitæ ſuæ, ac membrorum dominium non habeat, ſed ſolus Deus, nihil præciſè præter hoc ipſi homini debetur; bene quidem pro uſu vitæ, & membrorum, ad quem utique verum jus ſibi à Deo conceſsum habet, & quo iniquè privari non poteſt, abſque vera ac propriè dicta injuria, ad reſtitutionem, ſeu compenſationem obliganti.

Nec refert injuriam illam omnem excedere compenſationem; quia, licèt quod ablatum eſt reſtituibile non ſit per aliquod æquale, debet reſtitui in quantum fieri poteſt, vel in pecunia, vel in honore, ſecundùm viri prudentis judicium. Deinde compenſari poteſt etiam per bona ſuperioris ordinis, per preces ſcilicet, ac Miſsarum Sacrificia, quæ Confeſsarius tenetur ex juſtitia homicidæ, aut mutilatori imponere.

Quoad damna realia, mutilator, aut occiſor injuſtus tenetur 1. Compenſare expenſas factas in curatione vulneris, vel morbi inde ſecuti. Item compenſare damnum inde emergens, & lucrum ceſſans, quòd ex arte, vel induſtria læſi, vel occiſi provenirſet: idque non ſolùm perſonæ offenſæ, ſed & etiam hæredibus ejus, quicumque illi ſint; quia ſecundùm leges, Hæres univerſalis perſonam defuncti repræſentat, ſuccedit que in omnia illius jura. 2. Tenetur ſolvere debita occiſi, vel mutilati, ſi occiſio, aut mutilatio in cauſa ſit, cur creditoribus non ſint ſoluta; qui enim cauſa eſt damni proximo illati, illud proculdubio reſarcire tenetur. 3. Tenetur alere Parentes, Filios, & Uxorem occiſi, ſi ſint pauperes; quia Parentes, & Liberi, Maritus, & Uxor cenſentur moraliter una perſona. Imò, juxta plurimos Doctores tenetur alere eos, quos occiſus, aut mutilatus opibus, aut labore ſuo ſuſtentabat; quia, inquiunt, licèt jus non habeant ad alimenta, quæ ipſis ex caritate præſtabat occiſus, aut mutilatus, jus tamen habent ne violenter ab eorum conſecutione impediantur, ſicque veram paſſi ſunt injuriam.

QUÆR. 10. Quid ſit reſtituendum ratione ſtupri?

℞. Cum diſtinctione: Vel virgo deflorationi ſuæ liberè conſenſit, leviter rogata, aut ultrò ſe offerens: vel ſimpliciter fuit invita, quia ſtuprator vi, aut fraude uſus eſt: vel fuit invita ſecundùm quid; ita ut quidem abſolutè conſenſerit, ſed cum reluctantia, & quaſi coacta; quia nimirum ſtuprator aut graves minas, aut moleſtas ſollicitationes, aut vehementes blanditias adhibuit; idque tum promiſſione Matrimonii, vel abſque hac promiſſione.

Si virgo liberè conſenſit, evidens eſt ſtupratorem non teneri quidquam ei reſtituere, nec eam ducere, nec eam dotare, quia ſcienti, & volenti nulla fit injuria.

Si ſimpliciter invita fuit, item ſatis evidens

dens eſt ſtupratorem teneri omnia damna inde orta compenſare, vel corruptam à ſe virginem ducere ob injuſtam damnificationem.

Si fuerit invita ſimpliciter, licet abſolutè conſenſerit, & ſtuprator matrimonium non promiſerit; ſtuprator tamen tenetur, vel eam ducere, vel ſic dotare, ut poſſit æquè commodè nubere, vel eam in alio honeſto ſtatu collocare; quia minæ, moleſtæ ſollicitationes, vehementes blanditiæ violentiæ æquiparantur; & moraliter vim inferunt, atque ſeducunt: Excipe tamen, ſi puella æque opulenter, & æque facile nubere poſſet, ac ſi non fuiſſet corrupta.

Quòd ſi ſtuprator moleſtis ſollicitationibus, &c. Matrimonii promiſſionem addiderit, etiamſi non feriò, ſed fictè promiſerit, tenetur à ſe corruptam ducere, alioquin puella graviter eſſet decepta, ingenſque damnum ex fraude pateretur. Nec ſatis eſſet puellam tantummodò dotare, niſi ipſa ſola dote ſit contenta; quia corruptor Matrimonium, non dotem repromiſit. Excipe tamen. 1. Si puella deprehenderit, aut facilè deprehendere potuerit, promiſſionem non fuiſſe ſinceram; vel quia conditionis eſt valde inæqualis; vel quia, attentis omnibus circumſtantiis, prudenter corruptori ſuo fidem adhibere nec potuerit, nec debuerit. Excipe 2. Si ex Matrimonio promiſſo gravia ſint incommoda, aut ſcandala ſecutura.

QUÆR. 11. Quæ reſtitutio ſit facienda ratione adulterii?

R̸. 1. Adulter tenetur omnia damna reſarcire, quæ ex adulterio ſuo oriuntur tum Marito adulteræ, tum Filiis ejus legitimis; cum his veram, formalemque intulerit injuriam. Ideò non ſolùm compenſare tenetur alimenta, quæ Maritus proli ſpuriæ ſuppeditavit poſt tertium ætatis annum, ad quem uſque debet mater ptolem alere; ſed & etiam compenſare tenetur damna, quæ patiuntur Filii legitimi; dum nempe cum illegitimis hæreditati Mariti ſuccedunt: Idque totum ſive ſuaſerit Adulteræ, ut prolem adulterinam Marito affingeret tamquam ſuam, ſive non; quia in qualibet ſuppoſitione ſemper vera cauſa eſt, eaque injuſta, illius fraudulentæ ſuppoſitionis.

Quòd ſi verò nedum non ſuaſiſſet prolem ſpuriam, ut legitimam ſupponere, ſed & diſſuaſiſſet, potuiſſetque Adultera abſque infamia, aliove gravi incommodo prolem illegitimam manifeſtare, ſola adultera tenetur de damno ſecuto; quia tunc ſola eſſet cauſa damni.

R̸. 2. Quoad Adulteram; vel vi, aut fraude corrupta fuit, ita ut fuerit ſimpliciter invita; vel fuit ſecundùm quid invita; vel tandem liberè conſenſit. Si primum, ad nullam reſtitutionem tenetur, cum non intulerit, ſed paſſa ſit, injuriam. Si ſecundum, tenetur quidem adulter prior reſtituere, cum ſit principalior cauſa; ſed ipſo deficiente adultera pro ipſo obligatur, cum abſolutè conſenſerit, & per actionem injuſtam in damnum illatum influxerit. Si tertium, æqualiter cum adultero omnium damnorum reſtitutionem dividere tenetur; cum æqualiter cum ipſo in damnum concurrerit, & deficiente adultero ad totum damnum reſarciendum obligatur.

Ut autem mulier adultera reſtitutionis munus obeat; debet vel bona Paraphernalia, ſuæ diſpoſitioni relicta, Filiis legitimis elargiri in compenſationem; vel ſi nulla in ſua diſpoſitione habeat, debet prolem illegitimam pro legitima habitam ad ſtatum religioſum, ſi capax ſit, ſuavi modo inducere; vel ſi incapax ſit, aut nolit, debet defectum ſupplere proprio labore, & induſtria, aut prudenti parcimonia. Quòd ſi nihil horum poſſit, potiaturque fama integra, ſe ipſam infamare non tenetur; cum fama ſuperioris ſit ordinis, poteritque totum diſpoſitioni divinæ committere. Dixi *ſi fama potiatur integra*. Si enim famam ſuam amiſerit, aut adeo ſit vilis, ut prudenti judicio ejus fama parvi ſit pretii, & hæreditas ſit notabilis, turpitudinem ſuam revelare tenebitur, ſi id Filiis legitimis utile eſſe poſſit.

QUÆR. 12. Quid ſit dicendum de fornicariis, adulteris, aut cæteris, qui proles ſuas exponunt?

Eos mortaliter peccare, niſi propter extremam indigentiam nullo modo, vel laborando, vel mendicando, eos alere poſſint; tum quia Parentes jure naturali divino, ac civili prolem ſuam alere tenentur; tum quia filios exponendo, ſæpius mortis periculo eos exponunt; tum quia Hoſpitalia ad hujuſmodi proles nutriendas erecta ſunt tantummodò in pauperum ſubſidium: Ideò proles ſuas exponentes reſarcire tenentur eleemoſynis, quas ſic veris defraudant pauperibus.

§. 5.

§. 5. *De Injuria, & Reſtitutione in fama, & honore.*

Not. Latum diſcrimen eſt inter famam, & honorem, quæ multi ſimul confundunt. Fama ſiquidem eſt interna exiſtimatio de moribus alterius: Honor verò eſt externa teſtificatio illius excellentiæ. Fama, quæ poteſt eſſe unius, & plurium exiſtimatio læditur per detractionem, & judicium temerarium, & ſuſurrationem: Honor vero per contumeliam, & irriſionem; de quibus

QUÆR. 1. Qui ſit detractio?

℟. Eſſe *injuſtam, & occultam famæ alienæ denigrationem*. Dicitur *injuſta* ex duplici capite, vel dum alteri falſum crimen imponitur, vel dùm crimen verum, ſed occultum revelatur, abſque juſta cauſa. Primum calumnia vocatur, & ipſa adeò intrinſecè mala eſt, ut nulla ratione cohoneſtari, aut excuſari poſſit. Ideò etiam in mortis periculo, nec alteri, nec ſibimet falſum crimen imponere licet. Secundum ſimplex vocatur detractio, cujus injuſtitia in eo ſita eſt, quòd quiſque, licèt occultè reus, in famam ſuam verum jus habeat, donec omninò fuerit infamatus, nec ſibi poſſit auferri abſque vera injuria, ſive id fiat cum intentione proximo nocendi, ſive id fiat ex garrulitate, aut loquacitate; quia quovis modo fiat, ſemper proximo veram injuriam infert. Dicitur 2. *Occulta*, per quod diſtinguitur tum à diffamatione propriè dicta, quæ eſt publica famæ vel propriæ, vel alienæ diſſipatio; tum à contumelia, quæ fit in præſentia illius, cujus honori detrahitur; aut ſi in ejus abſentia cum intentione, ut ad ejus aures perveniat.

QUÆR. 2. Quænam ſint juſtæ cauſæ detrahentem à peccato excuſantes?

℟. Duas eſſe cauſas: Juſtitia nimirùm, & Caritas. Juſtitia, inquam, dùm quis ex officio tenetur manifeſtare furtum, aliudve crimen in alium perpetratum: Ex caritate autem, dùm crimen bono publico, aut cuivis particulari pernicioſum eſt, ac injurioſum; nec alio modo, quàm revelatione eſt poſſibile, ut Superiores remedium afferant, & proximus ſibi præcaveat. Sic juſtè monentur Superiores, ac Patres-familias de criminibus, aut vitiis ſubditorum, filiorum, ac ſervorum ſuorum, ut eos corripiant. Item juſtè monentur juvenes de improbitate quorumdam ſociorum ſuorum, ut eorum perverſum fugiant conſortium. Item vitium puellæ aliàs in Conjugem ducendæ, ancillæ improbæ, quam vicinus in domum ſuam cogitat introducere, Candidati incapaces ad officium, aut beneficium promovendi, Advocati, aut Medici ignorantia, aut improbitas legitimè manifeſtantur, ne grave proximo inferant detrimentum; modò tamen non plus dicatur, quàm neceſſarium ſit ad damnum præcavendum. Item non peccat, qui injuriam ſibi occultè illatam, alteri revelat, animo petendi conſilium, aut auxilium ad præcavenda, aut reſarcienda mala. Peccaret, autem, ſi id faceret tantùm, ad animi dolorem ſublevandum; hæc ſiquidem ſufficiens non eſt neceſſitas.

QUÆR. 3. Utrùm criminis publicitas à peccato detrahentem excuſet?

℟. Triplici modo crimen poſſe eſſe publicum. 1. Ipſo jure per publicam Judicis ſententiam. 2. Ipſo facto, dùm crimen coràm pluribus perpetratum eſt; ita ut minimè celari poſſit. 3. Communi fama, dùm rumor criminis perpetrati ad aures majoris partis communitatis pervenit. Certum eſt apud omnes eum ſaltem venialiter contra caritatem peccare, qui abſque neceſſitate crimen proximi ſui quovis modo publicum alteri neſcienti revelat; cum præcipiat caritas; ne quod tibi non vis fieri alteri facias. Imò mortaliter peccaret contra eamdem virtutem, ſi ex odio, & vindicta id faceret, vel ſi diffamatus inde grave damnum, ab ipſa infamia diſtinctum, pateretur. Utrùm autem contra juſtitiam peccaret; diſtinguendum eſt. Si crimen ſit publicum per ſententiam Judicis publicam, ubivis divulgari poteſt abſque injuſtitia; quia tunc reus jus omne amiſit ad famam ſuam: Accedit quod infamia illa ſit pars pœnæ crimini debitæ, nec ſententia publicè lata ſit, niſi ut ad omnium perveniat notitiam. Quod ſi crimen ſit publicum ipſo facto, & fama, non eſt contra juſtitiam criminoſum infamare in locis vicinioribus; quia eo ipſo quod quis peccavit publicè, cenſetur interpretativè ceſſiſſe juri, quod habebat ad famam in illo loco, & in locis, ad quæ moraliter loquendo fama delicti ejus poterat pervenire. Eſſet autem contra juſtitiam, ſi in locis remotioribus crimen ejus divulgaretur: Quia juri ſuo ceſſiſſe non cenſetur quoad hæc loca, ubi fama ejus eſt integra. Fama ſiquidem eſt diviſibilis, cum quis bonum nomen habere poſſit in uno loco, non in alio: Unde; ſicut non amitto jus ad pecuniam, quod

 habeo

Digitized by Google

habeo Pariſiis, quia illud amiſi, quod habebam Lugduni; ita non amitto jus ad famam, quam habeo in una Regione, licèt eam amiſerim in altera.

Propter eamdem rationem, nemo poteſt abſque injuſtitia crimen alienum jam oblitteratum revelare; tum quia crimen oblivioni datum occultum eſt; tum quia quilibet jus habet ad famam, quam benè vivendo ſibi denuò comparavit. Nec diffamatus de uno crimine, de alio ipſi non affine, abſque injuſtitia diffamari poteſt; quia, ut dictum eſt, fama eſt quid diviſibile, partibus diverſæ rationis conſtans, quarum ſi una aufertur ſupereſt altera; proindeque jus ad eam conſervandam. Item Perſonæ defunctæ fama abſque gravi peccato, gravique injuſtitia lædi non poteſt; quia quilibet tam mortuus, quàm vivus jus habet ad famam ſuam; cum quiſque in bona fama ſua, etiam poſt mortem, quilibet vivere cenſeatur.

QUÆR. 4. Quot modis fieri poſſit detractio?

℟. Octo modis, his verſiculis contentis.

Imponens, Augens, Manifeſtans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſsè.

Imponens: ideſt, qui alteri falſum crimen affingit: *Augens*, qui alterius crimen amplìat: *Manifeſtans*, qui verum, ſed occultum propalat: *In mala vertens*, qui factum bonum, aut indifferens ſiniſtrè interpretatur: *Qui negat*, alterius virtutes, merita, vel dotes: *Qui minuit* prædicta: *Qui reticet* in his circumſtantiis, ubi ſilentium ejus pro tacita vituperatione habetur: *Qui laudat* ita *remiſsè*, ut in laudati vituperium cedat.

QUÆR. 5. Quale ſit peccatum detractio?

℟. Peccatum eſſe mortale ex genere ſuo; ſcriptum eſt enim Prov. 24. *Abominatio hominum detractor*. Et Jacob. 4. *Qui detrahit fratri, detrahit Legi*: Legi autem detrahere peccatum eſt mortale; Ergo. Dixi ex genere ſuo; cum detractio venialis eſſe poſſit, tum ex indeliberatione, tum ex materiæ levitate. Circa quod hæc generalis regula aſſignari poteſt, nempe: Quoties revelatur defectus proximo graviter probroſus, ſive naturalis ſit; ut ſi de viro honorato dicas eſſe ſpurium; ſive criminalis, ſive mortalis, ſive venialis; detractio eſt mortalis, aliàs venialis. Ubi obſervandum eſt detractionem non ſemper eſſe gravem, dùm revelatur grave peccatum proximi: Sicut nec levem, dùm revelatur leve peccatum, quia ſæpius accidit famam proximi graviter non lædi revelatione gravis peccati; ut ſi dicas de milite commiſiſſe Duellum, aut de mundano Adoleſcente puellarum eſſe amatorem: & ſæpius graviter lædi revelatione levis peccati, ut ſi dicas de Sacerdote, aut Religioſo mendacem eſſe.

QUÆR. 6. An & quomodò peccet detrahentem audiens?

℟. Qui detrahentem audit; vel ſe habet poſitivè ad detractionem, ipſum ſcilicet, excitando ad detrahendum; vel ſe habet negativè tantùm, detractionem permittendo, cum eam facile poſſit impedire. Si primum ipſomet detrahente gravius peccat, non ſolum contra caritatem debitam, tum ei, de quo fit detractio, tum ei, qui detrahit, & cujus ruinam ſpiritualem cauſat; ſed etiam contra juſtitiam; quia cauſa eſt injuſtæ damnificationis proximo illatæ, & in eam verè influit. Idem dicendum eſt de Superioribus, qui ex officio tenentur coràm ſe detrahentes corripere; quique detractioni *non obſtantes*, eidem indirectè ſaltem, cooperari cenſentur.

Si ſecundum; detrahentem audiens, licet leviùs ipſomet detrahente peccet, ſæpius tamen etiam mortaliter peccat contra caritatem debitam; tum detrahenti, quem tenetur corripere; tum ei, de quo detrahitur, quem à detractione ſicut ſe ipſum defendere debet; ſi abſque gravi ſuo incommodo poſſit, vel aperta reprehenſione, ſi detrahens ſibi ſit inferior, vel ſermonem ex abrupto interrumpendo, vel triſtem vultum exhibendo, ſi ſibi ſit Superior. Nec ab obligatione timor mundanus, quo detrahenti diſplicere timemus, excuſat; cum Dei amicitiam hominum favori præferre teneamur. Excuſatur tamen à mortali ſaltem, qui ex quadam verecundia detrahentem, longè ſibi Superiorem, aut eminenti dignitate fulgentem, non auderet reprehendere.

QUÆR. 7. Quis, quid, apud quos, quando, & quomodo reſtituere teneatur, ratione famæ ablatæ?

℞. 1. Omnis & ſolus ad famæ reſtitutionem tenetur, qui eam abſtulit, aut ad ejus ablationem, etiam moraliter, cooperatus eſt, quales ſunt mandans, conſulens, movens, non obſtans, &c. ſive id ſcienter, & ex malitia, ſive ignoranter, aut ex inadvertentia id fecerint; quia licet iſti

forſan

Digitized by Google

forſan non peccaverint famam auferendo, peccarent tamen ſi non reſtituerent; non ſecus ac ille, qui bonum alienum à ſe bona fide poſſeſſum non reſtitueret, dùm alienum eſſe cognoſceret. Dixi omnis & ſolus; ſiquidem ſimplices auditores detractoris, ſi ad detractionem nullatenus cooperati ſunt, ad reſtitutionem minimè tenentur; ſicut nec detractoris hæredes, cum illa obligatio ſit perſonalis, afficiatque ſolum detractorem.

℟. 2. Detractor non ſolùm famam ablatam reſtituere tenetur; ſed & omnia damna inde orta reſarcire, quia eſt vera, & quidem injuſta cauſa eorum: Unde qui detractione alium impedivit à boni alicujus conſecutione, tenetur ſi non ad totam, ſaltem ad aliquam ad arbitrium boni viri compenſationem. Quod ſi detractio in cauſa ſit, cur infamatus bonum jam à ſe comparatum amiſerit, detractor totum, ut patet, reſtituere tenetur; & hæc reſtitutionis obligatio ad ejus hæredes tranſit.

℟. 3. Detractor famam reſtituere tenetur non ſolùm apud eos, quibus peccatum proximi revelavit, ſed & apud eos, quibus à primis audientibus divulgatum fuit; quia hæc divulgatio ipſi eſt imputabilis, cum eam prævideri, aut prævidere debuerit, ac facile potuerit: Excipe tamen ſi probè ſciret primos audientes jam famam ſufficienter reſtituiſſe.

℟. 4. Fama reſtituenda eſt quàm primùm fieri poteſt, ne per ulteriorem diffamationem gravior evadens, gravius fiat peccatum. Ideò qui de hac obligatione advertendo abſque legitima cauſa reſtitutionem protrahit, novum committit peccatum in Confeſſione aperiendum.

℟. 5. Qui falſum crimen alteri impoſuit, nihil non movere tenetur, ut hanc opinionem ex animo auditorum tollat; non ſolum apertè declarando ſe fuiſſe mentitum, ſed &, ſi fides ipſi facile non adhibeatur; id juramento affirmare. Ratio eſt, quia juſtitia jubet, ut omni qua poſſumus efficacia injuſtè ablatum reſtituamus. Quod ſi verum crimen, occultum tamen, manifeſtaverimus, apertam quidem retractationem adhibere nec tenemur, nec debemus, cum nullo caſu mendacium ſit licitum, utpote intrinſecè malum; ſed dicendum eſt ſe fuiſſe deceptum, aut injuſtè ac temerariè fuiſſe locutum, &c. quæ ſi non ſufficiant, tenebimur infamatum aliundè laudibus extollere, eique honorem exhibere coràm his, ad quos devenit infamia.

QUÆR. 8. Quænam ſint cauſæ non excuſantes, & excuſantes à famæ reſtitutione?

℟. 1. Non excuſatur a reſtitutione detractor ob periculum bona fortunæ amittendi, cum ea inferioris ſint ordinis, quàm fama; nec etiam ob periculum famæ propriæ amittendæ, niſi fortè longè præſtantior ſit, quàm ea quam abſtulit: Imò neque ob periculum vitæ, ſi fama ablata neceſſaria ſit ad vitam infamati conſervandam, aut ad ſpiritualem proximi utilitatem; quia in injuſta damnificatione melior eſt utique, ac potior conditio poſſidentis, quàm injuriam ferentis. Nec etiam excuſat penitus ab aliqua reſtitutione impotentia famam reſtituendi: Qui enim infamiam illatam tollere non poteſt, æquum omninò videtur, ut pecunia, aliove modo damnum illatum compenſet; ut dictum eſt de injuria in bonis corporis.

℟. 2. A reſtitutione famæ excuſant 1. Infamati condonatio, modò tamen ejus infamia in alios non redundet. 2. Publicatio criminis revelati aliunde facta. 3. Ejuſdem obliteratio. 4. Juſta compenſatio; dùm duo ab invicem diffamati inter ſe conveniunt, ut uterque in ſua permaneat infamia. 5. Reparatio infamiæ jam aliunde facta, ut ſi infamatus juridicè declaratus fuerit innocens, quia tunc inutilis eſſet detractionis revocatio.

QUÆR. 9. Quid ſit judicium temerarium?

℟. Judicium temerarium *eſt aſſenſus abſolutus, & firmus de proximi improbitate, ex levibus, ac inſufficientibus indiciis ortus.* Dicitur 1. *Aſſenſus abſolutus*; per quod ſùm à dubio diſtinguitur, per quod animus manet in æquilibrio, nihil de improbitate proximi negans, aut affirmans; tum à ſuſpicione, per quam animus magis ad malum de proximo credendum inclinatus remanet. Dicitur. *Aſſenſus firmus*, ut diſtinguatur ab opinione, quæ licet ad malum credendum ſit determinata, non tamen ſine aliqua formidine. Dicitur. 3. *Ex levibus, atque inſufficientibus indiciis ortus*; id eſt indiciis; quæ attendendo ad facti naturam, perſonæ qualitatem, aliaſque circumſtantias, prudenter virum probum movere non poſſunt ad dubitandum, vel malè ſuſpicandum, opinandum, aut judicandum de proximo.

QUÆR. 10. Quale ſit peccatum judicium temerarium, dubitatio, ſuſpicio, & opinio?

℟. Ju-

℞. Judicium temerarium ex genere ſuo mortale eſt; dùm ſcilicet elicitur cum plena advertentia circa gravem materiam, tum ex ſe, tùm ex circumſtantia facti, aut perſonæ, ut de detractione dictum eſt. Ratio eſt, quia gravis proximo infertur injuria, dum ex levi, aut nulla cauſa bonam, quam juſtè apud nos poſſidebat exiſtimationem, ipſi auferimus. Quoad dubitationem, & ſuſpicionem temerariam, ordinariè venialis cenſetur; quia propriè non tollitur fama, & exiſtimatio proximo debita, niſi per verum judicium. Dixi ordinariè; nam ſi quis ex frivola conjectura graviſſimum crimen ſuſpicaretur de Parocho ſuo, aut Superiore, aut de Perſona præſtantis virtutis, à mortali non eſſet excuſandus, ob gravem, quam eidem inferret, injuriam. Opinio autem temeraria ſupradictis longè gravior eſt, & ordinariè mortale peccatum, cum verum ſit judicium. Circa quod

Obſervandum eſt 1. Gravitatem, aut levitatem hujus peccati ex judiciorum gravitate, aut levitate deſumendam eſſe; quo enim leviora ſunt, eò major eſt utique temeritas; & quò graviora, eò minor. 2. Quod licet, dùm indicia ſunt incerta, teneamur actionem proximi in bonam partem interpretari; ſi tamen agatur de damno vel noſtro, vel alieno præcavendo, poſſumus incerta in malam partem interpretari, non quidem definitivè, ita ut poſitivè judicemus, opinemur, aut ſuſpicemur malitiam in proximo; ſed ſuppoſitivè, ideſt agendo quaſi malus eſſet, licet potius credamus eſse probum. Ratio eſt, quia per hanc prudentem præcautionem proximo nulla fit injuria; nec tenemur omnibus indiſcriminatim fidere, cum detrimenti noſtri periculo.

QUÆR. 11. Quid ſit ſuſurratio, & quale peccatum?

℞. Suſurrationem *eſſe oblocutionem malam, & ſecretam, ad tollendam amicitiam, & ſeminandam diſcordiam*. Ipſa eſt ex genere ſuo peccatum mortale, & quidem graviſſimum. Unde Prov. 6. dicitur: *Sex ſunt quæ odit Deus, & ſeptimum deteſtatur anima illius; nempe ſeminare inter fratres diſcordias*. Ratio eſt, quia nihil præſtantius eſt amicitia, & caritate, quam diſturbare, aut auferre tentat.

QUÆR. 12. Quid ſit contumelia, & quale peccatum.

℞. Contumelia *eſt honoris proximi aperta ablatio per verba, aut ſcripta, aut facta ipſi injurioſa*. Dicitur *aperta*; ut diſtinguatur à detractione, quæ fit occultè. Dicitur *per verba, ſcripta, aut facta*; ſcripta ſiquidem, & facta magis ſunt injurioſa, quàm verba, ut ſi quis in faciem viri honorati conſpuat, ad portam ejus cornua appendat, &c. Porrò contumelia peccatum eſt ex genere ſuo mortale; dùm nempe ſufficiens accedit voluntatis deliberatio, & gravitas materiæ, & quidem, cæteris paribus, ipſa detractione longè gravius ob violentiam adjunctam: Unde Apoſtolus contumelioſos recenſet inter eos, quos Deus in ſenſum tradidit reprobum. Gravitas autem materiæ non deſumitur ex verbo, aut facto de ſe graviter, aut leviter contumelioſo, ſed ex circumſtantiis perſonæ, à qua, & contra quam profertur. Sic mentitam objicere puero, mulierculæ, & homini vili, levis eſt contumelia; quæ gravis eſſet, ſi viro objiceretur honorato.

QUÆR. 13. Quid ſit deriſio, & quale peccatum?

℞. Deriſio *eſt luſus, aut jocus de proximi defectibus, ut rubore afficiatur*. Ex genere ſuo peccatum eſt veniale; quia de ſe jocus ille gravem proximo non infert injuriam. Mortale tamen evadit ſequentibus caſibus. 1. Dùm graves objiciuntur defectus; vel ſi leves tantùm, prævidetur tamen, aut prævideri poſſit ac debeat, quòd inde graviter lædetur, aut perturbabitur proximus, tunc enim irriſio rationem habet contumeliæ. 2. Si derideatur proximus de virtutis cultu, & exercitio; hæc ſiquidem deriſio rationem impietatis, ac ſcandali induit. 3. Si Parentes derideantur, quòd utique pietati pugnat. 4. Si irriſio fiat de Deo, aut Sanctis ejus, aut ſacris Eccleſiæ Cæremoniis, quod abſque blaſphemia fieri nequit.

§. 6. *De Injuria, & Reſtitutione in bonis fortunæ.*

Not. CUm injuria in bonis fortunæ proximo inferatur per furtum, & ſpecies ejus: Hic

QUÆR. 1. Quid ſi furtum?

℞. Furtum eſt *ablatio rei alienæ, Domino rationabiliter invito*. Dicitur *ablatio*; per quod intelligitur detentio, & deterioratio; dùm quis id, quod ab alio accepit, iniquè retinet, tempore debito non reſtituendo, vel in bonis proximi nocumentum infert: In utroque ſiquidem caſu, & in aliis ſimilibus perinde ſe habet, ac ſi ea auferret. Di-

Dicitur *rei alienæ*; ideſt rei qua proximus juſtè fruitur legitimo titulo, ſive dominii, ſive uſus-fructus, ſive conceſſionis ſimplicis uſus facti, Depoſiti, Pignoris, &c.

Dicitur *invito Domino*; quia ſi conſentiat, aut ſi bona fide, & omnibus attentis, conſentire præſumatur, furtum non committitur.

Dicitur *rationabiliter*; dùm enim proximus rei ſuæ acceptioni, aut detentioni tenetur conſentire, irrationabiliter invitus reputatur, & nulla ipſi infertur injuria. Sic furto non eſt reus, qui à furioſo gladium aufert ne ſe ſe, aut alium occidat, aut qui ebrioſo vinum effundit ne ſe ſe inebriet, &c.

QUÆR. 2. Quotuplex ſit furtum?

℞. Furtum aliud dicitur ſimplex furtum, mox expoſitum; aliud dicitur rapina, quæ manifeſta eſt ac violenta rei alienæ ablatio, quæque furto ſuperaddit ſpeciem malitia diſtinctam, novamque proximi injuriam, ob violentiam illatam ipſi renitenti vel exterius, vel tantùm interiùs; dum ſcilicet reluctari non audet, propter raptoris potentiam: unde raptores ſunt viarum obſeſſores, mercedem operariorum defraudantes, ut contra eorum voluntatem ſolutionem in longum protrahentes, debita negantes, argentariam diſſolventes, aut foro cedentes, *Banqueroutiers*.

Deinde furtum: aliud iterum dicitur ſimplex, aliud qualificatum; ideſt nonnullis qualitatibus veſtitum; ut *ſacrilegium*, quo auſertur res ſacra de loco ſacro, vel non ſacro, aut res non ſacra de loco ſacro: *Peculatus*, quo quis aufert res pertinentes ad Reipublicæ ærarium, aut iniquas exactiones imponit: *Plagiatus*, quo homo in ſervitutem adducitur, ſive ille ſit liber, ſive ſervus alienus: *Abigeatus*, quo pecus auſertur ex paſcuis, aut armento.

QUÆR. 3. Furtum quale ſit peccatum?

℞. Mortale eſſe ex genere ſuo; cum graviter opponatur caritati, qua tenemur proximum, ſicut nos ipſos diligere; & juſtitiæ, qua tenemur unicuique quod ſuum eſt reddere, aut relinquere. Unde teſte Apoſtolo 1. Cor. 6. *Neque fures, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*. Quanta autem requiratur materia, ut furtum ſit mortale controvertitur inter auctores; ſed brevitatis gratia variis variorum auctorum omiſſis ſententiis, probabilius videtur, eam requiri, ac ſufficere materiam ſeu pretium, quod ad honeſtæ perſonæ diurnam ſuſtentationem neceſſarium eſt; aut ad cujuſdam communis operarii diurnum ſtipendium; videlicet viginti quinque circiter aſſes; & hoc ſive à paupere, ſive à divite auferatur. Ratio primi eſt; quia ea quantitas cenſetur notabilis, quæ victui diurno neceſſaria eſt; cum ipſemet victus diurnus, ſecundùm communem exiſtimationem ſit quid notabile. Ratio ſecundi eſt; quia victus diurnus non minus notabilis eſt de ſe erga divitem; quàm erga pauperem.

Nec refert quod pauper longè majus damnum patiatur ex ablatione unius aſſis; quàm opulentiſſimus ex ablatione unius duplionis: quia ſi majus damnum patiatur, id per ſe non contingit ratione furti, ſed per accidens ratione damnificationis, quæ ex furto ſubſequitur; quæque furto non magis eſt extrinſeca, quàm quodlibet aliud ſubſequens; gravis nimirùm contriſtatio pauperis, aut blaſphemia, in quam ob id prorumpit. Hæc tamen circumſtantia in Confeſſione neceſſariò eſt aperienda; quia licet nihil conferat ad gravitatem furti, multum tamen confert ad rationem peccati; illud notabiliter aggravat, & ſæpius mortale efficit.

QUÆR. 4. Quid de furtis Filiorum, Uxorum, ac Famulorum ſit dicendum?

℞. 1. A mortali minimè excuſantur Filii à Parentibus rationabiliter invitis quantitatem notabilem ſubripientes; cum rerum paternarum non ſint Domini. Requiritur tamen in furto à filiis perpetrato major quantitas ad peccatum mortale, quàm ſi ab extraneis committeretur; quia Parentes non cenſentur tam inviti erga ipſos, quàm erga extraneos. Et ut de hoc ſaniùs judicetur ſpectanda eſt 1. Major, vel minor Parentum liberalitas naturalis, & amor erga filios ſuos, quibus ſit, ut magis minuſve ſint inviti. 2. Natura rerum, quæ auferuntur; non enim cenſentur multùm inviti, niſi forte quoad modum, erga poculenta, & eſculenta. 3. Parentum opulentia, aut paupertas: pauperes ſiquidem ordinariè magis ſunt inviti, quàm divites. 4. Ætas filiorum; quia Parentes plus indulgere ſolent filiis ſuis majoribus, quàm minoribus.

℞. 2. Idem de Uxore dicendum eſt; quæ ſi aliquid notabile è bonis communibus ſubripiat, invito rationabiliter marito, mortaliter peccat: In quo tamen, ut mox de filiis dictum eſt, Maritus plus indulgere ſolet, quàm extraneis. Dixi 1. De bonis communibus; nam de Paraphernalibus &c. quorum uxor plenum habet dominium, invito

vito marito diſponere poteſt, imò eadem Maritus ipſi abſque furto, ipſamet invita, ſubripere non poteſt: quod etiam locum habet erga filios pro bonis eorum Caſtrenſibus &c. Dixi 2. rationabiliter uxor ſiquidem de bonis etiam communibus, Marito inſcio, aliquid ſubripere poteſt, tum ad modicas, & ſtatui ſuo convenientes eleemoſynas faciendas, tum ad impediendum grave damnum familiæ, tum ad neceſſitatibus ſuis, aut liberorum ſuorum ſubveniendum, quibus ſubvenire detrectat Maritus.

℞. 3. Ordinariè graviter non peccant famuli, ſubripiendo eſculenta, aut poculenta communia in uſus proprios; quia in his Domini non ſolent eſſe inviti, niſi quoad modum. Dixi eſculenta, & poculenta; nam in aliis materiis longè gravius, quàm cæteri latrones peccant. Dixi poculenta communia; non enim ſunt excuſandi, qui delicatiora & Dominis ſuis reſervata ſubripiunt. Dixi in proprios uſus; peſſimi ſi quidem latrones ſunt, qui ea inutiliter conſumunt, aut dilapidant, aut Parentibus, vel amicis donant.

QUÆR. 5. An liceat uti occulta compenſatione, ut quis rem ſuam, aut ſibi debitam, recuperet?

℞. Licitam eſſe, modò adſint conditiones requiſitæ; quia jure naturali unicuique licet ſe indemnem conſervare, citra alterius injuriam; ſed qui occulta compenſatione utitur, alteri non facit injuriam; cum auferat quod ſuum non quod alterius eſt: Ergo &c.

Conditiones autem requiſitæ ſunt 1. Quod res debita via juris ordinaria, aut ſaltem abſque gravi incommodo, magnaque difficultate recuperari non poſſit; quia nemini licet neglecta auctoritate publica in propria cauſa jus ſibimet dicere. 2. Quod debitum ſit omnino certum; iniquum ſiquidem eſt certam ſolutionem pro incerto debito ſuſcipere, cum in dubio melior ſit conditio poſſidentis. 3. Quod caveatur, ne debitor, aut ejus hæres iteratò ſolvat, aut in affectu non ſolvendi maneat, & prudenter moneatur ab obligatione ſolvendi eſſe immunem. 4. Quod nullum adſit periculum ſcandali, aut damni alicujus tertii, qui de furto poſſet accuſari. 5. Quòd compenſatio fiat in bonis ipſius creditoris: Ideo qui rem apud debitorem depoſitam ſubriperet, furtum utique committeret. Quæ conditiones, cùm perraró ſimul concurrant, & homines plurimùm in hac materia ſibi blandiantur, numquàm, aut rariſſimè à Confeſſaris ſunt, permittendæ. Circa quod

Advertendum eſt Famulis, vel operariis non licere occulta uti compenſatione, licèt credant ſtipendium ab ipſis receptum operæ ſuæ non æquivalere; ut definivit Innoc. XI. in damnatione prop. 37. Ratio eſt; tum quia cum liberè convenerint, potuerunt vel plus exigere, vel non contrahere; tùm quia iniquum eſt quod homines, lucri ut plurimùm avidi, judices in propria cauſa ſe conſtituant, operarum ſuarum ſcilicet ſalarium pro libitu taxantes. Idem dicendum eſt de ſartoribus, aut aliis operariis, qui veſtium fragmenta ſuperflua ſibi retinere non poſſunt, ſed conventioni ſtare tenentur.

QUÆR. 6. Quid de furtis minutis ſit dicendum?

℞. 1. Qui animo quantitatem furandi notabilem, modicum quid ab uno aut a diverſis ſubripit, mortaliter peccat toties quoties minuta ſubripit. Reſponſio patet ex Scriptura, ubi dicitur Proverb. 11. Stateram doloſam, qua plura minuta ab uno aut a diverſis ſubripiuntur, abominationem eſſe apud Deum: Suadet, & ratio, cum intentio notabiliter deſcendi ex alieno, invitis Dominis, evidens ſit, graviſque injuſtitia. Ergo ſi quælibet furta minuta hac prava informentur intentione, mortalia eſſe neceſſe eſt. Qui tamen hæc minuta furatus eſt, ad reſtitutionem graviter non tenetur, niſi dum re ipſa ad ſummam pervenit notabilem; quia reſtitutio damnum ſuppoit realiter illatum.

℞. 2. Qui plura minuta ſubripit abſque intentione continuandi, ſed quaſi occaſionaliter, mortaliter peccat, quando advertit ſaltem confusè ſe ad quantitatem notabilem perveniſſe, non verò ante. Ratio eſt, quia furtum ultimum cum præcedentibus moraliter unitur, ex qua unione fit, ut fur hic & nunc aliena detineat in quantitate notabili, ad peccatum mortale ſufficiente, & ad reſtitutionem graviter obligante. Nec obſtat quòd cum modica à diverſis ſubripiuntur, ſinguli non cenſeantur graviter inviti, cum ſingulis niſi non leve damnum inferatur; nam ad peccatum mortale, & ad reſtitutionis obligationem conſtituendam planè ſufficit ut modica ſic ſubripiens grave Reipublicæ nocumentum intulerit, ſitque rei alienæ in materia gravi injuſtus detentor.

℞. 3. Dùm plures minuta furando, gra-

Digitized by Google

ve damnum inferunt Domino vel vineæ vel horti, quilibet unum aut alterum, vel racemum, vel pomum auferendo; ſi communi conſilio, conſenſu, & adjutorio id faciant, omnes mortaliter peccant, tenenturque ſinguli ad reſtitutionem in ſolidum; quia ſinguli ſunt verè cauſa totius damni illati. Quod ſi nullus eorum conſcius ſit furti alieni, ſinguli peccant tantummodò venialiter, tantumque tenentur ſub venia li, partem à ſe ablatam reſtituere, quia nullus eorum damnum grave intulit, nec illius cauſa fuit.

QUÆR. 7. An liceat in neceſſitate aliena rapere; & utrùm qui tunc ea ſubripuit teneatur reſtituere?

℞. Damnatam eſſe ab Inn. XI. ſententiam docentium permiſſum eſſe furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi; & quidem jure merito, cum ſola extrema neceſſitas res communes faciat, & alicui jus in bona aliena conferat; modò tamen Dominus rei auferendæ per hoc in æqualem neceſſitatem non ſit redigendus. Utrùm autem indigens, qui in extrema neceſſitate poſitus bona aliena abſtulit ad reſtitutionem teneatur, dùm ad fortunam pinguiorem redit; cum diſtinctione reſpondendum eſt. Si res ablata poſt tran ſactam neceſſitatem in ſua ſpecie perſeveravit, proculdubiò eſt reſtituenda; cum indigens illius tantum uſu indiguerit. Quod ſi res ipſa uſu fuerit conſumpta, nullo poſtea titulo reſtituere tenetur; non titulo rei acceptæ, cum non extet amplius; non titulo acceptionis injuſtæ, cum in extrema neceſſitate poſitus in eam verum dominium habuerit.

QUÆR. 8. An accepta propter actionem aliunde debitam, aut propter abſtinentiam ab opere illicito, jure detineantur, & reſtitutioni non ſint obnoxia?

℞. 1. Si actio debeatur, & opus ſit illicitum ex juſtitia, quidquid per modum pretii fuit acceptum injuſtè detinetur, & reſtitutioni eſt obnoxium; quia pretium pro talibus accipiens, ſemel & iterum, unam & eamdem rem vendit, aut potius vendit quod eſt invendibile. Adde quod donans tunc Dominium non transferat cum det coactè, ut à vexatione injuſta ſe ſe redimat. Hinc contra juſtitiam peccant, & ad reſtitutionem tenentur, qui obligati ex officio, mandato, aut teſtamento aliquod præſtare, aut diſtribuere, pretium pro beneficio præſtito recipiunt. Item qui mercedem ſuſcipiunt, ne furentur, occidant, indignum eligant, falſum dicant teſtimonium, injuſtam ferant ſententiam. Dixi, pretium aut mercedem; donationem ſiquidem omninò liberam nihil vetat accipere, cum unuſquiſque rei ſuæ dominium in alterum transferre poſſit.

℞. 2. Si actio debeatur, & opus ſit illicitum, ex virtute à juſtitia diſtincta; illicitum quidem eſt pretium, aut mercedem propter hoc accipere; ſed accipiens ad nullam tenetur reſtitutionem. Sic graviter peccaret, qui mercedem acciperet, ut proximum in gravi neceſſitate poſitum ſublevaret, ut in die feſto non laboraret, ut jejunium non frangeret &c. ſed à reſtitutionis obligatione immunis eſſet; quia non violaſſet juſtitiam, ex cujus ſolius læſione hæc obligatio oriri poteſt. Excipe tamen, ſi actio, pro qua pretium recipitur, ſpiritualis eſſet; tunc enim pretium foret ſimoniacè acceptum, proindeque reſtitutioni obnoxium. Quod ſi autem daretur aliquid per modum allicientis, non per modum pretii; non ſolum licitè retineri; ſed & accipi poſſet; quia tunc liberaliter conceſſum eſſe cenſeretur: ſic abſque culpa Filii aliquid à Parentibus accipiunt, ut Sacro interſint, Sacramenta frequentent, mala conſortia fugiant, à comeſſationibus, aut ebrietatibus ſe ſe abſtineant.

QUÆR. 9. Utrùm accepta propter turpem cauſam ſint reſtituenda?

℞. Affirmativè: Vel enim fuerunt accepta vi contractus, utrinque obligantis, ut ſpondeo tibi inimicum tuum trucidare; & tu ſpondes centum aureos mihi ſolvere; vel vi contractus conditionalis ex parte dantis ſolummodò obligantis; prout ſi quis diceret: ſi inimicum meum occideris, ſpondeo me tibi daturum centum aureos; vel vi liberalis donationis abſque ullo pacto inito. Si primum, contractus non ſolum jure civili, ſed & naturali eſt invalidus, cum promiſſio, iniquitatis vinculum eſſe non poſſit; ſicque nullus adeſt accipiendi titulus, quo deficiente ad reſtitutionem tenemur. Si ſecundum, & tertium, licet hæ promiſſiones, & donationes jure naturali ſint validæ, per Leges tamen poſitivas invalidantur: ut videre eſt L. *Generaliter* 25. & alibi: Quod autem contra Legis diſpoſitionem accipitur, juſtè retineri non poteſt; quia facultas contra Legem non eſt jus, ſed injuria, ut ſuperius dictum eſt.

Nec obſtat reſponſioni 1. Quòd ſartor v. g. retinere poſſit pretium acceptum pro conficienda veſte die Dominica; quia pre-

Digitized by Google

tium accipitur pro ſolo opere, non autem pro diei circumſtantia, quæ operi omninò eſt extrinſeca, & ab illo ſeparabilis. Si enim pretium accepiſſet pro hac iniqua circumſtantia, eamque in pactum deduxiſſet, pactum utique eſſet invalidum, & ratione ipſius nihil prorſus retineri poſſet.

Nec obſtat. 2. Quòd qui Virginem defloravit ſub Matrimonii promiſſione, teneatur eam ducere; Quia ad id non tenetur vi contractus de ſe iniqui, proindeque invalidi; ſed vi ordinationis Eccleſiæ, quæ hanc pœnam deceptori impoſuit.

Nec obſtat. 3. Quòd juxta communem ſententiam à D. Thom. & Bonaventura approbatam, pretium Proſtibuli, & lucrum Hiſtrionis licitè ab Hiſtrione, & Meretrice retineri poſſit: Quia iſtæ donationes à Lege non ſunt prohibitæ, ſicut cætera: imò Leges eas confirmare videntur: L. *Idem ff. de condict. ob turpem cauſam §. 3. Meretrix turpiter facit*, inquit Lex, *quod ſit Meretrix, non tamen turpiter accipit, cum ſit Meretrix*. Non ſolum autem turpiter ageret, qui homicidium perpetraret, bono alieno, aut famæ proximi detraheret, ſe ſe vino ingurgitaret &c. ſed etiam turpiter, id eſt injuſtè acciperet qui pro his, aut ſimilibus quovis prætenſo titulo quidpiam acciperet, & ad reſtitutionem teneretur ob Legis expreſſam prohibitionem.

CAPUT VI.

De Fortitudine.

Not. FOrtitudinem ſumi aliquandò pro generali virtute, & ſic eſt animi firmitas in bono arduo; ſed propriè ſumitur pro ſpeciali virtute, & ſic eſt *virtus moralis, voluntatem hominis inclinans ad pericula tempore, ac loco debito aggredienda, & ad labores perferendos pro conſecutione boni neceſſarios*. Dicitur *voluntatem hominis*; quia ſubjectum immediatum fortitudinis eſt voluntas, prout eſt appetitus ſenſitivus iraſcibilis. Dicitur *ad pericula aggredienda, & ad labores* &c. quia hi duo ſunt actus fortitudinis, duoque ejus officia; nempe ardui aggreſſio, & incommodi perpeſſio. Unde objectum ejus materiale ſunt pericula, & labores; formale verò difficultas in his ſuperandis, ac tolerandis; cum per ea à qualibet alia virtute morali diſtinguatur.

QUÆR. 1. Quænam ſint vitia fortitudini oppoſita?

℟. Duo ſunt: unum per defectum; timiditas nimirùm, ſeu ignavia, quæ nimio timore percuſſa pericula aggredi non audet, eaque plus timet, quàm ſuadet ratio: Alterum per exceſſum, intimiditas ſeu temeritas, quæ juſto, ac debito timore vacua plus tentat, quàm dictat prudentia.

QUÆR. 3. Quænam ſint virtutes fortitudini adjunctæ?

℟. Quatuor ſunt; nimirùm: Magnanimitas, quæ ſpem hominis, ac deſideria ad res magnas erigit: Magnificentia, quæ ad magna opera magnis ſumptibus efficienda nos inclinat: Patientia, qua mala æquo animo toleramus, & veramur ne animo iniquo bona deſeramus: Perſeverantia: qua difficultatum diuturnitatem uſque ad boni conſecutionem conſtanter ſuperamus, & nunquam ab ejuſdem boni proſecutione excidimus.

CAPUT VII.

De Temperantia.

TEmperantia eſt *virtus moralis inclinans hominem ad moderandum uſum voluptatum, juxta rectæ rationis dictamen*: Ex qua definitione ſequitur objectum materiale temperantiæ eſſe delectationes corporeas, formale verò earumdem uſum honeſtum.

Quatuor recenſentur temperantiæ ſpecies: Abſtinentia, quæ cibi delectationes moderatur, & cui opponitur *Gula*: Sobrietas, quæ potus delectationes refrænat, & huic opponitur *Ebrietas*: Caſtitas, quæ delectationes venereas cohibet, cui opponitur *Luxuria*: Pudicitia, quæ actiones actum conjugalem circumſtantes ordinat, oſcula, tactus, amplexus, &c. & huic opponitur *Impudicitia*.

Septem ſunt præcipuæ virtutes temperantiæ annexæ, quæque ad eam revocantur. 1. *Continentia*, quæ à caſtitate differt, in eo quod caſtitas paſſiones circa venerea refrænat, continentia verò voluntatem cohibet, ne hos motus ſequatur. 2. *Manſuetudo*, quæ iram coercet, ne exurgat, niſi ſicut oportet. 3. *Clementia*, quæ vindictam refrænat, ne extra debitos fines exiliat, & de ea aliquid minuit. 4. *Modeſtia*, quæ modum ac decentiam ſtatuit in humanis affectibus, & actibus externis, cujuſmodi ſunt corporis geſtus, cultus, & veſtitus. 5. *Humilitas*, qua quis ex ſui ipſius cognitione ſibimet vileſcit. 6. *Studioſitas*, qua

in

Digitized by Google

in addiſcendis neceſſariis pigritia excitatur, & immoderatum deſiderium diſcendi indecentia reprimitur. 7. *Eutrapelia*, quæ in honeſtis recreationibus modum ſervat honeſtum.

Hic nobis eſt agendum de quibuſdam vitiis temperantiæ oppoſitis; *Gula* videlicet, *Luxuria*, & *Immodeſtia*, ſequentibus quæſtionibus.

QUÆSTIO I.

Quid de Gula ſit dicendum.

Not. GUla *eſt inordinatus cibi, & potus appetitus*. Dicitur *appetitus*; quia non ſolùm inordinata comeſtio, ſed deſiderium inordinatè comedendi vitioſum eſt. Dicitur *inordinatus*; quia qui cibo, & potu utitur juxta Dei ordinationem, ad corporis ſuſtentationem, non ſolùm non peccat, ſed & coràm Deo merirum ſibi comparare poteſt. Dicitur *cibi*, cujus exceſſus crapula propriè dicitur, & *potus*, cujus exceſſus vocatur ebrietas: de utraque

QUÆR. 1. Quot modis Gulæ peccatum committi poſſit?

℟. Quinque, hoc verſiculo contentis.

Præproperè, Lautè, Nimis, Ardenter, Studioſè.

Præproperè: tempus manducationis abſque neceſſitate præveniendo; ſic venialiter peccant, qui quovis tempore, veluti pecora abſque neceſſitate bibunt, aut comedunt. *Lautè*; cibos pretioſiores, ſtatui ſuo non convenientes, ſumendo ob ſolam voluptatem, quòd ſaltem veniale eſſe, definivit Inn. XI. Prop. 8. *Nimis*; ideſt, plus quàm natura exigat, quod de ſe mortale, aut veniale eſt juxta exceſſus gravitatem, ut mox explicabitur. *Ardenter*; ideſt nimia aviditate, aut voracitate more pecudum, eſtque veniale peccatum. *Studioſè*; modum delicatiorem, & exquiſitiorem in cibis condiendis exquirendo, quod non ſit niſi propter voluptatem, nec abſque ſaltem veniali peccato.

QUÆR. 2. Crapula quale ſit peccatum?

℟. Licèt ordinariè crapula ſit tantùm veniale peccatum; poteſt tamen eſſe mortale, non ſolùm ex circumſtantiis, ſed etiam de ſe; dùm nempe quis omninò ſanus ſe ita cibis ingurgitat, ut ad vomitum moveatur; quia id valdè turpe, atque abominabile, naturæque rationabili maximè contrarium, omnibus hominibus videtur. Unde comeſſationes inter opera carnis, quæ à Regno Dei excludunt ab Apoſtolo recenſentur, Galat. 5. Ex circumſtantiis autem crapula mortalis eſt. 1. Dum in ea finis ultimus ponitur, ita ut guloſus paratus ſit Legem divinam violare, ut Gulæ ſuæ indulgeat. 2. Si ob nimiam crapulam impotens fiat ad munia ſua obeunda, ſolvenda debita, Familiam ſuſtentandam. 3. Si ob eamdem verſetur in periculo ſanitatem corporis, & animæ amittendi. 3. Si extra neceſſitatem extremam carnibus veſcatur humanis. Eadem cum proportione ſunt dicenda de potu nimio, independenter ab ebrietate conſummata.

QUÆR. 3. Quid ſit Ebrietas, & quale peccatum?

℟. Ebrietas eſt *ſumptio potus uſque ad violentam uſus rationis privationem*. Dicitur *uſque ad violentam* &c. ut diſtinguatur à ſomno, aut phreneſi, aut hypocondria, quibus uſus rationis naturaliter auſertur. Ebrietatis autem tres ſunt gradus. 1. Dum ipſa non pervenit, niſi ad quamdam rationis obnubilationem. 2. Dùm non pervenit, niſi ad organorum turbationem, & cordis aggravationem. 3. Dùm pervenit ad rationis ſubverſionem. Porro ebrietas, in quolibet ſit gradu, vel eſt expreſsè volita, dùm quis directè ſe ſe inebriare intendit; vel interpretativè tantùm, dùm quis vult bibere quantum poteſt, non curans de ebrietate ſecutura; vel dùm advertens, aut advertere potens, ac debens de proxima, & imminenti ebrietate, nihilominus bibere non deſiſtit. Quoquomodo id fiat, ebrietas in primo gradu de ſe peccatum eſt tantùm veniale, niſi ex circumſtantiis mortalis fiat. In ſecundo gradu, longè gravior, & ſæpius mortalis eſt; dùm ſcilicet notabilis ſit organorum diſturbatio, & cordis aggravatio. In tertio tandem gradu indubitanter mortalis eſt.

Mortalem autem eſſe ex genere ſuo ebrietatem probatur; tum ex Scriptura dicente Iſaiç 5. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam*: quod *væ* indicat mortale peccatum; tum ratione, quia rationis uſus præcipuum eſt hominis bonum, quo quis abſque gravi inordinatione ſe ipſum privare minimè poteſt. Imò cenſent communiter Doctores, eum peccare mortaliter, qui attento uſu communi monſtruosè bibit, licet adhuc ſit rationis compos; cum per hanc monſtruoſam potationem tempe-

Digitized by Google

rantiam enormiter lædat: unde dicit Iſaias ſupracitatus: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem*: quæ maledictio non incurritur, niſi propter mortale peccatum. Ex quibus colligitur quàm graviter peccent, qui more Dæmonum alios ad nimiam potationem provocant; qui alios ſe ſe inebriare permittunt, cum eos impedire poſſint ac debeant; quique guloſis ac ebrioſis vinum copioſum ſubminiſtrant, ex quo inebriandos eſſe prævident, ut caupones, niſi tamen eos excuſet gravioris incommodi imminens periculum.

QUÆR. 4. Utrùm ſe ſe inebriare liceat, ad mortem vitandam, aut alium inebriare, ut à majori peccato retrahatur?

℞. Cum D. Aug. Serm. 231. & 232. de temp. id minimè licere: *Melius eſt*, inquit, *ut caro tua ſobria occidatur, quàm per ebrietatem anima moriatur*. Ratio eſt, quia uſu rationis violenter privare ſe, aut alium, eſt intrinſecè malum; quòd nullo caſu eſt licitum, cum ex Apoſtolo mala non ſunt facienda, ut eveniant bona. Nec refert quòd non intendatur rationis privatio, ſed vitæ conſervatio, aut quodlibet aliud bonum, quia quando intenditur id, ex quo ex natura ſua aliud ſequitur, intenditur illud ipſum in actu exercito. Deinde ſequeretur ebrietatem ipſam numquam ferme eſſe peccaminoſam; cum numquam ferme ullus intendat uſu rationis ſe privare, ſed vel ſenſualitati, vel amico invitanti indulgere.

QUÆR. 5. Quænam ſint Gulæ filiæ?

℞. Quinque communiter recenſentur. 1. *Mentis hebetudo*; quæ ſi officia ad mortale obligantia impediat; mortalis erit. 2. *Inepta lætitia*; quæ pariter mortalis eſt, ſi ad libidinem ordinatur, & provocat. 3. *Scurrilitas*, ſeu jocorum ac facetiarum immoderatio, quæ dum vel Deo, vel proximo injuriam infert, aut puritatem lædit, lethalem culpam efficit. 4. *Multiloquium*; quod ſi in detractionem, aut turpitudinem exeat, animam enecat. 5. *Immunditia*, venerea ſcilicet, quæ ſemper eſt mortalis. Hæc autem peccata in ebrietate commiſſa ebrio imputantur, licet rationis impoti; ſi ab ipſo prævisa fuerint, aut prævideri debuerint ac potuerint, quatenus in cauſa ſua voluntaria.

QUÆSTIO II.

Quid de Luxuria ſit dicendum?

✠
(*)

Propoſitiones Damnatæ in materia Luxuriæ.

1. „ Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt „ peccata ejuſdem ſpeciei infimæ: ideoque „ ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſ- „ ſe pollutionem. Ab Alex. VII. 1665. „ Eſt 24.
2. „ Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens: *commiſi cum ſoluta grave peccatum contra Caſtitatem* non explicando copulam. Ab „ eodem. Eſt 25.
3. „ Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tan- „ tum veniale, oſculum habitum ob dele- „ ctationem carnalem, & ſenſibilem, quæ „ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſen- „ ſus ulterioris, & pollutionis. Ab eodem. „ Eſt 40.
4. „ Non eſt obligandus concubinarius ad eji- „ ciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis „ eſſet ad oblectamentum concubinarii, „ vulgo *Regalo*, dum deficiente illa, nimis „ ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio „ magno concubinarium afficerent, & alia „ famula nimis difficile inveniretur. Ab „ eodem. Eſt 41.
5. „ Tam clarum videtur, fornicationem ſe- „ cundum ſe nullam involvere malitiam, „ & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut „ contrarium omnino rationi diſſonum vi- „ deatur. Ab Innoc. XI. 1679. Eſt 48.
6. „ Mollities jure naturæ prohibita non eſt. „ Unde, ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæ- „ pe eſſet bona, & aliquando obligatoria „ ſub mortali. Ab eodem. Eſt 49.
7. „ Copula cum Conjugata, conſentiente „ marito, non eſt adulterium: adeoque ſuf- „ ficit in confeſſione dicere, ſe eſſe forni- „ catum. Ab eodem. Eſt 50.
8. „ Opus conjugii ob ſolam voluptatem exer- „ citum, omni penitus caret culpa, ac de- „ fectu veniali. Eſt 9.

(*)

Latiſſimam hanc materiam in tres Articulos partiri convenit: Primus erit de caſtitate, & luxuria in genere: Secundus de luxuriæ variis ſpeciebus: Tertius tandem de impudicitia. Sit igitur

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De Caſtitate, & Luxuria.

Not. CAſtitatem dupliciter ſumi *in genere*. 1. Metaphoricè pro animi puritate ab omni creaturarum affectu immuni. 2. Propriè pro virtute moderatrice affectuum, & uſuum venereorum: Luxuria è contra *eſt inordinatus venereorum appetitus, vel uſus*, de his

QUÆR. 1. Quotuplex ſit caſtitas, & luxuria?

R. Triplicem eſſe, juxta triplicem cujuslibet ſtatum; Conjugalis ſcilicet, quæ Sacramento Matrimonii ligatis convenit: Vidualis, quæ motus, & appetitus venereorum extra Matrimonium exortos reſpicit: Virginalis tandem, quæ circa mentis, ac corporis integritatem verſatur. Dixi mentis, & carnis: Alia ſiquidem eſt mentis virginitas, quæ coram Deo amittitur per ſolum venereorum affectum, etiam licitorum; ſed quæ recuperari poteſt, ſi durante corporis integritate affectus ille corrigatur. Alia eſt carnis, quæ per ſolam voluntariam pollutionem, quoquomodo contingat, omninò irrevocabiliter amittitur. Dixi voluntariam, qui ſi involuntariè corporis integritas violetur, non amittitur virginitas; ſed ſi propter Deum violentia toleratur, ad coronam duplicatur.

QUÆR. 2. Quale peccatum ſit luxuria?

R. Concedunt omnes mortale eſſe ex genere ſuo. Nam licet prima fronte ſolum adulterium prohiberi videatur hoc præcepto; *Non Mæchaberis*; Deum tamen omnem omninò per hoc præceptum mentis, oris, & corporis impudicitiam vetaſſe conſtat ex oraculo Chriſti Domini: *Omnis*, inquit, *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo*. Si enim Chriſtus ſolùm aſpectum mulieris, ad ejus concupiſcentiam ordinatum damnat; quanto magis tactus, oſcula, pollutionem, fornicationem, &c. Ex hoc principio facilè deducitur nullam dari in re venerea materiæ parvitatem, omneque luxuriæ peccatum ſemper eſſe mortale. Ad cujus explicationem

Sciendum eſt duplicem in hac materia diſtingui delectationem: Alia ſiquidem dicitur delectatio merè ſenſualis ſeu organica, quæ in conformitate rei tactæ, aut viſæ cum organo ſenſus, & viſus ſita ſit; ita ut homo non delectetur, niſi de re blanda, leni, pulchra, vel tenera: Alia dicitur venerea ſeu libidinoſa, quæ conſiſtit in commotione carnis, & ſpirituum generationi inſervientium. Hoc poſito

Certum eſt 1. apud omnes, atque indubitatum, dari levitatem materiæ in delectatione merè ſenſibili, dûm abeſt ulterioris turpis delectationis, aut conſenſus periculum, quod aliquando contingere poteſt. Aliàs peccato mortali damnandæ forent Matres, & Nutrices, quæ cum ſuavitate, & affectu teneram puerorum carnem oſculantur. Nec obſtat damnatio Prop. 40. ab Alex. VII. *Probabilis eſt opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis*. Quia Pontifex hic loquitur de delectatione venerea, & libidinoſa, quæ ſatis per verbum *carnalem* exprimitur.

Certum eſt 2. Non dari levitatem materiæ in delectatione venerea. Ratio quorumdam Doctorum eſt; quia quælibet, vel modica venerea delectatio, quædam eſt pollutionis inchoatio, proindeque mortale peccatum, ſicut homicidium inchoatum. Nonnulli autem Doctores contendunt, gravem quidem ac notabilem delectationem inchoatam eſſe pollutionem; non autem leviſſimam; quæ ſolummodò peccatum eſt mortale, ob proximum conſenſus, aut delectationis ulterioris periculum. Nam, inquiunt, ſicut rixa inchoatum homicidium non eſt, ſed tantum diſpoſitio remota ad illud; ita nec levis delectatio pollutio eſt inchoata; quæ, ut talis ſit, tanta debet eſſe delectatio, & commotio, ut adſit pollutionis periculum. Ex quo jure merito concludunt levem delectationem, in cauſa ſolummodò volita, (dum quis ſcilicet talem actionem ponit, ex qua ordinariè commotio ſpirituum ſequitur) non eſſe grave peccatum; quia tunc nullum adeſt, niſi remotum ulterioris conſenſus periculum, ſicuti adeſt, quando in ſe eſt volita.

QUÆR. 3. Quid de motibus in parte inferiori exortis ſit dicendum?

R. Vel motus iſti inſurgunt naturaliter, vel eis data fuit occaſio, vel his conſenſus periculum eminet, vel non. Si naturaliter exorti ſint, & nullum adſit ulterioris delectationis periculum; non peccat ſaltem mortaliter, qui erga eos ſe habet permiſſivè aut negativè, ipſos nec approbando, nec reprobando; quia nullo modo ſunt peccata, nec in ſe, nec in effectibus

ſuis,

Digitized by Google

ſuis. Quòd ſi aliquod adſit ulterioris delectationis, proindeque conſenſus periculum, tunc ſub gravi peccato illis poſitivè reſiſtere tenemur, hos motus, quoad fieri poteſt, reprimendo, & diſplicentiæ actum eliciendo: ſcriptum eſt enim *qui amat periculum, in illo peribit*. Amatur autem periculum, dum non vitatur: non vitatur autem, dùm non ei poſitivè reſiſtitur. Si verò his motibus voluntaria data fuerit occaſio, longè gravius tenemur, eis poſitivè reſiſtere; cum vera in cauſa ſua ſint peccata, ut per ſe patet.

QUÆR. 4. Quænam ſint luxuriæ filiæ?

℞. Octo numerantur. 1. Cæcitas mentis circa res ſpirituales. 2. Præcipitatio, qua quis abſque conſilio operatur. 3. Inconſideratio, qua luxurioſus nec modum, nec ſtatum rerum conſiderat. 4. Inconſtantia in bonis propoſitis. 5. Amor ſui pravus, & inordinatus, quo luxurioſus carnem ſuam cæteris præfert. 6. Odium Dei, quatenus abominationum noſtrarum vindex. 7. Affectus præſentis ſæculi. 8. Horror futuri. Quæ omnia gravia ſunt peccata; Dùm in creatura finem ultimum ponimus, aut grave quid contra Deum perpetramus.

ARTICULUS II.

De Luxuriæ ſpeciebus.

Not. Septem numerari luxuriæ ſpecies: videlicet, Simplex fornicatio, Stuprum, Raptus, Adulterium, Inceſtus, Sacrilegium, & peccatum contra naturam; quod quadruplex eſt. 1. Beſtialitas. 2. Sodomia. 3. Inordinatus contra naturam concubitus. 4. Pollutio ſeu mollities. De his

QUÆR. 1. Quid ſit Fornicatio, & quale peccatum?

℞. Fornicatio *eſt congreſſus naturalis cum perſona ſoluta, tum à Matrimonio, tum à conſanguinitate, aut affinitate, tum ab Ordine ſacro, tum à voto continentiæ, tum ab illata violentia.* Dicitur autem ſimplex, ut diſtinguatur à cæteris luxuriæ ſpeciebus, quæ generalis fornicationis nomine plerumque donantur. Ipſa eſt mortale peccatum ipſo jure naturali prohibitum. Prob. 1. Auctoritate Inn. XI. qui damnavit. prop. 48. ubi docetur, *fornicationem, ſecundùm ſe, nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta.* 2. Ex Scriptura 1. Cor. 6. ubi Apoſt. perinde à Regno Dei excludit fornicarios, ac adulteros, molles, ebrioſos, cæteroſque peccata contra naturam committentes. 3. Ex Patribus Fulg. Epiſt. 1. c. 4. *Fornicatio*, inquit, *numquam poteſt eſſe ſine gravi peccato*; quod denotat nullo caſu eſſe licitam, proindeque intrinſecè malam. 4. Ratione, quia fornicatio, quæ de le vagus eſt concubitus, contraria eſt, tum fini generationis, prolis ſcilicet educationi, atque inſtructioni; tum bono prolis, cui utrcque jure naturali debetur; tum bono communi ob confuſionem, perturbationem, rixas & querelas, quæ ex vago concubitu oriri poſſunt. Nec obſtat, quod fornicarii de prolis educatione convenire poſſint; ita ut proli & bono communi omninò provideant; quia, ut fornicatio intrinſecè ſit mala, ſufficit ut proli, & bono communi de ſe ſit nociva; licet quandcque per accidens eis non noceat.

QUÆR. 2. Quid ſit Adulterium, & quale peccatum?

℞. Adulterium eſt *congreſſus naturalis, vel inter hominem conjugatum, & mulierem ſolutam, vel inter ſolutam, & conjugatum, vel inter duas perſonas conjugatas.* Peccatum eſt graviſſimum, teſte Apoſtolo, à Regno Dei excludens; cum ultra libidinis turpitudinem, gravem inferat injuriam, tum in proximum, tum in Matrimonii Sacramentum, tum in fidem conjugalem. Gravius peccatum eſt, ſi mulier conjugata ſit, quàm ſi ſolus vir; quia id naturæ magis contrarium eſt; copula ſiquidem cum conjugata generationem quandoque impedit, aut ſi non impediat prolem incertam reddit, quod in confeſſione eſt exprimendum. Item exprimendum eſt, ſi ambo vir, & mulier ſint conjugati; cum duplex ſit numero Adulterium, duoque jura ſimul violentur. Nec adulterium, conſentiente marito, tantum eſt fornicatio; prout definivit Inn. XI. quia ſicut maritus cedere non poteſt juri, quod habet in corpus ſuum; nec juri, quod habet in corpus uxoris, multò minus juri Matrimonii, cui injuria infertur.

QUÆR. 3. Quid ſit Stuprum, & quale peccatum?

℞. Stuprum *eſt illicita, violentaque Virginis defloratio.* Dixi *violenta*; quia; quidquid à nonnullis dicatur Theologis, ſi puella ultrò conſentiat, ſtuprum non eſt à fornicatione ſimplici diſtinctum; cum nulla ſcienti ac volenti inferatur injuria; & Virgo jus habeat in corporis ſui integritatem, ut actum conjugalem faciat vel licitè in Matrimonio, vel illicitè extra illud.

Nec obſtat quod Virgo deflorata in maximo

ximo deinceps verſetur peccandi periculo; tum quia periculum iſtud deflorationi omninò eſt extrinſecum; tum quia ſæpius non majus adeſt periculum poſt deflorationem, quàm ante. Dixi *Virginis*; quia concubitus corruptæ, etiam violentus; licèt peccatum ſit ſpeciale, non eſt tamen propriè ſtuprum, cum non violata ſit corporis integritas. Nomine autem *Virginis*, maſculus intelligitur, non ſecus ac fœmina; ac vera, licet non tanta, maſculo infertur injuria. Ideò ſtupro reæ ſunt mulieres, quæ vi, & metu, dolis, & fraudibus, ac importunis ſollicitationibus, vehementibuſque blanditiis adoleſcentibus Virginitatis florem excerpunt. Eodem rei ſunt crimine, qui invitos, aut quaſi invitos adoleſcentes, ſive pueros, ſive puellas, adhuc Virgines polluunt, aut ad pollutionem protrahunt.

QUÆR. 4. Quid ſit Raptus, & quale peccatum?

℞. Raptus eſt *violenta alicujus perſonæ abductio; libidinis explendæ cauſa*. Dicitur *alicujus perſonæ*, cujuſlibet ſexus ſit, ſtatus, aut conditionis. Dicitur *violenta*, ſive mulier ſit invita, ſive ipſa conſentiente, inviti ſint hi, quorum curæ commiſſa eſt, nempe Parentes, Tutores, Maritus &c. Excipe tamen, ſi Sponſus abducat ſponſam conſentientem, etiam repugnantibus Parentibus; quia ratione Sponſalium quoddam jus habet in ipſam: Excipe item, ſi puella ſponte diſcedat cum amaſio inſciis Parentibus; tunc enim fuga eſt, non raptus. Dicitur *abductio*, ideſt translatio in locum ab alio moraliter diſtante; nam qui puellam violenter ad aliquot tantum paſſus traheret, ad explendam libidinem, ſtuprator eſſet, non raptor: Dicitur *libidinis explendæ cauſa*; quia ſi fiat ob alium quemvis finem, non eſt verus raptus, ſed furtum.

QUÆR. 5. [illegible]uid ſit Inceſtus, & quale peccatum?

℞. Eſt *peccatum luxuriæ inter perſonas conſanguineas, & affines intra gradus prohibitos*.

Dicitur *peccatum luxuriæ*, ſive incompletum, deſiderium ſcilicet, tactus, oſcula &c. quæ rationem inceſtus participant, cum actus principalis, ad quem ordinantur, malitiam induant; ſive concubitus ſit naturalis, ſive ſodomiticus; quia ſodomiticus concubitus reverentiam parentibus debitam non minus offendit, quàm naturalis.

Dicitur *inter gradus prohibitos*; ideſt, uſque ad quartum gradum incluſivè, inter perſonas conſanguineas, & affines ex copula matrimoniali, & ex copula illicita uſque ad ſecundum, etiam incluſivè. Porrò iſtud graviſſimum eſt contra honorem propinquis debitum; tantòque gravius, quantò proximiores ſunt perſonæ peccantes; majus cum conſanguinea, quàm cum affine; majus cum affine, quàm cum cognata ſpirituali, majus cum cognata ſeu affine in primo gradu, quàm in ſecundo. Unde hæc circumſtantia in Confeſſione eſt aperienda, tamquam notabiliter aggravans.

QUÆR. 6. Quid ſit Sacrilegium, & quale peccatum?

℞. Sacrilegium; *quòd eſt rei ſacræ violatio per actum venereum*, peccatum eſt graviſſimum, Deo gravem inferens injuriam. Per rem autem ſacram non ſolùm perſona ſacra per caſtitatis votum aut ſacrum Ordinem Deo dicata, ſed & locum ſacrum intelligitur. Ideò Sacrilegium eſt, dum in loco ſacro actus venereus, ſive licitus, ſive illicitus, exercetur; vel dum perſona ſacra, quodlibet ſive mente, ſive opere, luxuriæ peccatum committit. Gravius peccat Sacerdos, quam Diaconus: Diaconus, quam Subdiaconus; & Sacerdos Religioſus, quam ſimplex Sacerdos non Religioſus, aut ſimplex Religioſus non Sacerdos; quia quò magis firmatum eſt promiſſionis vinculum, eo major eſt in violando infidelitas; quæ circumſtantia non ita tamen notabilis cenſetur, ut neceſſariò ſit in Confeſſione aperienda. Quod ſi duæ perſonæ ſacræ aliquam inter ſe turpidinem exerceant; vel ſi Perſona ſacra eam turpitudinem exerceat cum non ſacra in loco ſacro, vel indutus veſtibus Sacerdotalibus, ut alba; duplex perpetrat ſacrilegium in Confeſſione exprimendum.

QUÆR. 7. Quid ſit Beſtialitas, & quale peccatum?

℞. Beſtialitas quæ *eſt coitus cum Bruto*, peccatum luxuriæ inter omnia graviſſimum, cum naturæ maximè ſit contrarium. Ad hoc reducitur concubitus viri aut fœminæ cum dæmone; qui, ſi maſculum ſe exhibeat, erit ſodomia: ſi tamquam mulier libera, fornicatio: ſi tamquam cognata, inceſtus &c.

QUÆR. 8. Quid ſit Sodomia, & quale peccatum?

℞. Sodomia peccatum enorme, & abominandum *eſt coitus libidinoſus perſonarum ejuſdem ſexus, vel diverſi ſexus in vaſe indebito*. Dupleſt eſt: alia perfecta, altera imperfecta. Perfecta eſt congreſſus maſculi

li

li cum maſculo, aut fœminæ cum fœmina; & ad perfectam, reſervatamque ſodomiam indifferens eſt in quo vaſe coeant maſculi inter ſe, ſive in vaſe præpoſtero, ſive, quod nefandum eſt, in ore; & fœminæ coeant in vaſe anteriori, aut poſteriori, cum ſodomiæ malitia præcisè conſiſtat in affectu ad ſexum indebitum. Imperfecta autem eſt congreſſus viri cum fœmina extra vas naturale, quæ ſpecie differt à perfecta, proindeque in Confeſſione exponenda.

QUÆR. 9. Quid ſit inordinatus concubitus, & quale peccatum?

℟. Ordo naturalis in concubitu non ſervatur, ſi à latere copula habeatur, ſi ſtando, vel ſedendo, ſi viro ſuccumbente non incumbente, de ſe peccatum veniale eſt; mortale verò diſtinctum à fornicatione, & adulterio &c. ſi impediatur generatio, aut ſi periculum adſit extra vas ſemen effundendi, aut prolem conceptam ſuffocandi; ſed de his plura, dùm de Matrimonio.

QUÆR. 10. Quid ſit Mollities aut pollutio, & quale peccatum?

℟. Mollities, quæ *voluntaria eſt ſeminis effuſio*, grave peccatum eſt, & quidem jure naturali prohibitum, ut definivit Inn. XI. prop. 49. & gravius fornicatione, cum magis adverſetur generationi, & directè eam tollat. Ideò nullo caſu licita eſt, nec ullo fine etiam honeſtiſſimo cohoneſtari poteſt. Imò deſiderare non licet, vel ob ſanitatem recuperandam, vel ad tentationem vincendam, ut pollutio naturaliter eveniat, aut de ipſa jam habita gaudere; & dum incipit pollutio, & ipſa naturaliter fluere ſentitur, tenemur eam cohibere, ſi poſſimus abſque gravi noſtro incommodo; & hoc quidem non ſolum propter conſenſus periculum, ſed quia præcisè ſeminis effuſio eſt quaſi inchoatum homicidium, nempe prolis privatio, ad quam ex natura ſua ſemen eſt ordinatum.

Porrò mutua pollutio inter mares, vel inter fœminas procurata per affectum ad ſexum indebitum, rationem induit ſodomiæ in Confeſſione aperiendam. Item conjugati, vel cum ſua comparte, vel cum alio, vel privatim ſe ſe polluentes, rei ſunt adulterii inchoati in Confeſſione exponendi; eo quod eorum caro dividatur, contra datam in Matrimonio fidem. Item in Confeſſione declarandum eſt, utrùm mollis vel privatim, vel cum alio ſe ſe polluerit; quia per illud conſortium ambo Complices fiunt mutui ſui peccati.

ARTICULUS III.

De Impudicitia.

Not. IMpudicitiæ nomine intelligitur luxuria quædam inchoata, quæ conſiſtit in oſculis venereis, tactibus, & aſpectibus impudicis, ſcriptis, & verbis turpibus, & laſcivis repræſentationibus. Hæc de ſe peccata eſſe mortalia facile convincitur; tum ex Apoſt. ad Eph 5. Immunditiam a Regno Dei excludente; tum ratione, qua probavimus nullam dari in luxuria parvitatem materiæ, quod ut clarius pateat

QUÆR. 1. Quid de oſculis ſit dicendum?

℟. Cum oſcula (idem dicendum eſt de aſpectibus, & tactibus) ex natura ſua ſint indifferentia, nullam habent malitiam, niſi eam, quam ipſi malus agentium affectus communicat. Unde oſcula juxta morem patriæ, cauſa urbanitatis, pacis, ac benevolentiæ, per ſe loquendo ſunt licita; & tantùm per accidens mala, ſcilicet, vel ob ſcandalum, vel ob carnalis delectationis, quæ ex his oriri ſolet, periculum, per quod tunc evadunt mortalia. Idem dicendum venit de oſculis ex vanitate, joco, aliave ſimili levitate factis, quæ de ſe ſunt tantùm venialia. Libidinoſa autem habita cum carnali, & venerea delectatione, ſemper ſunt mortalia, etiam citra ulterioris conſenſus periculum, ut definivit Eccleſia, & alibi dictum eſt. Libidinoſa autem cenſetur, dùm delectatio percepta oritur, vel ex repræſentatione copulæ, aut actuum ad eam tendentium, vel ex commotione externa, aut interna carnis, aut ſpirituum generationi inſervientium.

QUÆR. 2. Quid de tactibus ſit dicendum?

℟. Certum eſt ex dictis, omnem tactum libidinoſum, in quacumque corporis parte fiat, ſive activus ſit, ſive paſſivus, ſive in alio fiat, ſive in ſe ipſo, peccatum eſſe mortale. Quod ſi tactus fiat ex levitate, joco, aut propter delectationem merè ſenſualem in partibus honeſtis, vultu ſcilicet, aut facie, de ſe non eſt mortalis; ideſt, niſi ſubrepat ulterioris delectationis periculum.

Dixi 1. *Partium honeſtarum*: Nam ſi tactus fiant in partibus inhoneſtis, ut ma-

mullæ,

Digitized by Google

mill'æ, aut ſecretoribus, ut verenda, loca- que vicina, ordinariè ſunt mortalia, dum deeſt juſta cauſa; quia naturaliter ad libidinem excitant, & ad pollutionem proximè diſponunt. Dixi 2. Ordinariè; quia impuberes ejuſdem ſexus omnis veneris inexpertes, ex joco aut levitate in his partibus ſe ſe tangentes, à mortali poſſent excuſari. Item qui ſic ſe ipſos obiter tangunt; obiter, inquam, non moroſè, aut vicibus repetitis, à mortali excuſantur. Dixi 3. Abſque juſta cauſa; ideſt gravis, vel levis neceſſitas, juxta majorem, vel minorem tactus turpitudinem.

QUÆR. 3. Quid de aſpectibus ſit dicendum?

℞. Peccant ordinariè mortaliter, qui abſque juſta cauſa Perſonas diverſi ſexus in partibus ſecretioribus, aut valde vicinis aſpiciunt, qui viri ac mulieris coitum, imò quandoque brutorum contemplantur, qui ſe ipſos, aut alios ejuſdem ſexus in partibus verendis, imò & picturas, aut ſtatuas valdè turpes, grandiores Perſonas repræſentantes, ſtudioſè ac moroſè proſpiciunt; quia ex his aſpectibus motus libidinoſi ut plurimum excitantur; nec a peccato excuſat curioſitas, cum ipſa omnino vana ſit, & inutilis. Dixi *ordinariè*, quia ſi in his aſpectibus nullum adſit libidinis periculum, nec ulla delectatio, aut commotio venerea timeatur, peccatum fortaſſis non niſi ad veniale pertinget; circa quod tamen quilibet multùm ſibi diffidere debet, ob naturam in hac materia maximè proclivem ac lubricam.

QUÆR. 4. Quid de Turpiloquio ſit dicendum?

℞. Turpia loqui, audire, canere, legere, ſcribere mortale eſt, ſi fiat cum delectatione ad turpitudinem ſignificatam, vel cum ejuſdem periculo: veniale tantum, ſi fiat ex joco, aut curioſitate, aut cum ſola delectatione ad rerum, aut verborum artificium, vel ad factorum facetiam; modò, quod perrarò contingit, nullum adſit vel ſcandalum, vel libidinoſæ delectationis periculum. Unde hæc cautiſſimè ſunt vitanda. Ob eamdem rationem vitanda eſt lectio librorum amatoriorum, quia licèt turpia, & obſcæna expreſsè non referant, turpes imagines ingerunt, & ad carnalem delectationem provocant. Item Litterarum ſcriptio, ubi honeſtis etiam mulieribus teneriores benevolentiæ ſenſus exhibendo, affectus libidinoſus latenter excitatur, cujus delectationis, aut affectus periculum, ſi à legentibus, aut ſcribentibus prævideatur, aut prævideri potuerit, vel debuerit, peccatum mortale incurritur.

QUÆSTIO III.

De Immodeſtia.

Not. Multiplicìter contra modeſtiam chriſtianam varia peccata poſſe committi; choreas ſcilicet ineptas, aut laſcivas ducendo, immoderata ornamenta adhibendo, fucis mendacibus vultum depingendo, larva perſonatum agendo. De quibus

QUÆR. 1. Quid de Choreis ſit dicendum?

℞. Certum eſt apud omnes poſt D. Thom. in cap. 3. Iſai. Choreas de ſe non eſſe illicitas, ſed dumtaxat ex abuſu, aut inordinato ſaltantium affectu: Unde Choreæ videntur innocentes, modo ſequentes adſint conditiones. 1. Ut ſaltans non ſit perſona indecens, ſicut Clericus, aut Religioſus; quod ratione ſcandali mortale eſſe poſſet. 2. Ut Choreæ non agantur in loco ſacro, nec Officiorum Divinorum tempore, nec die feſto, aut Dominica, juxta ſanctiones tum Eccleſiaſticas, tum civiles, ubi vigent, ad mortale obligantes, 3. Ut abſit in ſaltantibus animus libidinoſus, geſtus laſcivus, & venereæ delectationis periculum; quod cum ſæpius adeſſe contingat, jure ac meritò in Choreas inhoneſtas tam vehementer Patres inſurgunt.

QUÆR. 2. Quid de mulierum ornamentis ſit dicendum?

℞. Non peccat quidem mulier ornans ſe ſe honeſtè, tum ad ſtatus ſui decorem ſuſtinendum, tum ad viro placendum, ſi nupta ſit, tum ad placendum alicui, ut eam ducat in uxorem, ſi ſit innupta: ſed peccant ſaltem venialiter, qui ſupra conditionem ſuam veſtibus ac ornamentis pretioſioribus utuntur; imò & mortaliter. 1. Dùm enormis eſt exceſſus. 2. Dùm hæc ornamenta adhibentur ad Luxuriam excitandam. 3. Dùm prævident; aut facile prævidere poſſunt ac debent ex ſuis vanis, ac ſuperfluis ornamentis aliquem ad libidinem fore commovendum. 4. Dùm laſcivis utuntur ornamentis de ſe ad libidinem excitantibus; prout faciunt, qui pectora nudant, ſcapulas diſcooperiunt &c.

QUÆR. 3. Quid de fucis ſit dicendum?

℞. Vetcat muliet, quæ abſque cauſa rationabili fucis utitur, etiamſi nullo pravo teneatur affectu, nec ullum adſit ſcandali periculum, quia fucatio ſpecies eſt mendacii. Ipſa tamen, inquit D. Thom. 2. 2. q. 169. a. 2. ad 2. non ſemper eſt cum peccato mortali; ſed ſolùm quando fit propter laſciviam, vel in contemptum Dei. Dixi *abſque rationabili cauſa* cùm eodem S. Doctore; quia licèt fucis uti non liceat ad fingendum pulchritudinem non habitam, *fas eſt occultare turpitudinem ex aliqua cauſa provenientem, puta ægritudine, vel aliquo hujuſmodi.*

QUÆR. 4. Quid de Larvis, aut Perſonatibus ſit dicendum?

℞. Cum Larvæ, & Perſonatus de ſe ſint indifferentes, imò & in bonum finem converti poſſint; non cenſentur peccata, niſi venialia propter immodeſtiam, aut nimiam mentis divagationem. Mortalia tamen fierent, ſi in talibus adhiberentur circumſtantiis, ut eſſent concupiſcentiæ incentiva, & libidini præſtarent occaſionem; ut ſæpius contingit. Ubi obſervandum eſt graviter peccare, imò ſecundùm multos auctores mortaliter, viros veſtem fœmineam, aut fœminas veſtem virilem induentes, abſque gravi neceſſitate, tum ob apertam Scripturæ prohibitionem, ubi dicitur Deut. 22. *Abominabilem eſſe qui facit hæc*; tum ob imminens & proximum in his Perſonatibus laſciviæ periculum. Qui verò veſtes ſacras Eccleſiaſticas, aut Religioſas in his Perſonatibus adhibent, proculdubiò mortaliter peccant; utpote, qui rebus ſacris ac Religioni ludos facere jure merito cenſeantur. Cæterùm cum homines aut fucis, aut larvis ad malum non ſemper utantur, & in bonum finem quandoque uti poſſint; ideò communiter dicent Doctores in malo ſtatu non verſari, qui hæc faciunt, aut vendunt; niſi vendant eis, quos probabiliter dubitant hujuſmodi rebus uſuros ad mortale.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX I.

Quæſtionum Regularium.

✠

(*)

Propoſitiones Damnatæ quoad Regulares.

1. „ Prælati Regulares poſſunt in foro con-
„ ſcientiæ abſolvere quoſcumque Sæculares
„ ab hæreſi occulta, & ab excommunica-
„ tione propter eam incurſam. Ab Alex.
„ VII. 1665. Eſt ordine 4.
2. „ Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus
„ Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id
„ Epiſcoporum facultate. Ab eodem. Eſt
„ 12.
3. „ Regulares poſſunt in foro conſcientiæ
„ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè
„ revocata per Concilium Tridentinum.
„ Ab eodem 1666. Eſt 36.
4. „ Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, &
„ revocatæ a Paulo V. hodie ſunt revali-
„ datæ. Eſt 37.
5. „ Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis,
„ qui confitetur Regulari Epiſcopo præſen-
„ tato, ſed ab eo injuſtè reprobato. Ab
„ eodem 1665. Eſt 13.
6. „ Parochianus poteſt ſuſpicari de mendi-
„ cantibus, qui eleemoſynis communibus
„ vivunt de imponenda nimis levi, & in-
„ congrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione,
„ ob quæſtum ſeu lucrum ſubſidii tempo-
„ ralis. Damnata fuit ab Alex. VIII.
„ 1691. Eſt 21.

(*)

CUM ad uſum maximè Regularium Opuſculum iſtud ſit editum; hinc de quæſtionibus Regularibus Appendicem ipſi adjicere, & huic Tomulo, ſtylo breviori, adnectere, conſultò duximus. Hic tamen noſtri non eſt inſtituti, ea de materia propemodùm inexhauſta uberiùs, fuſiùſque diſputandi, ſed ſelectas tantummodò quæſtiones ad uſum communem apprimè neceſſarias paucis, more ſolito, attingendi: Igitur

QUÆR. 1. An Summ. Pontificum Bullæ, Conſtitutiones, Decreta, & cætera Monaſticam Diſciplinam ſpectantia, omnes & ſingulos Regulares obligandi, ſemper & ubique vim habeant?

℞. Graviſſimo illuduntur errore nonnulli ex Regularibus Gallis contendentes ſe nullis in conſcientia teneri Decretis Pontificiis, niſi prius auctoritate Regia fuerint recognita, & formaliter rata habita. Id quidem jure ac meritò diceretur de Decretis communem Diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantibus, quæ utique non magis Regulares, quàm cæteros Regis ſubditos afficiunt. Secus autem dicendum eſt de Decretis ſolos Regulares concernentibus. Hæc ſiquidem apud ipſos omne robur ſuum obtinent, dùm à Capitulis Ordinum Generalibus, aut Superioribus Majoribus promulgata fuere, aut uſu recepta.

Prob. 1. Ex innumeris Decretis Pontificiis, tum circa Superiorum auctoritatem, tum circa Profeſſionum, aut Electionum validitatem, aliaſque materias edictis, quibus hac Regia recognitione, aut ratihabitione minimè opus fuit, ut omnes & ſingulos ligarent Regulares. 2. Ex ſpeciali obſervantia, quam omnes profitentur Regulares erga Summ. Pontificem, tamquam erga ſupremum, & proprium omnium Religionum Superiorem. 3. Ex præſumpta ſaltem voluntate, tacitoque conſenſu Galliæ Regum, qui pro ſua in ſtatum Religioſum pietate Monaſticam Diſciplinam in Regno ſuo ſartam tectam eſſe, proindeque Decreta Pontificia ad ipſam ſpectantia, quæ Status ſui politica præcepta minimè lædunt, Religioſè obſervari intendere, non ſemel data occaſione, teſtati ſunt.

Dixi: *Dùm à Capitulis Ordinum &c.* Quamvis enim Regulares omnes Summo Pontifici ſpecialiter obedire teneantur, ab eoque compelli poſſint ad ejus mandata acceptanda, & obſervanda: Si tamen ex cauſa rationabili, cujus judicium Superioribus relinquitur, non fuerint publicata, aut uſu recepta, ab eorum obſervatione excuſantur ſubditi, propter rationes in Tractatu de Legibus à nobis adductas, quas hic repetere non vacat.

QUÆR. 2. Quibus in caſibus Regulares exempti Epiſcoporum juriſdictioni ſubjaceant?

℞. Non obſtantibus quibuſvis exemptionis Privilegiis Epiſcopali Juriſdictioni Regulares ſubduntur plurimis in caſibus, quorum magis obvios, magiſque ad praxim neceſſarios breviter recenſebimus.

1. Regulares extra clauſtra degentes puniri ac corripi poſſunt ab Epiſcopo, tamquam Apoſtolicæ Sedis delegato, maximè Apoſtatæ, & ab Ordine ejecti, qui eo ipſo Epiſcoporum Juriſdictioni ſubſunt, prout ſtatuit Triden. Seſſ. 6. c. 3. de Reform.

2. Regularis ita notoriè delinquens, ut populo ſcandalo ſit, ſi inſtante Epiſcopo, à Superiore ſuo non puniatur intra tempus ab ipſomet Epiſcopo præfixum, ab eodem puniri poteſt ac debet, juxta Triden. ſeſſ. 25. c. 14. *de Regularibus*.

3. Regularibus minimè licet etiam in propriis Eccleſiis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicè adorandum exponere abſque conſenſu, ſaltem tacito, Epiſcopi, juxta declarationem Sacræ Congregationis Conc. Trident. relatam à Fagnano.

4. Nec Indulgentias populo promulgare, aut proponere poſſunt citra Ordinarii licentiam, & approbationem, ex Concil. Trident. ſeſſ. 21. *de Reform.* c. 9.

5. Regulares, qui Laicorum Confraternitatem, vel Hoſpitalium adminiſtrationem ſuſcipiunt, ab Epiſcopo compelli poſſunt ad ſuæ adminiſtrationis reddendam rationem, juxta Triden. ſeſſ. 21. *de Reform.* c. 8. & 9.

6. Item ab Epiſcopo impelli poſſunt, ut ad publicas Proceſſiones indictas accedant; & ſi aliqua de præcedentia ſuboriatur controverſia, brevi manu ab ipſo eſt componenda. Trid. ſeſſ. 25. *de Regul.* cap. 13.

7. Regularis ob notorium crimen excommunicatus ab Epiſcopo denuntiari poteſt ac mandari, ut vitetur, prout declaravit ſacra Triden. Congregatio.

8. Epiſcopi in his, quæ pertinent ad Clauſuram Monialium conſervandam, aut reſtituendam, in Monaſteriis etiam exemptis, plenam habent auctoritatem, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati ex Triden. ſeſſ. 24. *de Regularibus* cap. 5. Imò in eodem Capite ſancivit Concilium, ut nemini Sanctimonialium liceat è Monaſterio exire, quocumque prætextu, etiam ad breve tempus, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda, non obſtantibus quibuſcumque Indultis ac Privilegiis. Ideòque Epiſcopi in hoc à S. Sede ſic delegati in Moniales rebelles, cæteroſque eis faventes, ſive Regulares, ſive Sæculares, Eccleſiaſticis Cenſuris validè animadvertere poſſunt.

9. Cenſuras, atque Interdicta Eccleſiaſtica ab Ordinariis de Epiſcopi Mandato promulgata, à Regularibus in ipſorum Eccleſiis publicari, atque obſervari debere ſancivit Trident. ſeſſ. 25. *de Regularibus* c. 12.

10. Decernit ibidem S. Synodus, dies etiam Feſtos, quos in Diœceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, ſervari debere. Quoad jejunia ab Epiſcopo indicta, cenſent communiter Doctores ad ea teneri quoad vim directivam ex decentia, & ratione ſcandali vitandi.

11. Regulares, qui in alienis Eccleſiis abſque Epiſcopi licentia concionari præſumunt, vel qui in ſuis Eccleſiis ipſo contradicente conciones agunt, vel qui inter concionandum errores, & ſcandala in populum diſſeminant, ab eodem Epiſcopo puniri poſſunt, ex Triden. ſeſſ. 5. *de Reform.* cap. 11.

12. Regulares Epiſcoporum auctoritati omninò ſubjacent in approbatione pro adminiſtranda ſæcularibus pœnitentia. Ideòque Epiſcopi reſtringere poſſunt, vel limitare eorum approbationes ad certas Perſonas, necnon ad certa loca, & tempora; Item eas revocare poſſunt, vel Confeſſarios hujuſmodi ab audiendis Confeſſionibus ſuſpendere, ex nova cauſa ad Confeſſiones pertinente, etiam abſque individua hujus cauſæ expreſſione. Item, ſi approbati ſint reſtrictione à Vicario generali Epiſcopi, poſſunt iterùm ab ipſo Epiſcopo ad examen revocari. Item approbati ab Epiſcopo poſſunt ab ejus ſucceſſore rurſus examinari; & ſi minus capaces fuerint inventi, poſſunt rejici: Item in una Diœceſi generatim approbati Confeſſiones in alia Diœceſi excipere non poſſunt, abſque Diœceſani Epiſcopi approbatione: Item à Caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvere non poſſunt, niſi hæc facultas ab illo ipſis fuerit conceſſa, non obſtantibus quibuslibet eorum Privilegiis. Hæc omnia conſtant, tum ex Trident. Concil. tum ex plurimis, utrique receptis Summ. Pontificum Conſtitutionibus ac Decretis, Clement. *Dudum* Gregor. XV. *Inſcrutabili*. Clement. X. *Superna*. Alexand. VII. &c.

13. Regulares Epiſcoporum juriſdictioni plenè, & in omnibus ſubjiciuntur in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, ex Trident. ſeſſ. 25. *de Regularibus*. cap. 11. ex Conſtitutione Gregor. XV. *Inſcrutabili*; & ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii, quæ etiam expreſsè declaravit; ipſos quamtumvis exemptos, omnia quæ ab Ordinariis locorum circa obſervanda, & vitanda in Miſſarum celebratione ſtatuta fuerint, omninò ſervare teneri; ad idque etiam pœnis ac Cenſuris Eccleſiaſticis ab iiſdem Ordinariis compelli poſſe: Ex quo concluditur, Cenſuras

ab

Digitized by Google

ab Epiſcopo in contravenientes latas, & ipſo facto incurrendas ipſosmet Regulares vere afficere.

Adnotatio 53.

(*)

Supradicta omnia, & alia quoque, in quibus Regulares Epiſcopi jurisdictioni, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati ſubjecti ſunt, exactè collegit, & refert Benedictus *XIV. in* Opere de Syn. *lib. 9. cap.* 15. 16. 17. *Dicta loca igitur conſulere debet quicumque hac de re inſtrui cupit. Multa enim, ibi ſtatuta, & definita reperientur, quæ difficultates, & quandoque disſidia Ordinarios inter & Regulares inſurgentia ſolvere, & impedire valebunt. Regulares igitur curare debent, ne per illos Epiſcoporum jura læſa remaneant: & pariter Epiſcopi, ne per ipſos privilegia Regularibus, de benignitate Apoſtolica conceſſa derogata, aut perturbata cenſeantur.* ,, *Quemadmodum (ait idem* Benedictus *lib. 9. cap. 15. n.* 1. de Syn.) *inferiori non licet legem abrogare a Superiore latam, ita nec privilegiis derogare cuipiam a Superiore conceſſis: quo circa S. Gregor. Magnus Epiſt.* 111. *lib. 9. indict. 2. tom. 2. Oper. Col.* 1018. Cura eſt ſollicitudinis adhibenda, ut ea, quæ pro quiete Monachorum, religioſæque converſationis fuerint ordinata, nec diſſimulatio negligere, nec quædam valear præſumptio perturbare; ſed ſicut hoc, quod ratio exhibebat utiliter oportuit definiri; ita quod definitum eſt, non debet violari. *Et Innocent. IV. in Concil. Generali Lugdun., relat. in cap.* 1. *de privil. in 6.:* Volenres, *inquit*, libertatem, quam nonnullis Apoſtolica Sedes privilegio exemptionis indulſit ſic integram obſervari, ut, & illam alii non infringant, & ipſi ejus limites non excedant. *Hæc aliaque jura (proſequitur* Benedict.) *id ipſum decernentia Epiſcoporum oculis ſubjecit* Fagnanus *in cap.* Quod ſuper his, de majorit. & Obed. *a num.* 14. *ad fin., ut ſibi perſuaſum haberent, nihil Synodalibus Conſtitutionibus eſſe inſerendum, quod præjudicium inferat privilegiis a Sede Apoſtolica conceſſis Regularium Ordinum Inſtitutis. Ad uberiorem autem Epiſcoporum inſtructionem in exemplum adduxit idem* Fagnanus *quamdam Synodum Cracovienſem e cujus Actis, jubente Paulo V. expuncta fuere nonnulla Decreta, quibus Regularium exemptio vulnerabatur. Haud abſimile exemplum nos adnotatum reperimus in lib.* 4. Decret. S. Congregat. Concil. *pag.* 601., *ubi* Robertus *Cardinalis* Ubaldini *refert a S. Congregatione approbata fuiſſe Acta, & Decreta Concilii Provincialis Cameracenſis, hac tamen adjecta declaratione, ut per illa nihil cenſeretur derogatum privilegiis Regularium; quibus propterea denuntiari mandavit, ut ſua privilegia, non clauſa in corpore juris quantocius ejuſdem Provinciæ Epiſcopis exhiberent, ut hac ratione, iſti cognoſcerent quidnam in Concilii Decretis illis adverſaretur, & idcirco corrigendum foret.* ,,

(*)

QUÆR. 3. Quid de Regularium Privilegiis ſit dicendum?

℟. Hæc materia, plurimis Auctoribus Regularibus agitata, tot importunis citationibus, variiſque variorum Auctorum ſententiis, atque inutilibus argutiis perturbata, intricata videtur, ut nedum rudiora, ſed & ſæpius perſpicaciora ingenia, de ipſa ideam claram, ac diſtinctam vix ſibi valeant efformare. Prætermiſſis igitur, atque neglectis his confuſis ambagibus, quæ ad Candidatorum inſtitutionem magis ſunt neceſſaria, hic breviter ac nitidè delineabimus.

1. Plurima à variis Pontificibus pro diverſis temporibus, ac Regionibus Regularibus conceſſa fuiſſe Privilegia, conſtat. Hæc Privilegia à nonnullis Pontificibus in unum fuere congeſta, maximè à Sixto IV. ſub *Maris magni* nuncupatione: Ideò ab eodem Pontifice Fratres Prædicatores, ac Minores, cæterique Ordines Mendicantes ſuum habent *Mare magnum*, ſeu Privilegiorum ſuorum Digeſtum, quod per hæc verba incipit: *Regimini univerſalis Eccleſiæ* &c. *Dùm fructus uberes* &c.

2. Privilegiis uni Ordini conceſſis cæteri ordines communicant ex expreſſis Leon X. & Jul. II. Conſtitutionibus: & hæc communicatio verſatur nedùm circa exemptiones, facultates, ſed & circa Indulgentias, ac peccatorum remiſſiones, cæteraſque quaslibet gratias huic Ordini primùm conceſſas.

3. Præter Privilegia in Mari magno, vel aliis Bullis, aut Signaturis Pontificiis conceſſa, plurima recenſentur vivæ vocis Oracula, ſeu Privilegia oretenus tantùm data. Sed hæc à Gregor. XV. & expreſſiùs ab Urban. VIII. omnia fuere revocata: qua non obſtante revocatione, nonnullæ Regularium Societates, & Congregationes, ex conceſſionibus particularibus ſibi factis, his vivæ vocis oraculis gaudere poſse præſumunt. Sed qua ſecuritate conſcientiæ? Ipſi viderint.

4. Circa revocationem Privilegiorum in ſcriptis conceſſorum, non audiendi ſunt, qui contendunt Mendicantium Privilegia, utpote remuneratoria, per Bullam contrariam,

Digitized by Google

riam, quantumvis expreſſam, revocari non poſſe. Nullum namque privilegium eſt adeò autenticum, & confirmatum, quod à Pontificis voluntate abſolutè non pendeat. Ideò licèt plurimi Pontifices maximè Sixt. IV. & Clemens VIII. Privilegia noſtra confirmaverint ac innovaverint, etiam per modum communicationis, & extenſionis, cum clauſula *ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis;* concedunt tamen communiter Doctores, etiam Regulares, Privilegia omnia Tridentini Decretis expreſsè contraria, penitùs eſſe revocata. Dixi *expreſsè contraria:* Dùm ſcilicet, Decretis ſuperadditur Clauſula *non obſtantibus quibuſcumque privilegiis;* Quæ clauſula, ſi non ſuperaddatur, cenſent plurimi Juriſperiti, ac Theologi, quorum ſententiam doctiorum judicio relinquimus, mendicantium privilegia nedùm non fuiſſe à Concilio revocata, ſed & tacitè admiſſa; Ideoque Regulares ipſis ſaltem occultè, & in foro conſcientiæ, licitè ac validè uti poſſe.

5. Cum Privilegiorum communicatio intelligenda ſit, non ſolùm de privilegiis conceſſis tempore, quo facta eſt gratia prædictæ communicationis, verùm etiam de poſtmodùm concedendis, eaque non ſolùm extendatur ad mendicantium, ſed ad non mendicantium privilegia, ut conſtat ex Bullis Clemen. VII. Leon X. & Sixt. IV. docent omnes Regulares Theologi mendicantes Privilegiis poſt Trident. Societati Jeſu conceſſis communicare, licet hæc Societas multò poſt ſupradictas Bullas à S. Sede fuerit approbata, prout expreſsè conceſſerunt Paul. IV. Pius IV. Pius V. Gregor. XIII. Sixt. V. Gregor. XIV.

6. Regularium Privilegia, quæcumque illa ſint, à Prælatis ſuis Regularibus omninò pendent; ita ut ea nedùm reſtringere aut limitare, ſed ſubditis ſuis penitùs auferre valeant, nec ſubditi his uti, ſive licitè, ſive validè poſſint, abſque expreſſa eorumdem Superiorum licentia, aut delegatione. Id certò conſtat ex nonnullis conceſſionibus à S. Sede quibuſdam Religionibus factis: Leo. X. Ordini FF. Minorum, Clement. IV. Ordini Ciſtercienſium, Gregor. XIII. Societati Jeſu &c.

Superiorum igitur majorum eſt, diligentiùs inquirere, quibuſnam indubitanter gaudeat Privilegiis ſua quæque Religio, an, quomodo, quando, & quos ex ſubditis ſuis ad his utendum Privilegiis delegare poſſint, ac debeant. Et cum ad ſolam juniorum inſtitutionem hoc opuſculum fuerit editum, horum Privilegiorum, ſi quæ ſint, expoſitionem iiſdem Superioribus remittimus, & ab his exponendis temperabimus; nè forſan alicui infirmo, aut malevolo, offendiculo ſimus, ac ſcandalo.

QUÆR. 4. Quænam ſit Prælatorum Regularium poteſtas circa ſubditorum ſuorum abſolutionem?

℟. Prælati Regulares ſubditos ſuos abſolvere poſſunt in utroque foro ab omnibus omninò eorum peccatis, & criminibus, & à quibuſvis ex ipſis reſultantibus pœnis Eccleſiaſticis, cenſuris, ac ſententiis, tum notoriis, tum occultis, à jure, vel ab homine, quomodolibet latis, & promulgatis. Id conſtat tum ex multiplicibus Privilegiis variis Ordinibus, quibus cæteri communicant, conceſſis, & nedum numquam revocatis, ſed & pluries confirmatis à Summ. Pontificibus Clem. IV. Cœleſt. V. Eugen. IV. Sixt. IV. Alex. VI. Paul. V. Paul. III. Gregor. XIII. Clem. VII. tum ex juris communis diſpoſitione à Bullis Sixt. IV. Jul. II. firmata; ne videlicet Religioſi, excuſſo obedientiæ jugo, dimiſſoque communitatis obſequio, extra Conventus ſuos per varias mundi plagas cum ſcandalo, majorique ſalutis ſuæ periculo abſolutionis obtinendæ cauſa, diſcurrant; tum ex praxi ubique recepta, ſecundùm quam inauditum eſt, quempiam Regularem exemptum pro alicujus criminis abſolutione vel ad Epiſcopos, vel ad Summ. Pontificem recurriſſe: Circa quod

Obſerv. 1. Prælatos Regulares, ſubdito ſuos à cenſuris in ipſos ab Ordinariis nominatim latis, aut ita notoriis ut probabiliter ad forum judiciale ſint deducendæ, abſolvere non debere. 1. Niſi ſubditi à contumacia recedant. 2. Niſi Ordinarius, à quo lata eſt cenſura conſentiat, aut ſaltem reddatur certior de obedientia præſtita, & abſolutione obtenta: Alioquin abſolutio, ſaltem in foro externo, nullius erit momenti, & ipſa non obſtante Ordinarii contra eos perinde procedere poterunt, ac ſi in foro interiori non eſſent abſoluti.

Obſerv. 2. Licet Prælati Regulares, Privilegiorum ſuorum virtute, ſubditos ſuos à Cenſuris occultis ab homine latis valeant abſolvere, ipſi tamen ſubditi Ordinarios convenire tenentur, ut juriſdictionem vel approbationem, quam per eas amiſere cenſuras, denuò obtineant; cum eorum Prælati eam ipſis conferre minimè poſſint ad ſæcularium Confeſſiones excipiendas.

Obſerv. 3. Prælatorum Regularium no-

m.oe

mine intelligi, juxta Summ. Pontificum Privilegia, nedum Prælatos majores, ſed & locales à Capitulo, vel Collegio locali per electionem canonicam aſſumptos; non autem Guardianos, qui, ut moris eſt in quibuſdam ordinibus, per proviſionem tantùm à Definitorio facti ſunt ſeu electi. Hi ſiquidem, licet verè ſint Prælati curam animarum habentes, prout declaravere Clem. IV. Sixt. IV. Juriſdictione ordinaria communi jure Prælatis conceſſa non gaudent; ſed tantummodò ea auctoritate ac juriſdictione, quam Religionis ſtatuta eis conferunt. Ideoque non niſi minora negotia determinare poſſunt, proindeque nec per ſe ipſos a reſervatis abſolvere virtute Privilegiorum aliis Prælatis conceſſorum.

Obſerv. 4. Subditorum nomine intelligi nedum Hoſpites, ſeu Peregrinos Ordinis ſui Religioſos, qui jure hoſpitii poſſunt in Ordine ſacramentaliter abſolvi; ſed & Novitios, imò & eos, qui nondùm habitum ſuſceperunt, & ad ipſum ſuſcipiendum ad Monaſterium accedunt, juxta Privilegium à Clem. IV. & Paul III. Regularibus conceſſum. Excipe tamen, niſi Novitius habitum aſſumpſiſſet, aut Candidatus ad Monaſterium acceſſiſſet, animo abſolutionis obtinendæ, & poſtea Religionis deſerendæ; quia fraus, & dolus nemini patrocinari debent.

Obſerv. 5. Ex variis Pontificum Privilegiis Clem. IV. Sixt. IV. Jul. II. Pii V. Gregor. XIV. &c. Prælati Regulares, Generales, Provinciales, & eorum Vicarii, ac etiam Cuſtodes, urgente nempè neceſſitate, & dùm aditus ad Provincialem non patet, poſſunt in utroque foro diſpenſare cum ſubditis ſuis, imò & non ſubditis ejuſdem Ordinis ad ſe declinantibus, in omni Irregularitate ſaltem *ex Bigamia, membrorum mutilatione, vel homicidio voluntario* non proveniente; ita ut his patientes Irregularitates, hujus diſpenſationis virtute, ad quaſcumque adminiſtrationes, & officia eligi, recipi, & aſſumi, illaque gerere, & exercere liberè ac licitè valeant. Nec deſunt Theologi, qui docent nullam eſſe Irregularitatem, à qua cum ſubditis ſuis diſpenſare non poſſint Prælati Regulares; ſed cum in his tribus ſupradictis, non niſi ſumma difficultate diſpenſet etiam Summ. Pontifex, non latis fundata videtur hæc opinio.

Obſerv. 6. Prælatos Regulares hanc poteſtatem diſpenſandi & abſolvendi aliis delegare poſſe; tum quia cenſetur quaſi ordinaria, quatenus Officio ſuo annexa; tum quia praxis ſufficienter auctorizata id ipſis conceſſit.

Adnotatio 54.
(*)

Ampliſſimam pariter ac difficillimam Privilegiorum ad Regulares pertinentium materiam P. Didacus ab Aragonia *in Opere, cui titulus:* Dilucidatio Privilegiorum *&c. noviſſimè illuſtrare aggreſſus eſt. Ipſe de Privilegiis in generali, & in particulari; de illis, quæ ad Superiores tum minores, tum etiam ad Subditos relatè ad Confeſſiones tam Regularium, quam Sæcularium excipiendas, & alia munera ipſis competentia methodice diſſerens, vera a ſuppoſitis, vigentia a revocatis diſcernere, atque ſeparare conatur. Quæ ibi brevi oculo obſervavimus ab iis, quæ ſcitè tradit Author noſter diverſa non ſunt. Hoc igitur conſulat Opus qui de his inſtrui cupit; quod utpote noſtris hiſce noviſſimis temporibus elaboratum aliquod non leve lumen afferre valebit. Nos vero ab hac materia, tot revera ambagibus obvoluta ne pedem extra greſſum ponamus diutius enucleanda conſultò abſtinentes, unum vel alterum caſum, ad rem pertinentem a* Benedicto XIV. *in lib. 9. cap. 16. n. 2. & ſeqq.* De Syn. *tantummodo exponemus.*

„ *Epiſcopus Midenſis, ait ipſe, in ſua pri-*
„ *ma Conſtitutione Synodali excommunicationis*
„ *vinculo ipſo facto innodatum voluit, & pro-*
„ *nuntiavit quemcumque ſive Sæcularem, ſivè*
„ *Regularem quovis modo exemptum, qui ſine*
„ *ſui auctoritate, & licentia quodcumque Sacra-*
„ *mentum adminiſtraret Perſonis Sæcularibus,*
„ *aut alia ratione in cujuslibet Sacramenti ad-*
„ *miniſtratione delinqueret. Conformis profectò*
„ *videbatur hujuſmodi Conſtitutio ſuperius in-*
„ *dicatæ Sanctioni Clementis V. in Clement. 1.*
„ *de privil. ubi anathemate percelluntur Regu-*
„ *lares Sacramentum Euchariſtiæ, aut Extremæ*
„ *Unctionis, ſive Clericis, ſive Laicis admini-*
„ *ſtrantes, vel* Matrimonia ſolemnizare, *hoc*
„ *eſt, ut ibi explicat Gloſſa, ſolemnem benedi-*
„ *ctionem Conjugibus impertiri præſumentes ſi-*
„ *ne licentia Parochi. Cohærere pariter videba-*
„ *tur &c. . . . Sed quamquam hæc ita ſe ha-*
„ *beant, attamen prædicta Conſtitutio, verbis*
„ *nimium indefinitis concepta, acriter fuit a Re-*
„ *gularibus impugnata ob rationes, quas ſubne-*
„ *ctimus . . . „ Hic autem quibuſdam Pontifi-*
ciis Conſtitutionibus, atque Decretis relatis, qui-
bus in eorum querimoniis innitebantur Regula-
„ *res, tandem ſic concludit: „ Jam vero hiſce*
„ *Decretis ſæpius a Sac. Congregatione renova-*
„ *tis . . . aperte contraire dicebant Regulares,*
„ *præfatam Conſtitutionem Epiſcopi Midenſis,*
„ *cujus verba adeo generalia erant, ut viderentur*
„ *tur liberam facultatem ipſis auferre etiam Eu-*
„ *chariſtiam in ſuis Eccleſiis qualibet anni die*
„ *miniſtrandi. Et quia Synodalis Conſtitutionis*
„ *verbis ritè expenſis juſta deprehenſa eſt Regu-*
„ *larium querimonia; ideo S. Congregatio Con-*

cil.

„ *cil. die 24. Auguſti 1686. eamdem corrigi & reformari juſſit.* „

Alter caſus eſt de privilegio Regularibus conceſſo Eucbariſtiam in propriis Eccleſiis adminiſtrandi, Paſcbali tempore excepto. Sed quia per Eugenium IV. *jam prius declaratum fuerat tempus Paſcbale, intra quod Chriſtifideles præcepto annuæ perceptionis Eucbariſtiæ ſatisfacere debent, non uno, ſed quindecim dierum ſpatio, boc eſt a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè contineri; non ſemel dubitatum fuit an per limitationem Privilegii, ſola die Paſcbatis, vel potius toto dierum illorum ſpatio ab adminiſtranda Eucbariſtia probiberentur.* „ *Sæpius, ait* Bened. *loc. cit. diſcuſſa fuit controverſia in S. Congreg. Concil. quæ cenſuit, ſolo die ſolemnitatis Paſcbæ, abſolutè probiberi Regulares, ne Eucbariſtiam in ſuis Eccleſiis porrigant Sæcularibus. Ex multis, quæ proferri poſſent, duo ſeligimus S. Congreg. Decreta. Primum prodiit in Cauſa Burdigal. 9. Julii* 1644., *iterumque confirmatum fuit in una Senonen.* 11. *Junii* 1650. *lib.* 19. Decretor. *pag.* 54. *cujus verba ſunt*: S. Congregatio Concil. poſt maturam diſcuſſionem cenſuit Archiepiſcopum Burdigalenſem non poſſe prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut a Dominica Palmarum, uſque ad Dominicam in Albis incluſive non valeant miniſtrare Perſonis Sæcularibus Sacramentum Communinnis; poſſe tamen iiſdem prohibere ut Perſonis Sæcularibus Die Paſchatis non adminiſtrent dictum Euchariſtiæ Sacramentum, etiam ſi dictæ Perſonæ Sæculares ſatisfeciſſent præcepto Eccleſiæ hac de re edito. *Alterum emanavit in Cauſa Mecblinien. an.* 1682. *quod in S. Congreg. Actis ita legitur adnotatum*: Parochi loci Lovanii conquerentes SS. Euchariſtiæ Sacramentum Perſonis Sæcularibus miniſtrari a Dominica Palmarum, uſque ad Dominicam in Albis a Regularibus, & præſertim Societatis Jeſu, prætextu Privilegiorum; unde arguunt juribus Parochialibus præjudicium inferri, & Eccleſiæ præceptum eludi, cum non deſint falsò aſſerentes ſe in Eccleſiis Regularium illi ſatisfeciſſe; libellum porrexerunt SS.D.N., ut hiſce malis accurreret, vetando Regularibus ne præfato tempore dictum Sacramentum audeant miniſtrare. Cum autem Sanctitati Suæ placuerit ad S. Congreg. Concil. remittere hujuſmodi preces, Procuratori Provinciæ Belgicæ Societatis Jeſu ſucceſſivè communicatas, proponitur dubium: An PP. Societatis J. aliique Regulares poſſint miniſtrare SS. Euchariſtiæ Sacramentum Perſonis Sæcularibus a Dominica Palmarum, uſque & per totam Dominicam in Albis. Cui dubio die 31. Januarii ejuſdem anni 1682. reſponſum fuit affirmativè, excepto die Paſchatis; ita tamen ut in aliis diebus ſumentes Euchariſtiam a Regularibus intra duas hebdomadas Palmarum, & Paſchatis, non ſatisfaciant præcepto.

Materiæ, de qua agimus, conſona ſunt quæ ſequuntur. „ *Idem Epiſcopus Midenſis in ſua Synodali Conſtitutione octava expreſſe denuntiaverat, ſe nulli ſive Sæcularium, ſive Regularium Ordines collaturum, qui non ſervaſſet temporum interſtitia a Concil. Trident. præſcripta, a quibus an quempiam abſolvendum Eccleſiæ neceſſitas, aut utilitas expoſceret, id, non a Prælato Regulari, ſed a ſe fore judicandum, edixerat. Hæc pariter Conſtitutio innixa videbatur Trid. Seſſ. 23. cap. 11. & 13. de Reform., quibus in locis Epiſcopo permittitur cauſam examinare propter quam ſit aliquis citius, quam jura requirant, ad altiorem ordinem promovendus.... Attamen quia Sedes Apoſtolica, poſt Tridentinum, nonnullis Regularium Ordinum Inſtitutis privilegium conceſſit exemptionis ab interſtitiis, idcirco S. Congregatio prædicta die 24. Auguſti 1686. reſcripſit, etiam banc Synodalem Midenſem,* eſſe reformandam quoad eos Regulares, qui habent privilegium conceſſum poſt Tridentinum. „

(*)

QUÆR. 5. Quænam ſit Confeſſariorum Regularium poteſtas erga Fratres ſuos?

℞. Variam eſſe juxta diverſa ſtatuta cuilibet Ordini propria; Sequentia tamen communius in omnibus obſervantur.

1. Quilibet Regularis Sacerdos Fratres ſuos abſolvere non poteſt, ut nonnulli erroneè docuerunt; ſed abſolutè neceſſaria eſt deputatio, ſeu expreſſa, vel Capituli, vel Definitorii, vel R. P. Provincialis delegatio. Urgente tamen neceſſitate, Superior localis, etiam Vicarius, aliquem ex olim deputatis, & numquam ab adminiſtratione Pœnitentiæ ſuſpenſum, deputare poſſet, donec interim ad. R. P. Provincialem reſcriberet.

2. Ordinariè delegatio conceditur ab uno tantùm Capitulo ad aliud. Ideò in eadem permanens Familia, ubi erat deputatus, ſi in Capitulo ſubſequente non deputetur, nec licitè, nec validè Fratrum ſuorum confeſſiones excipere poteſt.

3. Pro una Familia, in qua moratur, deputatus, non cenſetur deputatus erga Fratres alterius Familiæ. Unde certior factus de ſua in aliam Familiam mutatione, Fratres propriæ ſuæ Familiæ amplius abſolvere non valet, niſi de Superioris localis conſenſu.

4. Definitores tum Generales, tum Provinciales vi dignitatis ſuæ, Religionis aut Provinciæ ſuæ Fratres non valent abſolvere;

Digitized by Google

vere; niſi, ſicut & aliis deputatis, facultas ipſis fuerit collata, aut aliter ſtatutum fuerit.

5. Juniores noviter Profeſſi, licèt licitè aliis, quàm Inſtructoribus ac Superioribus ſuis, abſque ſufficienti motivo, confiteri non poſſint, poſſunt tamen validè; quia Clem. VIII. in Decreto ſuo omnibus concedit deputatis facultatem audiendi quoſcumque de numero ſubditorum Familiæ, in qua morantur.

6. Pro aliqua Familia deputatus ubique Familiæ ſuæ Fratres abſolvere poteſt. Item Fratres deputati ſimul itinerantes, vi ejuſdem obedientiæ, ſibi invicem confiteri poſſunt in locis, & Conventibus intermediis, imò & in loco, quò pergunt per dies duodecim, licet de eadem non ſint Familia.

7. Fratres itinerantes, qui nec de eadem ſunt Familia, nec ſub eadem peregrinantur obedientia, ſibi invicem confiteri non poſſunt, dùm ſibi in itinere occurrunt; qu a nullo titulo, nec ejuſdem Familiæ, nec ejuſdem obedientiæ, ſibi invicem ſunt deputati.

8. Non deputati ſimul itinerantes, de licentia Superioris localis, ſi commodè à Provinciali haberi non poſſit, ſibi invicem confiteri poſſunt: Imò, & abſque eorum licentia, in neceſſitatis articulo, de quo mox dicemus, modò tamen nec fraus, nec dolus, quæ nulli patrocinari poſſunt, intercedant.

9. In pleriſque Ordinibus omnes Confeſſarii deputati ab omnibus Caſibus reſervatis fratres ſuos abſolvere poſſunt, ea tamen lege, vel quòd pœnitens Superiori ſe præſentet, ſi Confeſſarius opportunum judicaverit; vel ſi non judicaverit opportunum, ipſemet pro Pœnitente ſe præſentet, & ſalvo in omnibus Confeſſionis ſigillo, ſe à reſervatis abſolviſſe Superiorem certiorem faciat.

Dixi *Ab omnibus Caſibus*, etiam Summ. Pontifici reſervatis, & Cenſuris ac pœnis ipſis annexis, pro foro tantùm interiori, & ſacramentorum uſu. Circa quod minimè ſunt audiendi auctores nonnulli docentes: Pœnitentes circa hos caſus Papales ab onere ſe ſe Superiori præſentandi liberos eſſe. Indignum namque videtur, ut qui pro reſervatis Regularibus, coram ſuperiore comparere tenetur, non teneatur autem pro Pontificiis longè gravioribus.

10 Superiores majores Confeſſariis deputatis facultatem concedere tenentur, Pœnitentes ſuos Regulares à reſervatis abſolvendi, dùm ipſimet Confeſſarii eam petentes judicant eſſe concedendam. Quòd ſi verò Superior hanc concedere detrectet, pro hac vice tantum Pœnitentes ſuos poterunt abſolvere, etiam non obtenta Superioris facultate, prout ſtatuerunt Clem. VIII. & Urban. VIII.

QUÆR. 6. Utrùm Regulares extra Ordinem ſuum valeant confiteri?

R. In omnibus fermè Religionibus cautum eſt, ne quis Religioſus, etiam Generalis, aut Provincialis, Confeſſario ſæculari aut alterius Ordinis confiteri valeat; idque juxta Summ. Pontificum Privilegia, ac Decreta: *Inhibemus* inquiunt Bonif. VIII. & Sixt. IV. in Mari magno Franciſcano, *univerſis Fratribus veſtri Ordinis, ne aliqui illorum* NISI IN NECESSITATIS ARTICULO *aliis, quàm Prælatis ſuis peccata ſua confiteri præſumant, vel aliis, quàm Sacerdotibus ejuſdem Ordinis ſecundùm Regulæ, & ipſius Ordinis ſtatuta.* Quod Decretum confirmavit Clem. VIII. Bulla *Romani Pontificis* an. 1599., prohibens, ne quis Religioſus, EXCEPTO NECESSITATIS CASU, extra Ordinem confiteatur: Ex quo communiter concludunt Theologi, nec Generales, nec Provinciales, licitè aut validè extraneis Confeſſariis peccata deponere poſſe, cum Decretum generale ſit, & omnes ſpectet Religioſos.

Neceſſitatis autem articulus hìc communiter apud Regulares non ſumitur, pro mortis periculo, aut articulo, ubi omnes Sacerdotes quemlibet Pœnitentem abſolvere poſſe palam eſt; ſed pro quacumque alia neceſſitate juſtè ad id cogente; ſi nempe nullus tunc adeſſet Ordinis Sacerdos, & Eucharſtiæ ſumptio, aut Miſsæ celebratio abſque ſcandalo, aut gravi admiratione omitti non poſset. Imò hanc neceſſitatem plurimi extendunt: Si Sacerdos, Clericus aut Laicus per duas, aut tres Hebdomadas defectu Ordinis Confeſsarii, à Sacrificio aut Communione deberet abſtinere: Circa quod duplex exoritur difficultas.

Primò utrùm Regularis, qui in articulo neceſſitatis extra Ordinem confitetur, à peccatis in ſuo Ordine reſervatis abſolvi poſſit? Probabilius videtur ipſum non poſſe, niſi cum onere Superioribus ſuis ſe ſe præſentandi; quia Summ. Pontifices facultatem facientes extraneis Confeſsariis Regulares abſolvendi in neceſſitatis articulo, majorem ipſis facultatem concedere non cenſentur, quam habeant ejuſdem Ordinis ordinarii Confeſsarii.

Digitized by Google

Secundo dubium eſt, utrùm Superiores Regulares ſubditis ſuis valeant prohibere, ne extra Ordinem confiteantur etiam in neceſſitatis articulo? Docent communiter Theologi, nobiſque probabilius videtur, id minimè poſſe. Ratio eſt, quia Superiores Regulares in præceptis divinis, aut Eccleſiaſticis diſpenſare non valent. Certum eſt autem ex Trident. ſeſſ. 13. c. 7. omnem peccati mortalis conſcium teneri ante Communionem Confeſſionem præmittere: Et experientia conſtat Confeſſionis omiſſionem proximam graviter quandoque offendere, ac ſcandalizare poſſe, contra præceptum caritatis.

Nec valet dicere intelligendum eſſe Concilium, dum adeſt copia Confeſſarii legitimam habentis poteſtatem, quam Superiores majores Sacerdotibus extraneis conferre nolunt. Quia hæc poteſtas à Summ. Pontifice omnium Ordinum Superiori ſupremo jam ipſis collata eſt, dùm ſtatuerunt quemlibet Religioſum in neceſſitatis articulo à Sacerdotibus extraneis abſolvi poſſe. Quod adeò verùm eſt, ut ipſimet Superiores majores, licet Confeſſariis extraneis poteſtatem conferre vellent, ut ab ipſis abſolverentur; invalida foret hæc abſolutio, utpote collata contra expreſſam ordinationem Summ. Pontificum, ex quorum beneplacito pendet omnis licita, ac valida Juriſdictionis collatio.

Dices, extant in quodam Ordine ſtatuta Generalia, quibus cautum eſt, ne quis, etiam in neceſſitatis articulo, extra Ordinem confiteatur, jubeturque ut, nullo extante Ordinis Sacerdote, quilibet ſe gerat veluti ſi nulla adeſſet Confeſſarii copia. Reſp. Præſumendum eſt hæc ſtatuta in hac Religione edita non fuiſſe, niſi de expreſſa mente Sedis Apoſtolicæ, ob quaſdam rationes huic Ordini particulares ac proprias: Ex qua præſumptione hujus Ordinis ſubditi his ſtatutis morem gerere tenentur, niſi de contrario omninò conſtaret, quod non eſt veriſimile.

ADNOTATIO 55.

(*)

Iſta probibitio, de qua loquitur Author, non confitendi peccata propria extra propriam reſpectivè Religionem, quæ omnibus ferme Regularibus communis erat, hìc & nunc quoad non paucas Religiones amplius non viget; cum ab Apoſtolica Sede, juſtis de cauſis fuerit revocata. In Ordine quoque Capuccinorum circa hoc peculiare Statutum vigebat; ſed cum inde aliqua incommoda vel ſequerentur, vel ſequi poſſent, Benedictus XIV. *die 30. Martii an. 1742. illud revocavit Conſtitut. quadam incip.* Quod Communi. *Recolens Doctiſſimus Pontifex, quod licèt laudabile ſit Alumnos cujuſvis Inſtituti peccata ſua non niſi ejuſdem Religionis Confeſſariis confiteri valeant;* quibus utpote, omnium rerum in ipſa Religione ſervandarum, cavendarumque notitia inſtructis, facilius eſt pro culpis ſalutare adhiberi remedium: *attamen cum inde conſcientiarum angores, aut Populorum offenſiones aliquando, vel emergant, vel emergere poſſint; ad hæc tollenda incommoda facultatem facit Alumnis dicti Ordinis juſta de cauſa extra clauſtra commorantibus, ut propriæ Religionis Confeſſario deficiente, apud quemcumque alium Presbyterum legitimè approbatum peccata ſua liberè confitendi: ea tamen lege, quod ſi Pœnitens in aliquem caſum in Religione reſervatum incidiſſet, ab hoc etiam a Confeſſario electo abſolvi quidem poſſit, cum onere tamen ipſi Pœnitenti coram ſuo Regulari Superiore ſe præſentandi, & de novo ſuper Reſervatis abſolutionem impetrandi. En verba Pontificis. „ Hinc eſt, quod nos, qui licèt ejuſdem Ordinis (Cappuccinorum) Alumnos, propter ſeverioris Diſciplinæ cultum, ſummam animi demiſſionem, arctiſſimam paupertatem, & inſignem in pietate, doctrinis, diſciplinisque laudem plurimi facere pergimus, & paternæ benignitatis teſtimoniis complectimur; tamen ſcientes, de mundano pulvere religioſa etiam corda ſordeſcere, nec ad ſuſceptum religioſæ vitæ inſtitutum proficere, quin imo plurimum obeſſe, ut iidem Alumni, ac præcipuè prædicationi Verbi Dei, Sacriſque Miſſionibus addicti, a ſuis Conventibus, quacumque de legitima cauſa, & longe, & diu abſentes, ob Confeſſarii defectum, vel a faciendo Sacro, aut SS. Euchariſtiæ Sacramento percipiendo, non ſine populorum, quibus cum interea temporis converſantur, ſcandalo abſtineant, vel ad Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrandum, aut Angelorum Panem ſumendum, ne ſcandalum oboriatur, cum conſcientiæ angore accedant; hiſce malis opportunum Providentiæ noſtræ remedium afferre cupientes; motu proprio, & ex certa ſcientia . . . prævia cujuſcumque Statuti, ſeu Decreti . . . . revocatione; tenore præſentium ſtatuimus, decernimus, & mandamus, ut quilibet ex Fratribus dicti Ordinis . . . qui de Superiorum ſuorum licentia, quacumque de legitima cauſa, ſive prædicandi Verbum Dei . . . ſive iter agendi, & alicubi commorandi, ubi nullus Conventus, ſeu Hoſpitium, nulluſque Frater dicti Ordini Confeſſarius reperitur, liberè, & licitè poſſit, & & valeat quemlibet Presbyterum Sæcularem ab Ordinario Loci, vel Regularem a ſuo Superiore Regulari ad Sacramentales Confeſſiones excipiendas approbatum adire, eique peccata ſua confiteri, atque ab ipſo obtinere Sacramentalem abſolutionem, &c. Vid. in Append.*

(*)

Digitized by Google

APPENDIX II.

De Indulgentiis.

IN hac Appendice nobis exponenda veniunt indulgentiarum Eſſentia, Exiſtenſtentia, Miniſter, Subjectum, virtus aut efficacia, & diſpoſitiones ad eas conſequendas requiſitæ, ſequentibus quæſtionibus; quibus alteram de Jubilæo adjiciemus.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Indulgentia.

✠
(*)

Propoſitio Damnata circa Indulgentias.

„ Non convenit indulgentias quærere pro pœ-
„ na propriis peccatis debita; quia melius
„ eſt Divinæ Juſtitiæ ſatisfacere, quam Di-
„ vinam miſericordiam quærere; quoniam
„ illud ex puro Dei amore procedit; &
„ iſtud ab amore noſtri intereſſato; nec
„ eſt res Deo grata, nec meritoria, quia
„ eſt velle Crucem fugere. Damn. ab In-
„ nocent. XI. an. 1687. Eſt in ord. 16.

℟. 1. INdulgentia, quæ & Relaxatio, Remiſſio, & Condonatio apud veteres dicebatur, rectè definiri poteſt: *Relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis actualibus quoad culpam remiſſis, debitæ, per Theſauri Eccleſiæ applicationem legitimè factam.*

Dicitur 1. *Relaxatio*; quoquo modo fiat, ſive per actum Juriſdictionis in ſubditos exercitum, ut erga fideles viventes; ſive per modum ſolutionis impenſæ, ut erga defunctos, qui cum non amplius ſint viatores propriè Clavibus Eccleſiæ non ſubjiciuntur, ut ſuo dicetur loco.

Dicitur 2. *Pœnæ temporalis*: Nam cum Indulgentia peccatum mortale non diluat, nec pœnam æternam ipſi debitam relaxat.

Dicitur 3. *Pro peccatis actualibus quoad culpam remiſſis*; Quia per Indulgentiam nulla culpa, ſed tantummodò pœna remittitur. Ideò nullus Indulgentiam omnium peccatorum ſuorum plenariam conſequi poteſt, qui adhuc aliquo ad peccatum veniale, vel minimo affectu tenetur.

Dicitur 4. *Pœnæ temporalis debitæ*: ſive hæc pœna in hoc mundo, vel Eccleſiæ Canonibus, vel ex præcepto Confeſſarii ſit luenda; ſive poſt mortem in Purgatorio perſolvenda.

Dicitur 5. *Per Theſauri Eccleſiæ applicationem*. Per quod Indulgentia differt à pœnæ relaxatione, quæ per Sacramenta, aut Miſſæ Sacrificium obtinetur. Theſaurus autem iſte conſtat, tum ex ſuperabundantibus, atque infinitis Chriſti Domini ſatiſfactionibus, quas non in ſuam propriam utilitatem, ſed in ſolam hominum ſalutem impendit; tum ex ſuperefluentibus ſatiſfactionibus Beatæ M. V. & Sanctorum; qui cum vel nullum, vel pauca, & leviſſima habuerint peccata, quoad pœnam expianda; ſatiſfactiones eorum ſeu opera pœnalia, quatenus ſibi ſuperflua in Theſauro Eccleſiæ; ideſt in conſpectu, & memoria Dei aſſervantur; ut nobis in neceſſitate poſitis applicentur: Non abſimili modo, inquit D. Thom. 4. d. 20. q. 1. ad 3. quo bona Civium abſque hærede decedentium, tamquam bona communia, ad Rempublicam pertinent.

Dicitur 6. *Applicationem legitimè factam*, ab eo ſcilicet, qui hunc Theſaurum diſpenſandi poteſtatem habet. Nulli ſiquidem particulari licet bona Reipublicæ communia pro libitu ſibi uſurpare, ac diſpenſare, ut mox videbitur. Per quod Indulgentiæ diſtinguuntur à ſuffragiis, quæ per privatam voluntatem ac poteſtatem applicari, & offerri poſſunt; ut preces particulares, quæ tum pro vivis, tum pro defunctis funduntur.

℟. 2. Multiplex profertur Indulgentiæ diviſio. Plenaria ſcilicet aut partialis: Temporalis aut perpetua: Determinata aut indeterminata: In vita aut in articulo mortis, vel in ipſa morte: Realis, aut localis, aut perſonalis.

Indulgentia Plenaria ea eſt, quæ ſine limitatione ad totam pœnam pro peccatis debitam relaxandam conceditur. Partialis verò, quæ non niſi ad partem pœnæ debitam datur; ut Indulgentia centum annorum. Quod ſic non intelligitur, quaſi centum anni de pœnis in Purgatorio ſolvendis relaxentur; ſed quod tot pœnæ remittantur, quot ſecundùm Canones Pœnitentiales per centum annos erat ſubeundum; proindeque tot pœnæ Purgatorii, quot correſpondent pœnitentiæ in Canonibus præſcriptæ.

Temporalis Indulgentia ea eſt, quæ pro certo ac determinato tempore conceditur,

Digitized by Google

pi, qui Diœceſanis ſuis omnes, etiam plenarias, olim concedere valebant Indulgentias, ita à ſacris Canonibus reſtricti ſunt; ut non niſi Indulgentiam unius anni in Templi dedicatione, & quadraginta dierum in anniverſario ejus, vel in aliis Feſtivitatibus ſolemniter, & in foro externo concedere valeant. Dixi *in foro externo*; quia plurimi Canoniſtæ docent in foro Pœnitentiæ plurium annorum indulgentias ex juſta cauſa largiri poſſe.

Hæc autem poteſtas à peccato mortali non ligatur; cum ipſum, niſi accedat excommunicatio, juriſdictionem non auferat. Ideò Epiſcopi electi, & confirmati, licet nondùm conſecrati, Indulgentias concedere poſſunt; quia Indulgentiarum conceſſio actus non eſt Ordinis, ſed Juriſdictionis; qua jam pollent Epiſcopi electi, & confirmati.

℞. 2. Sine juſta cauſa, nec licitè, nec validè, Superior Indulgentias concedere poteſt. Quia diſpenſator eſt tantummodò, non dominus Theſauri Eccleſiæ: Atqui diſpenſator de rebus Domini ſui, citra juſtam cauſam, nec validè, nec licitè diſponere poteſt. Ergo &c. Unde Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus Dei Filius*, ait: *Theſaurum infinitum ſatisfactionum Chriſti per B. Petrum Cœli Clavigerum, ejuſque Succeſſores, Chriſtus commiſit ſalubriter diſpenſandum, & propriis rationabilibus cauſis .... verè pænitentibus, & confeſſis miſericorditer applicandum.*

℞. 3. Cauſa legitima Indulgentiam concedendi eſt quilibet pius finis, cujus aſſecutio magis ſit Deo honorifica, magiſque Eccleſiæ utilis, quàm pœnitentialis ſatisfactio. Inter legitimas cauſas communiter, cum Divo Thoma, recenſent Doctores, Eccleſiæ utilitatem, Cultum Dei, vel Sanctorum promotionem, Fidei propagationem, & propagationem, inimicorum Eccleſiæ repreſſionem, inter Principes Chriſtianos pacem, Infidelium debellationem, Eccleſiarum ædificationem, aliarum Eleemoſynarum collationem. Nec ibi, inquit Div. Thom. ſit Simonia; cum non detur ſpirituale pro temporali, ſed pro ſpirituali.

Porrò de harum cauſarum juſtitia ſubditorum non eſt judicare; ſed potius de ea bene præſumere, niſi omninò ſit evidens concedentis indiſcretio.

QUÆSTIO IV.

Quodnam ſit Indulgentiarum ſubjectum?

Reſp. 1. Satis eſt evidens, omnes & ſolos Baptizatos Fideles, non excommunicatos, Indulgentiarum eſſe ſubjectum. Dixi *omnes*; quia bona Eccleſiæ communia omnibus, qui ejus Juriſdictioni ſubduntur legitimè, ac validè poſſunt applicari. Dixi *ſolos Baptizatos*; quia Cathecumeni nondùm ſunt Eccleſiæ ſubjecti, proindeque indulgentiæ non ſunt capaces. Niſi forte per modum ſuffragii. Dixi *ſolos Fideles*: Nam Infideles, Hæretici, & Apoſtatæ membra non ſunt Eccleſiæ; ideoque bonorum, omnibus membris communium, participes fieri nequeunt. Dixi tandem, *non Excommunicatos*; quia Excommunicatio privat hominem communibus Eccleſiæ bonis ac ſuffragiis.

℞. 2. Animæ defunctorum Indulgentiarum percipiendarum poſſunt eſſe ſubjectum, non quidem per modum abſolutionis; cum ſint extra militantem Eccleſiam, nec ejus ſint ſubjecti; ſed per modum ſuffragii, quatenus Pontifex pro ipſis exhibet pretium ex theſauro Eccleſiæ, cujus ſibi commiſſa eſt diſpenſatio. Quod autem pretium iſtud à Pontificibus pro defunctis exhiberi poſſit, & à Deo acceptetur: probatur ex Decretalibus Sixti IV. & Leon. X. contra Lutherum, ubi hæc veritas definita eſt. Confirmatque uſus perpetuus Eccleſiæ, quæ plurimas Indulgentias pro animabus Purgatorii ſæpius applicavit, & conceſſit.

Objic. Si Summus Pontifex hanc poteſtatem haberet, poſſet omnes Indulgentias omnibus animabus Purgatorii applicare; & ſic Purgatorium auferre, vel ſaltem exhaurire?

℞. Id minimè poſſe, quia citra juſtam ac legitimam cauſam, quæ utique ſemper non adeſt, Indulgentias validè applicare, aut concedere non poteſt.

QUÆSTIO V.

Quænam ſit Indulgentiam virtus, & efficacia?

Reſp. 1. Concedunt omnes Theologi, Indulgentiam non eximere Pœnitentes à pœnis in foro exteriori ad regimen externum Eccleſiæ inflictis vel infligendis; nec

Digitized by Google

ſunt. Ratio D. Thom. eſt art. 1. & 2. quia *propter charitatis unionem, & propter intentionem in eos defunctos directam, iſta opera* ſeu Indulgentiæ *quodammodò efficiuntur eorum, pro quibus ſunt, quaſi eis à faciente collata*. Ideòque non minus infallibiliter ipſis proficua ſunt, ac ſi ipſimet ea feciſſent.

Obji. 1. Oraculum D. Aug. lib. de cura pro mortuis. *Meritum*, inquit, *per quod iſta proſunt defunctis, ſi nullum comparatum eſt in hac vita, fruſtra quæritur poſt hanc vitam*. 2. D. Anſelmus docet; *ſuffragia eis potiſſimum prodeſſe, qui dùm viverent ea pro aliis fecerunt*. 3. Si ſuffragia animabus Purgatorii infallibiliter prodeſſent, fruſtra pro eadem anima ſæpius offerrentur. 4. Nulla extat promiſſio divina hæc ſuffragia, ſeu Indulgentias pro mortuis acceptandi.

R. Ad 1. D. Auguſtinum ſermonem ibi facere de Damnatis, qui nullum prorſus ſibi meritum comparaverunt; non verò de his, qui in Domino mortui ſunt, & pro quibus Deus Eccleſiæ ſuffragia ſemper acceptat.

Ad 2. D. Anſelmus aſſerit ſuffragia eis *potiſſimum* prodeſse, qui dùm viverent ea pro aliis fecerunt; non quòd his ſolis, non aliis, proſint; ſed quòd acceptationem oblatam ultrà condignationem ordinariam ex ſpeciali miſericordia acceptet; vel quia hi, qui dùm viverent ſuffragia pro aliis non obtulerunt, cum poſsent ac deberent, in hoc ipſo propter defectum charitatis magis rei facti ſunt.

Ad 3. Non fruſtra pro eadem anima ſuffragia ſæpius offeruntur; tum quia non certum eſt debitè fuiſse oblata; tum quia propter cauſam extraordinariam; Deus poſset à lege generali, & ab ordinaria miſericordia aliquam animam excipere.

Ad 4. Non extat quidem promiſſio divina, hæc ſuffragia pro mortuis acceptandi, æquè explicita ac pro vivis, ſed extat ſaltem implicita, quatenus ſcilicet ex fide habemus; Chriſtum Dominum Summo Pontifici in Perſona Petri poteſtatem contuliſſe Indulgentias pro defunctis applicandi, quæ poteſtas nulla foret, vel ſaltem omninò incerta, niſi certum eſſet eas à Domino acceptari.

QUÆSTIO VI.

Quænam ſint diſpoſitiones, & conditiones ad Indulgentiam obtinendam requiſitæ?

Reſp. Quatuor communiter aſſignantur. 1. Quod opera injuncta completè perficiantur; licèt enim ſi aliquis modicum quid ex opere injuncto omitteret, Indulgentia non privaretur; nullum tamen ejus fructum perciperet, qui partem ejus notabilem ſive ex ignorantia, ſive ex oblivione, aut etiam ex juſto quodam impedimento non impleret: Quia Indulgentia indiviſibiliter conceditur; per quod à ſimplici differt ſatisfactione, quæ juxta operis exerciti menſuram à pœnis debitis liberat. Dixi ſive ex ignorantia &c. Quia Indulgentiæ non plus valent, quam ſonant.

Quoad circumſtantias temporis, loci, & ordinis operis injuncti; ſi hæc à Pontifice principaliter intendantur; V. G. ut quis per ſe ipſum jejunet, aut has potius, quàm iſtas Baſilicas viſitet; earum impletio ad obtinendam requiritur: ſecus verò, ſi principaliter non intendatur; ut quis potius jejunet una die, quàm altera, potius in ſecunda, quàm in prima Hebbomada; in loco domicilii potius, quàm in alieno, &c.

2. Requiritur, ut Indulgentiam lucraturus ſit in ſtatu gratiæ, non ſolùm dùm ultimum ſaltem opus injunctum exercetur, ut quibuſdam Theologis videtur; ſed & toto tempore, quo omnia adimplentur, ut alii longè probabilius docent; quia cum Indulgentia non niſi vita ſpirituali animatis concedatur, non niſi ab operibus gratia vivificatis obtinetur. Ideò omnibus operibus præmittenda eſt Sacramentalis Confeſſio ab his, qui in peccato mortali verſantur, ut plenè ac completè Indulgentiam conſequantur: Nec ſufficeret attritio, quantumvis ſincera, ſi in Bulla haberetur Indulgentiam concedi, *Pœnitentibus, & Confeſſis*; licet Indulgentiam lucraturus peccati tantum venialis reus eſset; quia tunc Confeſſio ſe habet, tanquam opus injunctum.

3. Requiritur propoſitum efficax Deo pro viribus ſatisfaciendi. Effatum eſt ſiquidem ab omnibus Theologis receptum, ſedis Apoſtolicæ Indulgentias non concedi, *niſi his qui, quantùm ſuppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otioſis, ac negligentia torpeſcentibus*: Alioquin Indulgentiæ potius in deſtructionem forent, quàm

Digitized by Google

quàm in ædificationem. Ratio fundamentalis eſt; quia Indulgentiæ conceduntur ſolis *verè Pœnitentibus*; ſed qui propoſitum non habet Deo pro viribus ſatisfaciendi, fructuſque pœnitentiæ faciendi, non eſt verè Pœnitens, cum Pœnitentia hoc propoſitum eſſentialiter includat: Ergo &c.

4. Requiritur vera Indulgentias conſequendi intentio. Qui enim opus injunctum ad alium finem dirigeret, vel de Indulgentia obtinenda numquam cogitaſſet, ipſam non conſequeretur. Non requiritur tamen neceſſariò intentio actualis, aut virtualis; ſed ſufficit habitualis, ſeu interpretativa, quam quis pius, ac devotus cenſetur habere, qui omnes, quas poteſt, Indulgentias conſequi vellet. Ratio primi eſt; quia nullum opus efficaciam habere poteſt ultra intentionem, & abſque intentione agentis. Ideò ſi nulla adſit intentio, nulla & aderit efficacia. Ratio ſecundi eſt; quia Indulgentia in Bullis ſic ſolet exprimi: qui hoc opus fecerit, tantumdem Indulgentiæ conſequetur. Sic omnis Fidelis pius, ac devotus plurimas, etiam à ſe ignotas, Indulgentias conſequi poteſt, cum hac generali habituali intentione, omnes quarum eſt capax, conſequendi. Curet tamen ſedulò, ut in matutina oratione ad hoc intentionem ſuam dirigat; cum id longè ſit tutius: & ſic immenſos Indulgentiarum Theſauros pro devotione ſua, ac Fide conſequi poterit.

Adnotatio 56.

(*)

De Indulgentiis quoque diſſerere non prætermiſit Benedictus XIV. *de Syn. lib.* 13. *cap.* 18. *n.* 1. *& ſeqq. Nonnulla tantum promemus ex multis, quæ ibi doctiſſimè recenſet.* 1. *Igitur ſtatuit ex* Tridentino, *in Eccleſia ſemper viguiſſe poteſtatem ſibi a Chriſto traditam Indulgentias elargiendi.* 2. *In talis poteſtatis uſu ſemper exoptatam fuiſſe ab Eccleſia moderationem:* ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur. 3. *Indulgentiarum indictionem non per alios, quam per ipſos Epiſcopos, aut Locorum Ordinarios eſſe faciendam.* 4. *Non debere Epiſcopos permittere in propriis Diœceſibus Indulgentiarum apocrypharum publicationem. In Indulgentiis vero dubiæ fidei recurrendum eſſe ad S. Indulgent. Congregat., cui* Clemens IX. *auctoritatem tribuit* falſas, apocryphas, indiſcretaſque Indulgentias typis imprimi vetandi, impreſſaſque recognoſcendi, & examinandi &c. 5. *Primam omnium Indulgentiæ Plenariæ conceſſionem, de qua certo conſtet, autumat eam eſſe, quam* Urbanus II. *an.* 1095. *impartitus eſt iis, qui religionis cauſa ad militandum pro recuperatione Terræ Sanctæ ſeſe conferrent.* Suſpectam ergo, *ait ipſe n.* 6. aliquis habere poſſet aliquam plenariam Indulgentiam, quæ ante prædictum tempus conceſſa aſſeratur. 6. *Indulgentias, quibus relaxatio* a pœna, & a culpa *annexa dicitur, Sedem Apoſtolicam numquam conſuevisſe concedere. Quo vero ad eos, qui aſſerunt per Indulgentias aboleri poſſe peccata venialia etiam quoad culpam ſic loquitur n.* 7. non ignoramus aliquos extare Theologos, contendentes per Indulgentias tolli poſſe peccata venialia, etiam quoad culpam; at ſimul novimus valde dubiam eſſe ejuſmodi ſententiam, eamque minime cohærere ſanioribus Theologiæ principiis. 7. *Formulam iſtam* a pœna, & a culpa *uſurpatam primitus fuiſſe a præteritorum ſæculorum* Quæſtoribus; *quos exiſtimat veros fuiſſe auctores tempeſtatum, quas Eccleſia propter Indulgentiarum Cauſam perpeſſa eſt.* 8. *Indulgentias millenorum annorum, quæ ſæpe ſæpius circumferuntur, & venditantur, ex Vener. Cardin.* Thomaſio *in ſuo Comment. circa Indulgent., ſuſpectas valde exiſtimat, & planè incredibiles; eo magis, quod adſertæ Indulgentiæ plerumque ad ea tempora referantur, in quibus maxime vigebat in Eccleſia moderatio circa Indulgentiarum conceſſionem.* 9. *Indulgentiam illam, quam quidam aſſerere non dubitarunt ab* Alexandro III. *Anconitanis Dominica prima cujuſque menſis conceſſam fuiſſe; tot ſcilicet annorum, quos arenæ grana ſimul junctæ hominis manus continere poſſent, inter aniles fabulas amandat.* 10. *Monet Epiſcopos, ne permittant, quod ſimplices Indulgentiæ plenariæ enuncientur in forma, ſeu ſub nomine Jubilæi, ne aliqui decipiantur, putantes, non tantum Indulgentiam plenariam, ſed etiam favores, ſeu privilegia Jubilæis annexa, conceſſa ſint.* 11. *Advertit, omnes Indulgentias in forma Jubilæi conceſſas, abrogatas fuiſſe à* Clemente VIII., *aliiſque poſterioribus Pontificibus.* 12. *Eos vero, qui Indulgentias iſtas in forma Jubilæi enunciant, debere oſtendere Litteras conceſſionis datas fuiſſe poſt* Clementem VIII.; *atque in ipſis dictam formulam relatam fuiſſe.* 13. *Pro ſecernendis veris ab apocryphis Indulgentiis laudat Opus, quod hac de re accuratè compoſuit* P. Theodorus a Spiritu Sancto, *aſſerens, quod Indulgentiæ illæ, quæ in hoc Opere tamquam legitimæ non inveniuntur, pro apocryphis facilè habendæ ſint; dummodò qui eas enunciant, aliud autographum oſtendere nequeant.* 14. *Tandem de Indulgentiis quibuſdam, de quibus non inveniuntur autographa ſic ait n.* 4. Eſt tamen hic opportune monendum, nonnullas requiri Indulgentias, quæ ſine temeritatis nota in dubium revocari nequeunt, quamvis authenticum earum indultum non proferatur, cum antiquiſſima conſtantique traditione innitantur, ac tacita, vel expreſſa Romanorum Pontificum confirmatione roborentur. *Inter has adnumerat Indulgentiam* Portiunculæ *dictam, a Chriſto Domino* B. Franciſco *impartitam, necnon Indulgentiam plenariam quotidianam viſitantibus in ſtatu gratiæ Lateranenſem Eccleſiam, quæ dicitur, rogatu* Conſtantini *Impera-*

rato-

Digitized by Google

veteris a S. Silveſtro conceſſa. Extra præfatas gravioris momenti circumſtantias, cum agitur de Indulgentiis Plenariis, ſemper conceſſionis documenta ſunt neceſſariò exploranda, ne cum dedecore Religionis, & deceptione Fidelium falſæ pro veris Indulgentiæ venditentur. Hæc pauca annuiſſe ſufficiat. Qui plura cupit, dictum Opus conſulat loco citato.

Quoad conditiones, & diſpoſitiones requiſitas ad Indulgentias lucrandas, nihil addimus, cum iſtæ ab Authore noſtro ſufficienter fuerint recenſitæ. Hoc tantum advertimus, quod licèt aliquando dubitatum fuerit, an qui in ſtatu gratiæ invenitur, teneatur necne præmittere ſacramentalem Confeſſionem? Attamen nuper S. Congreg. Indulg. declaravit, quod quando Brevia Indulgentiarum conceſſarum habeat clauſulam: Iis, qui verè Pœnitentes Confeſſi, ac ſacra Communione refecti &c. *tunc Confeſſio præmittenda, & ab iis etiam, qui culpæ gravis rei non ſunt, ut Author quoque ſapienter tradit: & quod talis conceſſio fieri poſſit per totum diem naturalem, præcedentem Feſto, cui præfixa fuit Indulgentia.*

(*)

QUÆSTIO VII.

Quid de Jubilæo ſit dicendum?

℞*eſp.* JUbilæum ab Indulgentia plenaria non differt, quoad pœnæ remiſſionem; ſed tantummodò ratione Privilegiorum, quæ in Jubilæo conceduntur: V. G. abſolvendi à reſervatis, vota commutandi &c. quæ in Bulla exprimuntur. Igitur ſequentia circa Jubilæum tantùm ſunt notanda.

1. Privilegium tempore Jubilæi omnibus generaliter Fidelibus conceſſum, peccata deponendi cuivis Confeſſario a loci Ordinario approbato, non ſolùm verè, ſed ſpecialiter ſe extendit ad perſonas Religioſas, quæ, juxta Ordinum ſuorum Conſtitutiones, aliaque Superiorum ſuorum ſtatuta, nec validè, nec licitè confiteri poſſunt, niſi his Confeſſariis, quos ipſimet Superiores deſignaverint. Hæc ſiquidem facultas à Summis Pontificibus ipſis adeò clarè, ac nitidè conceditur; ut circa eam nullum adeſſe poſſit rationabile dubium: quod ſi adeſſet, faventior pars utique foret eligenda, juxta Regulam juris: *Favores convenit ampliari; & Beneficia Principum quàm latiſſimè decet interpretari.*

Obij. 1. Conſtitutionem Clem. VIII. editam an. 1599. 23. Nov. in qua contrarium declaraſſe dicitur; quam Conſtitutionem iiſdem planè verbis innovavit ac confirmavit Urban. VIII. an. 1630. 9. Jan.

℞. 1. Clem. VIII. in Conſtitutione ſua ſermonem non facere, niſi de *conceſſione Bullæ cruciatæ, & aliorum indultorum particularium*, non verò de conceſſionibus in Bullis Jubilæi collatis: Idem dicito de Conſtitutione Urb. VIII. quæ præcedenti nihil ſupperaddit. Quòd adeò verum videtur, ut ipſemet Urb. VIII. poſt indictum à ſe Jubilæum, per expreſſam Conſtitutionem *Pontificia ſollicitudo* editam an. 1626. declaravit, Moniales tempore Jubilæi ſibi aſſumere poſſe Confeſſarium approbatum ab Ordinario loci, quam facultatem plurimi Auctores ita extendunt, ut contendant ipſas eligere poſſe Confeſſarium a ſolo Prælato Regulari approbatum, ſi ab eis electus ſit Regularis; ſed ni fallor immeritò, cum Regularis à Superiori ſuo approbatus, hìc commodè & in ſenſu obvio non veniat ſub nomine *approbati ab Ordinario loci*: Alioquin ipſimet ſæculares à Regulari non approbato ab Epiſcopo, tempore Jubilæi, validè poſſent abſolvi, quod nullus dicet.

Deinde iſtæ Conſtitutiones in Gallia non fuerunt publicatæ, nec uſu receptæ; Bullæ autem Jubilæi, in quibus hæc ampliſſima facultas verbis expreſſiſſimis conceditur, publicantur, & uſu recipiuntur.

Demum, dato, non conceſſo, has Conſtitutiones reſpicere conceſſionem collatam in Bullis Jubilæi, non autem ſolummodó conceſſionem Bullæ cruciatæ, & aliorum indultorum particularium; dato etiam quod in Gallia fuerint publicatæ, & uſu receptæ; nihil ſequeretur contra nos: quia Clemens VIII. & Urbanus VIII. potuerunt quidem Conſtitutiones Prædeceſſorum ſuorum interpretari ac limitare, non verò Succeſſorum ſuorum, qui hanc ampliſſimam facultatem Religioſis conceſſerunt: *Non obſtantibus quibuſcumque Privilegiis iiſdem Ordinibus conceſſis, etiamſi de illis ſpecialis mentio facienda eſſet*; & imò in pluribus fertur, *non obſtantibus etiam Conſtitutionibus Apoſtolicis.*

Obij. 2. Tritum eſt juris axioma; per conceſſionem generalem non derogatur particularibus Statutis Nationalibus: Statutum eſt autem particulare, ut Regulares extra Ordinem non confiteantur.

℞. Facultas in Jubilæo collata eſt quidem generalis reſpectu omnium Fidelium, ſed eſt particularis reſpectu Regularium: cum hæc facultas ipſis expreſsè ac nominatim concedatur.

Obij. 3. Ex hac licentia non leve incom-

Digitized by Google

modum pateretur Regularis Diſciplina; quam ſartam tectam ſervari ſemper voluere Summi Pontifices: Ergo non eſt præſumendum hanc voluiſſe concedere.

℞. Nihil incommodi ex hac facultate patitur Regularis Diſciplina; cum quidquid fit ex indubitata ac legitima facultate, ſemper & ubique ordinatè fiat: Quod ſi tamen aliquid in hac facultate accidentaliter occurrat incommodi; ob id non irritatur facultas conceſſa; cum nulla Lex, nullumque Privilegium adeſse poſſit, quod ſua quandoque non patiatur incommoda: vanè ergo præſumitur contra Pontificum verba expreſſiſſima, ipſos hanc facultatem Regularibus concedere noluiſse; quia ſi hæ admitterentur præſumptiones arbitrariæ, nihil certi habere poſſemus in Eccleſia.

Obij. 4. ly *Ordinario loci* ſumendum eſt accommodate; ita ut intelligatur Epiſcopus, ſi agatur de approbatione Confeſsarii pro audiendis Confeſſionibus ſæcularium; ſi verò agatur de approbatione Confeſsarii pro audiendis Confeſſionibus Regularium, intelligatur Prælatus ipſorum: Alioquin Regulares Jubilæum conſequi non poſsent Confratribus à Superioribus ſuis tantum deputatis confitendo, cum ipſi non eſsent approbati ab Ordinario loci.

℞. Nomen *Ordinarii loci* ſumendum eſt in ſenſu obvio, & prout verba ſonant: ubi enim Lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, maximè dum agitur de Privilegio, quod coarctare nemini licet. Prælati autem Regulares nuſquam, & nunquam ſub nomine Ordinarii loci veniunt. Inde tamen non ſequitur Regulares Jubilæum non conſequi poſse, dum Confratribus à Superioribus ſuis tantùm ad Confeſſionem deputatis confitentur; quia licet Prælati Regulares propriè dici non poſſint Ordinarii, vices tamen gerunt Odinarii erga ſubditos ſuos, erga quos ex Pontificum Privilegiis auctoritatem exercent, quaſi Epiſcopalem.

2. Qui ſemel Jubilæum conſecutus eſt, jus habet, etiam poſt ipſum elapſum, ſibi Confeſsarium eligendi ad gratias ſibi comparandas, quas tempore Jubilæi non obtinuerat. V. G. ut abſolvatur à Votis, Cenſuris, & peccatis, quibus ante illud Jubilæum fuerat obnoxius.

3. Qui opera in Jubilæo præſcripta, ex cauſa legitima non adimplevit, poteſt adhuc ultima die Jubilæum conſequi, ſi dicta opera à Confeſsario ſuo transferantur, aut immutentur: Quòd etiam verum eſt, licet abſolutionem ultima die ob aliquam rationem obtinere, nec amplius communicare poſſet. Quia dùm Confeſſario jam ſeſe obtulit; hæc etiam, quatenus præſcripta opera, ab ipſo transferri poteſt; & tunc, nempè in translata Confeſſione, à votis diſpenſari, & à peccatis ac Cenſuris poſſet abſolvi.

Utrùm autem qui opera injuncta ad ultimum uſque quadrantem ex malitia diſtuliſſet, hoc Privilegio gaudere poſſit? Videtur quòd minimè poſſet; niſi fortè ſigna doloris extraordinarii exhiberet; quia, uti jam dictum eſt, Indulgentia indevotis ac negligentibus non conceditur.

4. Qui tempore Jubilæi abſens fuit, in patriam rediens illud conſequi poteſt, modò opera injuncta, quàm primùm fieri poteſt, exequatur.

5. In aliena itinerans Diœceſi tempore Jubilæi, ipſum conſequi poteſt, Eccleſias viſitando Diœceſis, ubi nondum apertum eſt Jubilæum, ſi ad propria reverſus Eccleſias Diœceſis ſuæ viſitare non poſſit; quia, uti jam diximus, hæc circumſtantia loci à Summo Pontifice principaliter non intenditur.

6. Durante Romæ anno Jubilæi, ordinariè ſuſpenſæ manent Indulgentiæ plenariæ pro vivis à Pontifice conceſſæ. Dixi *Ordinariè*; quia ſæpius, etiam hoc tempore, nonnullæ Indulgentiæ locum habent ex ſpeciali Pontificis conceſſione. Dixi *Indulgentiæ*; non enim ſuſpenduntur Privilegia à Caſibus reſervatis abſolvendi, ſi quibuſdam fuerint conceſſa: Dixi *plenariæ*: quia aliæ non plenariæ locum ſemper habent. Dixi *pro vivis*, nec ſuſpenduntur conceſſæ ſpecialiter pro Defunctis, benè quidem eæ, quæ ipſis tantummodò applicari poſſunt. Dixi à *Pontifice conceſſæ*; quæ enim vel à Legato, vel ab Epiſcopo conceduntur, ſemper vigent.

Plura, ſi libuerint, videantur apud Ritualiſtas: Hæc ad Juniorum Inſtitutionem ſufficiat breviter delineaſſe.

ADNOTATIO 57.

[*]

De Jubilæo multa fusè, & luculenter Benedictus XIV., *ea qua præditus erat eruditione, atque ſapientia, elucubravit occaſione Jubilæi univerſalis, ſeu, ut ajunt*, Anni Sancti, *Romæ ultimò celebrati. Ipſe enim uberius, quam cæteri Pontifices vaſtam Jubilæi materiam evolvens, multis editis Conſtitutionibus, atque Reſcriptis, obſcuriora illuſtravit, dubia reſolvit; variaſque difficultates plerumque circa Jubilæi extenſionem, & Privilegia inſurgentes, calculo ſuo de me-*

dio

dio tulit. Quod attinet ad caſum noſtrum, ipſe in Conſtitut. pro Pœnitentiariis in Urbe exarata, incip. Convocatis, *concedit, quod ipſi* abſolvere poſſint per ſeipſos tantum, & in foro conſcientiæ duntaxat, quaſcumque Perſonas ſibi confitentes, etiam Regulares, cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, etiam ſi ex præſcripto Superiorum, vel ſuarum Conſtitutionum, etiam a Sede Apoſtolica approbatarum, vel alias, ex Indulto, Decreto, aut Præcepto Apoſtolico, extra propriam Religionem peccata ſua confiteri prohibeantur, a quibuſcumque ſententiis Excommunicationis &c. *Cum autem in Epiſtola Encyclica ad ſupradictos Pœnitentiarios, & Confeſſarios, italico idiomate exarata, incip.* Tra le fatiche, *quæſtiones, & controverſias circa Jubilæi acquiſitionem, vel facultates, per ipſum conceſſas olim excitatas, vel forſitan adhuc excitandas, explanare vellet; ad Controverſiam, quam* magnam *vocat* §. 35. *deſcendit; num ſcilicet Alumni Religionum illarum, quæ gaudent privilegiis a SS. Pontificibus conceſſis, ut non obſtante facultate, quæ occaſione Jubilæi conceditur confitendi apud quemcumque Confeſſarium legitime approbatum, poſſint nec ne confiteri extra Ordinem proprium, abſque Superiorum ſuorum Regularium licentia, ſi de ipſis nulla fiat mentio in Apoſtolicis Litteris; Authores, qui pro & contra ſcripſerunt de hac controverſia Sapientiſſ. Pontifex recenſet; & licet quæſtionem totaliter, & expreſſè non definiat videtur tamen, ex ejus loquendi modo, quod parti affirmativæ adhæreat.* Noi, *ait ipſe* §. 36. ſenza punto pregiudicare al loro diritto (*de' Regolari*) ma come ſuol dirſi, *jura juribus addendo*, ed unicamente per rendere ſempre più ſicure le coſcienze, abbiamo eſpreſſo nelle facoltà, che concediamo nel corrente Anno Santo ai Penitenzieri delle Baſiliche, anche quella di poter aſſolvere *quaſcumque Perſonas ſibi confitentes etiam Regulares cujuſcumque ſint Ordinis, Congregationis, & Inſtituti.*

De privilegiis vero, quibus gaudent Regulares Prælati abſolvendi a Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis; de quibus loquens Author noſter n. 6. *aſſerit, quod durante Romæ anno Jubilæi non remaneant ſuſpenſa, fuſius diſſerit Pontifex in* §. 25. 26. *& ſeqq. dictæ Encyclicæ. Opiniones refert hinc inde exortas; fundamenta utriuſque partis exponit; verba ponderat, & clauſulas non ſemper eaſdem in Apoſtolicis Litteris Prædeceſſorum ſuorum contentas; & tandem quod attinet ad Jubilæum pro Anno Sancto a ſe evulgatum, ſic concludit:* E ſebbene ciò dovrebbe eſſere baſtante per manifeſtare in ciò, che appartiene al punto, di cui ſi tratta, la noſtra intenzione, abbiamo nulla oſtante creduto eſpediente il ripetere . . . eſſere ſoſpeſe tutte le facoltà di aſſolvere, e diſpenſare, o concedute per cauſa, ed occaſione delle Indulgenze, o per qualſivoglia altro titolo, o cauſa, quando ſi tratta dell'uſo di eſſe fuori di Roma, non però in Roma; e quando ſi tratta dell'uſo delle medeſime fuori di Roma ſopra i Secolari, non però quando ſi tratta del loro uſo, o fuori di Roma, o in Roma ſopra i ſudditi Regolari di quei Prelati, e Superiori Regolari, che ſono in legittimo poſſeſſo delle dette facoltà. *Verba igitur Authoris noſtri intelligenda ſunt de privilegiis, Prælatis Regularibus conceſſis abſolvendi a reſervatis proprios ſubditos; quæ tempore Anni Sancti ſuſpenſa non remanent.*

De Jubilæis tandem, generaliter loquendo, attentè perpendenda ſunt ſemper verba Litterarum Apoſtolicarum, quibus indicantur quia, cum privilegia per Jubilæum conceſſa non ſint ſemper ejuſdem extenſionis; ſed alia aliis plus, minuſve ampla; per attentam verborum, & clauſularum ponderationem, facilè quiſque cognoſcere poterit, quæ ſint, vel non ſint facultates conceſſæ.

(a)

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX PARTICULARIS
RERUM NOTABILIUM.

Primus numerus ſignificat Paginam; ſecundus Columnam; Littera (A) *Adnotationem, in qua res fuſiùs continetur &c.*

A

ABbatiſſæ, & Prioriſſæ &c. an præcipere poſſint in virtute Spiritus Sancti. p. 181. c. 2.
Abortus procuratio, an licita aliquando. p. 343. c. 1. & ſeq.
Abrogatio quid ſit &c. p. 107.
Abſolutio fraudolenta a Reſervatis nullæ. p. 90. c. 2.
Acedia quid ſit. p. 284. c. 2. quale peccatum; quot, & quæ ejus Filiæ. p. 285. c. 1.
Actoris in Judicio Obligationes. p. 194. c. 2.
Actus Hominis, & Actus humanus quomodo diſtinguantur. p. 6. c. 1.
Actus indifferens datur in ſpecie. p. 33. c. 1. Non datur in individuo. p. 34. c. 1.
Actus humani bonitas, vel malitia in quo ſita ſit. p. 36. c. 1.
Actus idem non poteſt eſſe intrinſecè bonus, & extrinſecè malus. p. 34. c. 1.
Actus externus bonitatem, aut malitiam non addit de ſe actui interno. p. 40. c. 1.
Actus humanus unde deſumat moralitatem. p. 41. & ſeqq.
Actus humanus, quomodo moralitatem ſumat ex fine. p. 42. c. 1. & ex circumſtantiis. p. 43. c. 1.
Actus interni an cadant ſub legibus humanis. p. 77. c. 2, & p. 78. c. 1. & p. 79. c. 2. (A)
Quomodo per actum unum ſatisfieri poſſit, aut non poſſit pluribus obligationibus. p. 81. c. 2. Reſolutiones aliquot circa hoc. ib. & p. 82. c. 1.
Adjuratio, quid. p. 299. c. 2.
Advertentiæ imperfectæ indicia. p. 225. c. 1.
Advocati, & Procuratoris obligationes. p. 197. c. 1.
Adulter, & Adultera ad quid teneantur. p. 346. c. 1. & ſeq.
Adulterium quid, & quale peccatum. p. 358. c. 2.
Ambitus dignitatum Eccleſiaſticarum illicitus. p. 141. c. 2.
Amor quid ſit, & quotuplex. p. 267. c. 1.
Apparitorum obligationes. p. 197. c. 1.
Artificum obligationes. p. 201. c. 1.
Artis Theatricæ Profeſſores qui ſint, & an peccent. p. 201. c. 2. & ſeq.
Aſpectus libidinoſi, quid. p. 361. c. 1.
Avaritia quid ſit. p. 285. c. 2. quale peccatum. p. 286. c. 1. & quot ejus Filiæ. ib.

B

BEatitudo quid ſit. p. 4. Beatitudo hominis eſt ſolus Deus. ib. Beatitudo imperfecta poſſibilis eſt in hac vita. p. 5. c. 1. Beatitudo formalis ſita eſt in amore Dei. ib. c. 2.
Bellum quid ſit: an licitum: conditiones ad ipſum requiſitæ. p. 287. c. 2. & ſeq.
Beneficium ſuſcipiens cum intentione illud reſignandi &c. peccat. p. 142. c. 1. tenetur Ordinem annexum ſuſcipere. ib.
Beneficium Eccleſiaſticum quid ſit. p. 151. c. 2. & quotuplex. p. 152. c. 1.
A Beneficiis arcentur Illegitimi. Poſtulata quædam ad hoc ſpectantia. p. 158. c. 1. & ſeqq.
Beneficiarii an Domini redditnum Eccleſiaſticorum p. 160. c. 1. Quid de hoc ſenſerit Benedictus XIV. p. 161. c. 1. An ſint Domini redditnum parcimonialium. p. 162. c. 2. Quid de Beneficiariis divitibus ex proprio. p. 163. c. 1. An ſint Domini bonorum, quæ acquiſierunt Officiis, Miſſis &c. p. 163. c. 2. An teneantur ad inſtaurationem Eccleſiarum ſuarum. p. 163. c. 2.
Beneficiorum incompatibilitas quid, & quotuplex. p. 162. c. 2. & ſeq.
Beneficiariorum Reſidentia quo jure debita ſit. p. 165. c. 1. & ſeq.
Beneficiariorum non reſidentium pœnæ. p. 165. c. 2.
Beneficia conferens Indigno ad preces Amici, ſimoniam committit. p. 169. c. 2.
Beſtialitas quid, & quale peccatum. p. 359. c. 2.
Blaſphemia quid, & quotuplex. p. 256. c. 1. Quot modis committatur. ib. Ejus ſpecies. ib. c. 2. an ſit ſemper mortalis. ib.
Bona Domino carentia, cujus ſint. p. 310. ib. & ſeq. plura de Animalibus, piſcibus, Theſauris &c.
Bona derelicta &c. p. 311. c. 2.
Bona Chriſtianorum rapta a Pyratis &c. p. 312. c. 1. & ſeq. (A)

Bona

Bona Eccleſiaſtica ab Infidelibus occupata, & a Chriſtianis empta &c. p. 309. c. 2. (A)

C

CAmbium quid, & quotuplex ſit. p. 325. c. 2. & ſeq. (A). an licitum, & quomodo. p. 326. c. 2.
Campanas Hæreticorum pulſans ad eos convocandos ad Templum, an cenceatur hæreſi cooperari. p. 251. c. 1.
Caſtitas quid, & quotuplex. p. 758. c. 1.
Caſtitas Religioſa quid ſit. p. 185. c. 2. & quæ media ad illam ſervandam. p. 186. c. 1.
Cenſura quid ſit. p. 129. c. 1. ſi ſit injuſta, an ſervanda. p. 130. c. 1. & 2. Cauſæ a Cenſuris excuſantes. p. 130. c. 1. & 2. A cenſuris quis abſolvere poſſit. p. 131. c. 1. Cenſura quotuplex ſit. p. 131. c. 2. in quas culpas ferenda. ib. (A)
Cenſus quid, & quotuplex ſit, & an licitus. p. 327. c. 1. & ſeqq. (A) Conditiones ad ejus juſtitiam requiſitæ. p. 328. c. 1.
Ceſſatio a Divinis quid ſit. p. 136. c. 1.
Charitas quot modis accipiatur. p. 267. c. 1. quid ſit. ib. c. 2. ejus objectum, & ſubjectum. p. 269. c. 2. & ſeq. ejus affectiones, & proprietates. ib. & p. ſeq.
Charitatis præceptum erga Proximum quando obliget. p. 272. c. 1. & ſeq. (A) erga Deum quomodo impleatur. p. 273. c. 1.
Charitatis ordo quomodo ſervandus. p. 274. c. 1. & ſeq. Reſolut. nonnullæ ad hoc ſpectantes. ib. & p. ſeq.
An omnis Charitas ſemper juſtificet. p. 275. c. 2. & ſeqq. (A)
Chirurgorum obligationes. p. 200. c. 1. & ſeq.
Choreæ an licitæ. p. 361. c. 2.
Circumſtantia longioris durationis peccati aperienda in Confeſſione. p. 212. c. 2.
Clericus recitans Horas non ea, qua vult devotione, an ſatisfaciat. p. 80. c. 2. & pergens ad Templum propter temporalia emolumenta. p. 81. c. 1.
Clerici a quibus legibus ſunt immunes, vel non. p. 88. c. 2. & p. 89. c. 1.
Clericus excommunicatus non eximitur ab Horis perſolvendis. p. 133. c. 1.
Clerici ſacram Doctrinam negligentes quàm graviter peccent. p. 143. c. 1. Perfectioni vacare debent. ib. c. 2. & ſeq. item obedientiæ, paupertati, continentiæ &c. p. 144. c. 1. cui Epiſcopo morem gerere debent. ib. & ſeq. divitias avidè captantes peccant. ib. Qua veſte uti debeant. p. 145. c. 1. quæcumque negotiatio ipſis interdicta. p. 146. c. 1. & ſeq. (A) Venationes quoque clamoroſæ, & delatio armorum. ib. Comædiis etiam, & Choræis intereſſe; item cauponas frequentare, aleis ludere, & Chirurgiam excercere. ib. & c. 2.
Clericus inſerviens Epiſcopo principaliter ut Beneficium obtineat, ſimoniacus eſt. p. 169. c. 2.
Communionis annuæ præceptum differt a præcepto Confeſſionis. p. 119. c. 2.
Communio ubi, & a quo ſuſcipienda. p. 120. c. 2.
Compenſatio occulta quid ſit, & an illicita. p. 352. c. 1. & ſeq.
Concubitus inordinatus quid, & quale peccatum. p. 360. c. 1.
Concupiſcentia quid & quotuplex ſit, & quando minuit, auget, aut tollit voluntarium. p. 24. c. 1. & ſeq.
Conductio quid ſit. p. 318. c. 2. & quæ Conductoris obligationes. p. 319. c. 1.
Confeſſarius quando monere tenetur, vel non tenetur Pœnitentem. p. 48. c. 1. & c. 2. & p. 40. c. 1. (A)
Confeſſionis annuæ præceptum. p. 118. c. 2. cui facienda. p. 119. c. 2.
Confeſſariorum praxis circa Reos ad mortem damnatos. p. 196. c. 2.
Conjugati an peccent in delectatione operis conjugalis extra illud. p. 218. c. 2. & p. ſeq. (A)
Conſcientia quid ſit. p. 45. c. 1. & quotuplex. p. 46. c. 1.
Conſcientiæ erroneæ quando adhærendum. p. 46. c. 1. & quando non adhærendum. p. 47. c. 1.
Conſcientia dubia quid ſit. p. 50. c. 1. & utrum liceat cum ea operari. ib.
Conſcientia laxa, & ſcrupuloſa quid ſint. p. 55. c. 2.
Conſuetudo quid ſit. p. 103. c. 1. utrum vim legis habeat. p. 104. c. 1. Quot conditiones ad hoc requirantur. ib.
Contractus quid, & quotuplex ſit. p. 313. c. 1. & ſeq.
Contrahere quis poſſit. p. 314. c. 1.
Contractus ſine interno conſenſu an validus. p. 314. c. 1. an errore initus. ib.
Contractus fraude initus quid. p. 315. c. 1. gravi metu. ib. ſub conditione. ib. c. 2.
Contractus jure civili nullus an obliget in conſcientia. p. 316. c. 2.
Contractus ſocietatis quid ſit, & quæ conditiones ad ejus juſtitiam. p. 328. c. 2. & ſeq.
Contractus triplex quid ſit, & an licitus. p. 329. & ſeq. (A)
Contractus mohatra quid ſit, & an licitus. p. 330. c. 2.
Contumelia quid ſit, & quale peccatum. p. 356. c. 1. & ſeq.
Correptio fraterna quid ſit, & quotuplex. p. 280. c. 1. Quibus facienda. ib. c. 2. Quando obliget. ib. modus in ipſa ſervandus. p. 281. c. 1.

Cra-

Digitized by Google

Crapula quale peccatum. p. 355. c. 1. & ſeq.
Cultus falſus &c. quid ſit, & quale peccatum. p. 301. c. 1.
Culpa juridica quotuplex. p. 333. c. 1. & ſeq.

D

DEgradatio quid ſit. p. 136. c. 2.
Delectatio moroſa quid ſit, & quale peccatum. p. 217. c. 2. & ſeq.
Delectatio de re mala, ſub conditione ſi non eſſet mala, an ſit licita. p. 220. c. 2.
Delectatio negativa, mala eſt. p. 218. c. 1. & ſeq.
Depoſitum quid ſit, & quæ Depoſitarii obligationes. p. 318. c. 1.
Deriſio quid ſit, & quale peccatum. p. 350. c. 2.
Derogatio quid ſit. p. 103. c. 1.
Deſperatio quid ſit. p. 265. c. 1. An includat infidelitatem. ib. c. 2. quale peccatum ſit. ib.
Detractio quid ſit. p. 347. c. 1. Detractionis juſtæ cauſæ. ib.
Detractio quot modis fieri poteſt. p. 348. c. 1. & quale ſit peccatum. ib.
Detractorem audiens, quid. p. 348. c. 1.
Dignioris qualitates quæ. p. 156. c. 2.
Dignior ad Beneficia eligendus. p. 156. c. 2. & ſeq.
Diſcipulorum obligationes erga Magiſtros. p. 200.
Diſpenſatio quid ſit. p. 99. c. 2. Diſpenſationis cauſæ legitimæ. p. 100. c. 2. Diſpenſationis ceſſatio ib. Diſpenſatio per fraudem. p. 101. c. 1. Reſolutiones nonnullæ diſpenſationem ſpectantes. ib.
Divinatio quid ſit, quotuplex, & quale peccatum. p. 300. c. 1. & ſeq.
Dominorum obligationes erga Famulos. p. 199. c. 2.
Dominium quid ſit, & quotuplex. p. 306. c. 1.
Dominium Filiorum-Familias, & Uxorum. p. 307. c. 1.
Dominium quomodo adquiratur &c. p. 307. c. 2.
Donatio quid ſit, & quæ conditiones ad ejus validitatem. p. 317. c. 1.
Dubiorum ad materiam juſtitiæ ſpectantium Reſolutiones variæ. p. 52. c. 2. & ſeq. Aliæ Reſolutiones Dubiorum circa Leges, & præcepta. p. 53. c. 2. & ſeq. Pariter circa vota. p. 54. c. 2. Item circa Sacramenta. p. 55. c. 1. contra Conſcientiam ſcrupuloſam quomodo, & quando operari licet. p. 56. c. 1.
Duellum an, & quando ſit licitum. p. 288. c. 1.

E

EBrietas quid, & quale peccatum. p. 355. c. 2. An licita ad mortem vitandam, aut &c. p. 356. c. 1.
Eccleſiaſticorum obligationes. p. 140. c. 1.
Eleemoſyna a quibus facienda. p. 281. c. 2. quibus bonis. p. 282. c. 1. Quibus eroganda, & quando. ib.
Emptio quid ſit. p. 319. c. 2.
Emptor an teneatur rei pretium majus Venditori detegere. p. 320. c. 2.
Epikiia quid ſit, & in quo cadat. p. 98. c. 2. & ſeq. quando eſt licita. p. 99. c. 1. & ſeq.
Error circa ſubſtantiam, & circa qualitatem: Antecedens, & concomitans, qualis ſit. p. 314. c. 1. & ſeq.
Excommunicatio quid, & quotuplex ſit. p. 132. c. 1. Ecom. major quibus bonis privat. ib. c. 2. & ſeq. & quibus minor. p. 133. c. 2.
Cum Excommunicato quando communicare licet. p. 133. c. 2.

F

FAma a quibus, quando &c. ſit reſtituenda. p. 348. c. 2. & ſeq. cauſæ excuſantes, vel non a famæ reſtitutione. ib.
Famulorum obligationes erga Dominos. p. 199. c. 2.
Feſtis diebus intereſſe conviviis, ſpectaculis &c. quale peccatum. ib. Peccare in talibus diebus, an ſit duplex peccatum. p. 122. c. 1. Quæ Opera vetita ſint. ib. c. 2. Cauſæ permittentes opera ſervilia. p. 124. c. 1. An labor unius horæ ſit materia gravis. p. 125. c. 1.
Feſtorum ſanctificatio quid ſit. p. 120. c. 2. quale præceptum ſit. ib. An præſentia unius Miſſæ ſufficiat Feſtorum ſanctificationi. ib. & p. ſeq. An neceſſe ſit intereſſe Miſſæ Solemni. p. 121. c. 1. Quantum temporis inſumendum in tali ſanctificatione. ib. c. 2.
Fidei veritas quæ, & quanta. p. 244. c. 2. Ejus obſcuritas. p. 245. c. 2. Ejus neceſſitas. p. 247. c. 2. & ſeq. & p. 250. c. 1.
Fides quid ſit. p. 238. c. 2. & ſeq. quale ejus objectum. p. 239. c. 2. & pag. ſeqq.
Fidei articuli, an creverint. p. 240. c. 2.
Fidei ſubjectum quid, & quotuplex. p. 243. c. 1.
Fides fuit in Angelis Viatoribus, & in Protoparentibus. p. 243. c. 2.
Fides quando perit. p. 243. c. 2.
Fidei præceptum quando obliget. p. 249. c. 2.
Fides quando negari cenſeatur. p. 250. c. 1. Reſolutiones aliquot ad hoc ſpectantes. ib. c. 2.
Fidei externæ profeſſio quando obligat. p. 251. c. 1. Reſolutiones aliquot ad hoc ſpectantes. ib. & ſeq.
Finis ultimus quis ſit, & quomodo dividatur. p. 1. c. 2. ſub qua ratione conſiderari poſſit. p. 2. c. 1.

For-

Digitized by Google

Filiorum obligationes erga Parentes. p. 198. c. 2.
Fornicatio quid, & quale peccatum. p. 358. c. 1.
Fortitudo quid ſit: quæ vitia ipſi oppoſita: & quæ virtutes adjunctæ. p. 354. c. 1. & ſeq.
Fraus legis non excuſat. p. 90. c. 1.
Fruitio eſt actus amoris. p. 7. c. 2.
Furtum quid ſit. p. 350. c. 2. quotuplex, & quale peccatum. p. 351. c. 1. An permiſſum in neceſſitate; & quid tunc de reſtitutione. p. 352. c. 1.
Furta Filiorum, Uxorum &c. p. 351. c. 2. de furtis minutis, quid. p. 352. c. 2.

G

GRavitas materiæ in peccatis unde deſumenda. p. 225. c. 1.
Gula quid ſit, & quot modis per ipſam peccatur. p. 355. c. 1.

H

HAbituati quando, & quomodo peccent. p. 224. c. 1.
Hæreſis quid ſit. p. 252. c. 2. An aliqua ignorantia ab ea excuſet. p. 253. c. 1.
Hæreſis quotuplex ſit. p. 253. c. 2.
Hæreticorum pœnæ. p. 253. c. 2. Quinam ab eis abſolvere valeat. ib. & ſeq. (A)
Hæreticorum receptio quomodo facienda. p. 254. c. 2.
Hæreticorum librorum lectio &c. p. 255. c. 1. & ſeq. (A)
Hæres contra leges an ſit tutus in conſcientia. p. 318. c. 1.
Homo quidquid deliberate expetit, ipſum expetit propter finem ultimum. p. 2. c. 1. Non poteſt agere ſimul, & ſemel propter plures fines ultimos adæquatos. p. 3. c. 2.
Homo an ſit Dominus propriæ famæ, vitæ, & membrorum. p. 306. c. 2. & ſeq.
Horæ canonicæ quid ſint: & quinam teneantur ad ipſas. p. 148. c. 1. & ſeq. Quomodo ſint recitandæ. p. 149. c. 2. Ipſas ommittens duplici titulo obligatus, dupliciter peccat. ib. c. 1. cauſæ excuſantes ab ipſarum recitatione. p. 150. c. 2. & ſeq.

I

IDololatria quid ſit, & quale peccatum. p. 300. c. 1.
Jejunium quid, & quotuplex. p. 125. c. 1. An ſumptio potus frangat jejunium. p. 126. c. 1. Collatiuncula an ſit licita, & qualis eſſe debeat ib. c. 2. Cauſæ excuſantes a jejunio. p. 127. c. 1. Leges ſervandæ in Jejunio. p. 128. c. 1. & ſeq.
Jejunans violenter coactus non ſatisfacit. p. 80. c. 1.
An ſit contra jejunium ſumptio electuariorum, & potus; & ao in fraudem jejunii quis laborare poſſit. p. 80. c. 2. Reſolutiones aliquot jejunium ſpectantes. p. 91. c. 1. & 2. & p. 95. c. 2. & ſeq. c. 1. & p. 96. c. 2.
Ignorantia quid ſit, & quotuplex. p. 25. c. 2. An, & quomodo cauſet involuntarium. p. 26. c. 2.
Ignorantia invincibilis an detur, & circa quod detur. p. 28. c. 2. & ſeqq. Reſolutiones aliquot ad hanc materiam ſpectantes. p. ib.
Impudicitia quid. p. 360. c. 2.
De imprecationibus quid. p. 298. c. 2. & ſeq.
Inceſtum quid, & quale peccatum. p. 359. c. 1.
Indulgentia quid ſit. p. 371. c. 1. & ſeq.
Indulgentiarum poteſtas an in Eccleſia. p. 372. c. 2. illarum Miniſtri. ib. & p. ſeq. & ſubjectum. ib. c. 2. earum virtus & efficacia. p. 374. c. 1. & ſeq. an extendatur ad Defunctos. ib. c. 2. Conditiones ad ipſas obtinendas. p. 375. c. 2. & ſeq. (A)
Infidelitas quid, & quotuplex. p. 252. c. 1., & quale peccatum. ib. c. 2.
Inimicorum dilectio &c. p. 279. c. 1. & ſeq.
Injuria quid ſit. p. 332. c. 1. & ſeq.
Innocens an poſſit occidi pubblica auctoritate. p. 342. c. 2.
Interdictum quid, & quotuplex. p. 135. c. 1. & 2. & quænam in ipſo obſervanda. ib. Interdictum violantes quibus pœnis ſubjaceant. p. 136. c. 1.
Invaſor vitæ an licitè occidatur. p. 343. c. 2. & Invaſor pudicitiæ. p. 344. c. 2.
Irregularitas quid ſit. p. 136. c. 2. & quotuplex.
Irreligioſitas quid ſit. p. 301. c. 1.
Ira quid ſit, quale peccatum, & quot ejus Filiæ. p. 287. c. 1.
Judicis obligationes quæ. p. 193. c. 1. & ſeq. An teneatur condemnare Reum per teſtes, quem privata ſcientia novit innocentem. p. 194. c. 1.
Judicium temerarium quid ſit, & quale peccatum. p. 349. c. 2. & ſeq.
Juramentum quid, & quotuplex ſit. p. 297. c. 2. Propoſitio damnata circa illud. ib.
Juratoriæ quædam formulæ. p. 298. c. 1. Juramentum an ſit licitum. ib. quæ, & quot conditiones &c. ib. c. 2.
Juramenti obligatio. p. 299. c. 1. quomodo ceſſet. ib. c. 2.
Juramentum an ab omnibus exigi liceat. p. 299. c. 2.
Juſtitia quid ſit, & quotuplex. p. 303. c. 1. & ſeq.
Jus quid ſit, & quotuplex. p. 304. c. 1. & ſeq.
Jus civile quid ſit. p. 114. c. 1. & quid jus Canonicum. ib. c. 2. quot partibus conſtet. p. 115. c. 1. quæ ejus auctoritas. ib. c. 2.
Jus patronatus Eccleſiaſticus, & jus patronatus Lai-

Digitized by Google

Laicus quid ſint, & quomodo inter ſe diſferat. p. 133. c. 1.
Jus regreſſus ad Beneficia quid, & an liceat. p. 155. c. 1.

L

LArvæ & Perſonatus quid. p. 362. c. 1.
Leges ut obligent, an requiratur Populorum conſenſus. p. 85. c. 1.
Leges humanæ verè obligant. p. 92. c. 1. & 2.
Leges humanæ non obligant cum gravi detrimento. p. 94. c. 1.
Leges pęnales quando obligant ad pęnam ſtatim ſubeundam. p. 97. c. 2.
Legislativa Poteſtas quibus competat. p. 74. c. 2. & 76. c. 1.
Legis materia qualis ſit. ib. c. 2. & p. 77. c. 1.
Legis finis intrinſecus cadit ſub præcepto. p. 80. c. 2. & etiam modus. ib.
Legis promulgatio eſſentialis eſt. p. 82. c. 2. & quomodo fiat. p. 85. c. 1.
Legislator quomodo teneatur ſuis Legibus. p. 87. c. 2.
Legislator obligans graviter in re levi, & e contra quid. ib. (A)
Legis contemptus quale peccatum. p. 94. c. 1.
Legis præceptivæ, & prohibitivæ diſcrimen. p. 94. c. 2.
Legis adimpletionem impediens an excuſetur. p. 95. c. 2. Aliquæ Reſolutiones ad hoc ſpectantes. ib. & p. ſeq.
Legis veteris præcepta triplicis generis. p. 108. c. 2.
Lex quid ſit, & quotuplex. p. 71. c. 1. & 2., & p. 93. c. 2. Conditiones ad Legem requiſitæ. p. 72. c. 1. Lex rationi debet eſſe conſentanea. p. 73. c. 1. Commune bonum intendere debet. ib. c. 2.
Legum materia quando gravis. p. 93. c. 1.
Lex fundata in ſalſa præſumptione an obliget. p. 95. c. 1. & 2.
Lex pęnalis an obliget in conſcientia. p. 96. c. 2.
Lex quot modis abrogari poſſit. p. 103. c. 1.
Lex æterna quid ſit. p. 104. c. 2. & quid lex naturalis p. 105. c. 1. an ſit diſpenſabilis. p. 106. c. 2.
Lex vetus quomodo data. p. 109. c. 1. An data ſolis Judæis. ib. An, & quomodo abrogata. ib. c. 2.
Circa Legalia diſſidium inter Hieron. & Aug. p. 112. c. 1.
Lex nova quæ ſit. p. 112. c. 2. in quo differat a veteri. ib. Quotuplicis ſint generis ejus præcepta. ib. c. 2.
Lex poſitiva humana qualis, & quotuplex. p. 114. c. 1.
Liberum Arbitrium eſt potentia activa. p. 10. c. 1.
Libertas a coactione non eſt vera Libertas. p. 14. c. 1.
Libertas triplex. p. 9. c. 2. ejus ſubdiviſiones. p. 10. c. 1.
Ad libertatem ſpectat poteſtas ad peccandum, vel non peccandum p. 14. c. 2. Reſtrictio hujus Aſſertionis. p. 15. c. 1. (A)
Libertas perfecta datur in homine lapſo. p. 16. c. 2.
Litteræ Apoſtolicæ quid, & quot ſint. p. 116. c. 1. & 2.
Locatio quid ſit, & quæ Locatoris obligationes. p. 318. c. 2.
Lucrum ceſſans, & damnum emergens quid ſit. p. 324. c. 1. & ſeq.
Ludus quid ſit, an licitus, & quæ conditiones ad ipſum. p. 331. c. 1.
Ludus alearum, & bona per ipſum acquiſita, an licita. ib. c. 2.
Luxuria quid, quotuplex, & quale peccatum. p. 357. c. 1. & ſeq. Quæ ejus Filiæ. p. 358. c. 1. ejus ſpecies. ib.
Luxuriæ actus ſemper lethales. p. 225. c. 1.

M

MAgiſtratuum obligationes quæ. p. 191. c. 2. & ſeq.
Magiſtrorum obligationes erga diſcipulos. p. 199. c. 2. & ſeq.
Malefactores quomodo occidere liceat. p. 341. c. 2.
Mandatum quid ſit? p. 318. c. 1. & quæ mandatarii obligationes. ib. c. 2.
Matrimonium initum in fraudem Tridentini quid. p. 90. c. 2.
Medicorum obligationes. p. 200. c. 1.
Mendacium quid ſit, & quotuplex. p. 379. c. 1 An licitum: & quando veniale aut mortale. ib. c. 2.
Metus quid ſit; & quando auget, minuit, aut tollit voluntarium. p. 22. c. 1. & ſeq.
Qualis metus invalidet Profeſſionem Religioſam. p. 176. c. 2. & ſeq.
Militum, & Ducum obligationes quæ. p. 192. c. 2. & ſeq.
Miſericordia quid ſit, & quot ejus opera. p. 279. c. 1.
Miſſa quando audienda. p. 117. c. 1. cauſæ excuſantes ab ipſa audienda. p. 118. c. 1.
Miſſam audiens ebrius, aut dormiens non ſatisfacit. p. 80. c. 1. nec qui confitetur peccata ſua dum Miſſam audit. p. 82. c. 1. nec qui tenetur ad duas Miſſas, duas ſimul audit. ib. Reſolutiones aliquot obligationem Miſſæ ſpectantes. p. 91. c. 2. & p. 96. c. 1. & 2.
Moderamen inculpatæ tutelæ quid ſit. p. 343. c. 2.
Mollities quid, & quale peccatum. p. 360. c. 1.
Monitorium quid ſit. p. 134. c. 1. Qui non tenean-

teneantur obtemperare monitorio. ib.
Monopolium quid ſit. p. 320. c. 2.
Mulierum ornamenta, & fuci. p. 361. c. 2. & ſeq.
Mutuum quid ſit. p. 321. c. 2.
Myſteria quænam neceſſariò credenda. p. 248. c. 1. & ſeq.

N

NOtariorum obligationes. p. 197. c. 2.

O

OBſervatio vana quid ſit, & quale peccatum. p. 300. c. 2. & ſeq.
Occiſio ſui ipſius an licita. p. 342. c. 1. & ſeq.
Occiſio aut mutilatio an licita pro honoris defenſione. p. 344. c. 1. aut pro defenſione bonorum temporalium. ib. c. 2.
Odium Dei, & proximi quid ſit, & quale peccatum. p. 283. c. 1. & 2. & an ſemper ejuſdem ſpeciei. ib.
Omiſſiones ſequentes ex infirmitate, & impoſſibilitate voluntariè contracta an peccaminoſæ. p. 215. c. 2. & ſeq.
Opinio Probabilis quid ſit, & quotuplex. p. 57. c. 1. An liceat eam ſequi. p. 58. c. 1. & p. 65. c. 2., & p. 69. c. 2.
Oratio quid, & quotuplex ſit. p. 292. c. 1. An neceſſaria. ib. c. 2.
Orationis præceptum an, & quando obliget. p. 292. c. 2.
Ordines Sacros ſuſcipere rerum temporalium appetitu quale peccatum. p. 141. c. 1.
Ordines Sacros ſuſcipiens, ut Beneficium obtineat, peccat. p. 142. c. 1.
Oſcula an licita. p. 360. c. 1.

P

PApa quot modis conferat beneficia. p. 155. c. 2. & ſeq.
Parentum obligationes erga Filios. p. 198. c. 1. & 2.
Parochi abſentia a propria Parœcia &c. p. 166. c. 1.
Patronorum obligationes preſentandi digniores p. 156. c. 2. Reſolutiones binæ ad hoc ſpectantes. p. 157. c. 1. & 2. & p. 156. c. 1.
Paupertas Religioſa quid ſit, & ad quid obliget. p. 182. c. 1. & 2.
Peccatum quid ſit. p. 206. c. 2. in quo conſiſtat. p. 207. c. 1. ejus effectus. p. 208. c. 1. & ſeq.
Peccata quomodo inter ſe diſtinguantur. p. 210. c. 1. & ſeq. & quomodo multiplicentur. p. 211. c. 1. & ſeq. Reſolutiones aliquot ad rem ſpectantes. ib. & p. ſeq.
Peccatorum inæqualitas unde deſumenda. p. 212. c. 2. & ipſorum diviſio. p. 213. c. 1. & ſeq.
Peccata omiſſionis, & commiſſionis quomodo inter ſe differant. p. 213. c. 2. De peccatis omiſſionis plura. ib. & pp. ſeqq.
Peccata tum carnalia, tum ſpiritualia &c. quæ ſint. p. 215. c. 2.
Peccatum Philoſophicum quid ſit. p. 216. c. 1. & 2. ejus conſectaria. p. 217. c. 1.
Peccati tum mortalis, tum venialis exiſtentia, & diviſio. p. 221. c. 1. & ſeq. Conditiones requiſitæ ad utrumque. p. 223. c. 1. & ſeq. Reſolutiones aliquot ad rem pertinentes. ib. & p. ſeq.
Peccata mortalia, & venialia, qua ratione inter ſe differant. p. 224. c. 1. & ſeq.
Peccatum veniale quomodo tranſeat in mortale, & e contra. p. 224. c. 2. & p. ſeq.
Peccatum quando dignoſcatur veniale eſſe, aut mortale. p. 224. c. 2. & ſeq.
Peccati gravitas unde deſumenda. p. 225. c. 1. ejus pœnæ. p. 226. c. 2. & ſeq.
Peccati originalis exiſtentia. p. 228. c. 1. & ſeqq. in quo conſiſtat. p. 230. c. 2. & ſeq. quomodo transfundatur. p. 232. c. 2. & ſeq. ejus pœnæ. p. 234. c. 1. & pp. ſeqq. Quid de Pueris cum ipſo decedentibus ſit dicendum. p. 236. c. 2. & p. ſeq. (A)
Pecunia inventa in angulo domus quid &c. p. 711. c. 2.
Penſio quid ſit, & an licita. p. 156. c. 2. & ſeq.
Periculum fortis amittendæ quid, & quotuplex. p. 324. c. 2. & ſeq.
Peregrini qui ſint, & quibus legibus teneantur. p. 89. c. 2. & ſeqq.
Permutatio Beneficiorum quid ſit, & quot ejus conditiones. p. 154. c. 2. & ſeq.
Pharmacopolorum obligationes. p. 200. c. 2.
Poſſeſſio quid, & quotuplex. p. 307. c. 2. & ſeq.
Poſſeſſor bonæ fidei, an faciat fructus ſuos. p. 309. c. 2. (A)
Præceptum affirmativum, aut negativum quomodo dignoſcatur. p. 95. c. 1.
Prælaturas Religioſas an liceat ambire. p. 190. c. 1.
A Prælaturis Relig. qui jure excludantur. p. 190. c. 2.
Præſcriptio quid ſit. p. 308. c. 1. & ſeq. an dominium transferat. p. 309. c. 1.
Præſumptio quid ſit. p. 265. c. 1. An includat infidelitatem. ib. c. 2. quale peccatum ſit. ib.
Pretium juſtum quotuplex ſit. p. 319. c. 2. & ſeq. unde pretium vulgare petatur. p. 320. c. 1.
Privilegium quid ſit. p. 101. c. 2. & quotuplex. p. 102. c. 1. quot modis irritetur. ib. c. 2.
Prodigalitas quid ſit, & quale peccatum. p. 286. c. 1.

Profeſſio irrita quomodo validatur. p. 177. c. 1. Profeſſionis Religioſæ effectus. ib. c. 2.
Prolem exponentes ad quid teneantur. p. 246. c. 2.
Promiſſio quid ſit. p. 316. & quanta ejus obligatio. ib. quando hæc ceſſet. p. 317. c. 1.
Propoſitiones damnatæ quoad Eccleſiæ præcepta. p. 116.
Circa Horas Canicas. p. 148.
In materia Simoniæ, & collationis Beneficiorum. p. 166.
Circa peccatum Philoſophicum. p. 216.
In materia fidei. p. 238.
In materia ſpei. p. 257.
In materia charitatis erga Deum, & proximum. p. 266.
Circa Votum. p. 293.
In materia Juramenti. p. 297.
In materia Uſuræ. p. 321.
In materia Furti. p. 332.
In materia Luxuriæ. p. 356.
Quoad Regulares. p. 363.
Circa Indulgentias. p. 371.
Proximus quomodo diligendus. p. 274. c. 2. & ſeq.
Prudentia quid ſit: quale ejus objectum: an neceſſaria: & quæ ejus partes. p. 302. c. 2.
Publicitas criminis an detrahentes excuſet. p. 347. c. 2.
Puellam impellens ad Religionem, majorem incurrit excommunicationem. p. 175. c. 1.

Q

Quietiſtarum errores. p. 293. c. 1.

R

Rapina quid ſit. p. 351. c. 1.
Raptus quid, & quale peccatum. p. 359. c. 1.
De Rebus deperditis quid. p. 312. c. 2. & ſeq. (A)
Referentis obligationes. p. 194.
Regulares an teneantur Sum. Pontific. Decretis p. 363. c. 1. & ſeq. quibus in caſibus ſubjaceant Epiſcopis. ib. & ſeqq. Eorum privilegia. p. 365. c. 2. & ſeqq. Eorum Prælatorum poteſtas. p. 366. c. 2. & ſeqq. (A) an gaudeant privil. interſtitiorum. p. 368. c. 2. (A) an valeant confiteri extra proprium ordinem. p. 369. c. 2. & ſeq. (A)
Regulares Superiores an inquirere, & recipere teneantur Religioſos fugitivos. p. 189. c. 1. & ſeq.
Regular. Confeſſariorum poteſtas. p. 368. c. 2.
Religio (virtus) quid ſit. p. 291. c. 2. quot ejus actus p. 292. c. 1.
Religioſus ad perfectionem tendere tenetur. p. 178. c. 1. media, quibus ad hoc uti debet. ib. & ſeq. ejus obligatio ad Chorum. ib. & p. 179. c. 1. ejus peccatum ſi in otio torpeſcat. Actiones Religioſis interdictæ. ib. c. 2. quid de Religioſorum (& monialium) Clauſura ſit ſentiendum. ib. & p. 180. c. 1.
Religioſus ad quid teneatur virtute obedientiæ. p. 180. c. 2. & ſeq. & quando graviter peccet non obediendo. ib. & c. 2.
Religioſo non ſemper ſufficit licentia interpretativa. p. 183. c. 1. & ſeq. an & quomodo licitum ſit peculium. p. 184. c. 1. an & quomodo licitus ludus. ib. c. 2.
Religioſo quale crimen ſit Furtum. p. 185. c. 2. & quæ quantitas ad hoc ut ſit grave. ib. quæ pœna Religioſo proprietario. ib. c. 2.
Religioſus reclamans contra profeſſionem quid agere debeat. p. 186. c. 2. (A) factus Epiſcopus ad quid teneatur. p. 188. c. 2. incorregibilis qualis ſit. pag. 189. c. 2. Apoſtata, & fugitivus qualis ſit. ib. & ſeq an egredi teneatur ad ſubveniendum Parentibus. p. 189. c. 2.
Reorum obligationes. p. 195. c. 1. & ſeqq.
Reſidentiæ onus quam grave. p. 165. c. 1. & ſeq. cauſæ a reſid. excuſantes. ib.
Reſtrictio mentalis quid, & quotuplex ſit. p. 339. c. 1. & ſeq. An purè mentalis liceat. p. 340. c. 1. & an latè mentalis. ib. & ſeq.
Reſignatio quid ſit, & quot ejus conditiones. p. 153. c. 2. & ſeq. fieri nequit in favorem conſanguineorum &c. p. 154. c. 1. (A) reſignationes cum penſione extinguenda vetantur. ib. c. 2.
Reſtitutio quid ſit, & a quibus capitibus oriatur ejus obligatio. p. 332. c. 2. & ſeqq. plura. ib. de reſtit.
Reſtitutio reſultans ex ſecreto prodito. p. 335. c. 2. reſultans ex mendacio. p. 339. c. 1.
Reſtitutio quoad accepta propter opus illicitum: vel turpem cauſam &c. p. 353. c. 1. & ſeq.
Reſtitutionis circumſtantiæ quæ, & quot. p. 334. c. 2. & ſeqq. ejus neceſſitas. p. 336. c. 2. cauſæ ab ipſa eximentes. p. 337. c. 1.
Reſtitutionis obligatio in bonis animi unde reſultet. p. 344. c. 1. & ſeq. & in bonis corporis. ib. & ſeq.
Reſtitutionis obligatio ratione homicidii, aut mutilationis quæ. p. 345. c. 1 & ſeq. & ratione ſtupri. ib. & ſeq. & ratione Adulterii, ib. & ſeq.
Revelatio quid, & quotuplex. p. 292. c. 1. quid de revelat. virtuali. ib. c. 2.
Revelationes privatæ &c. p. 243. c. 1.
Ruſticorum obligationes. p. 201. c. 1.

S

Sacrilegium quid, & quale peccatum. p. 359. c. 2.
Satellitum obligationes. p 197. c. 2.
Scandalum quid ſit. p. 288. c. 2. Quotuplex, & quod peccatum ſit p. 289. c. 1. an al-

quan-

Digitized by Google

quando permitti poſſit. ib. c. 2. plura ib. & p. ſeq. de ſcand.
Schiſma quid ſit, & quale peccatum. p. 288. c. 2.
Scientia Eccleſiaſticis, quàm ſit neceſſaria. p. 143. c. 2. & ſeq.
Scribarum obligationes. p. 197. c. 2.
Scrupolorum cauſæ quæ ſint, & quæ eorum remedia. p. 56. c. 2.
Secretum quando violetur, & ad quid teneatur violator. p. 338. c. 2. Cauſæ excuſantes a violatione ſecreti. ib. & p. ſeq.
Simonia quid ſit, & quotuplex. p. 166. c. 2. & ſeq. Simonia in vendendis ſacris vaſibus. p. 168. c. 1. circa miſſarum celebrationem &c. ib. circa Religionis ingreſſum. ib. c. 2. circa Patronatum, & Beneficiorum ſundationem. p. 169. c. 1. circa ambitum Beneficiorum. ib. circa nominationem, & collationem Beneficiorum. ib. c. 2. circa Reſignationes. ib. circa permutationes. p. 170. c. 1. circa tranſactiones, & compoſitiones. ib. circa confidentiam. ib. c. 2. Simonia quale ſit peccatum, & quibus afficiatur pœnis. p. 171. c. 1. & 2. & quis ab ipſis abſolvere poſſit. p. 172. c. 1.
Simoniacè promotus, ſe ipſo nieſciente, quid? p. ib.
Sodomia quid ſit, & quale peccatum. p. 359. c. 2.
Spes quid ſit. p. 218. c. 1. & ſeq.
Spei objectum quod ſit. p. 260. c. 2. & quod Subjectum. p. 261. c. 1. Ejus neceſſitas. p. 262. c. 1.
Subditorum obligationes erga Principes quæ. p. 192. c. 2.
Subrogatio ad Beneficia quid ſit. p. 45. c. 1.
Superiorum virtutes, & munia quæ. p. 190. c. 2.
Superbia quid ſit. p. 283. c. 2. quale peccatum: quot, & quæ ejus Filiæ. p. 284. c. 1. & ſeq.
Superſtitio quid ſit. p. 300 c. 1.
Suſurratio quid ſit, & quale peccatum. p. 250. c. 1.
Suſpenſio quid ſit, & quotuplex. p. 134. c. 2.
Synderesis quid ſit. p. 45. c. 2.

T

TAciturnitas quando æquivalet conſenſui. p. 18. c. 1.
Tactuum diverſitas; & an liciti. p. 360. c. 2.
Temperantia quid ſit: quæ vitia ipſi oppoſita, & virtutes annexæ. p. 314. c. 2. & ſeq.
Tentatio Dei quid, quotuplex, & quale peccatum ſit. p. 301. c. 2. & ſeq.
Teſtamentum quid ſit, & quæ ejus ſpecies. p. 317. c. 1. an non ſolemne valeat. ib.
Timor Domini quid ſit. p. 262. c. 2. & quotuplex. p. 263. c. 1. & ſeq. an bonus. p. 263. c. 1. & ſeq.
Tonſuram ſuſcipiens fine non recto peccat. p. 142. c. 1. Tonſuræ clericalis obligatio. p. 145. c. 2.
Tranſitus ab una ad aliam Religionem an liceat. p. 186. c. 1.
Turpiloquium quid. p. 361. c. 1.

V

VEctigalia juſta debentur in conſcientia. p. 97. c. 1.
Venditio quid ſit. p. 319. c. 2. venditæ rei quomodo transferatur dominium. ib.
Venditor an teneatur rei vitia occulta Emptori detegere. p. 320. c. 2.
Venditionis, & emptionis materia quæ. p. 321. c. 1.
Violentia quid ſit, & quotuplex, & quando efficit involuntarium. p. 20. c. 2.
Virtus quid ſit. p. 203. c. 1. & quotuplex. ib. c. 2.
Virtutis infuſæ, & acquiſitæ diſcrimen. p. 204. c. 1. & ſeq.
Vocationis divinæ neceſſitas ad Statum Clericalem. p. 140. c. 2. quomodo dignoſci poſſit. p. 141. c. 1.
Voluntas humana dupliciter fertur in finem ultimum. p. 2. c. 1. eligere poteſt medium minus idoneum, modo conducat ad finem, relicto magis idoneo. p. 7. c. 2. in quo exerat imperium ſuum. p. 9. c. 1.
Voluntas ſola eſt formaliter libera. p. 11. c. 1. a ſe ipſa determinatur. p. 12. c. 2. ad bonum ſupernaturale ſeipſam determinare nequit. p. 16. c. 2. (A)
Voluntas in quibus actibus cogi poſſit. p. 22. c. 1.
Voluntarium quid ſit, & quotuplex. p. 9. c. 1. & p. 18. c. 1. plures Reſolutiones voluntarium ind rectum ſpectantes. p. 21. c. 1.
Votum quid ſit. p. 293. c. 2. quotuplex. p. 294. c. 2. illud emittere quis poſſit. p. 295. c. 1. quando obligat. ib. c. 2.
Votum Solemne in quo differat a ſimplici. p. 186. c. 1.
Voti emiſſi impedimenta an tollenda. p. 296. c. 1. Ejus obligatio quando ceſſet. ib. & ſeq.
Votorum materia levis, vel gravis. p. 226. c. 2.
Ad votorum diſpenſationem quæ cauſæ. p. 297. c. 1.
Uſura quid ſit, quotuplex, & quo jure prohibita. p. 322. c. 1. & ſeq.
Uſuram paliandi tituli prætenſi. p. 323. c. 1. (A) tituli veri ab ipſa excuſantes. p. 324. c. 1. an extra hos titulos aliqua uſura ſit licita. p. 325. c. 1.
Uſurarius an fiat uſurarum Dominus. p. 325. c. 1. mentalis an ad reſtitutionem teneatur. ib. c. 2.
Uſus quid, ex quotuplex. p. 304. c. 2.
Uſus facti an ſeparabilis a dominio. p. 305. c. 1.

FINIS INDICIS PARTICULARIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google